ALEXII SYMMACHI MAZOCHII

NEAPOLITANAE ECCLESIAE CANONICI
ET REGII S. SCRIPTVRAE INTERPRETIS

IN VETVS MARMOREVM
SANCTAE NEAPOLITANAE
ECCLESIAE
KALENDARIVM

COMMENTARIVS.



NEAPOLI AN. CIↃIↃCCXXXXIIII
Ex officina Nqvelli de Bonis Typographi Archiepiſcopalis
TRIVSQVE POTESTATIS PERMISSV

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

IOSEPHO

S. R. E. CARD.

SPINELLO

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

ALEXIVS SYMMACHVS MAZOCHIVS

DVbium mihi non est, EMINENTISSIME PRINCEPS, quin plerique eorum, qui prolixam tuam erga me voluntatem ac beneficentiam norunt, miraturi sint, quid sit, cur ego nullam vicissim pro mea virili parte grati animi significationem ediderim: quumq. ceteri hominum, quos numquam obstrinxeris, certatim in tuas laudes effundantur, ac lucubrationes suas sub tuo apparere nomine officii sui ducant; ego contra, qui tot nominibus Tibi plurimum debeo, non dum ut aliquod meae in Te observantiae testimonium publice exstaret, conatus fuerim. Sane vero si vel ignavia in causa foret, vel rusticitas, vel aliud animi vitium; non dubitarem sive exoranda venia, sive deprecanda poena, expiare id quidquid est criminis. Nunc Tute

 scis,

Digitized by Google

ſcis, Card. Ampliſſime, qua plures jam annos valetudine afflicter, tum ſiquid reſtat virium, quibus me alieniſſimis occupationibus aliud ex alio objecerit: quo minus mirandum eſt, ſi Obſervationes in N. T. Tibi a me deſtinatas, quas jamdudum obrodo, nondum elimandi facultas fuerit. Accedit quod is ſum, qui prodire in ſcaenam, niſi paene coactus, non ſuſtineam; nec ad hanc diem occaſio ſe talis dederit, quae mihi edendi Tibi aliquid feſtinationem aut neceſſitatem imponeret. Nunc vero quandoquidem tuopte juſſu ad commentandum ſum incitatus, non potui non laetari magnopere, quod tandem occaſio mihi talis oblata fuerit, qua ſi minus acumen ſagacitaſq; at officium ſaltem atque obſequium eniteret.

Nam quum ante hos duos annos vetus marmoreum Eccleſiae Neapolitanae Kalendarium, abhinc annos nongentos ſcalptum, neſcio quo Numinis favore detectum fuiſſet; pro eo, quo in omnem antiquitatem, praeſertim vero ſacram, ſtudio incenderis, juſſiſti illud quantivis pretii cimelium perpetuo a me commentario exornari. Ibi me ſane deprehenſum illico ſenſi. Nec enim cauſas alioqui veras ſive aetatis, ſive valetudinis, ſive tenuitatis meae tanto oneri imparis, praetexendi facultas fuit. Quid multa? factum oportuit. Ac ſerius omnino quam voluiſſem, qualiſcumque is commentarius in lucem prodit, nulla alia ſe re probaturus, quam tuo, quod in fronte emicat, nomine. Atq. is primus ſubruſtico pudori meo detergendo, qui me adhuc, quo minus Te coram producerer, impediebat, gradus eſto. Nam ubi frontem ſemel perfricuerim, nulla erit deinceps mora, quin factus con-

fiden-

Digitized by Google

fidentior, plura Tibi de ſacratiorum Muſarum penu depromere adnitar.

Sed illa tamen in nuncupandis Tibi operibus difficultas longe maxima occurſat, quod pro ſollemni *tritoq.* more neceſſe ſit ejus laudes, cui quid inſcribitur, non leviter attingere: quod ſi uſquam alibi, in Te certe perquam arduum iter atq. abruptum reperio. A quo munere Tu quidem, Card. Ampliſſime, cui univerſum hoc laudationis genus inviſum eſt, me libenter abſolvis: utinam vero & ceteri cives mei tuarum ſtudioſiſſimi laudum abſolvant. Quod non eo dico, quaſi quidquam ſuavius mihi ſit quam in tam jucunda tractatione verſari; modo tamen facultas me deſit. Nunc vero quum virtutes tuae non modo meam infantiam, ſed omnem eloquendi vim atq. exercitationem excedant; deſinant quaeſo tuarū cupidi laudum in tantam me exiſtimationis aleam ac dimicationem conjicere. Me quidem certe vix hiſcere aggredientem tam ſpiſſo agmine decora atq. ornamenta tua circumſtant, & certatim, ut ab ſe ordiar, invitant, ut unde incipiam, aut quo deſinam, ſatis decernere nequeam.

Nam ut ſingularem SPINELLAE domus claritudinem, & fumoſas majorum imagines, & quidquid hujus generis eſt longiſſime diffuſum planeq. infinitum, ut haec inquam univerſa praeteream: a primis ne diſciplinae tuae lineamentis exordiar ſub illo Herculeorum certaminum tuorum Euryſtheo paene altero ductis, ſub Card. inquam Imperiali immortalis memoriae avunculo? Cujus celeberrimam Bibliothecam Muſarum ne domicilium, an cultorum ſapientiae portum perfugiumq; an quo alio nomine appellem?

Digitized by Google

lem? Ibi Tu doctiſſimis ſtipatus viris, ſermonibus eruditiſſimis noctes dieſque laetior quam in convivio traducebas. Quid nunc miramur, ſi ex quo ludo, tamquam ex equo Trojano, tot ſtrenuiſſimi viri ad fortiter gerendam rem Chriſtianam proſilierint, eorum Tu facile ſignifer habearis? An incipiam a Belgica omni aevo memoranda legatione tua? quam acerrimus ille ingeniorum judex Clemens XI. non alia de cauſa, quam quod ea tunc ſummis difficultatibus obſita virum ſtrenuum poſceret, Tibi adhuc adoleſcenti detulit; ut quae aliis meta certaminum futura eſſet, ibi Tu fortitudinis tirocinium poneres. Quam Tu provinciam alienis reipublicae temporibus a Te ſuſceptam,& negotiis difficillimis aſperam,ita brevi tempore expediviſti,ut quam foedis Janſeniſtarum factionibus turbatam acceperas, pulcherrime pacatam reliqueris, S. Sedis juribus firmiſſime in omne tempus conſtabilitis. Nam Lovanienſes doctores a Gradibus, quoſvis vero alios a Sacerdotiis adipiſcendis Edicto abſtinuiſti, niſi prius Pontificiae Formulae ſubſcripſiſſent; & qua auctoritate, qua gratia, res novas moliendi ſtudium latiſſime ſerpens ab imis radicibus exſtirpaſti; reſque eas geſſiſti, quas juſti hiſtoriarum libri, non haec epiſtola capiat. Jam vero Vrbanae adminiſtrationi tuae in graviſſimis cauſis Epiſcoporum & Regularium quae poteſt par oratio inveniri? Quid in tanta impediti ſſimorum negotiorum mole arduum induſtriae tuae fuit, quid ſapientiae invium,quid abruptum ſagacitati? Quid porro miramur, ſi in eam plurimum ſententiam,quam Tu explicuiſſes,ibatur a

Pa-

Digitized by Google

Patribus ſapientiſſimis? imo quid miramur, ſi tanta tunc temporis tua in expediendis rerum difficillimarum conſiliis maturitas ſupremum ſanctiſſimi in tertis Concilii honorem Tibi maturaverit? Quamquam *mihi* contra res a Te provide ſapienter ſtrenueq. geſtas *intuenti* non tam deproperatus is honor videtur, quã potius dilatus: dilatus autem Divino plane conſilio, ut Purpuram iſtam, quam egregia facinora tua Tibi jamdiu promeruerant, Tu contra Neapolitanae Eccleſiae, ſub idem Tibi tempus deſponſae, Te veluti dotalem habere non ſine raro modeſtiae ſenſu prae te ferres.

Jamque in eum me locum delapſum nec opinantem ſentio, quem declinare, ſi qua poſſem, cupiviſſem. Dicendum eſt enim de Archiepiſcopatu tuo Neapolitano: ad quem jam inde a principio tamquam ad Syrtim aliquam aut Charybdim obſtupui totuſq cohorrui. Jam primum omnium mitto dicere, quam incenſis omnium votis unus ex omnibus expetitus fueris: tum quam effuſis cunctorum ordinum ſtudiis exceptus, non tamquam ab Romana Curia miſſus, ſed tamquam de caelo delapſus ad hanc exornandam Metropolim videreris: poſtremo quam longo intervallo exſpectationem, quam de Te abſente fama conciverat, adventu tuo, ſimul ac divinae mentis opes oculis expoſitas contemplari licuit, ac praeſentia ſuperaveris. Nam quae paſtoralis officii pars ulla reperietur, qua m non primo in hanc tuam provinciam appulſu numeris omnibus abſolveris? Prudentiam ne? quam tibi miro quodam naturae fatu inſitam, ad ſapientiſſima Avunculi tui praecepta conformaveris, eamdem litterarum cultu & meditatione acueris, poſtremo diu-

Digitized by Google

turno uſu atq. experientia ſubegeris & confirmaveris; nihil ut inſolitum accidat, quod non ante provideris, nihil impeditum, quod non ex Tuae mentis ſacrario explicitum afferas. An vero juſtitiam? qui tribunalia vel leviſſimis per Te abſterſa labeculis, ad haec duobus aliis pro cauſarum multitudine Judicibus ære tuo conſtitutis, ad recti juſtiq. normam ſcite direxeris: qui ſacerdotia nonniſi digniſſimo cuique Te delaturum profeſſus, ab ea norma numquam latum unguem deflexeris. Anne conſtantiam? cui neq. cujuſquã gratia, neq. metus aut offenſiones ullae propoſiti tenacitatem excuſſerint, nihil oris ſerenitatem turbaverit, nihil inſtitutae ſemel vitae tenorem, ſtatorumq. actuum ſibi in orbem ſuccedentium ſeriem interruperit. Quid de humanitate, manſuetudine, ſuavitate tua incredibili dicam, quas ita cum gravitate ac Sacerdotali quadam oris majeſtate temperas, ut ex ea temperatura illud neſcio quid exſiſtat, quod quia nec uſitatum, nec alias in terris viſum fuit, nullum apud majores noſtros nomen invenit. Quid de vigilantia? qui quum innumerabiles Apoſtolatus tui adminiſtros & diſpertitis inter ſe curis Sacerdotii adjutores circa Te habeas; ſic rebus omnibus non praees tantum, ſed & interes, ut tamen praevertas ſollertia univerſos: idem numquam a graviſſimis diverſorum negotiorum conventibus abes, reſtantes exſtimulas, omnia de ſpecula circumſpicis, imminentes procellas avertis, arces lupos, ovibus pabula profutura diſpenſas, ubique praeſens, ad omnes rei gerendae opportunitates intentus. Quid de alacritate vero miraq. celeritate? qui maximarum rerum molimina ante perfeceris, quam cuiquam ſubo-

Digitized by Google

herit: Jam vero laborum perferentiam quantam esse dicemus? quem sic negotia alia ex aliis distinent, vix ut ullam Tibi indulgeas ad animum relaxandum, aut omnino ad spiritum ducendum quietem. Quis Tibi *Dominicus* abit dies, quin huic aut illi Paroeciae *improvisus* occurses, nequis Catechismi ministerio torpor obrepat? An ullum est ex Ecclesiae Sacramentis, quod non Tute administres? An est quisquam tuae provinciae recessus, quo non sapientum stipatus corona gregem visitaturus, tuisq. concionibus ad virtutem informaturus, pervadas? id vero tui unius sumptibus, remissisq. ne cui gravis accedas, procurationibus: ut mirum plane sit, unde tot opes Tibi sufficiantur.

Etenim ut effusissimam in egenos & afflictos liberalitatem praetermittam; idem & strenuos Verbi Dei praecones, tuo sumptu dioecesim assidue lustraturos, alis; & in frequentissimum periclitantium puellarum collegium a Te nuperrime erectum symbolam longe uberrimam confers; & in tuis aedibus doctrinarum omnium ludum universo Clero aperuisti, selectissimis professoribus tuo aere adscitis, quibus tuo sub aspectu sacra juventus ad omnem eruditionem informanda traditur: fabricas vero tales tantasq. molitus es, quantas vix animo concipere potuissemus. Tu Episcopalis palatii, Tu Seminariorum (quorũ alterum Te modo auctorem habuit) spatia laxiora & elegantiora fecisti: Tu Cathedralem Basilicam tam miris fabricarum, signorum, picturarum, marmorum, argenti, sericae supellectilis operibus exornasti, ut squalore detersо nova nunc demum niteat Ecclesiae Neapolitanae facies, par urbi Regiae, Regniq. ampliſſimi Metropoli. Pro

Digitized by Google

Deum Immortalem! unius ne hominis alacritas tanta fuit, ut res numero & magnitudine maximas tam brevi tempore, quantum vix ad earum rerum explicanda consilia satis erat, absolverit perfeceritque?

Decimum enim hunc annum gubernaculis adsides: quam quaeso maximam juxta ac minimam partem Sacerdotii non impleviſti? Nam quantum illud est (quod quidem in exordia tui Pontificatus incidit) quod inter potentissimum Hispaniarum Monarcham, Romamque ex nescio quibus militaris delectus difficultatibus intercluso aliquamdiu commercio, quum quorsum id evaderet, magnopere metueretur; Te conciliatore quidquid id simultatum fuit in majora amicitiae argumenta processit? Tuo enim potissimum consilio in Hispaniis primum, mox & in hoc felicissimo Regno inter Sacerdotium atq. Imperium consensio insperata coaluit; idq. non sine Pontificis Max. ac Regis utriusq. piissimi ac sapientissimi gratia; populis adhaec atq. universis ordinibus gratulantibus, quod semina implacabilium dissensionum, tam facili remedio restincta fuissent. Tu vero idem, qui in rerum maximarum momentis tantus habearis, non dubitas ad minutissima quaeque Sacerdotii munia Te demittere; Vrbem pagosque obire, Clericos corrigere atque instruere, populos Divini verbi solatio reficere; pueros & mulierculas tum viva voce, tum scriptis a Te Catechesibus erudire. Per te, PATER, Divini Catechismi rudimentis fora plateae compita ac Basilicae personant: sunt huic quoque rei statuta videlicet per Te praemia, quibus adolescentium studia provocantur Per te puellis periclitantibus pudor; sacris autem Virgi ni-

Digitized by Google

ginibus disciplina severior est restituta. Per Te Templis nitor, Sacris gravitas & majestas, Ordini Ecclesiastico reverentia constat. Per Te hic idem Ordo cum prioribus Ecclesiae saeculis de palma decertat.

Nam ut de Cleri tui moribus integritate atq. innocentia, quae in omnium oculos incurrit, nihil nunc dicam: potest ne ullius sub Sole Cleri scientia cum hujus tui mira in omnes partes doctrina comparari? Sic est. *Fortes creantur fortibus & bonis: Est in juvencis, est in equis patrum Virtus: nec imbellem feroces Progenerant aquilae columbam.* Nec enim fieri potest, quin, qui in interioribus litteris a pueritia innutritus, evigilatas Tibi noctes maximo in lucro posueris, qui nunc quoque quascumque corradere temporis lacinias potes, id totum libris impalleſcas, qui per summos labores non fucatam sed solidam Tibi eruditionem comparaveris; non eosdem *castissimos* amores filiis a Te in CHRISTO procreatis instillaveris. Praeter hanc autem Divino ipso conceptu per Te iis infusam propensionem, addis quotidianos acutissimos stimulos. Ad aedes tuas, ut ante dicebam, omnis quotidie Clerus gregatim confluit. Ibi per suas classes scholasque dispositi tuis sub oculis a doctoribus strenuissimis ad optimas artes erudiuntur: ut qui in domo Dei educantur, non minorem jam habituri sint ab initio doctrinae, quam caritatis consensionem. Et quamquam sua illi sponte ad metam cursu effusissimo provolant, tamen currentibus calcaria admoves, faceſque subdis. Est magna apud illos quidem labori merces a tanto Principe probari ac laudari: at etiam optimum quemque ad Sacerdotia promoves, & honoribus auges. Quid de deliciis illis tuis duobus florentissimis.

Digitized by Google

mis Seminariis dicam? in quorum altero urbani, in altero (nunc primum a Te fundato) vicani Clerici ad omnem penitioris doctrinae subtilitatem instruuntur? Quid de instituta per Te celebri apud Oratorianos Patres Academia, in qua viri ex tuo Clero lectissimi crebris dissertationibus publice pronuntiatis Ecclesiae historiam illustriorem efficiunt? Enimvero qui haec atque plura, quae multiplicem Cleri tui eruditionem declarant non sentiat, nae is stipes ac prope saxeus sit oportet. Etsi quid dico saxeus? Quum etiam bruta saxa summum praesentis in litteras studium persentiscere, coramque exsilire prae gaudio visa fuerint?

Nec enim hoc loco continere me possum, SPINELLE Card. quin imiter Davidicam loquendi consuetudinem, apud quem non semel rupes atque montes prae gaudio exsultantes coram Domino inducuntur. Nam quod vetus marmoreum hujus Ecclesiae Kalendarium, ubi post nongentos annos in situ & squalore delituisset, nunc demum in hominum lucem prodierit, erunt fortassis, qui sive id in casum nescio quem fortuitum, sive in hujus saeculi felicitatem sint derivaturi. At equidem ad tuas id laudes pertinere censeo, quod non tantum imbuti litteris homines, verum etiam torpentia saxa, sed tamen inscripta litteris, Tibi tamquam litterarum reparatori coram occurrere gestiant. Quae quum per plura saecula aversо vultu, dorsum tantum spectantibus obverterint, ac nunc demum praesenti ac videnti Tibi os suum atque faciem patefecerint; nonne hoc videntur non obscuris significationibus eloqui, abs Te uno harum rerum aestimatore opem se ac salutem unice speraſſe; nec prodire antea voluisse,

Digitized by Google

quam-

quamdiu pretium hiſce gazis nullum ſtatuebatur, ne per ſummum dedecus ad ſordidos uſus ſecanda, eviſceranda, disjicienda, lapicidis diſtraherentur. Id quod nunc quoque peſſimo publico factum fuiſſet, niſi Tu, PATER, prohibuiſſes. Statim enim pro ea, qua polles eruditione ſenſiſti ſummam monumenti in omnes partes utilitatem. Plures ibi Sanctos Antiſtites deceſſores tuos deprehendiſti, quos primitus quidem majores noſtri ſacris honoribus proſequebantur, poſtmodum, uti fit, eorumdem cultum delevit oblivio.

Atq. hanc primam Tibi curam id marmor injecit, veterem ut honorem deceſſoribus tuis, qua poſſes, reſtitueres, eorumque marmoreas imagines Metropolitanae Baſilicae pilis ex omni parte affigeres. Ne cui vero forte de eorum antiqui cultus poſſeſſione obrepere ſcrupulus; in re tanti momenti virorum ſacrae antiquitatis peritiſſimorum pluries coacto conventu, ſcriptiſque ac palam diſceptatis ab unoquoq. ſententiis, ita demum de Sanctorum hujus urbis Praeſulum cultu ſtatuiſti, eorumq. catalogum condidiſti. Quis porro ſuſpicari umquam potuiſſet, Sanctos deceſſores tuos ad amplius triginta fuiſſe perventuros? itaut Neapolitana Cathedra uni Romanae Sanctorum Antiſtitum multitudine concedat, nulli praeterea alteri. Deus Immortalis! quam ſpeciem offert pedem inferentibus in Baſilicam hinc atq. inde Sanctiſſimorum Antiſtitum in orbem diſpoſitorum venerandum concilium; ut quos olim intervalla temporum ab ſe invicem disjunxiſſent, nunc una ſimul ante adorandum Dei tribunal adſidentes, ſic tamquam in illa caeleſti Jeruſalem, conſpicemur. Per hos Fidei, ac Religionis integritas perſti-

tit

Digitized by Google

tit inconcussa: quumq. ceterae orbis partes foedis haeresibus conflictarentur, Neapolitana Ecclesia numquã a veritate deflexit. Per hos Apostolatus successio ad Te usque JOSEPHE Card. per manus traducta fuit. Merito illos dignis semper honoribus es prosecutus. Verum quod hoc tempore novis Curiae caelestis Senatoribus Neapolitanos fastos auctiores feceris, hoc Te debere Fastis hisce marmoreis nõ immerito profiteris.

Quocirca & ei marmori quam posses gratiam retulisti, quando illud publice in visendo tuarum aedium loco proposuisti, ære perennius monumentum Ecclesiae hujus origines rimaturis. Nec hactenus accuratio tua stetit. Nam & id Kalendarium in aes incidi, & perpetuo commentario illustrari voluisti. Recte id quidem ac sapienter. Verum quod me unum ex omnibus designaveris, cui id laboris imponeres, in eo, pace tua dixerim, consuetam perspicaciam tuam & acre judicium requiro. Qui utinam exiles ingenii mei vires perspectas penitus habuisses: quemvis alium, sat scio, potius delegisses. Verum quando ita mecum actum esse voluisti; quid facerem? dedi manus. Me vero tametsi nulla relictae per me industriae remordet conscientia; tamen ubicumque ex antiquitatis ignoratione peccatum fuit, non refugio, quin id omne in imperitiam meam rejicias: sicuti siquid contra recte & ex sententia processit, id totum cohortationibus sapientissimis tuis acceptum refero. En quibus de causis id qualecumque est operis ac laboris, tuo sub auspicatissimo nomine in publicam lucem protrahitur, de tuo tantum patrocinio sibi gratulans cetera securum. Haec dabam Anno Rep. Sal. CIↃIↃCCXXXIIII.

Digitized by Google PRAE-



Inter antiquas Neapolitanae urbis Basilicas post Cathedralem facile nunc principem locum obtinet Abbatialis Ecclesia S. Joannis Baptistae, vulgo S. Ioannis Majoris, *a Vincentio Episcopo fundata olim medio VI. saeculo; quam & insigne Canonicorum Collegium illustriorem reddit. In ejus Basilicae latere, quod Septentriones spectat, duo praegrandia marmora, longa singula palmos Neapolitanos (quorum ternideni fide doctiss. architecti Donati Gallarani pedes Rom. decem aequant) XXIII., alta III. cum quadrante, crassa unum, parieti affixa erant ex utroque portae latere in longum porrecta, ita ut unum ab altero lateralis ea Templi janua media dirimeret. Et ea quidem ante hominum memoriam sic adhaerebant parietibus, nulla ut subesset suspicio de litteris, quibus interior eorum facies, qua muro applicabatur, perscripta erat: quumque dorsum, quod spectantibus objiciebant, variis fabulosorum animalium & stirpium formis pro aetatis illius (*) ingenio insculptum esset; facile quivis credidisset, eam non pro postica, sed pro antica & primaria saxorum illorum parte haberi debere. Interea temporis Josepho Mariae Purpurae ejusdem Ecclesiae Canonico & Curioni (hoc ipso anno 1744. non sine sanctioris vitae opinione demortuo) ea cura subiit, ut ea duo marmora, quae ad frontis quidem ornatum nihil facerent, at Basilicae operibus deservitura viderentur, inde divelleret; quod & mense Aprili anni MDCCXLII. factum fuit. Quae ut litteris confertissimis a capite ad calcem exarata esse, compertum fuit; res tota per Scipionem Christophorum sacrae antiquitatis studiosissimum ad Eminentiss. Archiepiscopum* IOSEPHVM *Card.* SPINELLVM *defertur. Is agnito monumenti pretio (quippe quod integrum Ecclesiae Neapolitanae vetus Kalendarium complectatur: nec*

aliud

(*) Istud sive scalpturae sive picturae genus, quo variae animalium Chimeritorum, florum, stirpiumque formae ad libidinem exhibentur (quod vulgo nunc vocant *Grotteschi*) nec Romani penitus ignoravisse videntur (quantum quidem ex initio Horatianae epistolae ad Pisones, *Humano capiti* &c. percipitur) & aetas media vix aliud ornamenti genus usurpabat. Jam tum enim aevo S. Bernardi Chimericis istis designationibus etiã Cluniacensium monachorum claustra (quod in iis hodieq. fit) scatebant: quod & S. Abbas acriter detestatur Apol. ad Guilielmum Ab. S. Theodor. cap. 12. his verbis. *Ceterum in claustris coram legentibus patribus quid facit illa ridicula monstruositas... Quid ibi immundae simiae? quid feri leones? quid monstruosi centauri? quid semihomines? quid maculosae tigrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? Videas uno capite multa corpora, & rursus in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis. Ibi bestia praefert equum, capram trahens retro dimidiam, hinc cornutum animal equum gestat posterius*, &c.

Digitized by Google

aliud usquam, quod sciam, exstet marmoreum Kalendarium Ecclesiasticum, quum interim profana Kalendaria plura asserventur) asportari in suas aedes ea duo saxa, & ante omnia de Fastorum aetate decerni jussit. Itum est in diversas sententias. Cur autem eos Fastos post octingentesimum Christi annum, ac medio ferme nono saeculo scalptos fuisse ipse censuerim, causas plures idoneas habeo; quarum nonnullas ad diem XVII. Febr. in Paulo Juniore exposui pag. 60. 61. mox infra in subjecta Diatriba easdem ac plures alias daturus.

Ac tantum quidem cimelium Eminentiss. Cardinalis ubi ex Orci faucibus eripuisset, in vetus aedium suarum sacellum transtulit: quo in sacello nunc sacra Theologia Clero Neapolitano universo exponitur. Ejus igitur scholae parietibus ea duo marmora ex utroque latere affixit.

At eidem, ubi plures Antistites decessores suos olim apud Neapolitanos publicum cultum obtinuisse, deprehendisset (qui cultus postmodum bellis, vastitatibus, barbarieque ingruentibus intercidit) de eodem cultu in integrum restituendo cura subiit, idque non sine virorum gravissimorum consilio. Itaque novem sacrae antiquitatis peritissimis viris id negotii dedit, ut scripta prius ab unoquoque sententia, etiam quid de Antistitum illorum singulis judicassent, pluries coacto conventu, coram exponerent. Ita ubi pluries disceptatum fuisset: coiere tandem in unam cuncti sententiam, qua censuerunt, videri, praeter eos episcopos, qui hodiedum coluntur, alios esse plures, quibus antiqui cultus possessio suffragetur: ita ut universi XXX. saltem numero sint: quorum catalogum alibi dabimus, ubi de hoc negotio sermo instituetur. Ergo ut SS. decessorum cultum quem posset, Noster in praesentia revocaret; eorum marmoreas imagines pilis Basilicae Cathedralis in orbem applicuit: quid postmodum facto opus sit, alio tempore deliberaturus.

Postremo & utrumque Marmor in aes incidi jussit; & id mihi negotii dedit, ut eos Fastos quo possem commentario instruerem. Atque in ejus commentarii vestibulo pluribus equidem praefari deberem, de monumenti pretio & utilitate, de ejusdem aetate, de orthographia, de notis illis NATalis, DEPositionis, PASsionis, & quae plura sunt generis hujus. Atqui is prologus tum demum multo commodius procederet, ubi commentarius ad umbilicum pervenerit, nequid eorum scilicet praefanti excidat, de quo praemonere lectores, mea aut illorum interest. At de aetate saltem monumenti sejunctam heic Diatribam non potui quin subnecterem. Ceterum superiora illa, & siquid praeterea inciderit, de quo doceri lectorem necesse fuerit, ea partim suo quaeq. loco admetimus, partim alibi peculiari scriptione tractabimus. Hoc tantulo interim anteloquio lectorem contentum esse volo, dum ad aetatem marmoris, ac porro ad ipsum Commentarium propero.

Digitized by Google

Atqui

Atqui in eo commentario est in quo culpam deprecer : qua certe vacare mallem , si potuissem . Verum sic se res habet : subitarium heic habes commentarium , nec quantum par erat elaboratum , nec aequabilem, sed alibi jejunum , alibi justo pleniorem . Una his omnibus vitiis causa illa fuit , quod schedulas quasque , ut proxime illeveram , adhuc madentes succo loliginis , typographo submittere necesse fuerit . Id quod tum alias usu mihi veniebat,tum nunc ut maxime, quum torpente ingenio ac viribus , non nisi flagitante typographo , pensum ut absolvam mihi impero . Tametsi satis scio , plura in omnes partes ex eo mihi gigni in commoda : primum quod excogitata , quae calenti adhuc ingenio probare sese nimium gestiunt , ad incudem revocare , nisi quantum operarum festinatio patitur , minime datur : deinde quod nec ordo semper (scibi longior est in aliquem Sanctorum commentarius) optime procedit, dum unius ejusdemque argumenti pars alia sub prelo comprimitur, alia formis intexitur , alia demum vixdum animo levibus signata lineamentis haeret . Mitto quod alibi breviloquentiae , alibi saepius redundantiae vitio perspicuitas infuscatur .

Habes cur minus , quam vellem , ad diutiorem trutinam examinata haec prodeant . Cur autem minus aequabilis commentarius exstiterit (quippe quum mensis unus Aprilis ceteris ferme prioribus par evaserit) paucis nunc accipe . Initio hoc tantum propositum mihi fuerat , ut notitiam dumtaxat Sanctorum in hisce Fastis signatorum traderem , eosque certis temporum ac locorum notis a cetèris cognominibus secernerem , adhaec Natalis, Depositionis, Passionis *notas recte a nostris appositas fuisse defenderem , ac pauca ejuscemodi alia persequerer , non quae ad Sanctorum historiam, sed quae tantum ad marmor hoc illustrandum peculiariter pertinerent . Ea methodo Januarius , ac magnam partem Februarius processerunt . Verum ubi in ipso Februario ac magis adeo in mense Martio digredi interdum in antiqua Sanctorum Acta paucis ac velati in transitu placuit, earumque animadversionum novitate viros amicos delectari sensi ; jam porro partim amicis instigantibus , partim sive sponte , sive instinctu quodam atque imperio, uti veteres loquebantur ; certe quidquid id causae fuit, toto Aprili mense inquirere diligentius in Acta vetera coepi , & quaecumque sive indicta viris eruditissimis , sive secus dicta reperi , ea statim arripui , in eamque possessionem tamquam vacuam irrupi . Quod institutum si minus displicere lectoribus animadvertero , dabitur opera , ut pari diligentia quae restant , percurrantur : sin contra, facile ea cura ac labore supersedebitur . Haec mea causa praelocutus , jam ad marmorum horum aetatem devenio .*

Digitized by Google

DIATRIBA

DE AETATE HVJVS MARMOREI KALENDARII.

SI quidem intra unius integri ſaeculi ambitum hujus praeclari monumenti ſtructuram concludere ſatis mihi eſſe ducerem; illud prorſus IX. *ſaeculo factum defenderem; eoque* IX. *ſaeculo nec antiquius, nec recentius eſſe poſſe, non levibus* (I) *argumentis ſuaderem. Nunc terminos hoſce laxiores, quam pro critice aetatis hujus, eſſe ratus, contractiores multo habenas huic, quam quaerimus, epochae permittemus. Duas vero in partes hanc totam commentationem tribuemus. Quarum priore demonſtrabimus, haec marmora nec anno* 818. *antiquiora, nec* 877. *recentiora eſſe poſſe, ita ut ejus epocha intra annos non amplius undeſexaginta vagari ultro citroque poſſit. Eo labore perfuncti, altera parte anguſtioribus decem tantum annorum finibus eamdem epocham coercere adnitemur: ita ut nec ante annum* 840. *nec poſt* 850. *hi Faſti prodiiſſe videantur.*

PARS

(I) Ajo Faſtos hoſce marmoreos IX. ſaeculo nec antiquiores, nec poſteriores cenſeri poſſe. Prior pars ſic oſtenditur. In hiſce marmoribus diei XIIII. Octobr. praeter Gervaſium Protaſiumque etiam FORTVNATAE Virg. & Mart. feſtum inſcribitur. Jam vero hujus feſtum non agitari Neapoli coepiſſe oportet, quam ejus Reliquiae Linterno Neapolim transprius ferrentur. Nam certe non aliud quam S. Virginis pignorum praeſentia, ſimulque quod ſub haec rogatu Stephani Epiſc. Neapolitani ſacrarum Virginis Reliquiarum Translatoris Autpertus quidam Paſſionem Translationemque ejuſdem S. Mart. ſcripſit, in cauſa fuit, ut S. Fortunatae feſtum Faſtis noſtris diei ſuo h. e. prid. Id. Octobris inſcriberetur. Jam vero Translatio haec ſub Stephano II. epiſc. Neap. & Hadriano I. Rom. Pont. ac demum *regnante* (ut in Actis legitur) *Conſtantino & Irene matre ejus* contigit. Et Stephani quidem Hadrianique pontificatûs ſpatia, utpote laxiora, parum nos juvant. At Conſtantinus cum matre ab an. 780. ad 790. regnavit: intra quod decennium ea Translatio facta fuerit oportet. Scio Summontium (apud Ant. Caracciolum p. 187.) eam Translationem anno 789. fixiſſe, ſed quanam ratione motum, ignoro, ut qui nunc Summontium ad manus non habeam. Ergo quum ob eam Translationem ſimulque Acta ab Autperto conſcripta in hiſce Faſtis locum (& quidem die in Autperti Actis notato) S. Fortunata invenerit; omnino ante IX. ſaeculum, aut ſummum octavi finem hoc Kalendarium recenſeri non potuit.

At pars altera ex dicendis ad XVI Maii, quo die in his Faſtis S. Reſtituta colitur (omnino pridie ejus diei, quo ea nunc celebratur) ſuaderi poteſt. Ex eo enim quod illa in hoc monumento die non ſuo ſignetur, ante X. ſaeculum per ſcripta haec fuiſſe marmora, colligemus quod totum quale ſit, in loco exponetur. Nec dubito, quin in commentarii decurſu plura ſe ejuſdem aetatis argumenta daturа ſint. Interim heic gravioribus inſiſtere eſt animus.

Digitized by Google

PARS PRIOR

Hos Faſtos nec poſt annum 877. nec ante annum 818. ſcalpi potuiſſe.

CAP. I.

Citerioris termini demonſtratio.

A citeriore cardine utpote expeditiore ordior. Eaque demonſtratio hunc in modum procedit. In hiſce Faſtis nullus eſt S. Athanaſio I. Epiſcopo Neap. (qui nunc a nobis die XV. Julii colitur) locus. Atqui is Praeſul & genere & ſanctitate mirifice enituit. De ſanctitate leganturque de eo ſcribit epiſcoporum noſtrorum chonographus Jo: Diaconus, & Petrus Subdiac. in hiſtoria Translationis. Idem genere ſupra ceteros eminebat (nam id quoque populorum ſtudia erga recentes Caelicolas haud parum incendit) quippe qui tres domi ſuae ſupremos Ducus Neapolitanos habuerit, Sergium patrem, mox Gregorium fratrem, deinde Sergium fratris filium; necnon alterum fratris filium Athanaſium II. poſt mortem ſuam cathedrae ſucceſſorem reliquerit. His de cauſis clariſſimus Praeſul ab hoc Kalendario non abeſſet, ſi quidem id poſterius tanto Antiſtite (qui anno 872. ad caelum evolavit) fuiſſet.

Fortaſſe dixeris, non ſtatim poſt obitum conſuevisſe aris admoveri tunos ſanctos: quocirca hinc tantum colligi, hoc marmor incidi antea debuiſſe, quam Athanaſius inter Caelites adſcriberetur: qui quum forſan diu poſtea inter Sanctos numerari coeperit, hinc aliquamdiu poſt ejus migrationem ſcalpi haec marmora potuiſſe. Verum haec objectio haud plus quinquennio nos remorabitur. Nam Athanaſii corpus an. 877. (qui quintus ab ejus obitu fuit:) ſollemni pompa atque concurſu ex Caſinenſi Monaſterio in noſtram Stephaniam translatum fuit, quae Translatio etiam ſanctionibus ac prodigiis inſignita fuit: id quod ex Translationis ejus hiſtoria a Petro Subdiac. ſcripta intelligitur; quem de ea ſic loqui apparet, non tamquam de cadaveris illuſtris exſequiis, ſed tamquam de beati corporis, communique judicio talis habiti, religioſa Translatione. Quocirca Kalendarium iſtud ſaltem anno 877. poſterius non erit. Nam ſi poſt eam Translationem inſcriptum fuiſſet, certe Athanaſius II. fratris S. Athanaſii hujus ejuſdemque ſucceſſor eum tum ſuopte incitatu, tum cleri populique huic Faſtis inſcribi juſſiſſet. Haec de citeriore termino. At ulterioris expreſſior eſt demonſtratio.

CAP. II.

Ulterioris termini demonſtratio.

Oſtendendum eſt, hoc cimelium anno 818. antiquius eſſe non poſſe. Id vero hoc ſyllogiſmo expeditur. In hiſce Faſtis die XVII. Februarii colitur S. Paulus junior *Epiſcopus Neapolitanus. Atqui is non*

Digitized by Google

alius esse debuit, quam qui anno 818. *vivere desiit. Quocirca non nisi post eum annum construi* Kalendarium *oportuit. Cujus argumentationis Propositio (vulgo* major*) nullo negotio demonstratur: nam in hoc* Kalendario *die* 17. *Febr. sic scribitur: DP.(i. e.* depositio*) PAVLI EPI IVNIORIS. Ac ne forte excipias,* Paulum *hunc* juniorem *nihil forsitan cum sede Neapolitana commune habuisse; sciendum est, istud* junioris *(quum sit* πρός τι*, i. e.* ad aliud *sive* relatum*) in hoc marmore accipi debuisse comparate ad alterum* seniorem *sive* majorem. *Quocirca ejusdem sedis hic* junior *Paulus esse debuit, cujus &* Major. *Atqui in hoc eodem* Kalendario *Paulus* major *fuisse dicitur* Noster *sive Neapolitanus episcopus (uti constat ex die* III. *Martii, ubi scribitur:* Depositio S. Pauli episcopi NOSTRI MAIORIS.*) quare &* junior Paulus *episcopus Neapolitanus fuerit necesse est.*

At syllogismi Assumptio (vulgo minorem *vocant) in plures nos operosiorum argumentorum ambages conjiciet. Vt autem ex labyrintheis flexibus referre pedem tuto possimus, inde potissimum filum ratiocinationis hujus mihi ducendum est, nim. ut decernatur, quis Paulus* Senior *sive* Maior *sive* Primus *(tot enim modis scriptum reperitur) fuerit. Quo investigato, simul deinde intelligetur, non alium fuisse* juniorem*, quam qui eodem nomine proxime post eum sederit. Tres (*II*) autem omnino Paulos in Chronico Jo: Diaconi reperire licet, unum antiquissimum, h. e. ab Aspreno quintum: deinde longo post intervallo i. e. vergente demum VIII. saeculo duos cognomines alios. Quae quum ita sint; ecquis est, cui non statim videatur ille demum* Senior *sive* Primus *esse accipiendus, qui primus revera ceterorum ejusdem nominis fuit, quique altero Christi saeculo claruit? Ex quo porro & illud sequetur,* juniorem

(II) Praeter tres hosce Paulos ab Jo: Chronographo agnitos, videbatur & quartus admittendus is, ad quem epistolae tres Gregorii M. exstant; quarum prima disertis verbis *Paulo Episc. Neapolitano* inscribitur. Verum is Neapolitanae Ecclesiae non *episcopus cardinalis* fuit (ut ejusdem Gregorii locutione utar) sed merus visitator, sive interventor, sive intercessor (tot enim modis vocatur) haud diutius duraturus, quam in locum Demetrii depositi alius ordinaretur. Etsi autem Neapolitani Paulum hunc episcopum suum *cardinalem* sibi dari cupiebant; tamen moras nectente Gregorio (nec immerito: nam episcopum intercessorem in eam cathedram assumi canon Carthag. vetabat, relatus a Gratiano Can. *Constitutum* VII. q. 1.) tandem Fortunatus electus est cardinalis Episcopus. Ceterum Paulus hic, de quo loquimur, praesul revera Nepesinus erat: qui post Fortunati Neapolitani electionem ad suam ecclesiam rediit. Quare inscriptionem illam epistolarum Gregorii, *Paulo Episc. Neapolitano*, menda vacare non arbitror. Scripserat forsan S. Pontifex, *PAVLO EPISC. NEAP.* i.e. *Neapolim*, quo scil. epistola perferenda erat. At postea amanuenses dum integris eam vocem litteris exhibere satagunt, rati illud NEAP. ad sedem pertinere, inscite *Neapolitano* scripserunt: quod tamen ex ipsius epistolis esse falsum, intelligere potuissent. Meriti igitur inter Demetrium ac Fortunatum nullus ab Jo: Diacono Paulus inseritu

Digitized by Google

rem *non fore alium, quam eorum, qui octavo saec. floruerunt priorem. Tamen res longe aliter habet. Verum haec explicari paucis non possunt. eaque sibi peculiarem tractationem exposcunt: qua expedita, statim deinde assumptionis superius positae veritas eluceſcet.*

§. 1. Assumptionis syllogismi probatio. Nim. Paulos duos (quorum alter *Senior* sive *Primus*, alter *junior* cognominatur) fuisse unius ejusdemque VIII. saeculi antistites.

Post medium VIII. saeculi duo Pauli episcopi Neapolitani sederunt, non continua serie, sed media tantum Stephani II. episcopatu discreti. Horum anni etsi non sunt exploratissimi, sollertia tamen & ingenio extundi non male poterunt, itaut alter circiter anno (III) 763., *alter* (IV) 818. *desierit. Ajo igitur hos demum Paulos duos, quorum unus alterius aetati succrevit, illos esse, quos quaerimus, quique in hoc marmore ita distinguuntur, ut unus* Major (*alibi* Senior *aut* Primus) *alter* Junior *nuncupatur. Id vero tribus potissimum argumentis a me demonstrabitur.*

1. Argumentum ex verisimili, ac paribus exemplis.

Majoris & Minoris, Senioris & junioris *agnomenta sunt διοριστικὰ* (discriminantia) *ac de iis tantum usurpari consueta, quos aliter confundi necesse erat. Atqui periculum nullum fuit, ne Paulus ille, qui altero Christi saeculo claruit, cum eo qui anno 760. sedit, commiscerentur. Verum Pauli illi vergentis VIII. saeculi duo, quorum unus alterius aetati succrevit, non aliter distingui poterant, quam opc adjunctorum*

(III) De Paulo priore sic Jo: Diaconus desinit, ut eum mortuum dicat *anno quadragesimo octavo Const. intini imp. Caballini, & Leonis imp. filii anno quintodecimo, currente indictione* . . . Nam numerus indictionis in exemplaribus deerat. Sed & anni imperatorum mendosi sunt, sive auctoris sive amanuensium vitio, quia annus Copronymi 48. (qui re vera incideret in an. 767.) cum Leonis 17. non 15. concurrit, ut ostendit Pagius. Quocirca his imperatorum annis (qui rarissime in Jo: Chronographo recte procedunt) parvi pensis, alia via in addendis ad diem III. Martii ostendam, priorem hunc Paulum anno 763. obiisse, quum anno 759. pontificatum iniisset.

(IV) In obitu alterius Pauli corruptae hiant apud Jo: Diaconum temporis notae. Verumtamen ex annis successorum usque ad S. Athanasium (qui certe anno 872. vivere desiit) collectis in unam summam facile elicitur, hunc Paulum sive anno 818. sive 817. obiisse. Porro de his successorum Pauli annis erit infra differendi locus. Accedit quod quando Sico corpus S. Januarii hinc abstulit (abstulit autem die 23. Octobris anni 818.) in Anonymi Salernitani narratione translationis ejus (quam Chioccarellus falso, ut alibi dicimus, Heremperto tribuit) non *Paulus*, sed quidam *Vrsus electus* cum Sicone egisse de civium incolumitate narratur. Quocirca necesse est, Paulum sive anno 817. sive 818. (& quidem die 17. Febr. quo die ejus *Depositio* in his Fastis signatur) obiisse. Sed hoc alterum verius videtur. Nec enim fit verisimile, a Februario anni 817. usque ad Octobrem anni 818. Vrsum, dumtaxat *electum* nec postea sacratum, substitisse. At a Februario anni 818. brevius est ad Octobrem ejusdem anni intervallum.

Digitized by Google

ctorum illorum. Quae additamenta non illis viventibus usurpari coeperunt, sed tum demum, quum periculum a confusione imminebat, uti mox videbimus. Sane in Porciorum gente innumerabiles sine dubio Catones fuerunt; & tamen duo tantum celebratissimi (quos distingui ne confunderentur oportuit) Majoris Minorisque *agnomen sortiti sunt. Idem & in ceteris omnibus usu venit, quos Senioris Junioriſque, Majoris & Minoris additamento secernendos putarunt. Atque ut vetera omittam, atque ad ejusdem VIII. saeculi exemplum, & quidem a nostro Jo: Diacono petitum, me unice referam: chronographus is in Stephani II. (cujus episcopatus utrumque Paulum, de quibus disceptamus, medius disterminavit) elogio scripsit:* Per idem vero tempus Domnus Stephanus junior Apostolicus, Desiderio Langob. rege Romanae sedi infenso, ad Carolum ... properavit. *Vbi Stephanus III. designatur; qui ut distinguatur a Stephano II. ante decennium mortuo (hos enim duos Stephanos decennalis Pauli I. pontificatus dirimebat)* junior *cognominatus fuit: non aliter certe quam nostri Paulus II. atque III. (medio Stephani episcopatu disjuncti)* Senior *ac* junior *audierunt. Habes quid in his vocabulis similitudo veri poscat, atque exempla paria confirment.*

II. Argumentum ex fide librorum.

Re autem vera Paulum Seniorem *illum esse, qui circ. an. 760. floruit, palam fit ex manu exarata Homilia, quam Chioccarellus in fine paginae 78. a se visam* (V) *laudat. In ea Homilia in festo S. Agrippini legi consueta*

(V) Cave vero Chioccarello assentiaris ibidem dicenti, eam Homiliam anno 961. fuisse recitatam. Chioccarellum fefellit, quod in eadem sive Homilia sive Vita narratur Neapolis a Saracenis obsessa: quae navalis obsidio putatur in annum 961. incidisse. Confer eumdem Chioccarellum pag. 110. 111. Atqui ex eo hoc tantum efficitur, eam Homiliam anno 961. non esse antiquiorem. Ceterum longe posteriorem fuisse, stylus ipse clamat. Nam pars magna ejus Homiliae reperitur in Lectionibus S. Agrippini Neapoli editis anno 1525. Atqui eae lectiones scatent pigmentis rhethoricis, ut facile opusculum illud, unde compilatae fuerunt, opus circiter XII. saeculi fuisse videatur.

At Ant. Caracciolus multo est mirabilior; qui eamdem Homiliam ab Jo: Diacono Episcoporum chronographo conscriptam putavit. Eum vide pag. 137. Est ne vero credibile, Joannem, qui tot res pulcherrimas, quae in ea Homilia continentur, fuisse in chronico praeteriturum, si quidem unus idemque is auctor utriusque operis fuisset?

Sed jam sero tandem animadverti, quid Chioccarellum atque Caracciolum transversos egerit. Ejus opusculi auctor sic obsidioni Saracenicae praeloquitur. *His ... de PRISCIS temporibus breviter praelibatis, nunc ... quae NOSTRIS temporibus gesta sunt, prosequamur.* Quocirca auctor rebus gestis interfuerit necesse est. Verum si ita se res habet; debuisset auctor idemtidem auditores ipsos advocare testes, non tamquam de re auditoribus ignota loqui. Deinde videsis quae ad vitam S. Severi ad 29. Aprilis adnotavimus. In ejus vitae initio scribitur, miraculum de homine suscitato ab Severo adhuc vivo

Digitized by Google

facta narratur quidam nomine Maurus *graviter aegrotans ope S. Agrippini ſanitatem conſecutus. Id vero accidiſſe dicitur* (VI) Temporibus beatae recordationis domni Pauli PRIMI ſanctiſſimi & SENIORIS noſtri epiſcopi. *Atqui ridiculum eſt id de Paulo illo alterius ſaeculi epiſcopo accipere; quia S. Agrippinus (cujus ope ille ſanitatem adeptus fuit) Paulo illo poſterior fuit. Relinquitur ergo ut ille Paulus ſit omnino capiendus, qui inter eos, qui vergente VIII. ſaeculo floruerunt, prior fuit. Nam Chioccarello* (VII) *heic neſcio quid humanitus paſſo esse credas.*

III. Argumentum ex marmoris antiqui fide.

Anno 1589. *in aede S. Ephebi, (quem* S. Efremum, *aut* Efrimum *vulgo vocant, plures vero* Euphebium) *veteris corpora SS. Maximi & Fortunati reperta fuerunt cum hac epigraphe:* HIC IACENT CORPORA SANCTORVM MAXIMI ET FORTVNATI SVB PAVLO PRIMO. *Et hanc quidem inſcriptionem (ſine controverſia mutilam) ad diem XIV. Junii, ubi de S. Fortunato, illuſtrabimus ſupplebimuſque. Interim quae hujus loci ſunt, juvabit levi brachio refricare.* Paulus *iſte* Primus *prorſus non eſſe poteſt Paulus Papa primus, qui octavo vergente ſaeculo ſedit: quod etſi vulgo creditum fuerit, nullo tamen negotio ſi ſit opus* (VIII) *refellere poſſumus. Relinquitur ergo, ut ſit localis epiſcopus; qui ſem-*

vo contigiſſe *NOBIS* (ait auctor) *HIS TEMPORIBVS*. Quis non inde concluſerit, Severi biographum aut aequalem S. Antiſtiti fuiſſe, aut certe ſupparem? Et tamen is biographus XII. aut XIII. ſaeculo antiquior non fuit. Ad ſummam ſcuti ex vita Aegyptiacae a Paulo Neap. poſt an. 840. Latine reddita hoc manavit, ut omnes Neapolitani biographi ſimili prooemio (*Secretum Regis* &c.) deinceps uterentur; ab eodem vitae Aegyptiae prooemio (in quo legitur: *Rem reſcens, quae in hac NOSTRA generatione facta dinoſcitur*) & hoc fluxit, ut Neapolitani biographi iis locutionibus inepte uterentur, quae tantum in aequales aut ſuppares ſcriptores conveniunt.

(VI) Haec verba ne una littera minus licebit legere in Officiis SS. Neapolitanor. Neapoli editis an. 1525. in Lect. ſecunda Officii *infra hebdomadam*, ubi tota de Mauri ſanatione narratio novem lectiones abſolvit.

(VII) Noſter omni laude digniſſimus Chioccarellus in Paulo juniore pag. 78 ſic ſcripſit: *Hic etiam* (Junior Paulus ſcil. quem is initio *Paulum ſecundum* vocaverat) *creditur eſſe Paulus ille Neap. Epiſcopus, cujus mentio habetur in Actis* [ſive *Homilia*, ut alibi vocat] *S. Agrippini* &c. Deinde verba, quae ſupra adſcripſimus, recitat. Verum haec incogitanti excidiſſe, res ipſa loquitur. Quis enim *Primum* eſſe illum dixerit, qui revera *Tertius* ab antiquo ſecundi ſaeculi Paulo numerandus fuiſſet? *Secundus* autem cognominabatur dumtaxat ad diſcrimen alterius, cujus aetati ſuccreverat. Verum, quid pluribus opus eſt? De hoc Juniore Paulo Chioccarellus pag. 77. ſic incipit: *Paulus SECVNDVS Neap. Epiſcopus* &c. An qui *Secundus*, poterat idem etiam *Primus* & *Senior* appellari?

(VIII) Sane quidem ſi virorum eruditorum, qui tempore Inventionis ejus Neapoli florebant, judicio ſteterimus, de Paulo I. Papa id intelligendum erit. Vide noſtrum Caeſarem de Engenio: videbis & Papebrochium in S. Euphebio ad 23. Maii. Vbi vir eruditus idem cum iis ſenſit,

Digitized by Google

ſemper intelligendus in patriis monumentis eſt, quoties ſedis nomen reticetur. Atqui nefas eſſet Paulum illum, qui quintus ab Aſpreno numeratur, heic accipere; quia ridiculum eſt, Maximum & Fortunatum ſub illo Paulo, qui duobus ſaeculis antiquior ambobus fuit, fuiſſe tumulatos. Reliquum eſt igitur, ut intelligendus ſit ille potiſſimum Paulus, qui poſt medium octavi ſaeculi floruit, quique tum demum Primus, *aut* Senior *aut* Major *vocari coepit, quum eodem exeunte ſaeculo Paulus alter electus fuit, quem diſcriminis cauſa ſive* Secundum, *ſive* Juniorem, *ſive* Minorem *poſteritas appellavit. Cetera quae ad hoc marmor illuſtrandum pertinent, ea ex commentario ad S. Fortunatum ad XIV. Junii petere lectorem jubeo.*

Ex huc uſque dictis aſſumptionis (quam ſupra initio hujus capitis propoſuimus) certitudo elicitur. Nam quum Paulus Major *(qui in his Faſtis die 3. Martii colitur) ſit ille omnino Neapolitanus epiſcopus, qui poſt medium octavi ſaeculi ſedebat; neceſſe eſt Paulum* juniorem *(qui die XVII. Febr. ſignatur in hoc* Kalendario*) haud fore alium, quam illum Neapolitanum antiſtitem, qui eodem exeunte ſaeculo uſque ad annum 818. epiſcopatum tenuit. Ex quo conſequens ſit, hoc* Kalendarium *prorſus poſt annum 818. ſcalpi debuiſſe.*

§. 2. Objectio diluitur.

At libet heic gravem ſcrupulum auferre, qui multorum, ſat ſcio, mentes

ſit, etſi ad XIV. Junii ſententiam in melius commutaverit. Verum id refutare facillimum eſt.

Etenim illud omitto, quod quoties ſedis nomen reticetur, ſine controverſia ejuſdem loci, ubi inſcriptio poſita fuit, Epiſcopus eſt capiendus; & quod ſi de Papa agebatur, ſcriptum fuiſſet, *Sub Paulo primo Papa* aut *Epiſcopo Romae*. Sed his omiſſis ad illud venio, in quo caput eſt. Ea inſcriptio anno 1589. detecta, non eſt dubium, quin perantiqua fuerit. Atqui ſi ibi Paulus Papa intelligitur, illa poſterior anno 1464. eſſe debuiſſet; quia non ante hunc annum electus eſt Paulus alter Papa, cujus reſpectu tunc demum prior ille coepit vocari *Primus*.

Ceterum viſio Xyſto V. oblata nihil officit. Narrant enim, rogantibus Capucinis, ut eis liceret unum ex iis ſacris corporibus in aedem Conceptionis transferre, eum Pontificem reſpondiſſe, vetari ſe Sanctorum eorumdem oſtento. Nam ſanctos Epiſcopos ſibi ſecundum quietem videndos praebuiſſe, ac porro prohibuiſſe, ne, qui per annos octingentos una quieviſſent, eoſdem inquietari ac diſtrahi ſineret. Ergo quum ad inventionis tempus a Paulo I. Papa octingenti paullo plus anni numerarentur; facile hinc ab omnibus judicatum fuit, de Paulo Papa eam inſcriptionem eſſe accipiendam. Id, inquam, totum nihil efficit. Etenim ab Neapolitano Paulo totidem anni reperientur; quum Paulus Papa anno 757. creatus fuerit, Neapolitanus vero Paulus anno 759. Vterque alteri pontificalem dignitatem praedixerat, uti narrat Jo. Diaconus in noſtro Paulo. Eodem ergo uterque tempore ſederunt, ita ut ab utrovis numeres, ſemper illi octingenti anni, quos oraculum complectitur, exſiſtent. Verum hoc intereſt, quod Papa Paulus ante ann. 1464. non dicebatur *Primus*: at Neapolitanus Paulus jam nono ſaeculo *Primus* ſive *Senior* vocari coeperat. Quocirca inſcriptionis hujus antiquitas omnino cogit, ut de Neapolitano, non vero Romae epiſcopo intelligatur.

Digitized by Google

mentes occupabat. Rem enim absurdissimam fore, dicitabant, si in his Fastis duo cognomines octavi nonique saeculi antistites (quorum cultus nostris hominibus antehac inauditus fuit) colendi proponerentur: contra vero magnus ille Paulus, *alterius saeculi praesul (de cujus sanctitate tum antiquitatis praerogativa, tum* Jo: *Diaconi elogium haud prorsus dubitare patitur) in eisdem hisce Fastis praeteriretur.*

Quibus equidem sic respondeo, ut etiam si Paulum *ab Aspreno quintum hoic praeteritum fuisse, consequens fiat; tamen frangi nos rationis evidentia necesse sit, qua* Paulus Major & Iunior *non nisi octavi nonique ineuntis saeculi praesules fuisse ostenduntur. An non enim Pauli ab Aspreno quinti oblitterari memoria potuerat, ita ut quo tempore condebatur hoc* Kalendarium, *penitus ignoraretur; ejusdemque memoria mox industria chronographi* Jo: *diaconi postea revixisse? Verum vehementer laetor, quod asperitate responsionis hujus minime indigeam. Nam (ut ad* XXIII. *Augusti Deo dante docebitur)* Paulus *qui eo die signatur his verbis,* DEP. S. PAVLI EPIscopi, *ipsissimus est, quem quaerimus, alterius Christi saeculi Neapolitanus* Paulus. *Nam quod ibidem abest* TÒ NOSTRI, *id nihil esse ostendemus; quum idem pronomen ab aliis septem aliove in hoc marmore absit, quos Neapolitanos fuisse episcopos, extra omnem dubitationis aleam ponitur.*

Ac profecto volupe est animadvertere, Pauli *nomen huic Ecclesiae fuisse faustissimum. Tres omnino Paulos usque ad initium noni saeculi antiquitas numeravit, eosque omnes sacris honoribus celebratos. Ex illo tempore non alium ejus nominis Praesulem habuimus, quam Venerabilem Card.* Paulum de Arretio *Teatinum, ante hos minus ducentos annos archiepiscopalibus hujus Ecclesiae insulis ornatum. At hunc etiam, ut se dant initia, eosdem honores ex Romanae Ecclesiae judicio consecuturum, haud frustra confidimus.*

§. 3. Totius argumentationis Epilogus.

Constat igitur, hos Fastos marmoreos omnino post annum 818. *(quo Paulus Junior is, qui die* XVII. *Febr. in eisdem Fastis adnuntiatur, vivere desiit) scalpi debuisse; ante vero annum* 877. *quo anno S. Athanasius jam inter caelicolas honorabatur, qui tamen ab his Fastis abest.*

Digitized by Google

PARS ALTERA

Qua Kalendarii aetas intra anguſtiores ſenſum cancellos coercetur.

CAP. I.

Ex aſſignato annorum LIX. ſpatio hinc priores XX. annos, illinc poſteriores quinque delibandos eſſe.

Priores XX. *quos dixi annos totos B. Tiberii Epiſcopatus abſolvit, qui ab anno* 818. *ad* 838. *ſedere debuit. Ex iis autem priores tredecim pacatos habuit, at poſteriores ſeptem in carceris ſqualore ac ſordibus tranſegit. Atqui ajo, prioribus annis* XIII. *minime debuiſſe conſtrui haec marmora, quia tam breve tempus non ſatis fuiſſet, ut Paulus Junior (non ante annum* 818. *aut* 817. *demortuus) Eccleſiae Neapolitanae judicio inter Sanctos adſcriberetur, & locum in hoc Kalendario ſibi quaereret. At multo minus hi Faſti poſterioribus annis VII. ejuſdem Tiberii condi potuerunt, quia beatiſſimo antiſtiti ſeptennium totum in carcere detento id opus conſtruendi facultas defuit.*

Poteſt hoc ipſum & altero argumento ſuaderi, quod tale eſt. Ex quo primum tempore Paulus Neapolitanus Graecam Mariae Aegyptiae vitam Latinitate donavit, permagnus Neapoli cultus aſcetriae illius increbuit. Nec mihi hoc quiſquam eripiet putanti, non alia de cauſa eam in hoc Kalendario die IX. *Aprilis fuiſſe ſignatam, quam quia ex Pauli, quam dixi, vita ea poenitens femina celebrior in his oris evaſerat. Atqui poſt annum* 840. *Paulus eam vitam elucubravit. Quare non ſolum totus Tiberii epiſcopatus ex ſumma annor.* 59. *demendus eſt, verum paullo plus etiam. Hoc totum argumentum pluribus expoſuimus ad* IX. *Aprilis cap. V. p.* 183. 184. *quo lectorem rejicio.*

Jam vero ex eiſdem liberioribus illis ſpatiis ultimum quinquennium abſcindi jubeo. Qua de cauſa? quia ſedebat tunc Athanaſius II. *S. Athanaſii ſucceſſor & fratris filius, ſed qui ſanctiſſimo patruo mores diſſimillimos ad epiſcopatum attulit. Atque heic equidem ad Erchemperti aequalis ſcriptoris hiſtoriam lectorem remitto, quam memini ante hos* XX. *annos legiſſe. Ex ea ut ſtrenuiſſimi ducis partes ab eo impletas fuiſſe agnoſces, ſic (nequid temere dicam) parum in eo deprehendes ſacerdotalis officii. Ac fortaſſis ab Neapolitano duce (erat enim is Dux ſimul & epiſcopus) ſic reip. rationes poſcebant. At certe inter bellorum quibus implicabatur ſtrepitus de condendo Kalendario cogitare eum potuiſſe, minime omnium id veriſimile judico. Ac potuiſſet de hoc Athanaſio uſurpari Ovidianum illud, quo cum Romulo de male ordinato Kalendario expoſtulat:*

Scilicet arma magis, quam ſidera, Romule noras.

Digitized by Google

Den-

Demptis igitur illinc XX. annis, hinc quinque, tantum XXXIV. anni (quos SS. Joannis IV. & Athanasii I. spatia sedis absolvunt) supererunt, intra quos scalpi haec marmora debuerunt.

CAP. II.

Vtrum sub Ioanne IV. an Athanasio I. conditi hi Fasti fuerint.

In hoc quidem certe hujus Diatribae capite quandoquidem nos liquida argumenta deficiunt, ad conjecturas, sed tamen graves, est recurrendum; atque ex amborum hujus urbis pontificum vitis, quas satis copiose pertexuit Jo: Diaconus, conjiciendum est, uter eorum videatur has marmoreas ephemerides scalpi jussisse.

§. 1. Non videri S. Athanasium Ephemerides hasce recensuisse.

Ac primum in alterius eorum S. Athanasii vita unum hoc reperio, ex quo ei forsan auctori Kalendarium hoc adscribi possit. Scribit enim de eo Jo: Diaconus: Ordinavit etiam, ut in Ecclesia Salvatoris (*ea est Stephania sive cathedralis*) omni die Missa (IX) publica cum Diptychis celebretur, offerens ibidem terras, ex quibus ejusmodi aleretur collegium. *Ex his verbis sic argumentari licet. Non Missam publicam (quae parem Ecclesiae Christianae antiquitatem habet) instituisse Athanasium, palam est, sed hoc tantum, ut quae dumtaxat statis diebus olim celebrabatur, posthac quotidie in* Cathedrali *perageretur. Ex his videntur ante Athanasium non omnes fuisse* liturgici *dies, sed liturgicis fuisse &* aliturgici *permisti quam plurimi, ii scil. quibus Missa publica minime celebrabatur. Ac tale profecto & ante Athanasium* Kalendarium Neapolitanum *processisse necesse est, in quo scil. dies alii pleni essent (qui liturgici) alii, qui aliturgici, festis vacarent: quemadmodum id passim in antiquioribus* Kalendariis *observatur. Postquam autem Athanasius cavit, ut dies omnes liturgici essent, debuit & Kalendarium immutare, pluribusque in illud festis illatis, sic recensere Fastos, ut dies omnes pleni essent: cujusmodi nostrum est* Kalendarium, *in quo toto dies admodum quatuor vacant, ceteris omnibus plenis. Quocirca non alius quam Athanasius debuit Fastos hosce marmoreos condere. Qui quum ab anno 150. ad 872. sederit; intra eos tantum terminos ultro citroque fluctuare epocha harum Ephemeridum poterit. Ac fuit, quum in hac mihi qualicumque ratiocinatione placerem.*

Verum haec tota argumentatio concidet, simul atque intellexerimus, quid demum Athanasius novi fecerit. Non enim Missam publicam quotidianam omnino primus instituit, sed eam in Cathedrali *constituit. Omni-*

(IX) *Missam publicam* [quam hodie *conventualem* dicimus] vocat ad discrimen *Missae privatae*. Missarum privatarum vetera exempla plura affert Card. Bona in reb. Liturgicis.

Digitized by Google

no enim hoc sibi vult chronographus, ante Athanasium fuisse quidem Liturgiam Neapoli quotidianam, verum nunc in una nunc in alia Basilica, ut ordo sive Stationum *sive statarum* Synaxium (*nam aliter Latini* (X) *aliter Graeci id vocare amabant*) *poscebat. At vero Athanasius, non abolitis Stationibus Synaxibusve, hoc primus sancivit, ut esset hoc Cathedralis veluti privilegium, ut dies omnes haberet liturgicos: quum tamen antea Cathedrali non minus quam singulis urbis Ecclesiis dies partim liturgici, partim contra aliturgici decurrerent, sed ita, ut si corpus unum ex omnibus singularibus basilicis compactum spectares, dies plerique omnes liturgici (nono quidem certe saeculo, quo hoc Kalendarium scatens festis prodiit) dicendi essent. Ceterum hos Fastos non in unius Cathedralis usum fuisse ordinatos, sed in totius corporis commodum, alibi a me liquido demonstrabitur vel hoc uno certissimo indicio, quod plures eorum Sanctorum, quos Graeci diverso die a Latinis colunt, utroque die in his marmoribus signati reperiantur. Quod ita equidem interpretor, uno die eos Sanctos propositos fuisse in Cathedralis alteriusve Latinae Ecclesiae usum, in qua eo die Statio recurreret, altero vero die in cujuspiam Graeci ritus Ecclesiae commodum (nam ejusmodi plures adhuc IX. saeculo ac porro Neapoli fuisse, non est dubium) in qua Synaxim anniversariam celebrari necesse erat. Ex qua ultima observatione luce clarius patet, harum Ephemeridum scalpturam non fuisse quotidianae Liturgiae in Cathedrali ab Athanasio institutae consecutionem, nec cum ea quidquam commune habuisse; quandoquidem, uti dixi, unus idemque Caelicola bis ibi proponitur, semel pro una quapiam Latinorum Basilica, iterum pro Graecorum altera.*

§. II.

Non alium quam S. Ioannem IV. videri Fastos marmoreos ordinasse.

Longa atque operosa inquisitione perfuncti, ad S. Joannem IV. cognomento Scribam, *sive* Aquarolium *tandem aliquando devenimus. Hunc ego censeo, ac si sit opus, quovis pignore certare audeo, marmorearum* Ephemeridum, *de quarum aevo tamdiu contendimus, auctorem fuisse. Cur autem ita mihi persuaserim, causas plures ad manus habeo.*

I. *Ac primum cum ceteras omnes temporum periodos, etiam Athanasianam sedem, ab aevo* Kalendarii *excluserimus; quid aliud relinquitur, nisi ut in artum redacti, in uno Joanne IV. demum consistamus?*

II. *Exi-*

(X) De Ecclesiae occidentalis *Stationibus* ubi non antiquorum libri loquuntur? Processio ad statutam Ecclesiam fiebat, vasa ministerii simul ferebantur; ibiq. sacra Liturgia peragebatur. At id Graeci Byzantini σύναξιν appellabant; in quorum liturgicis libris passim hoc scriptum reperias, qua in Ecclesia hoc aut illo die *Synaxis* fiat.

Digitized by Google

II. *Eximie huc facit peculiare Joannis hujus Aquarolii ſtudium: qui quum in reparandis deſcribendiſque libris magnam ſuae vitae partem contriviſſet*, Scribae (XI) *ſibi agnomentum quaeſivit. Nec tantum privatus, verum etiam epiſcopus* Codices (*ait chronographus*) manu propria utiles & plures deſcripſit. *Inter eos porro codices, quos in Eccleſiarum ſuarum commodum exaravit, referendum procul dubio cenſeo & hujus* Kalendarii *autographum: quod demum ut perennius eſſet, in marmore incidi non tantum in* Cathedrali, *verum etiam in praecipuis Baſilicis juſſit. Argumento eſſe poſſunt haec duo marmora in S. Joannis reperta: quae quum non peculiare ejus Eccleſiae, ſed commune* (XII) *omnium* Baſilicarum Kalendarium *complectantur, ex eo procul dubio exiſtimari poteſt, idem & in Stephania & in ceteris majoribus Eccleſiis fuiſſe factum, aut ſaltem epiſcopo ad haec intentiſſimo urgente fieri debuiſſe. Fuit & eidem Praeſuli eximium in Sanctorum venerationem ſtudium, quod cur eum ad Kalendarium condendum compulerit, jam porro ediſſeramus.*

III. *Nam & illud incidit, quod maxime omnium ad hos Faſtos elucubrandos, deinde & ſaxis incidendos Aquarolium impellere debuit. Nimirum is in Sanctorum cultum ſtudioſiſſimus, ſuorum deceſſorum, quos vita ſancte acta illuſtres reperit, corpora ſollemni Translatione intulit in Stephaniam, & ita tranſtulit, ut eiſdem ſacros honores decerneret. Ita quod hodie maximam Sanctorum epiſcoporum frequentiam Neapoli veneramur, eorum pleroſque Aquarolii noſtri curae debemus. Jam vero aucto Joannes Sanctorum numero, idem porro & ad Faſtos antea mancos reſarciendos incumbere debuit: quod rerum Eccleſiaſticarum gnariſſimus Praeſul haud dubie fecit, tum ſuis deceſſoribus, quos nuper inter Caelicolas retulerat, tum & aliis pluribus Sanctorum, qua Graecorum qua Latinorum, additis; itaut ejus opera Kalendarium (quod ante eum feſtis infrequens fuiſſe, pro more antiquioris aevi, crediderim) pleniſſimum hoc exſiſteret: quod uti perpetuo duraturum, in marmore poſtmodum inciſum fuit. Quocirca, niſi prorſus me ratio fugit, non alius quam Joannes* Scriba *hujus pleniſſimi Kalendarii (in quo praeter alios, etiam ſanctis deceſſoribus ab eo proxime*

inter

(XI) Diaconus de hoc Joanne Aquarolio: *Praeſertim ſic ſcribere novit, ut ex officio cognomen acciperet, & ab omnibus* IOANNES SCRIBA *vocaretur*. Eo vero ut incumberet, *pedes ejus* [inquit] *raro platea tetigit*. Quem porro *Scribam* Neapolitani Latialis oris vocabant, eumdem Graeco ore a Graecis Neapolitanis ἀλλαγέων appellatum crediderim, h.e. *elegantem ſcriptorem*: de qua voce videbis plura, ſi lubet, in Montfauconii Palaeographia.

(XII) Vide quae modo ſuperiore §. diximus; ubi ex eo quod nonnulli Sanctorum in his marmoribus bis notantur [ſemel ſcil. quo die a Latinis coluntur, iterū quo die a Graecis] manifeſto colligi diximus, hos Faſtos nec huic nec illi Baſilicae peculiares fuiſſe, ſed in totius Eccleſiae Neapolitanae cōmoda fuiſſe paratos.

Digitized by Google

inter caelites adscriptis locus non defuit) auctor esse potuit . Verum ultimum hoc argumentum , quod hactenus adumbravimus , accuratiore adhuc indiget opera .

§. 3. De Joannis Scribae studio in Sanctos decessores transferendos , sacrisque honoribus afficiendos .

De S. Joanne Scriba chronographus Joannes haec scripta reliquit : Corpora quoque suorum praedecessorum de sepulcris , in quibus jacuerant , LEVAVIT , & in Ecclesia Stephania singillatim collocans , aptavit unicuique arcuatum tumulum , ac desuper eorum effigies depinxit . *His porro verbis non honorificentiorem dumtaxat illustrium cadaverum sepulturam , verum ritualem sacrarum Reliquiarum venerationi populi expositarum* Elevationem, *religiosamque Translationem, postremo legitimam* Canonizationem *(ut sequioris aevo sollemni vocabulo utar) describi non est dubium . Jam primum omnium illud LEVAVIT , quo scriptor utitur , non nisi de sacris Lipsanis tantum usurpari, non est dubium . Adhaec ea corpora non in coemeterio , quod Basilicae adjacere solebat , condidit , sed in ipsam Stephaniam intulit . Deinde eadem sigillatim in orbem collocavit , ut ornamento simul & venerationi essent . Nec sub pavimento inhumavit , sed supra terram collocatis suos singulis* tumulos *assignavit ; nec hos qualescumque sed* arcuatos , *& ut illis temporibus , excellenti opere constructos , cum imaginibus superne depictis . Atqui hos honores siquis ex hodiernis moribus metiatur , sane fateor , vix inde aut aegre vestigium ullum religiosi cultus exsculpet . Nam honores istos vulgatos nunc quidem non optimo exemplo in Ecclesiis cernimus per fastosa monumenta illa , quae* Deposita *nunc vulgo vocant , & cum quibuslibet nulla sanctitatis fama insignibus communicatos . At olim* IX. *saeculo res multo aliter erat . Nec enim honores ii , nisi confessae sanctitatis viris, jamque pro caeli civibus agnitis, adhibebantur : de quo siquis adhuc dubitet, adeat inferne* (XIII) *adnotata.*

Verum

(XIII) *Ad verba Jo: Diaconi de S. Jo: Scriba amplior Commentarius ; seu de Canonizatione Sanctor. IX. saeculo .*

§. 1. *De competenti judice rituque canonizationis usque ad IX. Christi saeculum summatim pauca ,*

Antequam ad recitata verba Jo: Diaconi edisserenda procedo , duobus tribusve verbis monendus est lector, quomodo olim & per quos canonizatio Sanctorum fieret . Nam qui plura de hoc argumento requirit , adeat eximium immensaque doctrina differtum ea de re opus BENEDICTI XIV. Pont. Max. quod pluries recusum , parique semper aviditate distractum , versatur in omnium manibus. Canonizatio ergo per novem priora saecula ab episcopis, clero populoque suffragante, fiebat . Nec nisi decimo primum saeculo exempla visuntur, per quae ostenditur Romanos Pontifices suam in canonizandis Sanctis auctoritatem interposuisse ; sed ita tamen ut & auctoritate sua interim usque ad Alexandrum III. tum episcopi tum in primis Metropolitani plurimum in eo negotio uterentur . Nam Alexander demum III. is fuit, qui Sanctorum canonizationes tamquam unam

Digitized by Google

enim ex majoribus causis ad unius Apostolicae sedis judicium pertinere voluit. Nono igitur saeculo, quo S. Jo: Scriba floruit, episcopali judicio (nō requisito Rom. sedis oraculo) res tanti momenti permittebatur. Et haec satis protrita sunt.

Jam *de modo* canonizandi si quaeris, *non est dubium*, quin aliqua inquisitio de *vita sancte acta* deq. miraculis, populique *studium* praecedere debuerit. At vero ubi *ad ritum* canonizationis veniebatur, is simplicissimus erat. Nam primis quidem Ecclesiae saeculis supra Martyrum aut piorum Reliquias Martyria, Oratoria, aut saltem Altaria construebantur: idq. tantumdem erat, quod publicum eisdem cultum impendere. At sero postea institutum fuit, ut qui inter Sanctos referrentur, eorum corpora *elevarentur*, ac supra terram collocarentur, superstructis quibusdam operosis apsidibus, quas sive *Ciboria*, sive *Fredas*, sive *Repas* sive quo alio vocabulo nuncupabant, instituto etiam, uti par erat, festo anniversario. Ejus quem dixi canonizationis modi atque ritus nono potissimum saeculo, in quo versamur, innumera exempla prostant. Haec universe adnotasse contentus, jam ad chronographi Joannis locum explanandum progredior.

§ 2. *Ad verba Jo: Diaconi acceditur*. Levare corpora *esse ea supra pavimentum collocare, exemplis ostenditur*. *Novo amictu vestiri corpora consuevisse*. *Levationem fuisse legitimae canonizationis ritum.*

Corpora quoque, inquit, *sororum praedecessorum de sepulcris, in quibus jacuerant, levavit*. *Levari* sive *Elevari* corpora (utroque enim modo usurpatur) cur dicerentur, ea mihi causa fuisse videtur, quod ea ex alte defossis sepulcris elata, postea supra pavimentum collocarentur. Apud Bedam fratres Lindisfarnenses S. Cuthberti corpus e sepulcro efferre volentes, Eadbertum episcopum interpellant: qui ea lege annuit, ut sacra pignora *in novo recondita loculo*, *in eodem quidem loco*, *sed supra pavimentum dignae venerationis gratia locarent*. Id quod factum est; sacrum enim corpus novo a se amictu involutum (nam is quoque levationis ritus erat, ut sacrum corpus nova veste indueretur: ex quo simul ea saepe incorrupta fuisse, sive conditurae vi sive miraculi, liquet) novaque in theca reconditum *supra pavimentum Sanctuarii posuerunt*: de quibus vide Bedam IV. 30. Sed & apud eumdem IV. 19. *S. Ethildritae* corpus, quum extra Ecclesiam jaceret, novo indutu amictum, novoque in tumulo similiter conditum, in Ecclesiam illatum fuit. Verum praestabit IX. saeculi exempla proferre: quo saeculo Lotharius Elnonensis aedituus S. Amandi corpus elevaturus, *Vrnam sepulcri non, ut antea fuerat, in profundioribus posuit, sed in superioribus, ita ut fundamentum illius videri, & lumen sub illo accendi posset*, ut in Milonis monachi Elnonensis supplem. legitur. Eodem saec. apud Walafridum Strabum Boso Constantiensis episc. *sumens loculum*, *in quo sanctum corpus* (S. Galli) *erat*, *posuit super terram inter parietem & altare*, *& desuper* (*ut moris est*) *arcam altiorem* (honorariam scil. ac veluti cenotaphium) *construxit*, *fossam vero* (in qua prius jacuerat) *terra replevit*. Ex his vides *Levare* tantumdem fuisse, quod corpus alte infossum loco movere, & supra pavimentum statuere: unde pro *Levandi* verbo postea & *Erigendi* & *Exaltandi* tamquam synonyma interdum usurpata reperias. Ergo in hoc Jo: Diaconi loco quum audis S. Joannem Scribam praedecessorum corpora *levasse*, & in Stephania collocasse, non aliter est accipiendum, ac Sanctorum illorum loculos supra pavimentum fuisse ab eo in orbem dispositos, non sine impositis desuper *fredis*, ut infra dicemus. Ac nunc quidem ab aliquot centenis annis *Levare* corpora accipitur pro loco movere sive transferre. At olim IX. saeculo ac sequentibus non aliud quam quod dixi plane significabat.

Atqui hujusmodi *elevatio* simul canonizatio erat. Apud Folgicinum in Chronico Laubiensi anno 823. S. Vrsmari Abb. Laubiensis *Elevatio facta est jussu & permissu ejus*, *qui tum erat Cameracensis episcopus* [Halitgarii scil.] *expletaque elevatione diem illum festivum duxere*, *& posteris celebrem esse jussere*. Anno mox 828. con-

Digitized by Google

consulto Stephano Tarvenensi praesule, elatum est corpus S. Folquini item Tarvenensis episcopi; *Elevatisque sancti corporis membris, in loco tumuli altare constructo, diem illam omnibus cantibus & gaudiis duxere festivam*. Postremo medio undecimo saec. apud Baldericum in Chron. Camerac. Engramnus episcopus Hadulfi episcopi *Sanctum corpus levavit, & verbo facto ad populum beati Hadulfi sollemnia in numero sanctorum notificavit*. Haec & plura dabit Mabillonius in Saec. Benedictinis. Sed & illud huc pertinet, quod Fredericus Aenobarbus diploma edidit *pro elevatione, & exaltatione* corporis Caroli M. *atque canonizatione*; quasi haec scil. ab illa sejungi non posset. Merito idem Mabillonius Praef. ad saec. V. Benedict. corporis elevationem pro ipsamet canonizatione accipere prorsus non dubitat. Quando ergo heic legimus, S. Jo: Scribam suorum decessorum corpora *levasse*, non aliud eo significatur, quam eosdem publico legitimoque judicio canonizasse, assignatisque diebus eorum festivis, publice colendos proposuisse.

§. 3. *De Ciboriorum forma. Aediculae sacrae instar fuisse. Locus Actorum illustratur, & cum nummo Treboniani comparatur. Vera etymologia* Ciborii.

Pergit vero Jo: chronographus: *Et in Ecclesia Stephania* (ea est Cathedralis) *singillatim* (& supra pavimentum, uti diximus) *collocans, aptavit unicuique arcuatum tumulum*. Hic vero locus, siquid aliud, de vera canonizatione heic agi, aperte clamat. Quae huc vero pertinent, juvabit altius paullo repetere. Olim quando sacra corpora alte sub tellure infodiebantur, si quando supra eorum sepulcra construerentur martyria, oratoria, aedes sacrae, hoc tantum ii ritu *canonizati* (ut rei antiquae recentius verbum accommodem) intelligebantur. Quod si eadem corpora in constructis jam prius Ecclesiis inhumata requiescerent, tum vero supra eorum profundiores, uti dicebam, tumbas quaedam *ciboria*, uti vocabant, erigebantur. Erat autem *Ciborium* umbraculi genus quatuor columnis suffultum, & in conum aut pyramidem aut apsidem desinens: cujusmodi S. Gregorius apud Anastasium *Fecit ciborium B. Petro Apost. cum columnis suis quatuor ex argento puro*; & cujusmodi argenteum ciborium memorat Raynerius in de Translat. SS. Eutychetis & Acutii. Ea autem ciboria intra Ecclesiam posita instar erant aediculae intra ipsam basilicam parvae. Nam & illas *aedes argenteas Dianae* (Gr. ναὸς ἀργυρᾶς Ἀρτέμιδος) quas Act. XIX. 24. Demetrius a se factas divendebat, non aliud quam ciboria argentea fuisse, pervidit scite Chrysostomus Hom. 42. in Acta: *Quomodo*, inquit (ἐνὶ ναὸς ἀργυρᾶς γενέσθαι;) *argentea delubra fieri possibile est?* Cui interrogationi respondet, ἴσως ὡς κιβώρια μικρά, *fortasse veluti ciboria parva* illa fuisse. Nam & apud profanos *ciborii* tum rem, tum etiam appellationem in usu fuisse, non est dubitandum. Ad rem enim quod attinet, *ciborii* sive umbraculi columnis innixi ipsissimam formam exhiberi haud dubie censeo in aversa parte satis triti numismatis Treboniani Galli cum epigraphe, IVNONI. MARTIALI, quae ibi sub ciborio sedet. Sed & nomen eadem notione apud gentiles in usu fuisse, praeter Chrysostomi locum, testantur Glossae Graeco-barbarae (quas videsis in Suiceri thesauro) ubi inter cetera profanorum templorum synonyma etiam ea vox refertur. Ad etymologiam vero quod spectat (missis ineptis originationibus) sciendum est, *Ciborium* apud Horatium esse poculi genus. Cur ita diceretur, Graeci grammatici explicant; quia, inquiunt, inferne in artum desinit ad ciborii Aegyptii similitudinem. Est enim κιβώριον folliculus aut loculus fabae Aegyptiae; qui quod in conum finiretur, hinc pocula ejusdem formae dicta fuisse κιβώρια, certissimum est. Ex eo vero & illud postea manavit, ut umbracula illa columnis fulta & superne in artum desinentia *ciboria* nuncuparentur. Ac de *ciborii* nomine satis: de quo qui plura cupit, adeat H. Steph. tom. 5. Thes. Casaubonum ad Athenaeum, Vossii Etymologicon, Suiceri Thesaurum. Nisi quod hic ultimus ecclesiasticam *ciborii* notionem sic explicat, quasi sit vasis

Digitized by Google

sis genus, quibus altaria ornantur; eoque Anastasii loca & aliorum similia, licet invita, trahit. Cui cave credas. Sed jam e diverticulo in viam redeo.

§. 4. *Vbi coeptum est levari corpora, loco ciborii* Freda *aut* Repa *iis imponebatur. Freda idem quod* Pax *sive* Requies *aut* Requietorium.

Olim igitur supra piorum *vindicatorum* (ut verbo Cypriani utar; quo eos designat, quibus publicus in Ecclesiis cultus vindicabatur) corpora sive basilicae erigebantur, sive basilicarum instar *Ciboria*. Quae quidem ciboria, uti modo disputavimus, sic quasi templi compendium habita fuisse, etiam communia quaedam atque rei synonyma declarant; ut quod *Confessionis* vox (quae tantumdem Latinis erat, quod Graecis μαρτύριον, *Martyrium*) modo pro integra basilica, modo (praesertim apud Anastasium millies) pro umbraculo illo seu ciborio usurpatur; & quod Dianae ciboria (ut ante dictum) Act. XIX. 24. ναοὶ i. e. *templa* vocantur. At vero postquam octavo nonoque saeculo de profundioribus locis piorum corpora levari coeperunt, supraque pavimentum, publico expositi cultui, recondi; quoddam illis jam descriptis ciboriis ornamentum [etsi ab iis meo judicio diversissimum] supra hos tumulos erigi placuit: cujusmodi hoc fuit, quod in re nostra suis decessoribus supra pavimentum Stephaniae collocatis desuper imposuit S. Jo: Scriba. *Aptavit*, inquit, *marmore arcuatum tumulum*. Quae pulchra circumlocutio ejus structurae est, quam alii *Fredam*, alii *Repam*, quovis nomine nuncuparunt. Quorum erecto operum manifestam canonizationem imbibebat. Exempla utriusque vocabuli producamus; simul enim & cujusmodi res id fuerit intelligemus.

Et quidem satis antiquum illud est, quod apud Henricum IX. saeculi monachum in de Mirac. S. Germani Autissiodorensis Chlotarius Chlodovei M. filius *super adorandam beatiss. Germani memoriam per manus S. Desiderii . . Episc. regalibus expensis fredam composuit; quae auro argentoq. . decorata in nostram quoque duravit aetatem*. Alia exempla videbis apud Cangium, ex quibus colliges, eas *fredas* auro argento gemmisque coruscasse, nec caruisse cancellis; postremo interdum inferiori absidae ex variis metallis conflatae *secundam fredam desuper auro optimo & lapidibus pretiosis ornatam* fuisse impositam. De *Fredae* autem proprio significatu si quaeris; sciendum est FRID Germanis *pacem* designare. Hinc multa illa, per quam fisco persolutam reus *pacem* (vulgo *Quietanza* id Italis dicitur, ut & scriptoribus aevi medii *Quietatio*, *Quietantia*) a Principe consequitur, sequiori aetati *Fredum* aut *Freda* vocabatur. Ab ea vero *pacis* notione, quae *Fredae* subest, factum, ut *Fredae* vox praeter forensem significationem, etiam pro *pace* piorum Manium sumeretur: qua notione in antiquis Christianorum titulis illud IN PACE perpetuo legitur. Est ergo *Freda* idem atq. id quod eodem significatu REQVIETORIVM in duabus antiquis titulis Christianis scribitur. Imo & hanc ipsam, de qua tamdiu loquimur, *Fredam* Eigil quidam in vita S. Sturmii Ab. Fuld. n. 20. *Requiem* (eod. scil. significatu) vocavit. Vide locum apud Cangium in *Requies*: ubi tamen viro summo non assentior, pro *Requiem* scribi jubenti *Repam*. Etsi ceteroqui & *Repa* idem ferme, quod *Freda* significat: de quo nomine jam dicendum.

§. 5. *De* Repa *; deque dependentibus velis, non secus atque nunc in Tabernaculo Eucharistiae fit*. Mausolaeum *Repae synonymum*. *At* Lecti, Lecticae, Tumba, Feretrum, Arca altior *longe sunt aliud: quae sunt cenotaphii vocabula. Effigies superne depictas ad canonizationis ritum pertinuisse*.

Et de *Repa* quidem loca complura protulit Cangius, ac tria primum ex vita S. Eligii; ex quibus non tantum intelligitur, eam Repam supra sacrum corpus positam argento, auro, gemmisque micasse, verum & dependentibus velis pretiosis ambitam fuisse, quae adducebantur reducebanturque pro diversis temporibus. Subdit enim: *Igitur ingrediente Quadragesima praecinxerunt crepam* (pro

Digitized by Google

Verum quid opus est pluribus? Hos ipsos, quorum corpora tunc Joannes Scriba levavit, *& in Stephaniam maximis cum honoribus transtulit, re vera pro Caelicolis habitos, ex iis quos Jo: Diaconus translatos in Stephaniam* (XIV) *refert, facile quivis existimare poterit.*

Non

repam) *hujusmodi fundone, ut moles radiantis metalli tegeretur diebus poenitentiae.* Id quod hodiedum circa *Repam* illam, sub qua sanctissimum Christi corpus asservatur, fit, dependentibus ex *Tabernaculo* (ut hodie nuncupant) pretiosis aulaeis. Cetera Repae exempla vide apud Cangium; inter quae illud ex Chron. Font. cap.2. notatu dignum videtur, ubi scribitur: *Subter ARCVBVS* (hic enim ille est *arcuatus tumulus*, quem supra singula episcoporum corpora Scriba noster aptavit) *tumulatus, condiditque super eum repam argento.. decoratam.*

Sunt vero & alia ejusdem rei synonyma, inter quae *Mausoleum*, unde & *mausoleandi* verbum. At quod Mabillonius V. Cl. Praef. ad saec.2. Bened. num. 45. inter ejus rei synonyma recenset *Lectos*, *Lecticas*, *Tumbas*, id ei minime assentior. Etenim & haec nomina, ac praeterea *Feretrum* apud eorum temporum scriptores longe aliud sunt. Sciendum est enim sacra quidem corpora in loculis supra pavimentum locari consueviſſe, deinde vero aliam honorariam tumbam cenotaphii instar desuper imponi, ac postremo ornamentem illud quod Fredam aut Repam vocabant. Exempla jam tumbae hiusmodi inanis atque honorariae vel ex ipsomet Mabillonio ibid. n.46.47. proferamus. S.Eligius Noviomag. episc.(apud S. Audoenum lib.2. vitae c.6.) inventum B. Quintini corpus *citra altare transposuit, TVMBAM denique ex auro argentoque & gemmis miro opere desuper fabricavit.* Sed & apud Walatridum Strabum Boso Constantiensis *sumens loculum, in quo sanctum corpus* (S. Galli) *erat, posuit super terram inter parietem & altare, & DESVPER* (*VT MORIS EST*) *ARCAM ALTIOREM construxit.* Quantivis pretii locus ad intelligendum, quo pacto IX. saeculo Sanctorum corpora conderentur; 1. *sup.r terram*: 2. *inter parietem & altare* (ita ut si plura ejusmodi conditoria in uno templo fuissent, plura item altaria eis, singula singulis, respondisse forsitan IX. saeculo videantur) 3. *desuper arcam altiorem* (idque de more) construebant. Quae quidem altior arca modo *tumba*, modo *lectus*, *lectica*, *feretrum* (nam & eam credo formam imitabatur) dici solebat. At eadem nostro Jo: Diacono in verbis, ad quae tamdiu commentamur, *Tumulus arcuatus* vocatur. Ait enim: *Corpora quoque suorum praedecessorum ex sepulcris, in quibus jacuerant levavit, & in ecclesia Stephania singillatim* (supra pavimentum) *collocans, aptavit* [pro *imposuit*] *unicuique arcuatum tumulum.* Vbi uno *arcuati tumuli* nomine & honorariam tumbam, & impositam ei *fredam* designat.

Post ea verba sic sequitur: *Ac desuper eorum effigies depinxit.* Quae verba novum & huc usque ignotum canonizationis ritum, praeter jam supra descriptos, complectuntur. Quorsum enim illae effigies; nisi ut sancti illi episcopi venerationi fidelium proponerentur? Ac de illustri Jo: Diaconi loco de Neapolitanorum antistitum canonizatione hactenus.

(XIV) Plures sunt Sanctorum episcoporum, quos Chronographus translatos in Stephaniam docet, cura utique S. Jo: Scribae, ut equidem interpretor. Sunt autem *Maro*, *Agrippinus*, *Eustasius* [sive potius *Eustathius*] *Ephebus*, *Fortunatus*, *Maximus*, *Joannes I.* quos omnes in his Fastis signatos cernimus, ac sacris honoribus affectos.

Ac de Fortunato hoc peculiariter scribit Chronographus: *Deinde post longo tempore* (longissimum enim tempus a IV. saeculo ad nonum interceſſit, qu sedit celeberrimus Translator S.Jo: Scriba) *populi patrocinia ejus petentes, ab Ec clesia sui nominis consecrata transferentes per manus PONTIFICVM* (ex quo pat S. Jo: Scribam finitimos episcopos ad l vanda

Digitized by Google

Non est igitur dubitandum, quin Joannes Aquarolius novis caelicolis Fastos Neapolitanos auxerit. Quod enim utrumque Paulum seniorem junioremque haud diu antea demortuos pro caelitibus jam tum IX. saeculo Neapolitani in hoc Kalendario agnoverint, id Joannis Scribae auctoritati & judicio est tribuendum. Idem & antiquiores plurimos episcopos inter suos cives adscripsit, & eos nominatim, quorum corpora in Stephaniam non sine sacris honoribus transtulit. At qui tantum curae atque industriae in cultu suis decessoribus vindicando posuit, debuit continuo is & eosdem sacris Fastis inserere. Nec enim canonizatio ulla fiebat, quin simul is, cui cultus decernebatur, Sanctorum (XV) *catalogo, & Ecclesiae Kalendario inscriberetur. Neque id vero aliter potuit, quam si auctius, quam ante fuerat, Kalendarium conderet. Quocirca inter eos codices, quos a se descriptos Ecclesiis suis tradidit, merito referendus est auctioris Kalendarii codex. Quod postremo Kalendarium sive ipsius Scribae jussu, sive peculiari Neapolitanorum studio, duraturis saxis inscriptum fuit.*

§. 4. Gravi objectioni fit satis: simul & de Jo: Diaconi Chronico.

Dicat fortasse aliquis, si ea de causa Jo: Scriba de novo Kalendario laboravit, nempe ut novis caelitibus tum aliis undeunde corrasis, tum praesertim iis, quos recens canonizaverat, Fastos ditiores efficeret; debuit is sine dubio neminem eorum omittere, quibus sacros quos dixi honores adhibuerat. Atqui inter eos, quorum corpora levavit, & in Stephaniam religiosa cum veneratione intulit, Epitimitum Asprenatis successorem, atq. Soterem esse numerandos Jo: Diaconi (XVI) *auctoritas dubitare non patitur. Atque hos tamen in Kalendario marmoreo frustra requi-*

randa corpora invitasse) *collocarunt in* ECCLESIA *Stephania, partis dextrae* [illegible] *introeuntibus, sursum, ubi est oratorium, in* [illegible] *Catatumbae*. Etiam apud Greg. M. III. ep. 50. *Catatumbas* pro *Catacumbas* legimus, ut sit a κατὰ & τύμβος, *Tumba*.

(XV) *Canonizationem* a *Canone* sive Diptychorum genere in quae viri sanctitate illustres referebantur, dictam vo[illegible]. Hinc tantumdem erat canonizare aliquem, quod eum Sanctorum catalogo inscribere. Sic Alexander III. in litteris de canonizatione S. Thomae Cantuarien[illegible]; quem inquit *canonizavimus, ipsumque decrevimus Sanctorum catalogo adscribendum*. Caelestinus III. Bernwardum Hildenesheimensem episcopum anno 1193. *in catalogo Sanctorum annodo numerandum* decrevit, & *de terrae gremio eriendum, & inter sanctorum memorias veneratione condigna collocandum*. Sed frustra his satis protritis ac manifestis immoror.

(XVI) De Epitimiti translatione in Stephaniam nihil quidem in ejus elogio prodidit Jo: Diaconus: at id tamen ab eodem in Maronis successoris elogio enucleate traditur; cui scriptori Maro dicitur *Cum his praedecessoribus suis* [qui non sunt alii quam Asprenas & Epitimitus] *OB SANCTITATIS MERITVM* (quae verba juridicam canonizationem levationis ritu factam designant) *in ecclesia Stephania translatus esse videtur*. Verbum *videri* pro substantivo *Sum* his scriptoribus familiare esse nemo nescit. Idem & de Sotere [quem duodevicesimum numerat] scribit.

Digitized by Google

quirimus. Quocirca nec ſcriptio Kalendarii hujus ex canonizationibus ab Aquarolio factis manavit; nec omnino neceſſe eſt, hos Faſtos ab eodem Aquarolio conſtructos, quandoquidem non omnes, quos ſacris honoribus affecit, in Kalendarium hoc illatos reperimus.

Poſſem heic ſane hoc ipſum telum in adverſarium, ſiquis modo eſt, retorquere. Nam ſi quidem hoc Kalendarium poſt S. Jo: Scribam recenſitum fuiſſet, debuiſſet ſine dubio & Epitimito & Soteri epiſcopis a Scriba inter Sanctos relatis fuiſſe locus. Ergo hoc monumentum Jo: Aquarolio poſterius non eſt: atqui ne anterius quidem eodem eſt, ut ſupra cap. I. demonſtratum fuit.

Quid ergo cauſae fuit, cur non Epitimitum & Soterem S. Joannes Scriba Faſtis inſcripſerit? nempe quia jam is Kalendarium recenſuerat tum, quum horum duorum corpora detexit, & ea in Stephaniam intulit, ſimul cum aliis antea translatis collocans. Res enim meo judicio ſic ſe habuit. Principio ſanctis ſuis deceſſoribus tum recens mortuis (ut utrique Paulo) tum & antiquioribus aliis canonizandis operam impendit, eorumque, quos in album Sanctorum retulit, complures in Stephaniam publice colendos tranſtulit. Deinde Kalendario recenſendo animum applicuit, in quod tum caelites exteros plurimos, tum deceſſores ſuos intulit. Poſtremo ubi jam Kalendarium iſtud, uti vides, pleniſſimum condidiſſet clauſiſſetque, caſu factum eſt ut Epitimiti, Soteriſque corpora detegeret, eorumque nomina antea ignota, & ſedem ex ſarcophagorum inſcriptione addiſceret. Hinc eos quoque in Stephaniam intulit, eoſdemque ſacris honoribus affecit. Nec dubium eſt, quin ſi res integra fuiſſet, hos quoque ultimos, Faſtis hiſce marmoreis inſcripſiſſet. Nunc quia illi poſt ſcalpta haec marmora innotuerunt, hinc excluſi, hodie in his Faſtis marmoreis deſiderantur. At iidem credo a manu exaratis Ephemeridibus non aberant: quae tamen ad aetatem uſque noſtram non pervenerunt.

Quamquam mihi quidem id multo veriſimilius videtur, non Jo: Scribam, qui harum Ephemeridum conditor fuit, Epitimiti & aliorum aliquot corpora detexiſſe, eaque in Stephaniam intuliſſe, ſed potius ejus ſucceſſorem S. Athanaſium. Athanaſius igitur aut quivis alius deceſſoris Scribae pietatem in honorandis horum Reliquiis imitari potuit, at eoſdem in marmoreas tabulas, quippe jam plenas, inferre minime potuit.

Ex dictis ſimul illud colligitur, olim ante Jo: Scribam paucos admodum quatuor priorum ſaeculorum praeſules Neapolitanos innotuiſſe, veluti Aſprenatem, Agrippinum alioſque eximios non multos: deinde Jo: Aquarolium in deceſſorum canonizationem elevationemque reliquiarum incumbentem plures alios ſive parum ſcitos illuſtraſſe, ſive ne de nomine quidem notos ex parietinis & ſepulcrorum inſcriptionibus tum primum eruiſſe. Fortaſſis tum alii poſtmodum, tum in primis Jo: chronographus

Digitized by Google

phus (qui centesimo circiter post Scribam anno chronicon episcoporum elucubravit) praeter eos, quos Scribae industria detexerat, plus aliquid in antiquioribus aliis episcopis, antea ignotis, edendis profecerint. Vel sic tamen ab absoluto quatuor priorum saeculorum catalogo quam longissime absumus. Et tamen mirabile est, quod Jo: Chronographus sic eos contexit continua serie, quasi si nulla usquam lacuna hiet. Nam & eis numeros (I. II. III. & sic deinceps) praefixit tales, quasi si nullus desit: & praesulum annos ita cum imperatorum & Pontificum Rom. temporibus comparavit, quasi si una sit perpetua praesulum sibi invicem succedentium catena. Quid facias? Sic homines illi erant. Sed nolo alibi saepius repetitam a me querimoniam redintegrare: praesertim quum is error non totus in chronographo Joanne residere videatur. Nam fuisse mihi videtur alius ante hunc chronographum, qui antiquos illos antistites in unum fasciculum collegerit, sed sine numeris atque temporibus. Hunc auctorem (sive S. Jo: Scriba, sive quisquis alius is fuit) secutus Diaconus Joannes, ratus eum catalogum ab omni parte absolutum fuisse, praefixit eis praesulibus ordinales Primi, Secundi, Tertii, &c. numeros, ac postremo crassiore Minerva usus, pinguioribusque fretus conjecturis, eorum praesulum tempora cum imperatorum & Romae episcoporum temporibus contulit. Haec obiter de Joannis Chronico.

Sed antequam manum de tabula: quid de Nostriano V. saeculi antistite, deque Juliano, Laurentioque (quorum alter VII. exeunte, alter ineunte VIII. sederunt) censebimus? Hos quidem uti caelicolas olim Neapolitani coluerunt; absunt tamen ab hoc Kalendario. Verum quum hos in Stephaniam translatos non tradat Jo: Diaconus; facile existimatu est, in his canonizandis S. Jo: Scribam minime laborasse, eaque gratia etiam ab hisce Fastis eos abfuisse. Ac de Nostriano quidem perhonorifice loquitur chronographus Joannes: ex quo potest conjici ejus sanctitatem post S. Jo: Scribam, sed ante conscriptum a Diacono chronicon fuisse perspectam. De duobus aliis nihil singulare chronographus idem narrat. Quare post chronographi tempora eorum coepisse cultum, licet suspicari. Quamquam ceteroqui de episcoporum sanctitate depraedicanda non solet is historicus laborare, de fabricis aliisque operibus dumtaxat sollicitus.

§. 5. De annis Episcopatus S. Jo: Scribae.

Atque ad hanc quoque curam mihi necessario descendendum arbitror, ut tanto notior artiorque monumenti hujus epocha statuatur. Et chronographus quidem Joannes de S. Joanne Scriba sic incipit: Sedit annos VII. menses VIIII. dies XXII. qui sunt anni paullo minus octo. Heic equidem nihil fane mallem, quam hosce numeros veros esse. Quid enim? tanto angustioribus spatiis aetas harum Ephemeridum coerceretur. Verum has

Digitized by Google

has numericas notas mendosissimas esse censeo; nec enim Scriba noster minus annis XII. *sedere potuit: quod sic ostenditur. Joannes hic Aquarolius B. Tiberii successor, decessor vero S. Athanasii fuit. Jam vero quum utriusque horum initia & exitus compertos habeamus; necesse est Scribae annos, qui medius intercessit, fore expleratos. S. Athanasium pro certo habemus anno* 872. *obiisse, quum annos* XXII. *& quod excurrit, sedisset. Debuit igitur anno* 850. *episcopatum inire. Tiberium autem anno* 838. *ad saelum evolasse supra demonstratum fuit. Ita medium omne annorum* XII. *spatium S. Joanni adscribendum relinquitur. Nec novae sunt in textu chronographi Joannis temporum mendae; in quo quum numericis Romanorum notis tempora perscribantur, nihil facilius in evanidae scripturae locis fuit, quam* X *&* V *inter se commutare. Hinc pro* annos VII. *restituendum esse* XII. *non est dubitandum. Deinde menses illos novem diesque* 22. *quos Chronographus admetitur, ex decessoris successorisque annis contiguis, si necesse sit, delibare, & Joanni huic attribuere, aut vero contra, promptissimum erit. Nam S. Joanni Scribae sive annos* XII. *mens.* IX. *diesque* XXII. *sive annos* XI. *cum suprascriptis fractionibus (quae annum paullo minus implent) attribuere liberum esse volo.*

Et hi quidem, quos dixi annos, ita peculiares sedi Joannis Scribae sunt, ut nihil eorum cum B. Tiberio commune habeat. Hoc eo dico, quod Tiberius ubi annos XIII. *tranquille sedisset, reliquos* VII. *suae sedis annos in artissimae custodiae squalore transegit. Quo tempore Bonus Dux S. Joannem Scribam eligi invitum jussit: quem proinde necesse est integrum ferme septennium ad usque Tiberii excessum Ecclesiam Neapolitanam (cum bona tamen, ut aperte testatur chronographus, Tiberii venia atque gratia) cum Electi titulo, quo interim fruebatur, administrasse. Atqui quum ego S. Joannem annos* XII. *sedisse dico, ab ejus ordinatione hos annos ordior: cui summae siquis etiam Electi Joannis septennium (quod ceteraqui Tiberio adhuc vivo ac videnti est imputandum) pergat addere, nae is undeviginti annos Scribae nostro tribuat necesse est.*

§. 6. In quodnam potissimum episcopatus S. Joannis tempus Kalendarii constructio sit conferenda.

Paucis id verbis expediam. Confer interim quae ad IX. *April. cap. V. de vita Aegyptiae Mariae per Paulum Diac. Neapolitanum Latine reddita disseruimus. Ex iis manifestum fiet, non ante hoc Kalendarium elaborari potuisse, quam ea vita Neapoli evulgaretur. Nam quod omnino de ejus ascetriae festo in hisce Fastis signando cura subierit; imo quod eo potissimum die signetur, non quo eam Graeci colunt, & quo Mariae obitus in Graeca vita notatur, sed quo die in vita Latina Pau-*

Digitized by Google

li

li eadem obiiſſe ſcribitur ; hoc totum vitae illi per Paulum editae acceptum eſt referendum . Ergo ne dubita , quin huic Kalendario illius vitae Latinae editio praeiverit . Atqui , ut ibidem demonſtravimus , idem ille Paulus ante annum 840. non potuiſſet id opuſculum Carolo Calvo dicare . Quocirca aliquanto poſt eum annum neceſſe eſt eam vitam prodiiſſe, & exinde Aegyptiacae feſtum in has Ephemerides illatum fuiſſe . Quam dudum autem poſt ann. 840. ea vita edi & circumferri coeperit , atque ex ea poſtea cauſa Aegyptiae feſtum ab S. Joanne diei IX. Aprilis inſcribi ; id vere juxta cum ignariſſimis me ſcire profiteor. Verum circumſpectanti omnia ſatis veriſimile fiet , ita hujus Kalendarii ſcriptionem intra annum 840. & 850. eſſe coercendam , ut tamen propior poſteriori huic , quam anteriori metae fuiſſe videatur . Atque haec de marmorearum Ephemeridum aetate habui dicere ; plura fortaſſe allaturus , ſi quidem non quatuor tantum earum menſes , quod hactenus feci , ſed univerſos a capite ad calcem ad trutinam expendiſſem . Itaque non dubito , quin in reliquis octo menſibus plura ſe ejuſdem epochae argumenta oblatura ſint .

V.J.D. Rever.D.Cyrus de Alteriis revideat, & in ſcriptis referat.

C. EPISC. ANTINOPOLITAN. VIC. GEN.

J.N. EPISCOP. ARCHADIONOPOLITAN. CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS

EMinentiae Tuae obſequens numini , Alexii Symmachi Mazochii Neapolitani Canonici doctiſſimas in Marmoreum Kalendarium hac in urbe recens repertum diſquiſitiones , ex praecepta de ſummo viro ad antiquitatem laborioſiſſime illuſtrandam unice nato opinione avidiſſime arripui , cum voluptate in manibus habui , adhibita qua par erat diligentia perluſtravi . Quam tutam in re tam difficilis tractationis inierit viam acerrimo judicio ſolidam pietatem ſociandi ; quam ſubtiles pariter certaſque conjecturas ex veterum monumentis , eorumque collatione eruerit , magnopere ſum admiratus : praeſertim autem quod vetuſto Lapidi explicando , veterum teſtimoniis cum ſit ubique uſus , opus tamen non ex aliorum (ut plerumque fit) laciniis conſutum , ſed modo cuſum videatur . Dignum profecto opus , quod ſub auguſtis Eminentiae Tuae auſpiciis prodeat : digna ſacri Lapidis memoria Te vindice , Princeps Eminentiſſime: digna hoc tempore , quae alias fortaſſe interiiſſet : digna tanto Viro illuſtratore , qui hac aetate Italicae literaturae (abſit verbo invidia) & columen perhibetur & decus . Itaque cum quae libro continentur , Religioni omnia conſona , formandiſque moribus utilia ſint , ſi Eminentiae

Tuae

Digitized by Google

Tuae visum fuerit; publicae expectationi Typis literarum excudendum censeo. Neapoli Kalendis Decembribus MDCCXLIV.

Eminentiae Tuae

Addictiss. & obsequentiss. famulus
Cyrus de Alteriis.

Attenta supradicta Relatione. Imprimatur.
C. EPISC. ANTINOPOLITAN. VIC. GEN.
J.N. EPISC. ARCHADIONOPOLITAN. CAN. DEP.

Reverendus D. Januarius Pensa in hac Regia Studiorum Universitate linguae Sanctae extra ordinem Professor revideat & in scriptis referat.
C.GALIANVS ARCHIEP.THESSAL.CAPELL. MAJOR.

S. R. M.

ALexii Symmachi Mazochii Canonici Neapolitani ac Regii Sacrae Scripturae Interpretis *Commentarius in vetus Marmoreum Ecclesiae Neapolitanae Kalendarium* a me lectus nihil admodum complectitur Regiis juribus repugnans, imo contra plura habet, quibus sacra antiquitas tum universa, tum hujus Ecclesiae illustrior evadat. Quocirca non sine publico commodo in lucem proditurum censeo, si Regiae Majestatis Tuae placitum accedat.

M. T.

Humillimus addictiss. obsequentiss. famulus
Januarius Pensa.

Die 4. mensis Februarii 1745. Neap.

Viso Rescripto Suae Regiae Majestatis sub die 2. currentis mensis & anni, ac relatione facta per Rev. D. Januarium Pensa de Commissione Rev. Regii Capellani majoris praevio ordine praefatae Regiae Majestatis: Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat: quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbatione dicti Revisoris. Verum in publicatione servetur Regia Pragmatica hoc suum &c.

MAGIOCCO. DANZA. CASTAGNOLA. FRAGGIANNI

Illustris Marchio de Ipolito Praeses S.R.C. tempore subscriptionis imp.


Citus.

ADMONITIO.


Memini me alicubi (nec enim locum reperire festinatio sivit) ex nescio quibus indiciis adhitasse, utrum Menologium [quod passim ex Sirleti versione citari ac Sirletianum vocari, ignoro] revera Sirletum ipsum, an potius antiquiorem alium interpretem auctorem habuerim immemor scilicet ejus, quod alibi ad superiores menses egomet adnotaveram, nim. in Bar adnotat. ad Mrologium, ita ejus Menologii mentionem fieri, tamquam re vera per ipsum Sirletum Latine redditi, sibique dono ab auctore dati. Itaque ex priore hujus commentarii loco prius erit refingendus; ac interim Canisianum Sirleti Menologium nondum mihi adepto μνημοσύνον ἀμάρτημα est humanitate tua, Lector, condonandum.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



AD MARMOREVM

SANCTAE NEAPOLITANAE ECCLESIAE

KALENDARIVM

COMMENTARIVS

M IANVARIVS D XXXI

I CIRCVMCISIO DN̄I DP S BASILI

VTrumque festum in libris Graecorum Ecclesiasticis hoc die adnotatur; cū quibus Graecorum libris hi Fasti marmorei plerumq. consentiunt. Itaq. in Basilii Menologio hoc die sic scribitur: ἡ ἁγία περιτομὴ &c. *Commemoratio sanctae Circumcisionis Domini ac Dei nostri Jesu Christi.* Deinde Μνήμη i.e. *Memoria S. Patris nostri Basilii Archiep. Caesareae Cappadociae*. De utroque agitur hoc eod. die in Menaeis, in Anthologio Romae edito, & in Moscovitico Kalendario effigiato, quod Papebrochius edidit to. I. Maii. Postremo quod in nostro hoc marmore hoc die non *memoria* quaevis sed *Depositio* Doctoris hujus signatur, id egregie confirmant Graecorum Ephemerides metricae, quas idem Papebrochius eod. to. I. Maii vulgavit, in quibus sic reperio:

Ἰανναρίου πρώτῃ θάνες ὁ Βασίλειε.

Ipsis occumbis Jani Basilie Kalendis.

Estque id huic Kalendario perpetuum, ut diebus emortualibus *Depositionis* nota praescribatur (ut passim in decursu observabitur) quod egregiae utilitati erit ad detegendos dies Sanctorum emortuales, quos non prodiderat antiquitas: id quod Ecclesiasticam historiam haud parum juvabit.

At apud Latinos duplex hodie festivitas Fastis inscribitur, antiquior una in hunc modum, *In Octava Domini* (quomodo reperitur apud Thomasium in Sacramentario Gelasiano pag. 18. & in Antiphonario Gregoriano pag. 23. sic quoque in Frontonis Kalendario) altera quam recentiorem existimant, De *Circumcisione* Domini. Hoc posterius festum

Digitized by Google

Bailletus ferme ad finem VII. saeculi rejicit. Male: etenim S. Hieronymi Martyrologium a Florentinio editum (quod cujuscumq. auctoris sit, certe illud ipsum Martyrologium Romanum videtur, quod characteribus non obscuris describit S. Gregorius VII. 29. scribens ad S. Eulogium Alexandrinum) diserte sic auspicatur hoc die: *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi secundum carnem*. Videantur quae ibi adnotat Florentinius.

Mihi sane omnia circumspicienti videtur Circumcisionis festum inter Gelasii & Gregorii M. tempora institutum fuisse. Etenim in Gelasiano Sacramentario hoc die fit de Octava Dñi, ad quam octavam omnia plane alludunt: nam quae in Praefatione verbo tenus inferuntur voculae (*Circumcisio scil. & praeputium*): cae nihil ad festum faciunt. At in Gregoriano Sacramentario etsi hic dies inscribatur *In octavis Domini*; tamen quae in Praefatione leguntur, ejusmodi sunt, ut ostendant Kalendarum Januarii festum fuisse temperatum ex *Circumcisionis* & *Octavae* memoria; sic enim scribitur: *Hodie Circumcisionis diem & Nativitatis Octavum celebrantes*. Ibidem in *Benedictione* plura de Circumcisione leguntur, quae eadem in Basilii Menologio fusius enarrantur. Quid quod an. 570. Turonensis Synodus Can. 18. statuit, ut *Hora octava in ipsis Kalendis, Circumcisionis missa Deo propitio celebretur?* Et hodiedum in Missali Romano duplex Missa reperitur, una de *Circumcisione*, altera (quae inseritur inter *Dominicam infra Oct. Nativ.* & *S. Sylvestri* festum) De *Octava Nativitatis*. Quod indicare videtur, olim de utroque peculiarem Missam celebrari consuevisse. Beda genuinus: *Kalendis* (Januar.) *Octavae Domini, & secundum carnem Circumcisio ejus*.

II DEP SILVESTRI PP

ET hoc consentit cum Graecorum libris, apud quos in Menaeis, Anthologio, & Basilii Menologio hoc die de *S. Silvestro Papa Romae* agitur, ut etiam in Moscor. effigiato Kalendario apud Boll. to. I. Maii. At de S. Sylvestro Latini die XXXI. Decembris: recte: nam is verus dies depositionis fuit, quippe in Bucheriano latereculo, qui inscribitur *Depositio Episcopor.* sic reperio: *Pridie Kal. Jan. Sylvestri in Priscillae*. Quod quum ita sit; erravit nostri marmoris auctor, dum hic *Depositionem* Silvestri notavit: sed erravit tamen cum Graecis suis, quorum Ephemerides metricae (apud Papebr. to. I. Maii) sic loquuntur hoc die.

Θυμὸν ἀποκρύπτει Σίλβεστρος δευτέρᾳ ἡοῖ.

Spiritus efflatur Silvestri luce secunda.

S. Sylvestri Acta G. L. Combefisius edidit.

III N S GORDII MR

DE eodem hac die Graeci in Menologio, Menaeis, Anthologio, ac postremo in Moscorum Ephemeridib. apud Bollandum in praemissis tomo I. Januarii. De eo prorsus tacent Latinorum Martyrologia; nisi quod is in Vsuardi Auctariis hoc die additus postea fuerit; & quod in Martyrol. Rom. hoc eod. die (certe ex Baronii additamento) sic legatur: *Caesareae in Cappadocia S. Gordii centurionis, de cujus laudibus exstat praeclara Basilii M. oratio, in ejus die festo habita*. Eam orationem vide to. I. Hom. 19. Quare quum antiquis Latinorum Martyrologiis hic Martyr ignotus fuerit; nescio cur Bailletus, hunc a Latinis semper hoc die cultum dicat. Eum sub Licinio passum, in Menologio legitur: quod Baronio non sit probabile, ad Diocletiani persecutionem eum revocanti. Itaq. Fleury & alii sub Gal. Maximiano eum depugnasse statuunt. *Natalis* nota (uti passim observabitur) in hoc marmore praeponitur iis Sanctis, qui die non suo coluntur.

Digitized by Google

IIII N S METROPHANI PAT CON

NVsquam hoc die festum ullum S. Metrophanis occurrit, sed prid. Non. Junii, quando in his Fastis iterum colitur, *ut* & ab oriente universo. Itaque *hoc die* Neapolitani videntur sive reliquiarum Translationem huc factam, sive Ecclesiae sub ejus nomine Dedicationem, aut aliud quidpiam celebrasse. Ceterum de Metrophane vide dicta infra ad IV. Junii.

V NT S EPIPHANI PAT CON

DE Epiphanio illo celeberrimo Cyprio cum Graecis hoc Kalendarium die XII. Maii agit. At hic PATriarcha CONstantinopolitanus dicitur. Porro *in* serie eorum Patriarcharum nullus est Sanctus hoc nomine: nec in ea omnino alius est nomine Epiphanius praeter illum qui an. 520. Joanni succedens, an. 535. obiens, successorem habuit Anthimum. Hic sane Epiphanius Calchedonensis Synodi mirus defensor fuit: ad quem exstant aliquot Hormisdae Papae Epistolae. Videatur de eo Baronius in Annalibus & alii.

Verum de eo nulla in Ecclesiasticis Graecorum officiis memoria occurrit; nec alibi, quod sciam, quam in hoc nostro Kalendario, inter Sanctos is numeratur; sane quidem, quantum ex sacra historia constat, eo cultu dignissimus. Et hinc igitur nostro marmori pretium accedit, quod ignotis antea Sanctis fastos auctiores efficiat.

Jam vero quod hunc Epiphanium cultu dignissimum fuisse, diximus, id ostendit non tantum Dioscori Diaconi (in Labbeana collectione tom. 4. col. 1523.) Suggestio, laudantis initia Epiphanii (sic enim ille ad Hormisdam quarto post ordinationem Epiphanii die scribit: *Cujus initia bona videntur: nam rationabilia loquitur & promittit: patrum se regulas servaturum, pacem unitatemque ordinatam non dissipare, sed magis augere &c.*) sed & quod Eutychianarum partium hostis fuit: ac potissimum quod CPolitana Synodus (*to.* 4. *Collect. Labb. col.* 1524) ejus electionem Papae Romano significans, inter cetera ait: *Dedit nobis* (Deus) *SANCTVM PASTOREM & Patriarcham Epiphanium, virtutibus & correctionibus & meditatione divinarum florentem Scripturarum, rectam quoque tenentem fidem, & orbatorum paternam regentem sollicitudinem: & quid amplius dicam? omnem praeconiorum fontem transcendentem. His ergo virtutibus pollens, non immerito proprias & creditas sibimet maximas Ecclesiae curas sapienter & honorifice gessisse dignoscitur . . . . Nostra quoque etiam omnium in hac urbe habitantium testificatione . . . nostrum pontificem virtutibus undique coronatum esse dignoscimus.*

De ejus obitu haec habet Theophanes: *Hoc anno* (535) *Epiphanio praesule, mensis Junii die quinto, Indictione XV, post Episcopatus annos sexdecim* (imo annos XV. ex Pagii calculis ad hunc annum: ut videatur in Theophanis textum pro ις irrepsisse ιε') *& menses tres e vivis erepto, haereticus Anthimus Trapezuntius Episcopus in sedem CPolitanam translatus est.* Quum ejus igitur obitus in V. Junii inciderit; hinc merito Fasti nostri huic diei non *Depositionis*, sed *Natalis* notam pro suo more praescripserunt.

VI EPVPHANIA

ETiam in antiquissimo Martyrologio, quod Hieronymi nomen praefefert, hoc die inscribitur simpliciter, *Epiphania*: ad quem locum lectu digna sunt quae

Digitized by Google

adnotat Florentinius. Ac plura equidem haud passim protrita de hoc festo privata industria collegeram atque huc attuleram. Sed jampridem pleraque occupaverat Cl. Castellanus Canonicus Parisiensis, in Adnotationibus ad Martyrologium: ad quem, ne actum agam, lectorem rejicio. Etsi egregium viri doctiss. Martyrologium heic nusquam reperitur: nec nisi duos primores menses viri clarissimi Cyri de Alteriis liberalitate ad manus habeo. Praeter scriptores hagiographos, consuli etiam potest Suiceri Thesaurus.

De vero autem significatu *Epiphaniae* adeatur Casaubonus ad Baronium, Norisius in Epochis Syro-Macedonum, & alii. Vno verbo ut rem contraham; Ἐπιφάνεια *Epiphania* tum apud profanos, tum etiam antiquos Christianos *Numinis praesentiam* ac manifestationem aut apparitionem designabat. Id quidem in Christi Baptismo, (quem baptismum unice hoc die Graeci ab exordio coluerunt) vere contigit; quippe & Deus Pater suam praesentiam persentiscere fecit, emissa voce illa, *Hic est Filius meus &c.* unaque Filius attestatione Patris se praesentem stitit; ac Spiritus Sanctus in columbae simulacro oculis objecto apparuit. En cur vere is dies *Epiphania* vocabatur. Id quidem jam ab aliis animadversum fuit. At vero conjiciebam, ab eodem *Epiphaniae* significatu manasse, ut nonnulli eam vocem de Christi παρουσίᾳ i. e. primo in orbem adventu ac *praesentia* interpretati, conjecerint, idcirco hunc diem *Epiphaniae* aut *Theophaniae* nomen invenisse, quod eo die CHRISTVS editus in lucem apparuerit. Hinc Aegyptiorum (apud Clem. Alex.) & aliorum consuetudo, die VI. Januarii Natalem Christi celebrantium, non ex certa traditione ac scientia primitus manasse mihi videtur, sed quod *Epiphaniae* nomen de Servatoris *adventu* interpretati essent: sicuti & Antiochus, teste Norisio, ead. notione *Epiphanes* vocabatur, quasi *Deus praesens*, per assentationem scilicet.

VII PASSIVLIANI ET BASIL.

COmes Juliani est *Basilissa* ejus uxor. De utroque antiquissimum S. Hieronymi Martyrologium (quamvis non hodie, sed heri) his verbis meminit: *In Antiochia passio S. Juliani & Basilissae.* Vbi notat Florentinius, in exemplari Antuerpiensi pro *In Antiochia* scriptum esse *in Antio.* Vel sic tamen *Antiochiam* esse intelligendam, vulgo putant; praesertim quum civitatum nomina in marmoribus passim dimidiata reperiantur. Quaenam autem Antiochia ex sedecim ὁμωνύμοις sit intelligenda, ignoratur. Sed Bollandus Antiochiam Syriae omnium cognominum celeberrimam accipiendam esse, contendit. Id quod Cl. Castellano ad VI. Januarii non probatur: ac merito, nam in Actis (cujuscunque fidei sint) quae circumferuntur, Julianus cum sociis in Aegypti metropoli Antiochia passus dicitur. Non est ergo Antiochia Syriae.

Atqui nec in Aegypto Antiochia ulla fuit. Quocirca videtur locus certaminis fuisse celeberrima urbs *Antinous* in Nomo Antinoite. Idque & ex ANTIO (quod in Hieronymiano Mrologio Antuerpiensi legitur) exsculpi potest; & ex pluribus monumentis apud Bollandum (ad IX. Januar. pag. 571.) eamdem urbem praeferentibus. Atque haec de loco.

At in die festi fane quam immane est dissidium; si quidem Castellani industriae credimus, ad quinque & viginti dies diversos numerantis, quibus in diversis locis festum de hoc Juliano fiat. Ea tanta varietas ex eo orta est, quod in Actis & apud Florum Julianus cum sociis passus dicatur ipso die Epiphaniae. Qui dies quum festo potiore impediretur, ut Juliani festum alibi alias celebraretur, effecit.

Quae varietas a peculiaribus Ecclesiarum Kalendariis exorsa, postremo etiam Mar-

Digitized by Google

Martyrologia & Graecorum liturgicos libros invaſit. Itaque Graeci in Menaeis (apud Bollandum tom. 1. Januar. pag. 572. n. 14.) die VIII. Januarii de his agunt. At eo die in Anthologio & Baſilii Menologio nihil de his reperio: verum in eodem Menologio die 21. Junii agi video de SS. *Juliano & Celſio*, pro *Celſo* qui unus ex Juliani commilitonibus fuit. At apud Latinos maxima Martyrologiorum pars in diem IX. Januarii conveniunt: in his vetus Romanum Roſvveidi, Florus, Ado, Vſuardus, Notkerus, Romanum hodiernum &c. Sed omnium antiquiſſimum Mrologium Hieronymianum in VI. Januarii (qui dies certaminis fuit) Julianum contulit: idque ſecuti ſunt alia plura monumenta apud Bollandum num. 12. Atque haec de Martyrologiis.

At Kalendaria eum diem praeferre decuit, quo die in illa Eccleſia officium fieret. Neapolitani certe, quia ſextus Januarii dies feſto primario impediebatur, Juliani ſollemnia in proximum diſtulerunt. Idque Neapolitani cum aliquib. Eccleſiis commune habuerunt. Romae enim in Eccleſia S. Juliani in Monte Exquilino Carmelitae die VII. Januarii feſtum illius agunt. Eodem die de eo fit in Eccleſia S. Juliani prope Caralim, uti ex Sanctuario Caralitano conſtat. Adhaec & Martyrologia plura ſunt, in quibus Julianus Martyr (etſi ſine Baſiliſſa) huic diei inſcribitur. Itaque in Romano hodierno hoc die mentio fit *S. Juliani Martyris*: ubi teſtatur Baronius ita & in vetere Romano & manu exaratis reperiri. Adde & Bellinum, Maurolycum, Galeſinium. Debere autem in his intelligi non alium, quam Julianum Baſiliſſae maritum, ex noſtris Faſtis hoc die fit manifeſtum.

Venio nunc ad illud PAS. quod heic in marmore legitur. Id quidem, ex dictis in Praefatione, deſignare debet, hos ſanctos hoc ipſo die coronatos fuiſſe. Nam diebus non ſuis *Natalis* nota praefigitur in his Faſtis. Verum tum *Depoſitionis* tum etiam *Paſſionis* nota ita diei exmortuali peculiaris erat, ut etiam ſequenti diei tribueretur, quia ſequenti die inhumari corpora ſolebant: dies autem ſepulcralis pari honore ac nomine ac dies θανάσιμος habebatur. Occurret infra exemplum in S. Pionio, atque interdum alibi.

Ad Juliani commilitones quod attinet, non tantum Baſiliſſa uxor (quae pugnavit quidem, at ſanguinem non fudit) ſed & longe plures alii numerantur de quibus videantur Acta (apud Boll. pag. 575.) Sed in omnibus monumentis Julianus eſt aliorum anteſignanus, quam pone ſequitur uxor Baſiliſſa, non tantum conjugii merito, verum etiam quia virginitatem in connubio ſervavit, ut cetera utriuſque conjugis decora taceam, quae ex Actis cognoſci poſſunt.

Porro Julianus is, cui Neapoli quatuor ſaltem abhinc ſaeculis Eccleſia dicata exſtitit ad caput Clivi (apud Caeſarem de Engenio pag. 642.) ſit ne Baſiliſſae maritus, noſtri ἀρχαιολόγοι viderint. Mihi videtur idem, quippe uti Martyr depingitur.

Sed antiquioris Baſilicae ſaltem temporariae ab Athanaſio II. Epiſc. Neap. dicatae S. Juliano Martyri (utique Baſiliſſae marito) meminit Petrus Subdiaconus Neap. ad finem vitae Athanaſii II. (quae exſtat ad calcem Chronici Epiſcopor. Neap. Jo. Diaconi) his verbis. *Hujus namque* (Athanaſii) *temporibus tanta locuſtarum denſitas . . . in hoc Parthenopenſi territorio exorta eſt, ut &c. Qua peſte omnes accolae nimio terrore perculſi . . . praedictum praeſulem Athanaſium adierunt, ut ſpeciale conſilium eis praeberet, & Dominum exinde ſupplicaret. Quorum precibus ocius & humiliter parens, conſilium ſalutiferum cum eis iniit, ut jejuniis atque eleemoſynis Dominum exorantes, in honorem B. Juliani Martyris uno die Baſilicam* (temporariam opinor, & ex materia) *conſtruerent, & Miſſarum ſollemnia pro tali peſte illic communiter celebrarent: ſicut de tali clade audierat in . . .* Cetera deſunt. Sequebatur autem omnino, in talibus calamitatibus expertam fuiſſe S. Juliani opem.

VIII

Digitized by Google

VIII DEP S SEVERINI

NOn eſt alius, quam ille celeberrimus Noricorum Apoſtolus quinti ſaeculi, qui, ex ejus vita per Eugypium conſcripta, hoc ipſo die quievit, (cui proinde in noſtro Kalendario appoſitę pro more nota *Depoſitionis* praefixa fuit) cujus reliquiae Neapolim translatae fuerunt. Et hic quidem vir beatiſſimus (cujus patria in obſcuro (1) latet) in Norico obiit anno 482. At ejus corpus anno 488. in Italiam in Montem Feretrum (id caſtellum *Μοντεφέρετρον* Procopius vocat, Lituprandus *Montem Feretratum*, hodie *Monte Feltro*) primo a diſcipulis abductum fuit: mox ſub Gelaſio Papa & S. Victore Epiſcopo Neapolitano (non ante annum 492. nec poſt an. 496.) in Lucullani Monaſterium prope Neapolim ab eiſdem diſcipulis tranſvectum; poſtremo anno 910. Neapolim translatum fuit, & in Monaſterio Caſinenſis Congregationis, cui *S. Severini* nomen haeſit, conditum, hodiedum hoc ipſo die colitur. Exſtat ejus vita ab Eugypio (2) Severini diſcipulo, ac Monaſterii Lucullanenſis Abbate conſcripta, apud Bollandum hoc die. Ad cujus finem duplicis prioris Translationis, (in Italiam primum, mox in Lucullanum) fit mentio. In eadem vita num. 53. dies obitus ſic conſignatur. *Sextis itaque Januarii Idibus* (ea eſt dies VIII. Januarii)... *quievit in Domino*. Hujus Severini Norici etiam Paulus Diaconus in I. Hiſt. Langob. 19. honorifice meminit, addens: *Nunc tamen ejus corpus Neapolis retinet*. Vbi *Neapolis* nomine non ſtricte urbem intellige, ſed etiam adjacentia loca, quae Neapolitanae reip. ejuſque Epiſcopo parebant: nam aetate Pauli Varnefridi nondum S. Severini Lipſana ex Lucullano Neapolim tranſierant. Idem eſto judicium de Roſweidano vetere Mrologio, & Floro, Adone, Vſuardo, apud quos hujus diei Severinus Neapoli ponitur; etſi horum ſcriptorum tempore adhuc in Lucullano haerebat.

Fuit autem & alter S. Severinus Septempedae in Piceno (quod nunc oppidum *Sanſeverino* dicitur) Epiſcopus, ac S. Victorini Confeſſoris frater: quorum duorum fratrum exſtant apud Bollandum hoc die Acta ſane quam antiqua.

Verum nihil in Sanctis utilitatius, quam quod ſive unum in duos diſpeſci contigerit, ſive duos in unum commiſceri. Id quod duobus his Severinis accidit, quos ſequior aetas primo in unum confudit. Reperitur ea primum confuſio in antiquo Rom. Martyrologio Roſweidano, in quo ſic legitur: *Neapoli S. Severini Confeſſoris, S. Victorini fratris*. Hujus Mrologii auctoritas impoſuit Floro (3) primum, mox Adoni, & Vſuardo: ſed iidem tamen hunc ex duobus conflatum pro *Confeſſore* (quod illi elogium in Roſweidano tribuitur) *Epiſcopum* fecerunt; nec immerito: nam ſi is, quem Neapoli poſuerunt, S. Victorini frater erat, Epiſcopus eſſe debuerat.

At hos poſtremo ita ſecutus eſt in Hodierno

(1) Vir ſanctus etſi ſuam originem ſtudioſe celabat; *Loquela tamen ipſius* (ait Eugypius in Epiſtola ad Paſchaſium, quae vitae praefigitur) *proſtabatur hominem omnino Latinum*, h. e. ex Italiae finibus. At ſi quid ex Severini monitis ultimis (*num.* 49. ubi agit de transferendis ſuis reliquiis exemplo Joſephi Patriarchae) elici poteſt; fortaſſis is non tantum Italus, ſed & origine Neapolitanus fuerit. Verum hae merae conjecturae ſunt.

(2) Incertum putant, idemne ſit, an diverſus ab illo Eugypio, qui diu poſtea quaeſtiones ac ſententias ex S. Auguſtino decerptas in unū veluti florilegium contulit: id quod diſcutietur die 29. Martii, ubi de *Reduce* Epiſcopo. Ibi eumdem fuiſſe, pluribus confirmabimus.

(3) Floro, inquam, in Bedae additamentis. Ex quo intelligitur, non omnium primum Adonem hoc, quod dixi, ex Roſvveidano arripuiſſe: quod cenſuit Caſtellanus hoc die ad Severinum priore loco recenſitum.

Digitized by Google

dierno Romano Baronius, ut in majores difficultates lectorem conjecerit; qui hoc die sic posuit: *Neapoli in Campania S. Severini Episcopi, fratris B. Victorini Martyris* (imo *Confessoris*, ut in Adone, Vsuardo &c. legitur) ac rursus paucis interjectis. *Eodem die apud Noricos S. Severini Abb. . . ejus corpus ad Lucullanum . . . postea ad Monasterium S. Severini translatum est.* At die VIII. Junii sic rursus Fastis inscripsit: *In Picено S. Severini Episcopi Septempedani.* En ut postquam ex aevi sequioris barbarie ex duobus Severinis unus coaluerat, rursus doctissimi Cardinalis, plura circumspectantis, πολυφωνία factum est, ut is non tantum in duos, sed in tres etiam scinderetur. Nam ex ejusdem adnotatis ad 8. Junii non est dubium, quin illum quem die VIII. Januarii *Neapoli* posuerat (quod Florus, Ado, Vsuardus de loco sepulturae, non de sede intellexerant) pro Episcopo Neapolitano habuerit: quem vero eodem die secundo loco inseruerat, hunc pro illo habuerit, cujus corpus hodie a Casinensibus Neapolitanis colitur: ac postremo die VIII. Junii ab utroque Episcopum Septempedanum diversum fecerit: etsi non diffiteatur, fieri potuisse, ut Septempedanus ac Neapolitanus Episcopus unus idemque fuerit, ob similes de utroque narrationes, & quod utrique Victorinus frater fuisse dicatur.

Jam vero qui post Baronium scripsere, non dubitabant Severinum inter Episcopos Neapolitanos agnoscere (etsi refragante Joanne Diacono, qui nullum Severinum recensuit) eumque tum a Norico Severino, tum a Septempedano diversum. Sed eum errorem dispulit omnium primus Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae. Nec defuere tamen, qui ut quocumque modo *Severinum* aliquem Catalogo nostrorum Episcoporum adscriberent, duo ei nomina fuisse dictitarint, ac *Marontem Severinum* fuisse appellatum: de quo vide dicta ad XV. Junii, ubi de S. Marone.

Ergo qui hoc die veteribus Mrologiis inscribitur, is non Episcopus, sed pater monachorum & Apostolus Noricorum fuit, non ob aliam causam Neapoli positus, quam quia ejus corpus sive Neapoli sive proxime in Lucullano condebatur. Id vero ex Eugypii vita constat, apud quem Severinus Noricus hoc ipso die obiit: cui hi Fasti marmorei adstipulantur, qui hoc die Severinum (hunc vero non *Episcopum*) inscripserunt, & quidem cum *Depositionis* nota.

At dixerit aliquis, etiam Severinum Septempedanum hoc die in caelum emigrasse, (ut ex ejus Actis constat apud Bolland. hoc die pag. 501. num. 10. saltem ex fide MS. Belfortii,) proinde recte hoc die in Martyrologiis antiquis positum *Severinum Episcopum*, *S. Victorini fratrem*, h.e. illum Septempedanum. Verum in editis Septempedani Actis mortuus is scribitur VI. Kal. Majas, idque rectissimum est. Ceterum quid sibi non licere passi sunt librariorum semidocti? Is certe, e cujus manu MS. Belfortianum fuit, quum persuasum haberet, Septempedanum non diversum fuisse a Norico, sive omnino ab illo, qui die VIII. Januarii colebatur; hinc eo audaciae processit, ut in Septempedani vita diem emortualem refingeret, vitiaretque.

VIIII DP S AGNELLI EPI

IN antiquioribus quidem Martyrologiis nullus omnino *S. Agnellus* visitur: at in recentioribus (4) occurrit dumtaxat *S. Agnellus Abbas* sive *Confessor*, qui Nea-

(4) In Rom. Martyrologio die XIV. Decembris: *Neapoli in Campania S. Agnelli Abbatis.* Et in Auctariis Vsuardi (apud Sollerium ad VII. Junii Bollandiani) in *Vatic.* sic notatum reperitur eod. die: *Apud Neapolim S. Agnelli Confessoris.* In Greven. *Neapoli S. Agnelli Abbatis.* In Molano eisdem verbis.

Digitized by Google

Neapoli VI. exeunte ſaeculo obiit. Atqui iſte Agnellus nihil ad hunc locum pertinet, quippe Confeſſor tantum aut Abbas; quum contra qui notatur in his Faſtis, ſit Epiſcopus: adhaec ille die XIV. Decemb. (quo in Actis obiiſſe dicitur) colitur; hujus autem *depoſitio* die IX. Januarii celebrabatur, teſte hoc Kalendario.

Etſi autem inter Agnellos Epiſcopos notus ſit ille Ravennas Agnellus, Chronici Epiſcoporum Ravennatium auctor, ac fort. alii quoque fuerint Agnelli Epiſcopi; at nullus prorſus eorum inter ſanctos numeratur; nec veriſimile eſt, etiam ſicubi quis ejus nominis cultum obtinuerit, de eo in faſtos referendo Neapolitanos futuros fuiſſe admodum ſollicitos.

At Neapoli poſt centum ferme ab Agnello Abbate annos alter Agnellus Epiſcopus illuſtris ſedit: qui certe hujus loci Agnellus eſt, Niſi quod duo obſtare videntur. Primum, quod in marmore deeſt NOSTRI, alias ferme uſurpatum, ubi de noſtris pontificibus agitur. Verum iſtud idem NOSTRI deeſt in *Victore* die 8. Febr., in *Paulo* die 7. ejuſdem, in *Reduce* die 28. Martii, in *Ephebo* 23. Maii, in *Aſpren* 3. Auguſti, in *Agrippino* 9. Novembr., in *Calvo* 18. ejuſdem (qui certo noſtri fuere) ut alios taceam.

Alterum ex iis, quae obſtare videntur, illud eſt, quod nuſquam hunc Agnellum Neap. Epiſcopum inter Sanctos fuiſſe relatum, proditur. Atqui id eo fit, quia vetuſtioribus Eccleſiae noſtrae monumentis caremus. Atqui Jo: Diaconus in Chronico Epiſcoporum, etſi nulli antiſtitum *Sancti* praenomen tribuat, at ea tamen de hoc Agnello narrat, quae eum ſatis pietate commendabilem reddunt. En ejus verba. *Agnellus Epiſcopus ſedit annos XXI. dies XV. Hic fecit Baſilicam intus Civitatem Neapolim ad nomen S. Januarii Mart.* (quae hodiedum dicitur *S. Gennaro all' Olmo*) *in cujus honorem nominis Diaconiam inſtituit, & Fratrum Chriſti cellulas collocavit, delegans ab Epiſcopio alimonia CCX. tritici modiorum cum ducentas vini hornas perennis temporibus per uniuſcujuſque ſucceſſionem annualiter largiri. Sed & pro labandis curis bis in anno Nativitatis & Reſurrectionis Domini* (per) *anni circulum exſequendum ſaponem dari ſancivit. Sic itaque uſque hodie, Domino annuente, perficitur. Atque mille ſiliquas* (cave fructum arboris cum Ant. Caracciolo intelligas, quum ſit monetae aureae genus, unde & *ſiliquaticum*, tributi genus; de quibus vide Cangium) *in Nativitate Domini, milleque in ipſius Reſurrectione tribuitur.* Ex quo loco facile intelligas, poſſe Agnellum cum ſanctiſſimis quibuſque Neapolitanis paſtoribus comparari. In illo *pro lavandis curis*, non aliud *curas* intelligo, quam Diaconiae illius curatores: ſic *cura palatii* eſt palatii curator ſive *Curopalates*: in eumdem modum *Cura* idem ac Curio ſive Parochus, & *cura domus*, *cura monaſterii* eâdem notione uſurpabantur. Hinc vides ſeptimo ſaeculo exeunte (imo & aetate hujus chronographi, teſtantis *uſque hodie* id obſervatum) balnearum uſum perduraſſe, & in eis ſaponem uſurpatum fuiſſe ad munditiem.

Hic idem an. 580. Synodo Rom. ſub Agathone Papa ſubſcripſit in hunc modum: *Agnellus humilis Epiſcopus Sanctae Neapolitanae Eccleſiae provinciae Campaniae.* Is anno 694. obiiſſe creditur: & quidem ineunte anno, hoc ipſo die, quantum ex hoc marmore arguitur, in quo *depoſitio* huic diei affigitur.

Antequam vero hinc abeo; erit fort. qui miretur, quî factum ſit, cur S. Agnellus Abb. nec die XIV. Decembr. nec alibi in toto hoc Kalendario compareat. Atqui ita ſe res habet: is nondum Neapoli officio publico ac generali totius urbis coli coeperat nono ſaeculo, quando hoc marmor inciſum fuit: etſi credibile eſt, eumdem apud ſuos interim monachos (Baſilianos monachos Neapolitanos intelligo, ex quorum numero videtur Agnellus fuiſſe, ex vera Ant. Caraccioli ſententia) cultu peculiari ac domeſtico minime caruiſſe. Quae quum ita ſint; caſtigandum mihi videtur in Capacii hiſtoria

Digitized by Google

storia (ubi narrat victoriam de Saracenis ope S. Agnelli relatam an. 788.) illud, *Anello in patrocinium suscepto*, quasi vero jam tum S. Agnellus inter Neapolitanae urbis tutelares publice adscitus fuerit (a quo ne Ant. quidem Caracciolus abhorret) *id*, inquam, cum nostro marmoreo *Kalendario* stare non potest, in quo nihil prorsus occurrit de Agnello confessore. Quamquam, ut quod res est, eloquar, illud *In patrocinium suscepto* non historica fide ab illustri scriptore positum fuit, sed ex verisimili, aut ex populari opinione: aut vero Capacii verba mollius intelligenda sunt de privata nostrorum popularium pietate, non de publica eorumdem clientela decreto publico stabilita, quae quidem sine publico totius Neapolitanae Ecclesiae Officio stare minime potuisset. Verum quid moror? S. Agnelli patrocinium, rite ac publice firmatum, non videtur antiquius saeculo XV. ineunte: id quod ex Actis Visitationis Ecclesiae S. Agnelli an. 1418. & ex Chronico Rogerii Pappansonii per idem tempus conscripto (apud Ant. Caracciolum pag. 329.) percipi potest. Haec quidem epocha patrocinii videtur. At cultus multo est antiquior: nam in quatuor manu exaratis Kalendariis apud Mich. Monachum, (quem vide in Sanctuario Capuano pag. 565. die 14. Decembris) agitur de *S. Agnello Confess.* sive *Abb.* Porro autem si Capuae ante quingentos circiter annos S. Agnellus etiam Ecclesiae Cathedralis Kalendario inserebatur; an non illum oportet antea Neapoli publicos honores adeptum? Nec dubium est, quin in manu scriptis nostrae Ecclesiae Kalendariis (quaecumque post naufragium tabulae restant adhuc) passim die XIV. Decembris *S. Agnelli Confess.* festum consignatum reperiatur.

Nisi quod in manu exarato Ecclesiae Panormitanae Kalendario (apud Canonicum *De Joanne* in *De Divinis saeculorum officiis* pag. 397.) die XIV. Decemb. (quo die nos de Agnello Abb. agimus) scriptum reperiatur: *Festum S. Agnelli Episcopi & Confessoris Neapolitani*: quod quam in partem sit accipiendum, alii (5) viderint.

X S JOHANNIS CHRIM

QVo pertineat hoc festum, videbimus infra ad XXVII. Januarii.

(5) Non defuit, qui ex eo eliceret *Agnellum Abbatem* diversum ab Episcopo non fuisse. Vnus fortassis idemque fuerit; isque Episcopus Neapolitanus, simulque Monasterii alicujus Abbas. Vide Cangii Glossarium in *Abbates Episcopi* & in *Episcopus Abbas*, ubi quaedam exempla utriusque simul cumulatae dignitatis profert. Sed nox duae illae distinctae dignitates fraudi fuere apud posteros, exinde suspicatos, Episcopum ab Abbate diversum fuisse, ac duplicem exinde Agnellum commentos.

Verum exempla utriusque illius dignitatis simul junctae non altius assurgunt IX. saeculo, & certa habuere peculiares: de quo vide eumdem Cangium. Ceterum Panormitanum Kalendarium non adeo adnodum antiquum reor, quantum suspicari licet ex illa inscriptione, *Episcopi & Confessoris*: nam antiquitus satis erat dixisse *Episcopi*: nec periculum erat, ne *Martyr* quis crederetur, nisi diserte id dictum fuisset: nec postremo *Confessor* ea notione accipiebatur, qua nunc sumitur. Deinde cujuscumque antiquitatis Panormitanum Kalendarium fuerit: ejus auctor legerat, credo, S. Agnelli Abb. Officium vetus a Neapolitanis usurpatum (quod Matthaeus de Afflictis nobilis J. C. simul cum aliis Officiis Neapolitanis ediderit: ut alibi dicam) quo in Officio rogatur Agnellus is, qui die 14. Decembr. colitur, ut *gregem* suum defendat; & plura dicuntur in eamdem sententiam, quae dignitatem Episcopalem arguere videantur. Hinc fortassis illum *Episcopum* & *Confessorem* in Kalendario inscripsit.

Ceterum dierum festorum diversitas (ut cetera nunc taceam) satis Agnellos diversos duos adstruit: Episcopum unum, cujus *Depositio* ex Fastis marmoreis incidit in IX. Januar; Abbatem alterum; de quo festum fiebat olim, hodieque fit die XIV. Decembris. Nec plura heic addam ad elevandam fidem Panormitani monumenti, nec satis antiqui, & scripti extra Neapolitanorum pomoeria.

Digitized by Google

XI N S THEODOSII MONACHI

NOn alius videbatur esse, quam ille clarissimus Theodosius, διακριτικῷ cognomento in Graecorum officiis dictus κοινοβιάρχης *coenobiarcha*; qui ortu Cappadox, in Palaestina multorum pater monachorum exstitit, S. Sabae familiaritate nobilis, qui quum centum & quinque annos aetatis explesset, anno (ex Bollandi rationibus) 529. obiit; & quidem hoc(6) eod.die,quo is colitur in Canisii & in Basilii Menologio, itemq.in Menaeis,in Horologio, in Anthologio,Maximo Cytheraeo,Graeco Genebrardi Kalendario, atq. in Moscor. effigiato Kalendario apud Boll. tom. I. Maii: itemque in Martyrologio Rom., & Molani auctario Vsuardino. At Galesinius, secutus Graecorum Euchologium, pridie hunc retulit. Ejus vita satis copiosa & castigata, sub Metaphrastae nomine ambulans, sed quae auctori aequali est tribuenda, exstat apud Bollandum hoc die pag. 685.

At huic notiori & clariori Theodosio subjicitur in Menaeis (non item in aliis Graecorum officiis) hoc eodem die (pro more scilicet (7) hagiographorum) alter paulio antiquior Theodosius, dictus διακριτικὸς *Antiochenus*; cujus vitam Theodoretus adumbravit in Philotheo, & plura miracula Jo: Moschus in Prato spirituali: Et is quoque Theodosius instituto Monachus fuit.

Nunc uter duorum hoc die in Fastis hisce marmoreis colendus proponatur, age videamus. Videbatur, ut initio dicebam, prior intelligendus esse, utpote celebrior. At si illum Fasti nostri hoc die proponerent, non tacuissent agnomentum COENOBIARCHAE, quo ab altero distingueretur. Deinde non notam *Natali* (quae nota diem non suum designat) sed *Depositionis* praeposuissent. Nam quantum est Ecclesiasticorum Graeciae librorum, Coenobiarcham illum die XI. Jan. vitam cum morte commutasse, videtur ostendere: id quod & conceptis verbis Graecorum metricae Ephemerides docent hoc hexametro:

Ἑνδεκάτῃ ὁλοὸν βίοτον λίπε Κοινοβιάρχης

Vndecimâ vitam finivit Coenobiarcha.

Relinquitur ergo, ut alter Theodosius (& is quoque professione MONACHVS sed non κοινοβιάρχης) heic intelligendus videatur: qui quia die non suo colebatur, idcirco ei *Natalis* nota adpicta fuit. Nam causas quaero, cur hic potius, quam in nobilior, a nostris celebraretur; quae multae incidere potuerint, atq.in primis hujus Sancti reliquiae Neapoli requieverint,aut Ecclesia in ejus honorem dedica

XII N S MARCINIANIE ET THEODORE

IN his fastis sic ferme fit, ut quoties aliquis Sanctus agmen post se ducit, is solus consignetur; ceteri tacite intelligantur; at vero ubi duo ponuntur, tunc ferme nihil ii inter se commune habea Ergo rarae sunt in hoc marmore Sanc rum affinium ζυγορίαι seu bigae, qu illa SS. Cosmae & Damiani die X VIII

(6) Dies obitus in vita quidem reticetur; sed ex consensu Graecorum, apud quos omnes hoc die colitur, non inepte colligitur. Imo Ephemerides Graecorum metricae (a Papebrochio tom. 1. Maii editae) diserte tradunt, eum hoc die obiisse. At nostrum marmor hanc passim vulgatam opinionem non juvat, in quo *Natale* (h. e. quaevis festivitas) non *Depositio* hoc die notatur; si quidem Theodosius nostri marmoris est ille dictus Coenobiarcha: de mox dicetur.

(7) Solent tum Graeci in suis Cursi tùm etiam Latinorum martyrologia, qu Sancti alicujus dies emortualis ignoratur, conjicere in eum diem, in quem alicujus νόμιμα (*cognominis*) clarioris festum inc Exemplis supersedeo, quae sunt innume

Digitized by Google

VIIIbris, SS. Chriſanthi & Dariae die XXV. ejuſdem menſis &c. Itaque non eſt exſpectandum, ut hoc die Theodora cum priore aliquid commune habeat; quum ſint μονάδικαι ac ſui juris ambae.

Ac primum noſtra haec MARCINIANIA non poteſt non eadem eſſe ac illa *Martiana*, quiae hoc eodem die reperitur *in quodam* Vſuardi compendio, cui nomen (8) *Matricula Cartuſiae Vltrajectinae:* in quo hoc die legitur, *Martianae virginis & martyris*: vide Auctaria Vſuardi Solleriani hoc die. Nec te turbet diſcrimen nonnullam nominum. Nam in hoc nomine, ut & in ceteris ex gente Marcia derivatis, paſſim in MSS. C & T alternant, etſi rectius C *uſurpetur*. Deinde ad numerum ſyllabarum quod attinet; ex *Marciana* ſeu *Martiana*, eadem alicubi (uti mox dicam) aucto nomine evaſit *Martiniana*: at eadem porro in noſtro marmore ex errore ſcalptoris evaſit una ſyllabâ longior, nim. MARCINIANIE pro *Marcinianae*. Verum miſſis his tricis, non eſt dubium, quin noſtra *Marciniania* eadem ſit ac quae eodem die in laudato Auctario Vſuardi dicitur *Martiana virgo & martyr*. Et *Martianas* quidem ſive *Marcianas* tantum martyres reperies haud paucas in Martyrologiis: at unam tantum reperire mihi licuit, quae *Virgo* ſimul & *martyr* eſſet, quae duo ſimul in hujus diei Sancta Auctarium Vſuardi conjungit. Ea vero eſt illa celeberrima *Marciana* (quae quidem in Vſuardo edito Pariſiis an. 1536. proxime ad noſtri marmoris ſcripturam augetur unâ ſyllaba, ac dicitur *Martiniana*, teſte Bollando ad IX. Januar. p. 568. n. 4.) *virgo & martyr* Caeſareae in Mauritania: cujus Acta (9) ſatis bona, antea evulgata a Mombritio, edidit ibid. Bollandus ex MS. Ducheſnii. Atque ea demum eſt, me judice, prior hujus diei Sancta. Hujus autem dies paſſionis, quantum video, haud certo tenetur. Nam quamvis in multis Martyrologiis die IX. Januar. de ea agatur: at in hoc marmore, & in laudata *Matricula Cartuſiae Vltraject.* ponitur die XII. ejuſdem menſis: ac poſtremo die XI. Julii de eadem agitur in duobus vetuſtiſſimis MSS. codicibus Vſuardi apud Bollandum ibid. num. 6. itemque in Martyrologio S. Hieronymi Florentiniano, & in antiquiſſimis ejuſdem MSS. etſi pro *Marcianae* per errorem ibi legatur *Marciani* aut *Martiani*. Eam equidem dierum differentiam ex Actorum variantibus lectionibus ortam duco. Nam in laudatis Actis num. 5. paſſa dicitur, in editione quidem Bollandi, *V. Idus Januarii*, quae eſt nona dies: at in editione Mombritii, *Idibus Januarii*, h. e. XIII. die, poſtridie ſcil. ejus diei, quo in noſtro marmore (10) colitur. Poſtremo in MS. Ducheſnii ſic ſcriptum eſt: *V. Idus Julias*, h. e. XI. die Julii, ut in Martyrologio S. Hieronymi, & Vſuardo manu exarato reperitur. Atque haec de beatiſſima Marciana.

Venio ad Theodoram: quae nihil cum Marciana aliud commune habet; niſi quod (praeter martyrii palmam utrique communem) utriuſque virginitas divinitus ſervata narratur. Etſi autem plures ſunt hujus nominis martyres; haec tamen, quae hodie in marmore ſignatur, non eſſe alia poteſt, quam Theodora Alexandrina cum Didymo coronata: de qua Rom. Martyrologium, Beda vulgatus,

(8) De eo monumento vide Sollerium to. VI. Junii in Praefat. ad Vſuardum num. 244.

(9) Proba, aut ſaltem non inficiandae antiquitatis S. Marcianae hujus Acta exiſtimo, etſi Romano praeterita. Nec illud obeſt, quod prope finem legitur, *Manet uſque hodie* &c. nam & in Evangelio & in Actis Apoſt. illud *uſque in hodiernum diem* nihil de ſcriptorum antiquitate decerpit. Deinde etſi ſcriptor plane aequalis non fuerit, at ſuppar certe fuit, & ſine controverſia antiquiſſimus. Qui tritas horum monumentorum ſtylo aures habent, ſat ſcio, non ſecus, ac dixi, judicabunt.

(10) Nimirum quia quicunque S. Marcianum cum Neapolitanis die XII. Januarii coluerunt, ii videntur in Actis legiſſe, *prid. Id. Januar.* Aut ſi *Idibus* legerunt; quia hic dies S. Potiti feſto impediebatur, ideo occupaverunt eum pridie colere. Atque ob eam cauſam non *Paſſionis*, ſed *Natalis* γενεσιάρχου vocabulo hoc die Falti Neapolitani utuntur.

Digitized by Google

Vſuardus &c. ſed alio die. Cur, inquis, eadem atque Alexandrina? quia de hac Theodora hoc die in Menaeis agitur, teſte Bollando ad XII. Januar. pag. 719. in praetermiſſis. Nam ceteroqui eamdem cum Didymo Latini in laudatis Martyrologiis diei 28. Aprilis inſeruerunt.

XIII N S POTITI

MEminit quidem Martyrologium S. Hieronymi a Florentinio editum cujuſdam Potiti; ſed is quia Aquileiae ponitur, & quidem cum *Cantiano*, *Clemente*, *Cantiana*; omnino diverſus a noſtro eſt: de quo Martyrologium Rom. (credo, ex Baronii additamento) hoc die ſic habet: *In Sardinia S. Potiti mart. qui ſub Antonino imp. & Gelaſio* (11) *praeſide multa paſſus, demum gladio martyrium conſeruatus eſt*. De eo nihil Beda genuinus, nihil Vſuardus, nihil ceteri Tranſalpini Martyrologi, praeter Florum, qui hujus Martyris elogium die III. Januarij Bedae adtexuit: quo eodem die reperitur etiam in Tornacenſi S. Martini Mrologio apud Caſtellanum. Et porro in Sollerianis Vſuardi Auctariis pluries reperitur, nim. hoc ipſo die, deinde & I. & XXII. Jan. & XX. Auguſti, & VI. Septemb. Adhaec in Sardinia & Piſis colitur die XIII. Novemb. (quam Baronius Translationem putat) Neapoli in S. Potiti virginum coenobio die XXX. Januar. Ferrarius die VIII. Aprilis cum generali Sanctor. catalogo inſeruit. In Kalendario virginum S. Joannis Capuae (apud Mich. Monachum in Sanctuar. Capuano) die XII. Jan. ponitur. Tanta haec dierum diverſitas cauſas, opinor, haſce habet. 1. Variantes Actorum lectiones circa martyrii diem; nam in Actis M. Velſeri (apud Boll. p. 757. num. 23.) legitur *Kalendas Januarias*; at in MS. S. Max. pro eo legitur, *XI. Kal. Febr.* quae eſt dies XXII Januar. ac poſtremo in vita, quam ex MS. Monaſterii Neapolitani S. Potiti edidit Bollandus, pag. 764. dicuntur, *ejus exuvias Chriſticolae* collegiſſe & ſepeliſſe *ſub die Iduum Januariarum* i. e. hoc ipſo die. 2. Altera cauſa ſunt plures translationes. 3. Vltima cauſa ea afferri poteſt quod quaedam Eccleſiae, proprio die impedito, feſtivitatem in ſuis Kalendariis alteri cuilibet diei affixerunt. Vt ecc Neapoli hodie (poſt nuper conceſſum Potiti officium toti Clero) quia die XII Jan. (quae dies impeditur octava Epiphaniae) fieri non poteſt, affigitur id feſtur diei ſequenti. Porro quid S. Potitus cur Neapoli commune habeat; ediſſeru Ant. Caracciolus in Eccleſ. Neap. Mo numentis cap. 12. Ex actis enim aliiſqu MSS. monumentis conſtare ait, eum Neapoli aliquandiu Chriſti fidem diſſ minaſſe, ejuſq. brachium aſſervari hod in Parthenone S. Potiti.

XIIII N S FELICI NOLANI

FElix Nolanus hoc ad cumulum ſuae beatitatis habuit, quod S. Paulinum plenis buccis fuit laudatorem habuit; cujus praeter edita pridem praeclara de hoc Felice poemata, habemus nuper alia tria MSS. per Cl. Muratorium eruta. Ejus r geſtas, praeter antiquos ſcriptores a Bo lando hoc die ſimul editos, hoc & ſup

riore

(11) De Gelaſio praeſide mentio in Actis Velſerianis millies cap. 3. At idem in vita ex MS. Monaſt. Neapolitani nuſquam comparet. Sane Antoninorum aetate difficile fuiſſet praeſidem invenire, cognomine non Romano, ſed Graecanico (quod indicium eſſet libertini generis) praeditum. Quamquam nec Velſeris Acta, nec vitam illam longiorem ex MS. Neapolitano eruta (utraque affert Bollandus h die) magni eſſe facienda, quivis mediocris rum aeſtimator, facile intelliget.

Digitized by Google

riore ſaeculo doctiſſimi plures Galli illuſtrarunt : quorum vigiliis fruſtra eſt ut quidquam addi poſſit . Hoc tantum heic notavero , fortaſſis videri illud NOLANI ſupervacanee additum . Quotus enim quiſq. Felicem hunc eſſe Nolanum ignoraret ? *cujus* fama etiam Africam pervaſerat , *ut* ex S. Auguſtini pluribus locis, & ex Carthaginenſi Mabillonii Kalendario oſtenditur . Verum non fruſtra addita eſt patria (ſicuti nec fruſtra eadem additur in laudato antiquiſſ. Mabilloniano Kalendario , in quo ſcriptum fuit hoc die : *XVIII. Kal. Feb. Sancti Felicis Nolenſis* .) quia diſtinguendus hic fuit a Rom. Martyre Felice ſepulto *in Pincis* ; de quo hoc eod. die in pluribus veteribus (12) monumentis agitur . Eodem pertinet & illa diſtinctionis nota , quod olim , ubi de Nolano agebatur , is *Confeſſor* vocabatur , quippe qui , etſi aliquando tormenta pro Chriſto paſſus , poſtea tamen incruento fine quieverit : Sic in Gelaſiano Thomaſii ſacramentario pag. 142. ſcribitur : *In natale S. Felicis Confeſſoris XVIII. Kal. Febr.* Nec aliter quam *Confeſſor* in Kalendariis Frontonis & Allatii itemq. a Beda & Vſuardo vocatur : quo diſcrimine adhibito Nolanus deſignatur . At poſtea , ex eo quia tam Romanus quam Nolanus colebantur (13) eodem die, ex utroque unus conflatus fuit . Acceſſit & illud quod jam inde a Gregorii Magni aevo in S. Felicis Baſilica (quae *in* (14) *Pincis* erat , quaeque Felicis Mart. Romani condebat reliquias) tamen officium de Nolano Felice, utpote celebriore , fiebat . Ita paullatim aevo ſequiore *Martyris* titulus a Romano in Nolanum transfuſus fuit : imo , quod magis mirere , creditum vulgo fuit , illud *In Pincis* (15) ad aliquem Nolae locum pertinere , qui revera Vrbis Romae locus erat . Vides quam non temere in hoc marmore additum fuerit NOLANI .

XV

(12) *In Martyrologio MS.* (ait Mich. Monachus in Sanctuar. Cap. pag. 440.) *Felix in Pincis dicitur non qui Nolae , ſed qui Romae colitur* . In Kalendario ſecundo apud eumdem pag. 405. hoc die : *S. Felicis presbyteri & Felicis M.* quorum prior erit Nolanus , alter Romanus . Item apud eumdem in Kalendario quarto : *SS. M. Felicis in Pincis presbyteri & M. & Felicis Nolani Epiſcopi & Conf.* Erratum eſt in poſterioris Epiſcopatu ob eam cauſam , quod & Felix quidam Epiſcopus Nolanus fuit . Sed tamen Felix Nolanus hujus diei eſt ille a Paulino celebratus . At in Kalendario Breviarii Capuani apud eumdem Monachum pag. 449. tres eo die Felices coluntur , qui tres etſi non rite in lectionibus Breviarii Capuani diſtinguantur , at revera unus erit Martyr Romanus , alter Confeſſor Nolanus notiſſimus , tertius Epiſcopus Nolanus .

(13) Ex Kalendariis quidem (in Adon. 10.) ex Mich. Monacho recitatis apparet , eodem die XIV. Jan. utrumque Felicem fuiſſe cultum . Sed tamen Romae aliter olim fiebat ; quia in Sacramentario Gelaſiano Nolanus Felicis natale conſignatur *XVIII. Kal. Febr.* i. e. die XV. Januarii , fortaſſis quia pridie ejus diei de Felice Romano fiebat officium . Ac ne forte putes codicem Gelaſianum nota numerica *μονάδος* fuiſſe mancum : etiam in Carthaginenſi Mabillonii Kalendario paris antiquitatis notatur ſic , *XVIII. Kal. Febr.* , uti modo monuimus .

(14) Conſtat ex Homilia XIII. in Evang. quam S. Gregorius in Natali S. Felicis habuit in Baſilica , quae in Pincis erat .

(15) Fuiſſe revera Romae Baſilicam *S. Felicis in Pincis* , ſive *Pincis* conſtat ex Anaſtaſio Bibliothecario in Adriano I. Et ex ſupra laudato Martyrologio MS. Apud Mich. Monachum . Et tamen poſtquam ex utroque Felice unus coaluit ; paſſim in Martyrologiis (ut in eo , quod ſub Bedae nomine ambulat, itemque Notkeri , Adonis &c.) ſcribitur , Nolanum Felicem Noſae *in Pincis* fuiſſe ſepultum . At id ignotum S. Paulino fuit ; ignotum Marcello Nolano preſbytero , cujus exſtant apud Bollandum vetera S. Felicis Acta ; ignotum Ambroſio elegantiſ rerum Nolanarum ſcriptori. Eoque demum deventum fuit , ut non erubuerit Jac. de Voragine illud *In pincis* interpretari *in ſubulis* , quaſi hoc is martyr inſtrumento confixus occubuerit : quod & alii deinde ſecuti ſunt : vide Cangii Gloſſarium in *Pinca* .

Digitized by Google

XV N S ELPIDII EPI

EST Elpidius Episcopus Atellarum in Campania sub Arcadio Imp. de quo Martyrologia die XXIV Maii; quo die Papebrochius de eo agit una cum *Cyone* presbytero ejus germano fratre, & *Elpicio* Levita ac nepote; quorum corpora Salerni requiescunt: ex cujus Breviario Papebrochius Acta quae potuit affert. Quem vide pag. 282.

Cur autem in his Fastis is hoc die in scribatur, non aliam afferri posse causar arbitror, quam reliquias aliquas eo di translatas Neapolim fuisse. Eoque *Natalis* (quod de die non suo in hoc ma more usurpatur) non autem *Depositio* nota heic scalpitur.

XVI NT S GALATIANI

HIc neque in libris Ecclesiasticis Graecor. nec in ullo Martyrologio comparet. Nomina Sanctorum, quae proxime ad Galatianum accedunt, haec sunt. In Menologio die V. Novembr. occurrit Emesae in Phoenice *S. Galaction* M. cum uxore *Episteme*. Est & *Galaction* quidam (idem ne ac superior, an diversus, ignoro) martyr in MSS. Synaxariis apud Henschenium die XXII. Junii pag. 145. Ab hujus autem martyris nomine, maxime in obliquis casibus, detorqueri GALATIANVS utcumq. potuisset. Adhaec apud Vsuardum die XXV. Julii *Gallicanus M.* occurrit: in cujus Auctariis Sollerianis die V. Novembr. *Gallicanus* Episc. legitur: & in eisdem die XIV. Junii *Gallianus* M. Sed & apud Bollandum die XXVII. Febr. (pag. 676.) *Galanus* Mart. Thessalonicensis. Postremo in Hieronymiano Florentinii Mrologio die XXII. Febr. legitur: *In Nicomedia ... Galaci* pro *Galatii*; nam antiquitus in saxis & libris patrius casus in unum I exit, & pro T ante I eleganter usurpatur. Ita que merito in Antuerpiensi ejusdem Mro logii exemplari scriptum est *Galatii*. E recensitis autem omnibus GALATIV Hieronymiani Martyrologii, quem N comediensem martyrem facit, proxim ad nostrum *Galatianum* accedit. Nam nc mina propia derivativa cum suis primit vis permutabantur: itaque qui *Galatius* idem & *Galatianus* vocabatur, ut Augu stus modo *Octavius* modo *Octavianus* au dit; & *Antonius* idem & *Antoninus* dic tur: de quo toto negotio vide ad sequen tem diem. Ad summam *Galatianus* h diernus nisi est *Galatius* Hieronymianus non aliud relinquitur, nisi ut sit novu Sanctus huc usque ignotus.

XVII NT S ANTONINI MON

IN omnibus Graecorum Orientalium, & Latinorum Ecclesiasticis libris hoc die festum agitur S. Antonii Magni multorum Monachorum patris. Nec *Antoninus* nostri marmorei Kalendarii alius magno Antonio est. *Antonii* & *Antoni* (16) vocabula olim alternabant: sicu etiam *Constantini* & *Constantis* atque Co *stan-*

(16) Id animadvertere licet in Gordianis Caesaribus, qui quum *Antonii* proprie vocarentur, tamen *Antonini* dici gestiebant: idque eadem mente, qua superiores principes *Antonini* nomen affectabant: quod nomen jam inde a Pio Caesare gratissimum vulgo erat. Capitolinus in Gordianis Cap. IV. *Tantum autem Antoninos dilexit* (Gordianus I.) *ut sibi qu que, ut multi dicunt, ANTONINI, ut p rique autem asserunt, Antonii nomen adj pserit. Jam illud satis constat, quod filium G dianum nomine ANTONINI, & signo A straverit, quum apud praefectum aerarii, un Romano professus filium, publicis actis ejus nem*

Digitized by Google

ſtantii; itemque *Maximi*, *Maximini*, & *Maximiani*; ut & *Juſtini* ac *Juſtiniani* nomina permutata inter ſe paſſim occurrunt in ſequioris aevi monumentis: quae nominum derivativorum maxime ὑποκοριστικῶν (*diminutivorum*) cum ſuis primitivis permutatio atque confuſio miras hiſtoriae tenebras offudit. Taceo exempla ſimilia. *Sed* recens illud, huic loco proprium, non pigebit huc afferre, quod ille Florentinorum Archiepiſcopus, qui nunc paſſim ab omnibus *S. Antoninus* audit, olim revera *Antonius* vocabatur; uti teſtatur vita a Franc. Caſtilionenſi, itemque altera a Leonardo de Ser-Vbertis (utroque aequali ſcriptore) compoſita, & alia monumenta apud Bollandiſtas die 2. Maii. *Hodie*dum apud nos vulgo *Antonii*, *Antonelli*, *Antoniuccii*, *Joſephi*, *Jeſeppini*, *Franciſci*, *Franceſchini* &c. appellationes promiſcue uſurpantur. Niſi quod olim, qui abblandiri ſatagebant, diminutivis libentius utebantur: unde & diminutiva Graecis a *blandiendo* dicta ſunt ὑποκοριστικά.

Ne mireris autem, non alio heic *Antonium* quam *Monachi* elogio donari: nam ita in antiquiſſimis Martyrologiis ſcribitur. In Florentinii Martyrologio hac die *In Aegypto Thebaida, depoſitio S. Antonii Monachi*. Sic etiam in Beda genuino: *In Aegypto depoſitio Antonii Monachi*. Sic in aliis. Serius omnino *Abbatis* agnomen illi additum fuit. At in Menologio Baſilii eodem die Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου τοῦ μεγάλου. *Commemoratio S. Patris noſtri Antonii magni*. In Anthologio eſt uno verbo amplius, ὁ θεοφόρος & *Deiferi*.

XVIII NT S ATHANASII EPI

IN Baſilii Menologio hoc die primo loco ponitur Μνήμη τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν Ἀθανασίου καὶ Κυρίλλου *Commemoratio Sanctor. Patrum noſtror. Athanaſii & Cyrilli*: ſicuti & in Anthologio eod. die duo Epiſcopi Alexandrini junguntur. Etiam in Moſcor. effigiato Kalendario apud *Boll.* tom. 1. Maii eadem Sanctor. biga hoc die proponitur. Ob eam cauſam videtur noſtri Kalendarii Athanaſius non alius ab Alexandrino eſſe; cujus Graeci hoc die una cum Cyrillo memoriam colunt: at iidem die 11. Maii Κοίμησιν i. e. *dormitionem* ejuſdem celebrant. Sed in noſtro marmore utrique diei *Natalis* nota praefigitur, quippe die non ſuo.

At fuit, quum ſuſpicarer, hujus diei Athanaſium fuiſſe illum celebratiſſimum Neapolitanum ſaeculi noni Antiſtitem; quem quinquennio poſt obitum (quando e Caſinenſi Monaſterio Neapolim translatus fuit) jam cultum obtinuiſſe reperio. Nam ſi qui hoc die in marmore ſignatur, ſit Alexandrinus, cur non cum Cyrillo jungitur, quod Graeci faciunt? Cur non MEMORIA praenotatur (quae vox non eſt huic monumento inuſitata) h.e. Μνήμη, quam vocem Graeci hoc die praeſcribunt? Cur non PATRI (ut in his Faſtis de eodem Alexandrino Athanaſio die 11. Maii) i. e. *Patriarchae* dignitas, ſed ſimpliciter EPIſcopi ei tribuitur? Ceterum fieri potuit, ut quum locus Neapolitano Athanaſio in hiſce Faſtis quaerendus eſſet; eum diem ſelegerint, quo Graeci cognominem Sanctum colerent. Eſt enim hoc perpetuum in Mrologiis, ut Sancti cognomines uno eodemq. die coacervati millies reperiantur.

Sed

ra inſereret. Vide & Lampridium Heliogabalo cap. 34. ubi falſus, Gordianos priores duos de Saſſe id nomen, tamen inquit, *pleriſque in libris ... Antonii dicti ſunt, non Antonini*. Quae verba truncata apud Fabrettum (in *Inſcript.* pag. 681.) reperies, eoque contrarium [illegible]. Porro autem & Gordianum III. ſaepius quidem *Antonium*, ſed non raro *Antoninum* appellatum reperio. Poſteriorem appellationem uſurpatam reperies apud Gruterum XXIX. 14. LVII. 5. & ter apud Reineſium Claſſe III. a num. 37. & apud Fabrettum pag. 681. num. 63. Nam prioris uſurpationis exempla ſunt longe plura.

Digitized by Google

Sed omnino verius est non alium heic intelligi, quam Alexandriuum. Nam quod de Cyrillo heic verbum nullum, id eo fit, quod pro more Kalendarii hujus, quoties plures Sancti uno communi festo coluntur, primus tantum scribitur, ceteri vero subaudiendi veniunt: quod passim infra observabitur. Nec illud magni refert, quod is *Episcopus* non *Patriarcha* inscribatur: nam utroque modo in hoc monumento CPolitani Antistites agnominati reperiuntur. Adhaec Sanctos cognomines in unum locum coactos, illos tantum reperio, quorum dies emortualis nescireturr: id quod in Athanasio nostro valere non poterat, cujus recens demortui dies depositionis ignorari nequibat. Imo hoc ipsum aperte declarat, heic Neapolitanum Athanasium non intelligi. Etenim omnes, etsi remotissimae memoriae, Neapolitani Praesules in his Fastis die ipso emortuali coluntur, nec sine *Depositionis* nota: cui solus Athanasius, recentis memoriae Praesul, die non suo, ac praefixa *Natalis* nota, heic signaretur? Non est igitur dubitandum, quin hoc marmor antiquius sit Athanasii nostri Translatione, postquam is coli inter Sanctos coepit. Eamque ob causam abest noster Athanasius al hoc marmore. Ceterum de hujus Kalendarii aetate vide alibi fusius disputata.

XVIIII N S PAVLI HEREMITE

EOdem die colitur in Ecclesia Tornacensi in Belgio cum officio duplici, teste Bollando ad hunc diem, pag. 212. At alibi passim die XV. Januarii, etiam in Menologio Basilii, ubi XV. Ianuarii legitur *ἡ κοίμησις τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Παύλου τοῦ θηβαίου. Dormitio S. Patris nostri Pauli Thebaei*. In Anthologio eodem die Paulus Thebaeus cum Jo: Calybita jungitur. Beda genuinus eodem die XV. ejus texit elogium, & post Bedam ceteri Martyrologi.

At Castellanus ad X. Januar. pag. 15 testatur, in magna occidentalium Eccl siarum parte, quae adhuc utantur su breviariis, ejus memoriam die X. Janu rii recurrere.

Postremo in his Fastis *Natalis* nota praeponitur, ad docendum, hunc die nc suo coli.

XX S EVFIM SEVASTIANI

IN priore nomine positum fuit F pro T, aberrante marmorarii manu. Nam recta hujus loci scriptura est EVTIM. pro EVTHYMii, qui hoc die colitur apud Graecos: nam de *Euphemia* nullum usquam hoc die vestigium. Hoc ergo die Neapolitani duos Sanctos coluerunt, priorem cum Graecis (imo & Moscovitis, in quorum effigiato Kalendario apud Boll. tom. I. Maii hoc die *Euthymius* colitur) cum Latinis alterum. Et certe priore loco Sebastianus ponendus fuerat, quippe Martyr; nisi hoc fuit quod in Ecclesia Graecae originis altiores radices Euthymii cultus egerat, cui Sebastianus aevo posteriore accessit. In Bas Menologio hoc die: *Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Εὐθυμίου πρεσβυτέρου γενομένου καθηγουμένου τῆς ἱερᾶς, Commemoratio Patris nostri Euthymii Presbyteri & du Eremi*. At in Anthologio hoc eodem *τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Εὐθυμίου τοῦ μεγάλου Sancti patris nostri Euthymii Magni*. aliis Graecorum libris apud Bollandu pag. 299. etiam *Θεοφόρου Deiferi* elogi huic nostro additur.

Sebastianus autem cum sibi praeeu Fabiano passim in Sacramentariis & tiquissimis Martyrologiis legitur: de bus vide Bollandum, tum & Florentin

Digitized by Google

ad diem 19. (17) & 20. Januarii. Hujus conjunctionis antiquissimum exstat vestigium in Kalendario Romano IV. Saeculi per Bucherium edito, in quo scriptum est: XIII. Kal. Febr. *Fabiani in Callisti, & Sebastiani in Catacumbas*. At in Kalendario pervetusto Carthaginensi per Mabillonium vulgato de Fabiano nihil; nam scribitur: *XIII.Kal.Febr. S.Mart. Sivastiani*. In Kalendario Ritualis Neap. MS. Sebastianus Fabiano praeit.

De S. Euthymio (qui prior hoc die inscribitur) hoc etiam addendum est, merito priorem scalpi; quia ejus cultus Neapoli celeberrimus erat. Sane inter vetusta Oratoria ex chartis antiquis eruta, quorum nomina ab interitu vindicavit Tutinus in MS. codice Brancatiano (Armar. 2. litt. D. num. 6.) pag. 81. legitur: *S. Euthimii in vico Solis & Lunae.*

XXI NT. S AGNE

IN Menaeis die XIV. & XXI. Januarii memoratur ἁγία μάρτυς Ἀγνὴ, *Sancta martyr Hagne*; quae tamen a Basilii Menologio abest. At eadem in Latinorum libris Ecclesiasticis omnibus vetustissimis (18) juxta ac recentioribus nusquam desideratur: in quorum pluribus bis inscribitur, semel hodie his aut similibus verbis, *Natale S. Agn. de Passione*: iterum die 28. *Natale S. Agn. de Nativitate*: per quae significare voluerunt, Agnam sive Agnetem hoc die passam, die vero 28. in lucem editam fuisse, nequicquam reclamante Castellano (19) V. C.

C Jam

(17) Nam utroque die Sebastianus in Hieronymiano legitur, semel solus hesterno die in hunc modum, *Romae passio Sebastiani Martyris*: iterum die 20. cum Fabiano in hunc modum, *Romae in Coemeterio* (Callisti, κατ' ἐξοχὴν) *Fabiani Episcopi & Sebastiani*. Ibi adnotat Florentinius, utrumque priore die coronatum, posteriore sepulturam consecutum. Cetera apud virum doctissimum leges.

(18) Nam in Romano Kalendario (quod potiant medio quarto saeculo scriptum) per Bucherium evulgato sic reperitur: *XII. Kal. Febr. Agnetis in Nomentana*. In Carthaginensi vero: *XII. Kal. Febr. Sanctae Martyris Agnes*. Reperitur in Sacramentariis Gelasiano & Gregoriano, in Hieronymiano Mrologio & in omnibus posterioribus monumentis. In Kalendario MS. Ritualis Neap. hoc die scribitur, S. *Agnes* charactere rubro.

(19) *De Festo S. Agnetis secundo, sive de ejus Natali genuino.*

C. Castellano Canonico Parisiensi (ad XXI. Januar. ubi de S. Agnete) illa Bedae locutio (qui & XXVIII. Januar. signavit hujus Virginis *Natale de Nativitate*) mirabilis visa fuit; nec aliter intelligenda, quam si Rabanus & Notkerus auxilio venissent; apud quos illud Bedae obscurum loquendi genus explicatur *Natalis geminus*, h. e. (ut idem Castellanus interpretatur) *Verus Natalis*: quibus (inquit Castellanus) verbis illi significant, diem 28. (non vero 21.) Januarii fuisse verum Passionis S. Agnetis diem. Nec vero aliter Rabani & Notkeri *Natalem genuinum* esse accipiendum, illud potissimum Castellano persuasit, quod non sit verisimile, Ecclesiam in Agnete colere voluisse *sa naissance selon la chair, étant sans exemple, qu' on ait festé la naissance de ceux, qui étoient nez dans le peché*. Hactenus vir clarissimus: cujus Martyrologium quum utilissimum censeam; non pigebit hac parte illud maculis leviculis abstergere.

I. Jam primum omnium non primus Beda Agnetis *Natale de Nativitate* usurpaverat; sed diu ante id legebatur in Gelasii & Gregorii Sacramentariis, Hieronymi Mrologio, & alibi.

II. In eisdem monumentis *Natale de Nativitate* opponitur *Natali de Passione*; quorum hoc signatur die XXI., illud XXVIII. Jan: per quod manifeste ostenditur, in priorem diem incidisse Agnetis *Passionem*, in posteriorem vero *Nativitatem* carnalem. In Gelasiano Thomasii scribitur: *In NATL. Sanctae Agnetis Virginis de Passione sua XII. Kal. Febr.* mox: *Item in Natale ejusdem de Nativitate V. Kal. Febr.* Sic etiam in antiquiore Sacramentario per Blanchinum V. C. evulgato. Nec aliter in Gregoriano. In Hieronymi Mrologio: *XII. Kal. Febr. Romae Passio Agnetis Virginis*. In eodem ad diem XXVIII. *Romae NATIVITAS S. Agnetis Virginis*. His adde Frontonis Kalen-

Digitized by Google

Jam vero dolendum est, quod hujus celebratissimae Virginis, praeconia quidem plurima habemus nobilissimorum scriptorum Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Prudentii, aliorum plurium: at Acta sincera aut satis antiqua plane nulla. Nam quae sub Ambrosii nomine circumferuntur, ea sunt longe posteriori auctoris, nec satis fida. Itaque paucadmodum de nobilissima Heroina tenemus;

lendarium, in quo ad diem XXI. *Natale S. Agnae de Passione*: & ad XXVIII. *Natale S. Agnae de Nativitate*.

III. Verum quid his recitandis immoror, quum in Gelasiano & Gregoriano palam explicetur quid in posteriore festo colere instituerint. Nam in Gelasiano sic orabatur: *Quam* (Agnetem) *hodiernae festivitatis PROLATAM EXORTV ineffabili munere sublevasti.* Idem in Secreta inculcatur. Et in Gregoriani Praefatione ad diem XXVIII. *B. Agnetis Natalitia geminantes. Vere enim hujus honorandus est DIES* (memini alibi legisse DIES absolute pro die natali) *quae sic TERRENA GENERATIONE PROCESSIT, ut ad Divinitatis consortium perveniret.* Ex his vides quid Romana Ecclesia quinto & sexto saeculo *Natale de Nativitate* appellaverit. Hinc in Gemma animae lib. 3. c. 25. legitur: *In octava S. Agnetis scribitur de Nativitate, quia illa die nata dicitur.*

IV. At hoc ipsum Rabanus *Genuinum* vocavit, qui ad 28. Januar. sic posuit: *V. KL. Febr. Romae S. Agnetis Virg. Genuinum* (supple *Natale*: sicuti in lib. 3. Sacram. Eccl. Rom. cap. 53. plena locutione *Natale genuinum* dicitur, quod a Natali dignitatis initae distinguitur) *hoc est de Nativitate.* Poteratne Rabanus clarioribus verbis exponere, quid *Genuinum* vocaverit, quam interpretatione illa, *h. e. de Nativitate?* Quae interpretatio aevo illi necessaria videbatur: at antiquis ea locutio passim in usu erat. Jampridem *Genuinus Natalis dies* in Cod. Theod. usurpatum fuerat pro eo die, quo quis in lucem editus fuit, sicuti & a Polemio Silvio in suo Kalendario apud Bollandum. Postremo S. Maximus Hom. 3. in Nativ. S. Jo: Bapt. *Festivitatem praesentis diei.. Jo: Baptistae genuina Nativitas consecravit.* Ne illud quidem praetermiserim, quod Rabanus IX. saeculo *Agnetis genuinum* vocavit, id in Epternacensi S. Hieronymi Mrologio (quod VIII. saeculo jussu S. Willibrordi descriptum fuit) dictum fuisse *Ingenuinum*. Haec enim ex illo recitat Florentinius ad 28. Januar. *Natale Censoriani, Victoris, Festi, Marinae, & Perpetuae, & Romae Agnae Ingenuinum.* Quod Martyris nomen esse arbitratus Florentinius, queritur, nusquam alibi *Martyrem Ingenuinum* occurrere. Atqui ut *Natale genuinum* est *Natalis generis*; sic placuit & *Ingenuum* ab *Ingenuitate* nuncupare.

V. Nec enim temere addebatur *Genuinus*: nam eo ventum fuerat, ut festa omnia annivesaria *Natales* vocarentur: de quo plura Praefatione, & alibi diximus. Hinc ut *Natalis* vocem ad primitivam significationem revocarent, h. e. pro die, quo quis in lucem editus fuit, addebant *Genuinus*, aut absolute *Genuinum*, a *Genere* scilicet uti diximus, aut vo (si recta est lectio codicis Epternacensis) *genuinum* ab *Ingenuitate*.

VI. At enim, inquit vir doctus, quid surdius, quam nativitatem carnalem coli, quis cum peccato nascitur? At nonne scimus antiquos non tantum Nativitatem Baptistae verum etiam *Conceptionem* ejusdem colui de quo videatur infra ad XXIII. Septembr. tamen Divini Praecursoris Conceptio peccabe non caruit. Nec enim Ecclesia sive in Baptistae conceptu, sive in Agnetis exortu, coluit, quod ii maculosum ab origine traibant, sed quod in eisdem Dei miserantis gratia operata fuit; quod sine conceptione aut nativitate non contigisset. Vel vide quae supra Gregoriani Praefatione recitavimus.

VII. Postremo praeter Mariam & Baptistam (quorum Nativitas immaculata fuunius Agnetis Natalis genuinus olim die fhonoratus fuit, ac nullius praeterea, qsciam. Sed quam pridem Agnetis Genuincoli coeperit, haud difficile est aestimare. NIV. saeculo nullum ejus Festi vestigium incheriano Kalendario occurrit; in quo tanprius festum sic consignatur: *XII. Kal. FAgnetis in Nomentana*. Etsi, ingenue fatein Bucheriano tantum Depositionum dies ponuntur, non aliarum festivitatum. Verum Sacramentario omnium antiquissimo (cedidit ante hos paucos annos Franciscus Rchinus Oratorii Rom. Presbyter; quod suspicatur a Sancto Leone conditum, qcerte videatur Gelasiano Sacramentario tiquius) jam duplex Agnetis festum occuprius de *Passione*, posterius de *Nativit*Quare ea credo saltem initia Festi Nativi S. Agnetis fuisse. At aevo sequiore in eo priore festo Ecclesia quamdam Agnetis aptionem colere instituit, ut in Rom. Brevlectionibus hodie legitur.

Digitized by Google

mus: cujus ne nomen quidem ipsum, quo pacto olim scriberetur, aut inflecteretur, satis expeditum habemus. De quo nomine libuit Exercitationem (20) subnectere, in eorum gratiam, quos tricarum istiusmodi voluptas capit: quae tamen quam non inutilis futura sit, ii intelligent, qui naviter sunt in antiquitate versati,

(20) *De S. Agnetis nomine*

§. I.

Sit ne asperandum, an secus.

GRaeci quidem in libris Ecclesiasticis hujus nomen asperant, tamquam si derivetur ab ἁγνὸς *Hagnos* i. e. *purus*, cujus femininum ἁγνὴ *Hagne* (h. e. *pura*) erit ipsum Virginis nomen. At contra Latini sine aspiratione idem nomen scribentes, videntur deduxisse a Latino *Agus*; quae quadrupes in Scripturis illustre est innocentiae & puritatis symbolum.

At equidem ajo, id nomen Graecanicum, non Latinum esse: proinde Graecos rectius cum denso spiritu id scribere, quam Latinos cum leni.

I. Ac primum in Agnetis nomine nullum est Latini moris indicium: quod probe ii sciunt, qui Romanam nominum rationem norunt, etiam sub ultimis Caesaribus. Itaque videtur haec Virgo peregrinae fuisse originis, & Graecum habuisse nomen.

II. Deinde si hujus esset Latinum nomen; Latine inflectendum erat, AGNA, hujus AGNAE. Nunc vero haec inflectendi ratio (quae vix octavo aut nono saeculo usurpata reperitur ob eas causas, quas infra depromam) non observabatur, sed illa altera Graeco more, *Agne* hujus *Agnes*; aut *Agnes* hujus *Agnes*, ut *Agnes Agnetis*, ut infra ostendetur.

III. Jam vero in Gruteriano Indice nominum propriorum nemo prorsus marium occurrit cum *Agni*, aut seminarum cum *Agnae* nomine (etsi reperiri alicubi posse, non diffitear, qui sciam, plures ab animantibus sibi adscivisse cognomina) at cum *Hagni*, aut *Hagnes* ἐπιχλήσεις longe plurimos, & eos liberum generis, & Graecanicae originis. Sic apud Gruterum pag. 754. 13. occurrit *Numinis HAGNE*. Et 955. 13. *Turraniae HAGNE... libertae gratissimae*. Et 957. 8. *Veturiae HAGNE.. benemerenti*. Sic etiam pag. 620. 4 *Vlpiae HAGNE conjugi* monumentum ponit M. Vlpius Aug. lib. Euhemerus. Sed & mas cum *Hagni* ἐπιχλήσεως ille est, de quo pag. 581. 6. legitur: *T. Flavio Aug. liberto HAGNO medico*. Et hi omnes libertinae & Graecae originis erant.

IV. Postremo siquem hodierna inflectendi

hujus nominis ratio magis delectat; apud eumdem Gruterum reperiet pag. 1013. 6. elegantem titulum, quem quidam Flavius Augusti libertus Isidorus ponit FLaviae. HAGNETi. CONIVGI. In quibus omnibus asperatur vocalis A.

Ex his pronum est suspicari, hujus Virginis nomen, utpote peregrinae originis, asperandum fuisse, nec sine aspiratione primitus fuisse conscriptum. Verum aevo sequiore sibi in *Agnae* nomine placuerunt, id quod pluribus allusionibus praefectulerunt. Hinc in Antiphonis Officii & olim & nunc quoque illud legitur: *Stans a dextris ejus Agnus nive candidior* &c. Hinc quoque pictores agnum prope hanc Martyrem depingere assueverunt. Hinc postremo mos ille manavit, qui describitur in Caeremoniali Romano lib. I. sect. 10. *Sanctimoniales Monasterii S. Agnetis . . offerunt quotannis agnos duos albos . . in die festivitatis S. Agnetis, dum in Missa solemni cantatur AGNVS DEI . . . Ex his agnis lana tondetur, quae mixta cum alia . . reducitur in filum, ex quo pallia hujusmodi* (pro Archiepiscopis) *contexuntur* &c. Ab eo factum, ut & in Frontonis Kalendario legatur patrio casu S. AGNAE, idque utriusque Natalis die: sic etiam utroque die in Allatiano S. AGNE legitur (ut & in nostro marmore, spreta diphthongo) pro *Agnae*. Sed & in Appendice operum spuriorum Ambrosio tributorum memini (pag. 479. edit. S. Maur.) legisse obliquum AGNAE: quod a veri Ambrosii more abhorret. Postremo in Epternacensi Hieronymiani Mrologii apographo (quod non longe ab initio VIII. saeculi descriptum fuit) ad 28. Jan. scribitur: *Romae Agne ingenuinum*, ut in superioribus dictum.

Postquam autem in eo sibi placuerunt, ut hujus Virginis nomen a quadrupede deducerent; ab eo factum est, ut librarii postmodum aspirationem sustulerint, etiam in libris vetustioribus, in quibus id nomen Graeco more inflectebatur, ut *Hagne* hujus *Hagnes*, aut *Hagnetis*, pro quibus scriptum postea fuit *Agne, Agnes, Agnetis* &c. At interim in antiquis lapidibus (uti supra animadversum fuit) in homonymis seminis aspiratio mansit. Nec dubito quin, si aequales aut suppares huic tantae martyri scalptos titulos, aut libros haberemus, ejus nomen in illis non sine aspiratione legeretur.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Quo pacto id nomen ſit inflectendum.

JAm primum omnium illud flectendi genus, quod ad primam Latinorum declinationem pertinet (*Agna*, *Agnae* &c.) in paucis VIII. & IX. ſaeculi monumentis tantummodo reperitur, uti modo obſervavimus: id quod ad ejus aetatis monumenta dignoſcenda valebit. Sed in antiquioribus aut recentioribus ea aetate ſaeculis ita id nomen per caſus inclinabatur, ut aut ad ſecundam aut ad quintam Graecorum referretur. Itaque nihil frequentius illis obliquis *Agnes*, *Agne*, *Agnen*, *Agne* apud Ambroſium & alios ejus aevi ſcriptores, quae fiunt a recto *Agne*, ſive potius (cum aſpiratione) *Hagne*, niſi quod poſteriores librarii aſpirationem ſuſtulerunt.

Jam vero quod ad quintam Graecorum declinationem pertinet; illud eſt mirabile, unde orta ſint obliqua illa *Agnetis*, *Agneti* &c. quae obliqua in Kalendario Bucheriano IV. ſaeculi (ubi legitur: *XII. Kal. Februar. Agnetis in Nomentana*) & paſſim alibi apud ſaeculi quinti ſcriptores occurrunt. Veram afferam cauſam ex ſermonis ἰδιωτικῆ (h. e. plebeii) ingenio, qui maxime in ſervorum aut libertinorum titulis ſepulcralibus deprehenditur. Apud plebejos igitur invaluerat, ut in Graecanicis nominibus ſecundae Graecorum declinationis rectus caſus nonnumquam par genitivo fieret. Itaque in elegantiſſimo & caſtigatiſſimae ſcripturae monumento apud Grut. pag. 975. 3. occurrit recto caſu FLAVIA ACMES pro ACME, ἄκμη. Nec dubito, quin rimantibus talia plura ſeſe oblatura ſint. Ad eumdem modum in noſtra Virgine dici coepit recto caſu HAGNES pro *Hagne*. At ea, quae corrupte iſto modo in ES terminabantur, nihilo minus in obliquis ſecundam declinationem Graecam haud raro ſequebantur. Itaque Ambroſius in I. de Virg. 4. num. 19. recto caſu AGNES uſurpavit (*Aetate*, inquit, *utique Agnes minor, ſed virtute major*) at in obliquis AGNES (in I. de Virg. 2. *Natalis eſt S. Agnes*) AGNEN (epiſt. 37. ad Simplic. *Quid Thecla, quid Agnen* &c.) AGNE (in I. de Offic. *Quid de S. Agne*: in De lapſu Virg. c. 3. *Coram . . Agne*) Sic etiam Prudentius recto caſu ſemper AGNES uſurpavit in *De coronis* Hym. 14. etiam ſine verſus neceſſitate (ut v. 67. *Vt vidit Agnes flare trucem virum*) at idem patrio caſu AGNES uſurpavit verſu 1. *Agnes* (pro quo hodie corrupte editur *Agnae*: nam, teſte Ruinarto, in pleriſque MSS. eſt *Agnes*, & alicubi *Agnis*, nim. *Ita* ut I pronuntiato) *ſepulcrum eſt Romulea in domo*.

Et hactenus quidem duplicem flectendi hujus nominis rationem animadvertimus, quarum una recta erat, *Hagne* (ſive pro more librariorum *Agne*) hujus *Hagnes*: altera κατ' ἰδιωτικὴν διάλεκτον (*ſermone plebeio*) *Hagnes* (ſive *Agnes*) hujus *Hagnes*. At etiam tertia flectendi ratio inventa eſt *Agnes* (ſive potius *Hagnes*) hujus *Agnetis*: de qua jam dicendum.

Nam poſtquam ex recto caſu *Hagne* factum fuit *Hagnes* (ſicuti pro *Acme* nominativo *Acmes*) conſentaneum fuit, ut ex eo corruptis nominativo fierent caſus obliqui in ETIS ETI &c. Sicuti ergo ex recto ἁγνὴς Graeci dixiſſent in obliquis ἁγνῆτος & porro: etiam Latine ex *Hagnes* fiebat *Hagnetis* &c. Illaria exempla plura proferre ex Fabretti (quae nunc ad manus habeo) inſcriptionum collectione poſſum. Apud quem pag. 609. num. 73. legitur CRESTETI FILIAE: nam etſi a recto Χρηστὴ *Chreſte* fiebat dativus item *Chreſte*; poſtquam rectus coepit in HΣ ſive ES finiri, inde ortus eſt tertius caſus *Chreſteti*. Eodem ſpectat illud apud eumdem pag. 633. num. 2. CONIVGI. AVREL. CHRISOGONETI (pro *Chryſogone*) ex pravo nominativo *Chryſogones*. Nec aliam originem habet illud *Seramiae LICINIANETI . . . quam loco fidiligo* apud eumdem pag. 646. num. 389. & illud alterum, FABIANETI CONIVGI, quod idem Fabrettus ex Coemeterio S. Agnetis at pag. 739. nu. 497. Nam principio iſtae, quae eſſent libertinae conditionis, dicebantur Graeco more in recto *Liciniane*, & *Fabiane*: non prave eodem caſu recto *Licinianes*, & *Fabianes*; poſtremo, quod conſequens erat, in obliquis *Licinianetis*, & *Fabianetis*. Atque haec exempla ex uno Fabretto ad ſpecimen ſufficiant. Ceterum longe plura in Grutero, & aliis occurrent: quae ad nomina ſanctarum mulierum in S. Hieronymi Mroſogio & alibi obvia, pedienda permagno uſui futura, reor. Vt de illud S. IVLIANETIS, quod ſive in Hieronymiano Mrologio, ſive alibi legiſſe memini, geminatum eſt exemplum illarum, quas modo dixi, feminarum *Licinianetis* & *Fabianetis* quibus exemplis ſermo plebejus ſcatet; enim in illuſtrium feminarum titulis talia non riuntur.

Eſt & illa flectendi ratio ἰδιωτικὴ, in obvia, quando feminarum nomina finita flectuntur in ENIS, tamquam a recto Eu apud Fabret. pag. 750. num. 572. dandi *Pompeiae CALLISTENI*. Et pag. 191. n SCOPENI, quae poſtea recto caſu ſcri SCOPE: & alibi memini legiſſe NICE *Nice*, ſed tamquam ſi ſit a *Nicen*. Et quoque flexionis exempla in Hieronymi logio, & alibi ſuppetunt.

Digitized by Google

XXII N ANASTASII ET VĪN

S Anaſtaſii nomen abeſt a Martyrol. Florentiniano S. Hieronymi. Nec mirum, quippe illud Martyrologium multo antiquius eſt an. 628. quo paſſus eſt S. Anaſtaſius. Atque ex Martyrologiorum ſcriptoribus Beda, quod ſciam, omnium primus hunc Sanctum ſuo Martyrologio hoc die intexuit; quod opus Beda ſcripſit ineunte octavo ſaeculo. Sed & vetuſtum Roſweidi Martyrologium ſic ponit: *Romae ad Aquas Silvias* (etiam in Actis S. Gordiani M. *Silvias* pro *Salvias* ſcribitur) *S. Anaſtaſii Mart.* Idem in poſterioribus Martyrologiis nuſquam deeſt. Reperitur quoque in Menaeis in Menologio, ceteriſque Graecorum libris Eccleſiaſticis: nec mirum, quippe in VII. Synodo (quae Nicaeae exeunte octavo ſaeculo coacta fuit.) Actorum S. Anaſtaſii pars lecta fuit; ex quo credo ejus cultus magis increbuit. Obiter corrigendum eſt παράραμμα leviculum doctiſſ. Baronii, qui in Adnot. ad 22. Januar. S. Anaſtaſium non die 22. ſed 15. ejuſdem menſis a Graecis celebrari, poſuit. Imo Graeci hoc die celebrant, non die XV., quo die nec vola nec veſtigium S. Anaſtaſii apud Graecos reperitur: niſi forte in Sirleti Menologio iſtam dierum permutationem Baronius repererit. Nec illud eſt praetereundum, quod metricae Graecorum Ephemerides diei XXII. Jan. Anaſtaſii paſſionem diſerte aſſignant.

Sed apud Latinos aliquanto antiquior cultus illius erat, uti patet ex Bedae Martyrologio. Neque id mirum, quippe quum hujus S. Martyris caput paullo poſt ejus paſſionem Romam translatum fuerit in Eccleſiam, quae olim dicebatur S. Mariae ad Aquas Salvias, ac deinde poſt illatas reliquias, *Sanctor. Vincentii & Anaſtaſii* nomen praetulit.

Illud profecto mirandum, cur, quum in omnibus Latinorum libris Eccleſiaſticis S. Vincentius (21) S. Anaſtaſio praeponatur: contrarius ordo in hoc Kalendario marmoreo deprehendatur. At id maxime, ſiquid aliud, oſtendit, noſtrum hoc Kalendarium tum fuiſſe conſtructum, quando haec urbs Graeco imperatori ſuberat. Nam apud Graecos longe clarior eſt Anaſtaſius (quippe qui etiam Conſtantinopolim translatus dicatur) quam Vincentius. Imo etſi Vincentius a Menologio Baſilii non abeſt; abeſt tamen ab Anthologio, quod ad manus habeo. At Anaſtaſius, utpote in oriente celebrior, in Graecorum libris nuſquam deſideratur.

Poſtremo Neapoli S. Anaſtaſii cultus mirificus fuit. Exſtabat olim Monaſterium *SS. Anaſtaſii & Baſilii ad Meliam*, poſtea translatum ad *S. Mariae de Cappellis*: erat & Oratorium *S. Anaſtaſii ſuper porta maris*. Utriuſque mentionem reperi in Tutini codice MS. Branceatiano (Armar. 2. lit. D. n. 6.) pag. 81. Et cur hi Faſti Martyrem recentiorem antiquiore Vincentio priorem fecerint.

XXIII S AGATHANGELV

DE patrio caſu in his Faſtis Graeco more in V finito dictum alibi fuit, ſcati & de femininis Graeco ritu flexis. In Anthologio hoc ipſo die Agathangelus cum Clemente Ancyrae Epiſcopo (cujus & collega martyrii fuit) junctim pro-

(21) Et quidem in antiquioribus ſeorſum, ut in Allatiano in hunc modum reperio: *XI. Kal. Febr. Nat. S. Vincentii. Statio in Baſilica S. Euſebii juxta Merulana. Eadem die S. Anaſtaſii Monachi.* Recte ſeorſum: nam paſſi ſunt eodem die, non eodem anno ac loco. At in recentioribus monumentis junctim legitur *SS. Vincentii & Anaſtaſii*: id quod in SS. Cornelio & Cypriano & aliis uſuvenit, ita conjunctis (certe compendio ſermonis) quaſi ſi commilitones fuerint.

Digitized by Google

proponitur; junctim quoque in aliis Graecorum libris, nisi quod in Basilii Menologio utriusque elogia seorsum pertexantur. Quae quum ita sint; mirabitur aliquis, cur hoc die Agathangelus solitarius inscribatur, omisso Clemente apud Graecos celeberrimo. Principio dubitabam, annon aliqua S. (22) Agathangeli Ecclesia Neapoli fuerit, quae illum unice celebrem apud nostros effecerit. Verum mirari desii, postquam hujus Kalendarii ingenium perspectum habui: cui perpetuum hoc est, ut quoties duorum, pluriumve Sanctorum uno communi festo cultorum collegium occurrit, primus tantum (pro omnibus tacite intelligendis) proponatur: ferme ut vulgo solemus *Festum S. Petri* quotidiano sermone usurpare pro *SS. Petri & Pauli*.

Verum cur non potius *Clemens* (qui & dignitate Episcopus, & celebrior esset, quum contra Agathangelus Clementis Diaconus fuerit) heic inscribitur? Praesertim quum in Anthologio Clemens Agathangelo, ut potior minori, praeponatur. Verum ut Laurentius Xysto celebratior fuit, sic Agathangelus suo Episcopo magis inclarescere potuit: unde in metricis Ephemeridib. (tom. I. Maii) Clemens Agathangelo postponitur.

Εἰκάδι δισσυθῆτε τρίτῃ Ἀγαθάγγελε, Κλήμη

Vicena ense cadis ternaque Agathangele, Clemens.

Postremo Agathangelus in Basilii Menologio agmen agit virorum, mulierum, ac puerorum cum ipso consummatorum. Quare heic, si non Clementis, at horum saltem ut antesignanus, solus proponitur.

XXIIII NT S PHILONI

DEest in fine littera S. Nam intelligendum est PHILONIS a recto *Philon*, non *Philonii* a *Philonius*. Nec tamen scriptura marmoris heic mutila est: nam aevo sequiore tertiae declinationis nomina casu patrio passim in I finiebantur pro IS: de quo vide dicta in Praefatione, ubi de hujus marmoris Orthographia.

Ecquis autem Philo hodiernus sit, quis expediet? Nullus hoc die hujus nominis in Latinorum hagiographorum libris comparet: nullus in utroque Menologio, & in Anthologio. Sed bene est, quod in Menaeis, & Maximo Cythereo hoc die sic legitur apud Bollandum: *Eodem die memoria . . . S. Patris nostri Philonis Episcopi Calpasii facti.* Qui certe est ipsissimus Kalendarii nostri Philo: quod Kalendarium ceteroqui cum Graecorum libris per omnia ferme congruit.

At de hujus Philonis sede controversiam movit Bollandus, expostulans, nec *Calpasium* Episcopatum in Notitiis comparere, nec gentile CALPASIVS apud geographos occurrere. Verum facile error in Menaea irrepserit, ut *Calpasii* pro *Carpasii* positum fuerit: aut vero idem nomen cum R & L aeque scribebatur; quas duas liquidas in propriis locorum nominibus alternare non semel deprehendi. Et quidem *Carpasia* urbs erat in Cypro celebris; a qua urbe & insulae *Carpasiae* exiguo freto ab ea disjunctae nomen obtinuerunt.

At

(22) Dubitabam, inquam, annon, quae nunc *S. Archangeli ad Bajanum* Ecclesia vocatur (idque etiam in veteribus chartis) antiquiore nomine *S. Agathangeli* dicta fuerit; ex quo usitatior vox *Archangeli* postmodum sit detorta. In Tutini MS. codice, quem laudavi ad hesternum diem, non tantum Monasterii *S. Archangeli de Bajano* mentionem reperi, sed & Oratorii *S. Archangeli in Monterone Regionis Portus*. Sed utramque aut alterutram Ecclesiam *S. Agathangeli* nomen primitus praetulisse, quis praestare ausit? Imo quum plures hodie Neapoli Ecclesiae sint sub *S. Archangeli* nomine (nam praeter illam *Ad Bajanum*, habes tres alias apud Caesarem de Engenio pag. 218. 447. 647.) videntur Neapolitani eo nomine delectati, quo Principem caelestis militiae designarent.

Digitized by Google

At ab ea, inquies, urbe gentile fit (teste Stephano Ethnicographo) Καρπασίων *Carpasēotes*, aut Καρπασεὺς i. e. *Carpasensis* (sive, ut in nummo apud Berkelium in Adnotatis ad Stephanum, Καρπασιεὺς, *Carpasiensis*) nusquam autem *Carpasius* reperitur; quam formam Graeca gentilium nominum analogia respuit. Respondeo, in hoc Menaeorum loco, quem Latine tantum recitat Bollandus, Graece videri fuisse ἐπισκόπου τῆς Καλπασίου γενομένου. Id vero Bollandus (sive undecumque eam hujus loci interpretationem Bollandus habuit) pessime est interpretatus, quasi si illud Καλπασίου gentile nomen esset, quum sit potius primitivum a nominativo Καλπάσιος, sive rectius Καρπάσιον; quod usurpat Plinius V. 31. ubi eam urbem non *Carpasiam*, sed ædesτερως CARPASIVM (23) appellat. Accedit quod etiam Polybius mox producendus (cui uni Philonis nostri notitiam debeo) in Epiphanii vita hanc eamdem urbem Καρπάσιον, non Καρπασίαν vocat. Et veteris geographiae gnari mecum fatebuntur, miram in locorum nominibus reperiri, ut in litteris, sic etiam in generibus, varietatem, praesertim in nummis & lapidibus. Ergo Menaeorum locus (quem nondum Graece videre licuit) si ita, uti supra posui, Graece conceptus fuit, nempe φίλωνος ἐπισκόπου τῆς Καλπασίου γενομένου, non verti debuit, *Philonis Episcopi Calpasii facti*, sed *Philonis, qui Episcopus Calpasii fuit*; sive rectius *Carpasii*.

Jam, ut opinor, evicimus, hujus diei PHILONEM non alterius sedis, quam *Carpasiae* sive *Carpasii* (aut cum L *Calpasii*) in Cypro Episcopum fuisse: obscurum sane futurum (nam eccui de eo Philone quidquam auditum fuit?) nisi opportune *Polybius nescio quis* suppetias tulisset.

Nam Polybius is, cui supplementum vitae Epiphanii tribuitur, quemdam Philonem Episcopum urbis Carpasii in Cypro ab Epiphanio ordinatum memorat. Atqui *Carpasium* & *Carpasiam* duas esse ejusdem urbis in Cypro variantes scripturas, jam supra evicimus. Verba Polybii num. 49. haec sunt. *Qui vero missi fuerant ab Imperatoribus, urgebant Epiphanium, ut navigaret Romam. Erat autem quidam ex oratoribus Clericus* (ὀνόματι φίλων, ἀνὴρ ὅσιος) *Philo nomine, vir sanctus. Opus autem erat* (ἐπὶ τῆς πόλεως τῆς Καρπασίου) *in Vrbis Carpasii sede Episcopum collocare. Eratque is* (Philo) *Diaconus. Hunc ergo* (ἀπὸ ἀποκαλύψεως Θεοῦ) *ex Dei revelatione Episcopum ordinat Epiphanius in sede* (τῆς πόλεως καὶ τῆς ἐκκλησίας τῆς Καρπασίου) *urbis & Ecclesiae Carpasii. Quum ergo esset Romam profecturus Epiphanius, arcessit prius dictum Philonem Episcopum, datque ei auctoritatem Ecclesiae Constantiae, ut si fuerit opus Clericis, ipse ordinaret.* Rursus ibidem num. 57. Epiphanius ab Imperatore ad Regiam urbem evocatus, *arcessens* (τὸν θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον φίλωνα) *religiosissimum Episcopum Philonem, jussit hunc necessitatis Ecclesiasticae curam gerere.* Scio equidem istud Polybii scriptum, ex quo haec adscripsimus, nec satis antiquum esse, & scatere fabulis. At non continuo falsa sunt omnia, quae ibi dicuntur. Nec illi sunt audiendi, qui (apud Dupinum in Philone Carpathio) istum Polybii Philonem insulae Carpathi Episcopum faciunt (id quod & in Papebrochio (24) reperio) quae satis refelluntur ex eo, quod Carpathus insula longissime a Cypro aberat, nec sub Epipha-

nii

(23) Plinius V. 31. (Sect. 35.) Cypri urbes recto casu recensens, inter eas ponit CARPASIVM. Vbi nominandi casus mendae suspicionem amoliturus; nam ab accusativo *Carpasiam* fecit *Carpasius* potuisset, non item rectum *Carpasis* degenerare in *Carpasium* facile poterat.

(24) Papebrochius ad XII. Maii pag. 48. ad finem num. 51. Polybianam Epiphanii vitam critico sale aspersurus, de Philone Carpasii Episcopo sic posuit. *Carpasii Civitas quam norim nulla est: Carpathus, insula Cycladum extima inter Cretam & Rhodum, longo maris tractu distat a Cypro; ad cujus Metropolitanum nequaquam spectabat ei* (insulae) *providere*

nii jurisdictione erat, a quo Philo hic ordinatus dicitur; & quod, uti supra ostensum fuit, Carpasia urbs Cypri celebris, alia inflexione a Plinio *Carpasium*, in Menaeis autem & Polybio (cujus verba modo recitavimus) Καρπάσιον vocatur.

Et hactenus dicta ostendunt nostri Kalendarii Philonem eumdem fuisse, ac illum de quo Menaea (quippe quum Kalendario nostro per omnes ferme dies cum Graecorum libris conveniat) nec alium, quam Polybianum Philonem, quem Epiphanius Carpasii Episcopum ordinasse, dicitur; de quo, tamquam eximiae sanctitatis viro, loquitur in adscripto loco Polybius. Numquid de hoc Philone, quo magis inclarescat, quidquam aliud supereſt? Etiam. Ajo enim hunc, de quo agimus, non alium fuisse, quam Ecclesiae scriptorem illum, qui *Philo Carpathius* dicitur. Et vero omnes ad hunc diem hunc Ecclesiasticum Scriptorem insulae Carpathi Episcopum fecerunt: falso: quia Carpathus urbeculas tres quatuorve (nam Straboni τετράπολις, Scylaci τρίπολις dicitur). habuit, & eas admodum obscuras, ex quibus Straboni non alia quam *Nisyros* nominatur, Ptolemaeo vero *Posidium*. Nunc si Philo iste in hac insula Episcopatum gessisset, non ab insula sed ab sua urbe nomen accepisset. Verum ne multis: sciendum est, Carpasiam Cypri urbem alio nomine *Carpathum* esse dictam. Testatur hoc Stephanus in *Carpasia* his verbis: Ξεναγόρας δὲ Κάρπαθον αὐτὴν φησι, *eam Xenagoras Carpathum vocat*. Ac vide an non Goltzii nummus, qui ΚΑΡΠΑΘΙΩΝ inscribitur, ad hanc urbem sit referendus, potius quam ad insulam *Carpathon* universam, cui urbs cognominis nulla erat. Quia ergo Carpasia seu Carpasium etiam *Carpathus* dicebatur; hinc scriptor Philo, etsi in vita Epiphanii sedem *Carpasii* assecutus dicitur, idem tamen in sui operis inscriptione *Carpathius* est appellatus. Nec illud Dupini te moveat, negantis (ubi de Philone Carpathio) in urbe Cypri Carpasia sedem Episcopalem fuisse. Mihi sane non vacat Notitias Episcopatuum evolvere. Sed tamen Harduinus (ad Plin. V. 31. ubi *de Carpasio*) ex Notitia Eccles. Καρπασὴν (25) affert: quae nova est urbis hujus scriptio.

Ergo Kalendarii nostri & Menaeorum, & vitae Epiphanii Philo non alius plane erit a *Philone Carpathio* Ecclesiae scriptore: quem inter Sanctos esse adnumerandum, ex hoc Kalendario, & ex Menaeis discimus.

Atqui etiam Dupinus in Philonis Carpathii opusculum invidiam creat. Exstat sub ejus nomine in Bibliotheca Patrum *Commentarius in Cantica Canticorum*. Hujus non pauca ex S. Gregorio Magno, qui recentior multo fuit, descripta esse, pronuntiat Dupinus: hinc continuo opus illud νοθείας damnat. Equidem heic mitto quod alii a Dupino laudati, illa ex Gregorio desumpta, aevo posteriore Philoni adsuta conjecerunt. Nam calumniam hanc verius pro me diluet Casimirus Oudinus, qui genuinum Philonis in Cantica Commentarium exstitisse testatur manu exaratum apud Cl. Bigotium, & quidem Graece & cum adjuncta vetere interpretatione Latina.

Postquam haec scripseram; incidi tandem in Menaea (heic admodum rara) in quibus Graece sic scribitur: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ (24. Januar.) μνήμη . . . τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν φίλωνος ἐπισκόπου γενομένου τῆς Καλπασίου. Ex quibus quomodo viri eruditi gentile nomen extuderint, valde miror:

(25) Ad hanc novam nomenclationem referri debet gentile Καρπασεὺς apud Stephanum. Sic enim se res habet. A Καρπασία & Καρπάσιον nascitur gentile ΚΑΡΠΑΣΙΕΥΣ in nummo, quem ex Goltzio citat Berkelius. Ex Καρπάσια cum diphthongo (uti usurpat Dionysius apud Steph.) nascitur Καρπασιώτης, ut Μαρωνίτης, Ἡρακλειώτης &c. Ex Καρπασεὺς fit Καρπασεύς. Postremo ex Καρπαθὼς fit Καρπαθεύς. Mitto quod Demetrius Salaminius apud eumdem Steph. pro *Carpasia* Καρβασίαν usurpabat: unde fieret gentile Καρβασιεύς.

Digitized by Google

miror: quum vel ordo verborum (Graece diversus, ac Latine positum fuit) contrarium suadeat. Vide quae initio de ea re diximus. Quibus adde hoc etiam, non solere in Ecclesiasticis Graecor. libris sedes Episcoporum per derivativa nomina, sed per primitiva (& quidem patrio casu, praecedente articulo) proponi.

Postremo Neapolitanos non tantum Epiphanii, sed & discipulorum eximios cultores fuisse, apparet; ut qui non tantum Philonem, sed & Polybium (de quo agitur die XIII. Maii: vide ibi dicta) celebraverint.

XXV DEP S GREGORII THEO

EST ex libris Graecorum. In Basilii Menologio nullus alius Sanctus hoc die occurrit, nisi tantum Μνήμη τῶν ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου, i. e. *Memoria Sancti Patris nostri Gregorii Theologi*. De eodem in Menaeis, & in Anthologio. Ex Latinis hoc die de eodem habent Beda genuinus, Rabanus, Notkerus, Maurolycus, Canisius, Galesinius, alii. At pro die IX. Maii (quo nunc colitur a Latinis) laudat Baronius ad eum diem Bedam (intelligo non genuinum) Vsuardum, Adonem & alios. Fatendum est tamen, Nanzianzeni festum sero admodum apud Latinos agitari coeptum die IX. Maii, nec (si (26) Bailleto credimus) ante saec. XVI., etsi eo die fieret de eo in suprascriptis Mrologiis mentio. At Graeci uno eodemque mense Januario ter hujus Doctoris festum agunt die XIX. XXV. & XXX. Ex his dies XXV. maxime sollemnis est, quippe qui inter ἡμέρας τὰ πάντα ἀνοσίους i. e. *in omnes nefastos* recensetur a Manuele Comneno in Constitutione *de Feriis*. Pone sequitur dies XIX. ut qui ibidem referatur inter dies interciſos i. e. nefastos usque ad Liturgiam expletam. Dies autem XXX. (qui dies Theologo cum Basilio & Chrysostomo communis est apud Graecos in Anthologio) in eadem Novella inter nefastos minime recensetur; id quod tamen Bailletus in vita Nanzianzeni perperam affirmaverat.

Jam vero illud majoris momenti est, quod ope nostri marmoris diem Nanzianzeni θανάσιμον (*emortualem*) lucrati sumus; qui antea ignorabilis habebatur, aut vero perperam diei IX. Maii (27) (quo die is Doctor nunc a Latinis colitur) affigebatur. Atqui habenda Graecis fides erat, apud quos hic dies maxime sollemnis est, & in totum feriatus; ut facile intelligas, hunc Graecis habitum esse diem suum. Nec vero apud Graecos heri aut nudius tertius hujus diei sollemnitas coepit, sed a patribus accepta, per manus transmissa ad nepotes fuit. Adde quod in Graecorum metricis Ephemeridibus (quas dedit Papebrochius tom. I. Maii) Gregorium hoc ipso die extinctum reperio.

Ἐκλὰς Γρηγορίῳ θεολόγῳ πέντε ἔτη μετρῆ.
Gregorium in se ducta dies quina examinavit.

Postremo vel si Graecorum monumenta parum fida habeamus (quod tamen, ubi de uno ex Graecae Ecclesiae coryphaeis agitur, iniquum est suspicari) at horum Fastorum auctoritas auxilio veniet, quorum fidem & hactenus expertam habui, & in posterum quotidie magis probatam experiemur. Quum ergo huic diei Fasti marmorei ϖ DEP. praefixerint; is omnino habendus est emortualis Theologi dies.

(26) Fides sit penes Bailletum: nam ne apud Papebrochium quidem (ad IX. Maii pag. 370. mei de hujus cultu apud Latinos agitur) usquam tale reperio.

(27) Plurium ea persuasio fuit, sed sine ulla prorsus auctoritate aut fundamento: nisi id eos permovit, quod in Officio diei IX. Maii non jubetur mutari versiculus *Meruit beatas in Meruit supremos*.

Digitized by Google

XXVI S XENOFON MŌN

COngruit cum Graecorum libris. Nam & Anthologium, & Horologium, & Menaea, & Maximus Cythereus, & Basilii Menologium hoc die Xenophontis & Sociorum mentionem faciunt. At nostri Fasti pro suo more antesignanum inscripsisse contenti, ceteris superfederunt. Ejus socii in Menologio sunt *Maria* conjux, itemque *Arcadius* & *Joannes* ejus filii: qui omnes Monasticam vitam amplexi sunt. Vixere autem saeculo V. aequales magni Euthymii: quantum ex Nicephoro Callisto lib. XIV. cap. 52. potest intelligi. Xenophon ipse Senatoriae dignitatis in urbe Regia fuerat. Horum vitam Latine redditam habes hoc die apud Bollandum. In Moscorum effigiato Kalendario (apud Boll. tom. I. Maii) post *Mariam*, *Arcadium*, *Joannem* ultimo loco ponitur *Xenophon* hoc eodem die.

XXVII NT S IOHANNIS CHR

CHrysostomi festa in hoc Kalendario sunt expeditu difficillima: quae tria numero sunt; ex quibus diei X. Januar. & XIII. Novemb. *Depositionis* nota praeponitur, hodierno autem *Natalis* signum praescribitur. Quid autem sibi hoc vult, quod bis Chrysostomi *Depositio* signatur? Potestne quisquam duobus inter se remotissimis diebus vitam cum morte commutasse? Quid quod in neutrum eorum dierum Sanctissimi Doctoris mors incidit? quem die XIV. Septemb. ad Caelum evolasse, Neapolitani nostri non ignorabant. An vero notam DEP. quam semper alias fidissimam ducem experti sumus, posthac infidam habebimus? Aut quid demum de Chrysostomi duplici DEP. statuendum erit?

Jam inde ordiar. Apud Latinos plura olim erant in quibusdam Ecclesiis Chrysostomi festa minora, ut infra dicetur: sed hodiernus dies maxime omnium sollemnis habebatur, in quem diem incidit Translatio reliquiarum ejus ex Comanis in Vrbem Regiam. At apud Graecos praeter festa minora, tres alii praeterea sunt Chrysostomo sacri dies. Apud quos hodierno die Translatio (28) corporis ejus, ut ante dictum, celebratur. Die autem XXX. hujus mensis festum celebrant huic Doctori cum Basilio & Nanzianzeno commune: cujus celebritatis causam Graeci scitu (29) non injucundam afferunt. Ac postremo iidem Graeci in omnibus libris diem XIII. Novembr. maximae Chrysostomi sollemnitati dicarunt: qui dies in celebri Manuelis Novella de Feriis totus nefastus est. Atque ea praecipua sunt apud Graecos Doctoris disertissimi festa, missis minoribus; veluti quod alicubi dies electionis ejus ad Episcopatum colitur; itemque exsilium, & quae plura ei in Episcopatu adversa acciderunt, suis quaeque diebus assignatas mentorias habent: de quibus etiam in Latinis quibusdam Mrologiis exstant vestigia. Vide de his Bollandum tom. 2. Januar. p. 760. Bailletum, & alios.

Ve-

(28) De ea, quam dixi, Translatione agitur in Menaeis, Basilii Menologio, Anthologio, Moscorum effigiato Kalendario, Metricis Graecorum Ephemeridibus.

(29) Sub Imp. Alexio Comneno orta est contentio, quisnam ex iis tribus Doctoribus sanctitate & eruditione aliis praestitisset: quam contentionem ipsimet Sancti compescuerunt, dum Joannem Euchaitarum Episcopum sub ὄραμα monuerunt, ut a certando desisterent: esse tres unum esse apud Deum, nec invicem dissidere. Inde ob rei memoriam agi coepta apud Graecos una trium horum celebritas die XXX. Januarii. Vide Bollandum ad 30. Januar. p. 1025.

Digitized by Google

Venio jam ad Faſtos hoſce marmoreos, qui duo feſta (hodiernum, & XIII. Novembr.) communia cum Graecis habent, tertium autem (X. Jan.) ſibi proprium ac peculiare. Ab hodierno incipiam. Quia igitur in hunc diem incurrit Translatio Reliquiarum Chryſoſtomi; merito ei feſto *NATalis* nota praefigitur: nam *Natale* aut *Natalis* in hoc Kalendario quodlibet feſtum anniverſarium deſignat, cujuſcumque generis fuerit, ſed ab emortuali diverſum, ut alibi ſaepe oſtenſum fuit.

At die XIII. Novemb. ſic in marmore ſcalpitur: DEP. S. IOHAN. CHRIS. Quo pacto autem illud DEP. ſtare cum hiſtoria poteſt, docente, θανάσιμον noſtri Doctoris diem fuiſſe XIV. Septembris? quo die in Menaeis ſic legitur: *Obitus S. P. N. Jo: Chryſoſtomi in hoc enim die requievit in Domino; ſed propter celebritatem Exaltationis S. Crucis, illius dies feſtus translatus eſt in Novembrem.* Anne credibile eſt, id Neapolitanos ignoraſſe, quod omnes Graeci norant? Quid igitur marmor iſtud *DEPoſitionem* vocat? Dicam equidem quid olim conjecerim. *Depoſitio* quidem in hoc marmore diem emortualem proprie deſignat: & ubicumque *Depoſitionis* nota ſcalpitur, dici debet (niſi ſiquando aliud obſtet) eo die illum Sanctum emigraſſe. At vero ſiquando verum obitus diem majore aliquo feſto occupari contingeret; tum vero illud ipſum *Depoſitionis* feſtum diei alteri firmiter affigebatur. Id ubi accidit, illic non *Depoſitionis* diem, ſed *Depoſitionis* feſtum decet intelligere, ibi conſtanter affignatum. Et vero rem ita eſſe teſtantur Menaeorum verba ſupra recitata, quibus innuitur, *obitum* (ſive, uti Latini vocant, *Depoſitionem*) incidiſſe quidem in XIV. Septemb., ſed eo die impedito, feſto loco motum, atque affixum diei XIII. Novembr. Ac revera Graeci in diei XIII. Novemb. Officio ſic loquuntur, tamquam ſi eo demum die S. Doctor in Caelum evolaverit. Neque id mirum: nam translato Depoſitionis feſto, ille alter dies, in quem feſtum immigrabat, jam tum pro θανασίμῳ (*emortuali*) habebatur.

Ac ſane quod *Depoſitionis* ſollemnitas nonnunquam differretur in alium diem, & nihilominus is dies alius *Depoſitio* diceretur, patet ex vita S. Severini Epiſcopi Septempedani apud Bolland. die VIII. Jan. pag. 501. Nam quum ibi num. 10. dictum eſſet, Severinum *ad caeleſtia meruiſſe regna migrare VI. Kal. Majas* (i. e. 26. April.) mox num. 11. ſic ſcribitur: *Nam cum Idibus Maiis ejus DEPOSITIO celebretur* (qui tamen menſe ſuperiore obierat) *licet & Kalendis Maiis, quibus eſt indeptus ſacerdotium* (is eſt Natalis Cathedrae) *turba conveniat: tamen ad ſupradictum diem* (emortualem ſcil. h. e. VI. Kal. Majas ſive 26. April.) *velut ex omni orbe devota convenit multitudo.* Idibus quidem Maiis feſtum DEPOSITIONIS (loco ſuo motum ſcil.) publica Eccleſiae Septempedanae auctoritate affixum fuerat: etſi in vero emortuali die ex privata pietate multitudo conveniebat. Nihil clarius afferri poteſt, ut oſtendatur, diem XIII. Novemb. apud Graecos ac Neapolitanos non fuiſſe quidem verum emortualem diem, ſed tamen fictione (ſi ſic loqui licet) Eccleſiaſtica pro emortuali habitum: proinde non immerito Neapolitanos diei XIII. Novembr. illud conſuetum DEP. inſcripſiſſe.

At enim, inquis, ſi res ita habet, jam notam DEP. quam hucuſque fidiſſimam ducem ſecuti ſumus, poſthac, ubi ſemel fefellerit, parum fidam habebimus. Fateor: meque ipſe recipio, aliamque viam ingredior: praeſertim quum, utcumque dicta in XIII. Novemb. quadrent, at non etiam in X. Januar. quadrare poterunt: de quo jam dicendum.

Nam in hoc marmore non tantum diei XIII. Novemb. ſed & X. Januar. inſcribitur DEP. Quid hac altera *Depoſitione* fiet? An hanc quoque imaginariam Depoſitionem nuncupabimus? Id ſi eſt, nae iſtud DEP. mirificos ludos facit. Nec

Digitized by Google

ei fidere amplius oportebit. Verum quid moror? Sciendum est, tantae venerationi apud Graecos juxta ac Latinos Chrysostomum fuisse, ut singulos pene vitae illius actus statis per anni circulum diebus commemorandos sibi duxerint. Itaque uti supra tetigimus, & Natalem Cathedrae colebant, & exsilia, & laetam ab exsilio revocationem, & quaecumque in Episcopatu adversa acciderunt. Videantur de his collecta a Bollando (tom. 2. Januar. pag. 760.) Bailleto & aliis. Prae ceteris autem notabile est, quod in pluribus Ecclesiasticis libris apud eosd. die V. Maii signatur Chrysostomi (injusta) *Depositio*: & die XIX. aut XX. Martii *Exsilium* prius, die XX. Januar. *Exsilium* alterum. Haec & quae plura afferri possent, nos plane certos efficiunt, eam quae die X. Januar. in his Fastis, *Depositio* colitur, non aliud quam injustam ejus exauctorationem esse intelligendam.

Imo nec illud DEP. quod diei XIII. Novemb. praefigitur, aliud est, quam *Depositio*; quatenus poena canonica est. Bis enim, ut omnes norunt, in Episcoporum conciliabulo Chrysostomus eam sententiam subiit, ac post sententiam exsilium. Hinc Neapolitani priorem exauctorationem die X. Januarii recoluerunt, posteriorem autem die XIII. Novembr. Cur, inquis, posteriorem in XIII. Novembr. contulerunt? Quia diserte in Basilii Menologio eo die proponitur: Ἀνακομιδὴ τῆς ἐξορίας ... *Commemoratio exsilii S. P. N. Joannis Chrysostomi*. In elogio autem non de priore relegatione, sed de posteriore agitur, qua Cucusi exsulavit. At Neapolitani eodem die non *Exsilium* ei diei inscripserunt, sed *Depositionis* (posterioris utique) sententiam. Ex quo sequitur die X. Januar. non aliud Neapolitanos coluisse, quam *Exauctorationem* priorem. Eaque demum certissima est duplicis in his Fastis Chrysostomi *DEPositionis* interpretatio.

His intellectis; jam fusa alibi marmori constabit fides in nota DEP. proponenda. Nec enim periculum est, ne in aliis Sanctis ea DEP. de *Depositionis* sententia sit capiendum, quum ea exauctorationis festa Chrysostomo tantum peculiaria fuerint in hoc marmore.

Ceterum quum audis hanc aut illam Ecclesiam hoc aut illo die *exsilium*, *Depositionem*, aut quid aliud coluisse, noli putare eos historica diligentia veros dies collegisse; sed, uti cuique commodum fuit, dies illos signasse non est dubium. Multus in Chrysostomo fui, propterea quod quaecumque ad X. Januar. & XIII. Novembr. adnotanda erant, in hunc unum locum contuli.

XXVIII S EFREM

S. Ephraemum Syrum Edessenae Eccl. Diaconum hoc die Graeci colunt in Metricis Ephemeridibus, Menaeis, Anthologio, Menologio; itemque Moscovitae in suo Kalendario effigiato: at Beda, Martyrologium Rom. aliique plures Latini die I. Febr.

XXVIIII Ñ S IGNATI

Sicuti supra die XXVII. hujus mensis vox *Natale* ponitur pro festo Translationis Chrysostomi, sic etiam hic. Nam Graecis hoc die in Anthologio colitur ἡ ἀνακομιδὴν τῶν λειψάνων τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰγνατίου τοῦ θεοφόρου, *Translatio reliquiarum S. Hieromartyris Ignatii Theophori*. De eadem hoc die Menaea & Menologium, & Ephemerides metricae. Intelligitur autem translatio reliquiarum Romа in Syriam. In Moscovitico Kalendario effigiato colitur hoc die *Ignatius*: de Translatione nihil.

XXX

XXX DEP S PEREGRINI

DE hoc tacent hac die Graecorum pariter ac Latinorum Eccleſiaſtici libri. Sed Calatabellottae in Sicilia hoc eodem die *S. Peregrinus Conf.* ſollemni feſto feriato & cum octiduo colitur: de *quo et* die 18. Auguſti fit commemoratio. De eo videndus Octavius Cajetanus in SS. Siciliae, & ex eo Ferrarius, ac poſtremo Bollandus ad hunc diem. Nec alius ab hoc Peregrino Siculo eſt noſtri Kalendarii Peregrinus. Ac ſane ex feſto ſollemni, quo is Calatabellottae hoc die celebratur, intelligitur, optime eius *Depoſitionem* in Noſtro marmore hac eadem die conſignari. Circumferebatur olim hujus Confeſſoris vita M.S. quam Bollandus adipiſci non potuit. Sed & in Encomio S. Marciani Syracuſani, quod Graece & Latine dedit Papebrochius ad XIV. Junii, reperi mentionem fieri pag. 790. num. 6. cujuſdam S. Peregrini Mart. diſcipuli S. Marciani. Hunc autem Papebrochius in Adnotatis (litt. K) eumdem facit ac illum Calatabellottae cultum. Verum major habenda eſt fides noſtro marmori longe antiquiori, quam Encomio illi haud bonae frugis. Itaque ab his Faſtis abeſt *Paſſionis* nota; cujus loco ſcalpitur ⊕ DEP. quod Sanctis non Martyribus adpingitur.

Fuit autem Neapoli & hodiedum exſtat vetuſta Eccleſia cuidam S. Peregrino dicata, de qua Caeſar de Engenio pag. 80., ubi & hujus Sancti Acta refert, ex quorum fide putatur hic Peregrinus filius fuiſſe Malcolmi III. Scotiae Regis; qui quidem regnum circiter an. 1057. adeptus, exactis in regno annis 36. mortuus dicitur. Quare Peregrinus iſte ſaeculo XI ac XII floruerit oportet: proinde cum antiquiore Peregrino (de quo hodie Kalendarium Marmoreum) nihil commune habebit.

XXXI PAS S FIRI ET IOHIS

IN priore nomine F loco ⊕ K ſcalptum eſt per errorem: nam quod in eodem nomine I loco Y poſitum fuerit, id aevi poſterioris & hujus marmoris familiare peccatum eſt. Habet autem hos Sanctos monumentum noſtrum, ex Graecis; in quorum Anthologio & Menologio hi duo Martyres θαυματουργοι vocantur: & in Anthologio etiam ἀνάργυροι, propterea quia medicinam ſine mercede profiterentur: quae tamen gratuita artis profeſſio in Menologio uni Kyro tribuitur. In quo Menologio hiſce duobus ſociis Paſſionis adjungitur *Athanaſia* cum tribus filiabus, *Theodota*, *Theoctiſta* & *Eudoxia*. Iidem ſex, ſed ordine diverſo proponuntur hoc die in Moſcovitico Kalendario effigiato apud Papebr. tom. I. Maii. Atque hi ſine controverſia in Oriente paſſi ſunt, & quidem Alexandriae anno IX perſecutionis Diocletianae: id quod ex Actis Graecis Cyri & Joannis Baronius prodidit ad hunc diem, quo in Rom. Martyrologio legitur, *Romae via Portuenſi SS. MM. Cyri & Joannis*, Cur autem in Rom. Martyrologio Martyres Romani ſint, qui Alexandriae obtruncati fuerant, id eam habet cauſam, quod aliquando horum duorum corpora Romam translata reperiantur, quemadmodum ex vetere inſcriptione fidem facit ibidem Baronius.

Poſtremo Graecorum Latinorumque conſenſus in hunc diem hos Sanctos conjicientium, maxime autem ⊕ PAS. praefixum in hoc marmore, oſtendit, vere hunc diem his Martyribus triumphalem fuiſſe: quod & diſerte ſcribitur in Actis a Sophronio compoſitis apud Bollandum, in quibus hi Martyres prid. Kal.

Digitized by Google

Kal. Febr. consummati dicuntur. Idem legitur & in Lectionibus veteris Breviarii Capuani, quod penes me est.

Sed notandum est, in eo Breviario ad 31. Jan. horum Martyrum priorem non *Cyrum*, sed *Abbacirum* semper vocari; sicuti & in Kalendario, quod ei Breviario praefigitur, & in aliis duobus Kalendariis Capuanis apud Mich. Monachum in Sanctuar. Capuan. pag. 456. Ibi Monachus suspicatur, dictum *Abbacirum*, quasi *Abbatem Cyrum*, quia is monasticam vitam professus fuerat. Verum eam appellationem, quippe Aegyptii Martyris, prodiisse ab Aegyptiis primum oportuit. Nam in Coptico Kalendario ad VI. diem mensis Mechir, qui est XXXI. Januar. Cyrus iste (qui cum Joanne colitur) vocatur *Abbacher*: unde factum est *Abba Cyrus*, sive junctim *Abbacyrus*. Quod nomen ei in plurimis monumentis antiquis juxta ac recentioribus tribuitur: de quibus vide Bailletum, ac potissimum Castellanum, qui de eo nomine (quod postremo Romae in *Appassara* degeneravit) copiosissime disserit. Ac ne Neapolitanis quidem *Abbacyri* nomen inauditum fuit: nam in Kalendario MS. quod in Tutini chartis Rituali Neapolitano praeponitur, diei XXXI. Januar. inscribitur in hunc modum: *SS. Abbacyri & Joannis MM.* Ac praeterea inter cetera monumenta illud quoque Castellanus affert (pag. 469.) quod in Actis Dedicationis Ecclesiae Neapolitanae *S. Gregorii du Rionaire* nomen *S. Abbacyri* scriptum reperiatur. Porro ea Ecclesia alia non est, quam Monasterium *S. Gregorii in Regionario*, cujus mentionem reperi in Tutini MSS. in Brancatiana Biblioth. Armario 2. littera D. num. 6.

Et certe post horum Sanctorum Translationem ex Aegypto Romam, & postquam Anastasius Biblioth. Sophroniana eorum Acta Latinitate donavit, incredibile dictu est, quantopere in his locis eorum cultus increbuerit. Inter cetera Cathedralis Vici Equensis Ecclesia in SS. Cyri & Joannis honorem extructa hodiedum cernitur.



Digitized by Google

M FEBRVARIVS D XXVIII

I NT S TRIFONIS

COnsentit cum Graecorum libris, Anthologio, Menaeis, Menologio, Metricis Ephemerid., Moscorum Kalendario figurato: in quibus hoc die Tryphon solitarius ponitur, ut in Nostro. At Latini in Rom. Martyrologio & Breviario non hoc, sed die X. Novembris Tryphoni Respicium & Nymphan adjungunt; quorum posterior nihil cum Tryphone commune habet, praeter hodiernam sepulturae societatem. Vide Baronium ad eam diem, Tillemontium, Baillettum.

Monitum autem heic lectorem volo, ne facile scriptoribus Hagiographis credat, putantibus hoc die Tryphonem decessisse. Nam etsi Graeci in libris omnibus hoc die de eo agunt, nihil inde ad diem Passionis firmandum elicitur. Nam Sanctorum plurimi a Graecis die non suo coluntur. Verum is error etiam Metricas Ephemeridas invasit, non obscure significantes, Tryphonem hoc die coronatum. Apud me vero longe potior est hujus Kalendarii auctoritas, (in quo NATALIS nota non nisi Sanctis die non suo cultis praeponitur) quam Ephemeridum Graecarum nec satis antiquarum, ac saepe ex die Festi diem θανάσιμον arguentium. Mitto quod *Tryphon* hic in Vsuardi apographo MS. Parisiensi, & aliis monumentis non hoc, sed die III. Febr. signatur: quo eodem die is in Dalmatia uti Patronus colitur, teste Bollando ad I. Febr. in Praetermissis. Ergo hic dies Tryphoni emortualis non fuit, quum desit nota PAS.

II PVRIF SCE MARIE SVMEO

GRaeci in suis Officiorum libris & in Homiliarum titulis hoc festum ὑπαπαντὴν i. e. occursum vocant: quod & Latini post IX. saltem, uti credo, saeculum sunt imitati, etsi corrupte (1) interdum id vocabulum efferunt. In Moscorum figurato Kalendario hoc die sic inscribitur: *Delatio Jesu Christi in Templum*. At Latini antiquiores *Purificationem* &c. vocabant, quomodo vocatur in Florentiniano Hieronymi Martyrologio, & alibi. Itaq. heic nostrum marmor Latinam quam Graecam appellationem sequitur. Ceterum de hujus festi antiquitate videatur ad hunc diem Baronius, Bollandus, Baillettus: & Florentinius heic & ad V. Januar. Apud Graecos quidem haec sollemnitas Justiniani imperio non est antiquior: at apud Latinos videtur aliquanto vetustior.

Ceterum illud SVMEO, quod in Nostro additur, inde manavit, quod in Latinorum & Graecorum libris hoc festum *S. Simeonis* interdum vocatur; addito hoc, *quando Dominum in ulnas recepit*, aut similibus verbis. Itaque *festum S. Simeonis* appellatur & in Codice Remensi Sacramentarii Gregoriani, & Anastasio in Sergio, & alibi passim apud Graecos & Latinos. In Florentiniano Martyrologio die V. Januar. *In Jerosolyma Simeonis Prophetae, quem obvium ei Dominum J. C. Maria & Joseph.* Deinde hoc die: *Purificatio S. Mariae Matris D. N. J. C.* cujus diei festum nescio cur Baillettus ei Martyrologio additum a recentiore manu

(1) Nam modo *Hypapanti* vocant, tametsi hoc sit indeclinabile, modo contracte *Hypapanti* seu *Hypanti*; modo adhuc corruptius, veluti quod in Silatiano Kalendario (quod VIII. saeculi videtur) reperi: *Vppopane*.

Digitized by Google

manu dicat; quum Florentinio nihil de additamento huic suboluerit. At in Anthologio praeter hujus diei festum, quod ὑπαπαντὴ dicitur, deinde die III fit *Memoria S. & justi Simeonis* ὁ Θεοδόχου; quibus verbis in Menologio additur *Et Annae Prophetissae*. Etiam Moscorum effigiatae Ephemerides (editae a Papebrochio tom. I. Maii) die crastino *Symeonem* colunt.

III N S BLASSI

A Graecis non hoc, sed XI. die Febr. celebratur in Menaeis, Anthologio, & Menologio. At Latini in Romano Martyrologio, Beda, Adone, Vsuardo, Notkero & pluribus aliis hoc die. Quis autem verus dies Passionis fuerit, juxta eum ignarissimis scio. Hodiernus certe non fuit: idque ex hujus marmoris indicio; in quo non *Passionis*, sed *Natalis* nota praeponitur, diebus non suis praefigi solita in his Fastis.

Cur porro Neapolis in hoc S. Martyre Latinos potius, quam suos Graecos in die Festi assignando secuta sit, ea videtur mihi causa, quod quum reliquias hujus Martyris habeat (quas ex aliqua Latina Ecclesia accepisse sine controversia videtur) ex eo factum, ut eo die festum celebrandum duxerit, quo die ibi colebatur, unde reliquias abstulit. Nec dubium est, quin quas Blasii reliquias Neapolitana Cathedralis in honore habet, eas ex aliquo Occidentis loco arcessiverit; quia in Oriente haud facile hujus Martyris ossa ostenduntur; quin & ibi rarus ejusdem cultus: quam contra nullus sit ferme Italiae, Galliae, Hispaniae, Germaniae locus, ubi non plura hujus Sancti pignora ostendantur: vera an pie supposita, non interpretor. De sparsis ubique per Occidentem reliquiis vide Bollandum & Bailletum.

Cur vero tantopere Blasii cultus increbuerit, ea causa fuit, quod faucibus opitulari omni aevo creditus fuerit. Documento est Aetius medicus celeberrimus (de quo lis est, idemne fuerit ac ille Aetius haereticus Eunomii magister) in Tetrabiblo 2. lib. 4. cap. 50. (edit. H. St. pag. 404.) ad educendam e faucibus spinam, jubet apprehenso aegri gutture dicere: *Blasius Martyr & servus Christi dicit, Aut ascende aut descende.*

Ad nominis scripturam quod attinet, ea in antiquis libris varia admodum est. In Rosweidano Mrologio, Adone, Vsuardo, & quibusdam aliis apud Castellanum heic, scribitur *Blavius*: quod certe venit ex Graeco infausto nomine Βλάβιος i. e. *damnosus*; cujus contrarium est Ἀβλάβιος *Ablabius*, haud infrequens apud Graecos nomen. In Hieronymiano ad 16. Febr. vocatur *Blesius*: quod frequens olim erat: nam in Indice Gruteriano reperias *Blesios*, *Blaesios*, *Blessios*, & *Blesidios*. Postremo idem in Graecorum libris & alibi *Blasius* vocatur: quod non abnuerim fuisse verum Nostri nomen. Apud Grut. pag. 1074. 15. occurrit M. PVPIVS. BLASIVS. Apud eumdem in Fastis Capitolinis pag. 292. versu 1. CENS. CN. CORNELIVS. L. F. CN. N. BLASIO. In eisdem p. 296. col. 3. versu 3. legitur solitarium BLASIO, recto ne an dandi casu, incertum. At in nostro marmore duplex est sibilum; sicuti *Blesii*, etiam *Blessii* dicebantur.

IIII N S CLAVDII MŌN

DE Claudio Monacho tacent hoc die Latini in suis Martyrologiis: tacent & Graeci in suis Officiorum libris: nisi quod hoc eodem die in Basilii Menologio primo loco sic legitur: Ἀθλησις &c. *Certamen SS. MM. Papiae, Diodori & Claudiani*; qui pastores fuisse dicuntur ex Attalia Pamphyliae urbe & sub Decio passi.

Digitized by Google

passi. Hunc autem Menologii Claudianum Martyrem eumdem fuisse, ac nostrum Claudium Monachum, illud suadere possit, quod in hoc Kalendario, & in aliis monumentis propria nomina primitiva cum suis derivativis alternant saepissime: de quo vide dicta ad XVII. Januar. (ubi *Antoninus* vocatur, qui aliis *Antonius* dicitur) & alibi passim dicenda. Verum quominus sic sentiam, illud facit, quod noster *Claudius* inter Monachos refertur, de martyrio tacetur. Ceteroqui nota *NATalis* dat intelligere, hunc Claudium die non suo coli. Itaque licebit de propinquo alium Claudium non Martyrem arcessere.

Percommode autem accidit, quod in Menaeis hesterno die agitur de *S. Claudio Confessore*; de quo duo hi Senarii ibi leguntur, praeterea nihil,

Ἐ᾽χαιρεν ἐργῶν Κλαύδιος βίᾳ τέλος,
Ὡς εὗρε εὖρει Ψαλμικῶς πολλὰ σκύλα.
Reperisse gestit Claudius finem ultimum,
Invenit ut qui spolia multa Psalmice (2).

Atque is demum est hodiernus hujus marmoris *Claudius Monachus*. Nam *Confessor* in medii aevi scriptoribus tantumdem est, quod *Monachus*; de quo vide Cangium. Hinc apud Graecos ἐξαγέλασιν ποιεῖν est in Monasterio votum emittere. Atque is *Claudius* (quem heri colere Blasii festum vetuit) in hodiernum diem translatus est, proinde cum NATalis nota,

V P S AGATHE

EOdem hoc die Agatham tum Graecorum tum etiam Latinorum libri Ecclesiastici habent; inter quos antiquissimum Martyrologium Hieronymo tributum, & a Florentinio editum non sub alio nomine hoc festum, quam *Passionis* consignat (*in Sicilia*, inquit, *Cataniae Passio S. Agathae Virg.*) ut etiam in Nostro hoc scribitur: ut non sit dubitandum, quin tam illustris Virginis certamen vere in hunc diem inciderit. Quo die Agatham etiam Metricae Ephemerides Graecorum a Papebr. editae tom. I. Maii passam testantur.

Πέμπτῃ ἐν φυλακῇ Ἀγαθὴ θεάτην εἶδος ἐρέσσῃ.
Quinta Agathae formam de carcere misit ad astra.

Inter vetera Oratoria, quorum nomina Tutinus ab interitu vindicavit (in Brancatiano Cod. MS. Armar. 2. lit. D. num. 6.) refert pag. 81. Oratorium *S. Agathae Regionis Ercoriolae juxta murum publicum*. Qui & ibidem meminit antiqui Monasterii, cui nomen *S. Agathae in vico Aburii*. De ejus cultu apud Capuanos videatur Mich. Monachus in Sanct. Capuano pag. 458. Nam ejus mammilla in Capuana Cathedrali magno in honore habetur, ibique illa cum S. Stephano uti praecipua patrona colitur.

VI N S FAVSTA

ET hanc Martyrem marmor nostrum ex Graecis habet: qui hoc eodem die eam colunt. Nisi quod Fausta in Menaeis & Menologio collegas certaminis & festi habet *Evilasium*, & *Maximum*. At vero in Anthologio (ut & in hoc Kalendario) *Fausta* tantum hoc die colitur. Postremo Latini hoc quidem die de his Martyribus silent: verum die XX. Septembr. in Martyrologio Romano de *Fausta* & *Evilasio* agitur, itemque apud Bedam, Vsuardum, Adonem; ad quem diem vide Baronium. *Natalis* nota heic scalpta docet pro more hujus monumenti, hanc Martyrem die non suo coli: alioqui *Passionis* nota praefixa fuisset.

(2) Versiculi necessitas jussit illud adverbium Ψαλμικῶς reddere novo adverbio *Psalmice*, h. e. secundum Psalmi CXVIII. phraseologiam.

Digitized by Google

VII P S SATVRNNI

DEest in penultima I, ut sit SATVRNINI. Is autem abest a Graecorum libris: sed reperitur in Vetustiss. Martyrologio Florentiniano, ubi hoc die sic legitur: *In Britannis civitate Augusta Natalis Auguli Episcopi. Anatholi. Andreae. Ammonis. Statiani. Nepotiani. Saturnini. Luci. Saturnae.* Ex his autem tantum primus Britannorum Augustae est attribuendus, uti constat ex antiquiore apographo Epternacensi S. Villobrordi, quod hoc die eosdem Sanctos referens, post *Auguli*, sic addit, *Et alibi Anatholi* &c. & ad finem *Saturnini & Saturni*. Et quidem hunc *Saturninum*, de quo hodie Kalendarium, ex praefixo P. (i.e. *Passio*) & Martyrem fuisse arguitur, & hoc ipso die Martyrio consummatum; proinde alium non esse, quam qui eodem die cum aliis collegis in supra scripto Hieronymi Martyrologio memoratur; non autem illum qui in eodem Hieronymiano pridie cum *Revocato* commilitone recensetur *in Achaia*. Ceteroqui innumeri alii martyres *Saturnini* fuerunt. Quatuordecim in mense Januario Bollandus recensuit, nonnullos alios in mense Februario: & plures alii ejusdem nominis aliis mensibus a Bollandianis scriptoribus inseruntur.

VIII DP VICTORIS EPI

NVllus hoc die hujus nominis Sanctus a Bollando & Henschenio refertur; nec enim Ecclesiae Neapolitanae monumentis satis tunc instructi fuisse Bollandistae videntur. Nam ceteroqui ex nostro Chioccarello pag. 48. & Ant. Caracciolo pag. 343. facile fuisset animadvertere, die VIII. Februarii S. Victorem Neapolitanum Episcopum Neapoli cultum fuisse. Ostendit id Chiocarellus ex Kalendario quod veteri Breviario M. S. praefigitur, ubi scriptum erat: *Neapoli S. Victoris Episcopi & Conf.* In altero Kalendario quod Rituali Neapolitano praevium, in Tutini chartis reperi, sic legitur eodem die: *Sancti Victoris Neapolitani Confessoris*. Postremo in Kalendario, quod Breviario monastico Casinensi praeponebatur, eodem die sic erat scriptum: *Neapoli S. Victoris Episcopi & Confessoris.* Victor hic Neapoli sedit V. saeculo exeunte, cujus non tantum Jo: Diaconus in Chronico Episc. Neap. sed & Eugypius Abbas aequalis cum elogio *Sancti* (quod erat tamen fateor, Episcopis tunc commune) meminit in Epistola ad Paschasium Diaconum de vita & miraculis S. Severini Abbatis, quam Surius diei VIII. Januarii inseruit. Itaque Victor Episcopus, qui hoc die in nostro marmore consignatur, non alius est a S. Victore Episc. Neapolitano, qui eodem die in Neapolitanis Fastis notabatur. Ac sollemne habet hoc marmor, ut in nostris SS. Episcopis nonnumquam addat *Episcopi nostri*, alias illud *nostri* penitus omittat, ut heic & alibi pluries. Nec dici potest, tunc tantum illud *Nostri* appositum fuisse, quando periculum erat, ne cum aliis ὁμωνύμοις confunderetur, alias vero omissum: nam & hic Victor confundi cum S. Victore Capuensi potuisset; & alibi additur *Nostri*, etsi ὁμώνυμοι nulli essent. Ergo illud *Nostri* non consilio sed ad libitum apponitur omittiturque in hoc nostro monumento.

IX PS NICIFORI

DE illustri hoc martyre (quem μεγαλομάρτυρα i. e. *magnum Martyrem* Graeci appellant) qui in persecutione Valeriani & Gallieni medio III. saecu-

Digitized by Google

ſæculo depugnavit, agunt hoc die Menæa, Baſilii Menologium, Anthologium, ceterique Graecanicorum officiorum libri, & Moſcorum effigiatae Ephemerides. At erat olim de eo ſilentium in Latinis Martyrologiis: niſi quod Molanus *illum* Vſuardi Martyrologio addidit; *qui* & Romano tandem inſertus fuit. Illius Acta duplicia Bollandus dederat: at Ruinartus ex iis altera utpote antiquiora ſuis Martyrum Actis ſinceris intexuit, ſane fide (3) digniſſima. In noſtris Faſtis recte P. i. e. *Paſſio* ejus ſignatur hoc die: quod conſentit cum metricis Graecorum Ephemeridibus ubi legitur.

Φασγάνῳ αἰμᾷ ἑνάτῃ, Νικηφόρε, δειροτομήθης.

Nona dies ſcidit enſe tibi, Nicephore, collum.

(3) *Pro fide Actorum S. Nicephori Mart.* QVid de his Actis ſenſerit Ruinartus, vel ex eo ſolum poteſt intelligi, quod iis inter *Acta ſincera* locum dederit. Nec ſecus de iiſdem judicavit Tillemontius (tom. IV. Artic. 8.) niſi quod in Adnot. VIII. haec poſuit: *D'ailleurs je ne ſçai ſ'il faut dire que ces actes ſoient tout à fait originaux. Car ils ont quelque air d'une narration faite pour inſtruire des moines* (quo omnino ſpectant, quae leguntur apud Ruinartum ad finem num. VII. *Quamobrem o dilecti* [ἀγαπητοὶ ἀδελφοί] *nos quoque diligenter caveamus ab hac diabolica operatione, odii inquam & injuriae acceptae recordatione*: quae non eſt dubium, ad alios inſtruendos pertinere) *quoique leur ſimplicité ne nous permette pas de douter qu'ils ne ſoient tres anciens.*

At Baillетus (in Tab. critica Actorum ad IX. Febr.) longius aliquanto progreſſus ſcripſit: *Mais la beauté edifiante de cette hiſtoire ſemble donner lieu de douter à ceux qui n'y trouvent pas le circonſtances des lieux & des tems qu'ils ſouhaiteroient, ſi ce ne ſeroit pas une PARABOLE de la charité fraternelle . . . c'eſt à dire, une inſtruction en forme d'hiſtoire.*

Poſtremo Cl. Caſtellanus Canonicus Pariſienſis omnem pudorem exuit, dum in ſuo Martyrologio ad IX. Febr. ſic invehitur in haec Acta. *L'Auteur ne dit point en quel lieu, ny en quel temps ſon Saints a ſouffert: & ce n'eſt que dans une des traductions, & non dans le texte Grec, que l'on a ajuté que c'étoit à Antioche: & dans le Menologe du Card. Sirlet . . . on a mis que c'étoit ſous Valerien & Gallien; comme dans les Menées. Le tout paroît PARABOLIQVE . . . . Dom Thierry a donné ſes Actes grecs . . . Rien ne convenoit mieux au titre de ſon Livre, qui eſt ACTA MART. SINCERA.*

Qui primum in eo fallitur, quod temporis determinationem in his Actis deſiderari, cum ſuo antecessore Baillето, dixit. Vel Acta Ruinartiana legiſſent, in quibus diſerte num. 3. ſcribitur: ὁι Ἅγιοι . . . Οὐαλεριανὸς καὶ Γάλλος . . . quae in antiqua interpretatione redduntur: *Dicit Praeſes: Auguſti noſtri & domini hujus regionis & finium Romanorum VALERIANVS & GALLVS juſſerunt, ut qui ſe dicunt eſſe Chriſtianos, ſacrificent diis immortalibus . . .* Ac nequem forte offendat, quod Gallus cum Valeriano componitur; adnotat Ruinartus in ſuo MS. pro *Gallus* ſcriptum fuiſſe *Gallienus*, quod rectum putat. Verum ὁ GALLVS erroris argui non debet: nam ex iis quae ad XVII. Januar. adnotavimus, & ex alibi dicendis conſtat, in antiquis & aevi ſequioris ſcriptis nomina propria primitiva cum ſuis derivativis alternare ſaepiſſime. Itaque idem imperator peraeque *Gallus*, & *Gallienus* dicebatur. Hinc *Maximi* & *Maximiani* aut *Maximini*, *Conſtantii* & *Conſtantini*, & alia ſexcenta in eumdem modum, nomina confundebantur.

Deinde demus hoc Caſtellano, deeſſe in his Actis locorum ac temporum circumſtantias: num continuo eam narrationem inter parabolas amandabimus? Si ita ſit; nihil erit cauſae, cur Baſnagium arguamus temeritatis, quod auſus ſit Clementis Alex. narrationem de latrone quodam per Apoſtolum Joannem ad bonam frugem revocato inter apologos referre. Nam certe ſi Caſtellani factum cum Baſnagii facto conferatur, hic alter multo innocentior prae illo reperietur; quum in Clementis narratione non tantum Latronis locique nomina deſint, ſed & quaedam locutiones inſint, quae Baſnagio fraudi fuerunt, ut pro apologo haberet.

At in hiſce Actis praeter Imperatorum, etiam Athletarum nomina adnotantur: &, in quo caput eſt, *Sapricii* pſeudomartyris nomen ita ſignatur, quaſi ſi auctor id ſibi propoſitum habuiſſet, orituras aliquando fictionis ſuſpicioni occurrere. Nam Graecus Actorum textus ſic incipit: Ἦν τις πρεσβύτερος, ὀνόματι Σαπρίκιος, ὃν καλέμενος. Quae duo poſtrema verba neglexit vetus interpres: nec cura ver-

Digitized by Google

X NT SCOLASTICE

ABest a Graecorum libris Ecclesiasticis : abest & ab antiquioribus Latinorum Kalendariis, librisque Liturgicis, ut & Rosveidano Martyrologio. Itaque Beda omnium primus hoc die Scholasticam suo Mrologio inseruit, non ante initia octavi saeculi scripto : cui mox Florus plura de suo addidit. Postea vero Ado, Vsuardus, alii eamdem suis Mrologiis intexuerunt. Eadem inscribitur veteri Kalendario, quod praeponitur Rituali MS. Neapolitano, hoc eod. die in hunc modum : *Scholasticae virginis* ; ut & Kalendariis, Mrologiis, & Breviario Capuanae Ecclesiae apud Mich. Monachum pag. 461. & Siculis pervetustis Breviariis & Missalibus apud Joannem de Joanne p. 346.

Sane vero Cenomani, qui Scholasticae corpus adhuc habere gloriantur (cujus reductionem in Casinense Monasterium non adprobat Bollandus ; penes quem fides sit) ejus Translationem in urbem suam celebrant die XI. Julii, at *obitum* (uti testatur Bollandus, quem vide pag. 401. num. 46.) hoc eodem die. Sed cautius dixisset Bollandus, Festum majus hoc die ibi celebrari, non *obitum* aut

verbum verbo appendere satagit. Et tamen eae duae voculae, siquid video, omnem parabolae suspicionem ab his Actis amoliuntur. Est enim hoc apologorum familiare, ut nomina imponantur qualitati personae, quam unusquisque gerit, convenientia. Itaque suspicari aliquis potuisset, *Nicephorum* quidem ita placuisse appellari, quod victoriam ex certamine retulisset, ex qua alter exciderat : *Sapricium* contra infausto isto nomine consulto donatum, eo quod vitiosi hominis personam gereret ; nam σαπρὸς est *vitiosus*, *putris*, unde sit derivativum *Sapricius*. Huic suspicioni obviam iturus Auctor, ipso statim initio sic orditur : *Erat quidem presbyter : nomine Sapricius, SIC* (vero scil. non ficto nomine) *APPELLATVS*. Hanc enim vim habet, illud οὕτω καλούμενος. Haec quum Auctor ipso in limine posuerit ; aperte profestius est, se non parabolam, in qua nomina sive tacentur, sive narrationi convenientia confinguntur, sed veram historiam expositurum.

Ad hujus sane argumenti vim declinandam non aliud Castellano effugium patere video, quam si dixerit, narrationis hujus auctorem fuisse impostorem aliquem, qui apologum scribere aggressus, hunc verae historiae characteribus ornaverit. At communi sensu careat oportet, qui horum Actorum scriptorem uti impostorem traducere sustinuerit : quae Acta mira simplicitate, brevitate, stylique gravitate praedita, non tantum Tillemontio & Ruinarto, sed & ceteris sagacissimis criticis admirationi fuerunt. Fuerint ergo haec Acta, si mimus originalia, uti vocant, at certe antiquissima & ex originalibus hausta.

Antequam vero ex his Actis abeo, animadversione dignum judico illud, quod ad finem num. V. sic de Sapricio legitur : Ἔκλισεν γάρ πως ὥσπερ αἰσπὶς κωφὴ τῇ βωβῇ, ἥτις οὐκ ἐισακούσεται φωνὴν ἐπαοιδοντος. Vetus interpres : *Vt aspis surda & CLAVDA, quae non exaudivit vocem incantantium.* Quae de Ps. LVII. 5. ita desumpsit Graecus auctor, ut tamen majoris inculcationis gratia voculam βωβὴ de suo admensus fuerit. Hanc tamen vocem non est assecutus interpres (ceteroqui non ineptus) dum reddidit *Clauda*, quasi si in serpentes clauditas convenire posset. Sed video quid eum fefellerit. Vox βωβὸς nusquam alibi, quam apud Hesychium occurrit. Apud hunc vero quum Latinus horum Actorum interpres legisset, βωβὸς exponi χωλὸς ; putavit *Claudos* intelligi : nam plerumque χωλὸς pro *Claudo* accipitur. At revera vox χωλὸς non tantum *Claudum*, sed & ἀνάπηρον i. e. *mancum* (quacumque parte aut sensu) significat (quod & ex vetere Onomastico potest intelligi, in quo χωλὸς tantumdem est, quod *mancus*, & ex usu meliorum scriptorum) cujus ambitu vocis etiam *surdus* continetur, quem etiam *mancum* licebit appellare. Rem ita esse, idem Hesychius declarat, qui proxime sic posuerat : Βωβὸς, πηρὸς i. e. Βωβὸς est *mancus*. Ergo & quum Βωβὸς reddidit χωλὸς, hoc posterius non *claudos*, sed *mancos* intellexit. At Actorum S. Nicephori Latino interpreti istud Hesychii χωλὸς fraudi fuit, arbitrato *claudos* designari. Quocirca vertendum fuit, *Vt aspis surda & MANCA*, h. e. audiendi sensu capta. Atque haec in philologorum gratiam dicta sunto, nequem insolens dictio forte offendat.

Digitized by Google

ant *Depoſitionem*. Certe Neapolitani IX. ſaeculo in hoc marmore non *Depoſitionis* notam, ſed *Natalis* ſignarunt, tamquam die non ſuo. Nec in hoc negotio nos alibi marmoris hujus accuratio fefellit, ne die ſequenti quidem, ut equidem judico, quo die par aut major difficultas occurrit.

At etiam monaſtico Scholaſticae inſtituto is, quem ſaepe laudavimus, Caſtellanus litem intentat. Qui ſi id contenderet, hanc intra unius Clauſtri ſepta non ſe perpetuo continuiſſe (quod genus *Reclusas* vocabant) ultro id faterer, narrante Gregorio, quotannis ab ea fratrem ſuum inviſi conſueviſſe: & ceteroqui S. Caeſarii Regula dabat Sanctimonialibus exeundi veniam urgente neceſſitate aut utilitate. Verum quod nihil Scholaſticae cum μοναςρίαις commune fuiſſe ait, id vero nego. Mitto quod Bertarius Abbas Caſinenſis trecentis annis Scholaſtica recentior ſic de ea loquitur, tamquam ſi dux & inſtitutrix ad monaſticam vitam pluribus feminis fuerit. Nam praeſtat ex Gregorio ipſo argumenta petere; qui & Scholaſticam vocat *Sanctimonialem feminam*, eamque in *Cella* degiſſe teſtatur. At illo aevo nec *Sanctimonialis* aliud erat quam Monacha, nec *Cella* aut *Cellula* aliud quam *Monaſterium* aut *Monaſterii* pars, praecipue apud Gregorium paſſim libro 2. Dial. Imo quam cap. 34. ejuſdem lib. Gregorius *cellam* Scholaſticae vocat, id Zacharias *Monaſtirion* reddidit: & Albericus Card. apud Angelum de Nuce *Cellam Virginum*, non *virginis*, eamdem vocavit. Vide de utroque vocabulo Cangii Gloſſarium. Ac de Scholaſticae Monaſtico inſtituto ſatis haec: alia quaedam reperies apud Angelum de Nuce ad Gregorii lib. 1. Dial. qui Leoni Marſicano praemittitur, ac Mabillonium tom. I. Annal. Benedict. Apud quos & alios ex vetuſta traditione ſcribitur, S. Scholaſticae Monaſterium fuiſſe in loco qui Plumbariola vocabatur, in Aquinenſi territorio.

Nec aliunde, quam Scholaſticae exemplo, monaſteria muliebria in Campania primum, mox in reliqua Italia, paſſim (4) propagata crediderim. Capuae certe ſub exitum vitae S. Scholaſticae puellare Monaſterium fuiſſe fundatum a quadam Juſtina, didici ex inedita inſcriptione eruta apud Veterem Capuam, dum effoderentur fundamenta coenobii S. Marci, quod incolunt Franciſcani Diſcalceati. Ea inſcriptio talis eſt.

HIC REQVIESCIT IN
SOMNO PACIS IVS
TINA ABBATISSA
FVNDATRIX SANC
TI LOCI HVIVS QVAE
VIXIT PLVS MINVS
ANNOS LXXXV DEPO
SITA SVB DIE KALRVM
NOVEMBRIVM IMP
DN N IVSTINO PP AVG
ANN IIII PC EIVSDEM
INDICTIONE TERTIA

Infra uvae racemus ſcalpitur: quod in Chriſtianis titulis, maxime Campanis, frequens eſt. De hac inſcriptione, (quae ad

(4) Non id contendo, Parthenonum originem a Scholaſtica prodiiſſe, ſed ſolum, ſeculi poſt Benedictum Latina virorum Monaſteria frequentiora in occidente evaſerunt, ſic poſt Scholaſticam Virginum. Ceterum virginalium Monaſteriorum antiquitatem aequis paſſibus cum virorum coenobiis proceſſiſſe, oſtenditur ex Magni Antonii vita, qui teſte Athanaſio num. 3. ſororem ſuam in Parthenonem educandam tradidit circ. an. 271. At quarto mox ſaeculo ſanctimonialium aeque ac monachorum inſtituta quaqua verſum diffuſa fuiſſe, exinde intelligo, quod etiam in Perſidem jam tum pervaſerunt: id quod didici ex Actis SS. Sadoth Epiſcopi & ſociorum circiter annum 346. apud Ruinartum pag. 576. ubi ſcribitur: *Miſſis ergo rex* (Sapor) *ſatellitibus, ipſum una cum ejus Clero, aliiſq. finitimae regionis Clericis, necnon Monachis & Monialibus CXXVIII. comprehendit*,

Digitized by Google

ad an. 569. pertinet h. e. quintum & vigesimum circiter a Scholasticae obitu) plura qui cognoscere avet, adeat infernc (5) adnotata.

XI NONIS CASTRENSIS

VNus ex illis Episcopis Christique Confessoribus fuit, qui ante medium V. saeculi in persecutione Vandalica navibus carioſis impositi, Deo gubernante in Campaniae littora appulerunt: de qua re vide quae heic infra, necnon in S. Quodvultdeo ad XVIII. hujus mensis ex Victore Vitensi afferimus. De hoc autem Castrense, plurium sociorum duce, praeter ea quae Mich. Monachus in Sanctuar. Capuano, & Henschenius hoc die docuerunt, quibus recoquendis supersedeo, plu-

(5) *Ad Justinae Abbatissae inscriptionem*, JVSTINA) Non infrequens Sanctimonialibus nomen omni aevo id fuit; ab eo saltem tempore, quo, abiectis prioribus nominibus quae in saeculo gererent, nova post conversionem sibi imponere satagebant. Fortassis enim in S. Justinae Virg. & M. memoriam in ea sibi appellatione placebant: nam in *Conversione Justinae & Cypriani MM.* (quam Edm. Martene to. 3. Anecdotor. inseruit) commissa Justinae illi monasterii virginum praefectura legitur, jam tum scil. saeculo tertio. Quae virginum administratio illi Justinae tradita, sive vera fuerit, sive falso credita; hinc certe manasse crediderim, ut crebro id sibi nomen sanctimoniales inderent.

ABBATISSA) Vossius in Etym. in ABARE sic in fine posuit: *Qui* Abbatissae *vocem probant ex Hieronymiana regula monacharum, scire debent, eam non Hieronymi esse, sed hominis indocti: quod & res clamat, & . . . Erasmus observavit.* Quod quum ita sit; hoc primum monumentum reperio, in quo ea vox occurrat. Quae postea dictio reperitur & in Capitulari Aquisgran. an. 803. & in Concil. Parisiensi an. 829. At *Abbatis* vox longe antiquior.

FVNDATRIX SANCTI LOCI HUJUS) *Sanctus locus* est periphrasis virginalis monasterii: nam ex antiquis IV. & V. saeculi scriptoribus deprehendi (ut alibi observamus) *sanctimoniam* peculiare vocabulum virginum Deo dicatarum fuisse: unde eae virgines *Sanctimoniales* appellatae, & monasterium *Sanctus locus* pulchre heic dicitur. Ceterum hae voces *Sancti loci hujus*, δεικτικῶς positae, ostendunt, id Monasterium ibi positum fuisse, ubi inscriptio reperta fuit. Ea autem in eruendis fundamentis coenobii S. Marci, ut ante dictum, ante hos annos ferme 70. effossa fuit cum Justinae ossibus: sed qui fabricae praeerant, ossa cuidam parieti infoderunt, titulum seorsum in hortis collocarunt: non optimo sane consilio. Sane ante porticum Ecclesiae S. Marci hodiedum visuntur in solo fundamenta apsidis Ecclesiae veteris illius Parthenonis opere lateritio.

IMP. DN. N. JVSTINO) juniore.

PP. AVG.) i. e. *perpetuo Augusto*. Jam inde a temporibus synodi Ariminensis, Vrsacii, Valentis aliorumque Arianorum assentatione Constantius Imp. *αἰώνιος* dici coeperat: de quo conqueritur Athanasius in fragmento epistolae, quod Socrates II. 37. inseruit: *τὸν αἰώνιον δὲ αὐτὸν βασιλέα εἰρήκασιν, οἱ τὸν υἱὸν ἀΐδιον ἀρνούμενοι. Sed & illum Imperatorem perpetuum* (sive *imperatorem aeternum*, quod Valesius in interpretatione posuit) *appellarunt ipsi, qui Dei filium sempiternum esse negant.* Itaque ut heic *perpetuus Augustus* dicitur, sic in Ariminensi Arianor. formula apud Athanas. Ep. de syn. Arimini & Seleuciae inscribebatur: *ἐπὶ παρουσίᾳ . . . Κωνσταντίου . . . τῷ αἰωνίῳ σεβαστῷ*. Placuit sibi in ea assentatione Constantius sic, ut in edictis & epistolis aeternitatem sibi usurparet, teste Ammiano lib. XV. Post Constantium ab eo titulo se Augusti abstinuerunt usq. ad Leonem Aug. qui coepit nummis inscribere DN. N. LEO. PERP. AVG. quod & Zeno & Phocas usurparunt: postremo Anastasius, uterq. Justinus, aliique τὸ PERP. per duplex P expressérunt, ut heic,

ANNO IIII. PC. EJUSDEM INDICTIONE TERTIA) i. e. *anno quarto post consulatum ejusdem* (Justini) *indictione tertia*. Indictio tertia CPolitana currere coepit a Septembri an. 569. in quem annum coit etiam quartus post consulatum Justini Junioris annus, sive, ut vulgo loquuntur, quartus *Post consulatus* ejusdem. Atque ex hoc quarto Justini postconsulatu, concurrente cum indictione tertia, maximum huic marmori pretium accedit. Hinc enim verus annus, quo Justinus junior Consul solitarius processit, colligitur: de quo anno Pagius Norisio dicam impegit. Verum haec ultro praetereo, alibi uti spero eliquanda, ex quibus intermorientis jam consulatus rationes illustriores evadent, quam antehac fuerunt.

Digitized by Google

plures distinctis capitibus necessarias animadversiones in medium proponam.

I. Acta.

Hujus vitam primus in Sanctuar. Cap. edidit Mich. Monachus, quam ex Monachi editione & aliis duobus MSS. correctiorem recudit hoc die Henschenius cum prævio commentario, ad quem lectorem rejicio. Ejus vitae auctor se supparem (6) illis qui Castrensem viderunt profitetur: proinde quinto exeunte saeculo imo verius labente sexto eam scriptam ab illo oportet. Nec stylus ab ea aetate abhorret (qui tamen paullo luxuriantior est, nec satis gravis) nec quidquam demum est, quod cum eo saeculo, aut cum historia pugnet. Nisi vero illud negotium faceſſat, quod videatur hujus vitae auctori parum cū Victore Vitensi probatissimae fidei historico convenire. Apud quem lib. I. c. 5. sic legitur. *Tunc vero memoratae urbis Episcopum i. e. Carthaginis, Deo & hominibus manifestum, nomine Quodvultdeum & maximam turbam Clericorum navibus fractis impositos, nudos atque exspoliatos expelli praecepit. Quos Deus miseratione suae, prospera navigatione Neapolim Campaniae perducere dignatus est civitatem.* Heic quidem unius Episcopi Carthaginensis fit mentio; ceteri vero fuisse significantur Clerici, non Episcopi. Contra vero in Castrensis vita de Quodvultdeo (& sedis praerogativa & sua virtute praecellentissimo) mentio nulla exsistit; & in ea tamen n. 8. uni eidemque navi duodecim Episcopi imponuntur, inter quos *signifer* ac *praeceptor* Castrensis undecimus recensetur, cui *puppis arx possidenda* traditur. Adhaec Quodvultdeus cum suis Neapolim, Castrensis ad Suessanum littus appulit. Mitto cetera narrationum discrimina. Verum facilis est responsio. Victor Vitensis *navibus fractis impositos* dicit: per quod satis significatur, plures fuisse naves, quarum unam aut plures Quodvultdeus cum suo clero conscenderit, ac Neapolim pervenerit; Castrensis vero cum suis diverso navigio impositus, Suessanum littus tetigerit. Posset & illud dici, diversas diverso ejusdem persecutionis tempore ac loco extorriū Episcoporum Clericorumque colonias marinis fluctibus fuisse permissas: quocirca Quodvultdei navigationem cum Castrensis nihil praeter eamdem fidei causam habuisse commune. Sed quidquid ejus rei fuerit; singulare illud est, quod plura navigia, remis ac rectoribus destituta, Deo gubernante in eamdem Campaniae nostrae provinciam pervenerint: in quo exaudita fuit Sanctorum illorum oratio, cujus meminit Castrensis vita (7).

Cetera porro quae in Castrensis Acta animadverti possent, in cupidorum gratiam in locum unum (8) sepositā contuli.

2. *No-*

men πατρὶς *familiam* significat. Augustinus in I. contra Epist. Parmen. 7. *Multae interjacent patriae gentium.* Arnobius Junior scriptor V. saec. ad Ps. 104. *Non diversar. linguar. sed diversar. patriarum . . . sub una lingua* (Latina) *diversae sunt Patriae, Brutiorum, Lucanorum, Apulorum.* Greg. Turon. V. Hist. 1. *Patrias subjugavit* i. e. provincias.

(8) *Ad Acta S. Castrensis editionis Henschenianae animadversiones quaedam.*

JAm primum omnium illud observatu dignum est, quod num. 5. Angelus haec Sanctis Episcopis praedicit: *Per me sciatis quia Rex aeternus unicuique vestrum praeparatum habet locum, in quo . . . multitudinem in illis commorantium populorum partibus ab OMNI ERRORE absolvatis.* Quod revera impietum esse,

(6) Vitae auctor num. 16. sic scripsit: *Audivimus etiam relatu quorumdam Sacerdotum, qui igni huic revelationi interfuisse creduntur, quod quasi ignis ab altari* (in quo Castrensis jam moriturus sacra mysteria peragebat) *progrediens inter ipsa sacrificia ad caelum usque tetendit.*

(7) Num. 7. Sic Sancti Episcopi in Carcere detenti precantur: *Hoc tantum nobis confirmet Divina Majestas, ut quos ab uno solo proprii nominis gloria transferre dignatur, intra UNIUS PATRIAE terminos sua pietate concedat, ut nostra corpora sepeliantur.* Quibus Angelus, se exauditum iri, respondit. Porro *Unius Patriae* nomine *una provincia* intelligitur: sic enim tunc loquebantur, hausta a LXX. Senioribus locutione; apud quos ta-

Digitized by Google

esse, innuitur num. 15. ubi dicitur *a diversis erroribus* populos illos Castrensis eripuisse. Quae quidem non tam de haeresum, quam gentilitatis erroribus intellexerim. De haeresi quominus id capiam non tantum illud facit, quod Campania tunc temporis nullis haeresibus infestabatur, verum etiam quod num. 11. populus, cujus fines Castrensis adiit, *Cultor Trinitatis* vocatur i. e. ab Ariana impietate quae tunc grassabatur abhorrens, ut infra ostendam. At vero ethnicismus V. saeculo utut ex majoribus urbibus eliminatus esset, adhuc tamen in suburbanis & pagis haerebat; unde & *Paganos* a *Pagis* dictos volunt: de quo vide praeter alios quae Cangii collegit diligentia in Glossario in PAGANI. Cui consentaneum est, quod omnes hi Africani Episcopi, qui ex Castrensis Actis innotuerunt, in urbeculis aut pagis consederint: unde & postmodum oppidulis illis ruentibus, eorum cathedrae incertae adhuc manent. Castrensem certe in SVBVRBANO quodam substitisse, diserte in ejus vita docetur num. 11. Nec alibi quam κατὰ τὰ προάστια h. e. *in suburbanis* gentiles suo tempore sacris operatos S. Nilus I. Epist. 75. (auctor scilicet ejusdem V. saec.) narrat. Haec eo pluribus notavi, ut appareat, hos Africanos Episcopos tamquam Campaniae nostrae Apostolos esse habendos: quorum opera ex Campaniae urbeculis atque pagis paganismus maximam partem ejectus fuerit saeculo V. At exunte saeculo IV. ne Neapolim quidem penitus Christianam fuisse, quidam contendunt: de quo vide Petrum Jannonium lib. I. Hist. Civ. cap. ult. pag. 62. 63. Decepit nimirum illos Symmachi locus (VIII. ep. 27.) Neapolim *Urbem religiosam* vocantis. Qui quum ethnicismi perditus propugnator fuerit, non aliam in partem Neapolim uti *Religiosam* laudasse videtur, quam quia adhuc gentilitatis errores consectaretur. Verum ex Symmachi loco aliud non efficitur, quam aevo Theodosii plures Neapoli gentiles adhuc fuisse; sicuti ne Romae quidem tunc ethnici deerant, maxime inter senatores & honoratos viros. Id quod Symmacho satis fuit, ut Neapolim *Religiosam* diceret. Ceterum gentilibus istis Neapoli templa numinum patuisse, nego: nisi quod tantum in domorum suarum Lararis, aut vero κατὰ τὰ προάστια (*in suburbanis*) liberam religionis suae exercendae potestatem habebant. Et has nihilominus intermorientis superstitionis reliquias non diu Neapoli perdurasse, ex Quodvultdei, unius ex Africanis Episcopis, in hanc urbem appulsu conjici potest.

Sequitur illud num. 6. *Tunc S. Castrensis circuminduit se stola sua*. Apud profanos *Stola* totum ambiebat corpus: at apud Ecclesiae scriptores *Stola* tantumdem est quod *Orarium*, sive horum: eoque sensu heic accipi, patet ex sequentibus: *Qui* (paganus) *coepit illum trahere per eam* (Stolam) *ac si per vilem funem*. Et quidem *Stolam* idem esse quod *orarium*, habes apud Honorium Augustod. & alios Officiorum scriptores non admodum antiquos. At apud vetustiores *Stolae* vocabulum pro orario heic primum, quod sciam, occurrit. Porro ad Stolam heic a Castrense indutam pertinet illud, quod apud Hincmarum & Reginonem *de vita & Convers. Presb.* vetantur presbyteri *sine Stola vel orario incedere*. Postremo cur *Orarium* etiam *Stolam* (quae ceteroqui vox est integri amiculi) antiqui appellaverint, dicam Deo dante alibi: nam nunc quidem properandum mihi esse video.

Verum ut *Stolae* vox compertae novitatis argui non potest, sic vereor ut *Physici* nomen pro *Medici*, antiquius sit XI. aut XII. saeculo; de qua voce vide Cangii Glossarium. Et tamen heic num. 12. legitur: *Morbo, quem haemorrhoidem vocant Physici*. Verum ut semel dicam, etsi hujus vitae auctor se succreviisse aetati illorum, qui Castrensem viderunt, profiteatur, idemque ab impostoris suspicione longissime absit; tamen plura his Actis posteriore manu adsuta fuisse certissimum est: idque exemplarium discrimen palam facit, quorum alia aliis uberiora sunt. Ceterum PHYSICVM pro *Medico* nondum VI. saeculo usurpatum fuisse, praestare non audeo.

Jam vero num. 8. duodecim episcopi navim ingressi recensentur. In iis qui in Monachi editione *Augustus* dicitur, is in Henschenio vocatur *Augustinus*. Verum ad XVII. Jan. & alibi passim observavimus, nomina primitiva cum suis derivativis alternasse. De hoc *Augusto* vide Mich. Monachum in Sanct. Cap. pag. 69. Diversus is plane est ab Augustino Ep. qui cū matre Felicitate Capuae sub Valeriano martyrium fecit: ad quem (ut alicubi ex Cod. Bodlejano ostendam) scripsit S. Cyprianus. De his S. Castrensis sociis v. Mrologiū Rom. 1. Sept. & Ruinartū in sua Hist. Vandalica, quam Victori subjecit: qui duna horum nonnullos ex vulgi traditionibus, remotis a Campania Ecclesiis praefecit, in eo fallitur. Nam omnes Campaniae sines insedisse, supra ex haç vita docuimus.

Adhaec quo illud pertinet, quod num. 11. populus urbis illius (Suessanae sive potius Sinuessanae, ut infra videbimus) quam primo Castrensis adiit, *Cultor Trinitatis* vocatur? Id ex Mich. Monacho sic accipit Henschenius, quia Suessae Auruncae hodiedum Ecclesia quaedam Tri-

Digitized by Google

2. *Nomen*.

Ruinartus in Historia persec. Vandalicae, quam a se compositam suo Victori Vitensi subjecit, cap. IX. num. 21. sic posuit. *Suspicatus sum non semel, Castrensis vocabulo non viri alicujus, sed urbis Episcopalis nomen designari, quod ad ipsum Episcopum, amisso proprio nomine, translatum fuisset. Id persuadere videtur ipsius vocabuli forma, qua locum potius quam hominem indicari prima fronte nemo non existimat. Deinde Castri nomen urbibus attributum frequenter in veteribus Africae monumentis legitur; & quidem inter Patres Byzacenae provinciae* Felix Episcopus Castrensis *in Notitia Africana editionis Sir-*

mondi occurrit Hanc tamen opinionem, quam mox vir doctus conjecturae tantum loco haberi vult, illud convellit, quod Castrensis vita ab auctore pene suppare, composita fuerit; quem miror, si ejus, cujus acta conscriberet, nomen fugerit, dum interim undecim ejus socios proprio singulorum nomine appellaverit: nec enim ullius ex sociis nomen ἐθνικὸν (*gentilitium*) esse potest. Deinde innumera, sunt geographica nomina, quae saepe singularium hominum fuerunt, uti *Romanus*, *Campanus* & similia passim in marmoribus obvia, Ipsum denique *Castrensis* nomen in Grutero (9) bis reperies, non ut patriae, sed ut hominis nomen.

F 3. *Se-*

Trinitatis conspicitur, quae jam tum scilicet sub Castrense exstiterit, si his credimus. Sed crassiora ista mitramus. Vera nomenclationis illius ratio ex historia Victoris Vitensis est arcessenda, ex qua discimus, Genericum conantem Arianum virus Africanorum animis infundere, Sanctos suis nisibus obsistentes, qua tormentis, qua exsilio multasse. Tantumdem autem erat dogmati Ariano contraire, quod pro Trinitate decertare. Itaque vult vitae auctor, Divina providentia factum, ut quia Castrensis pro fide Trinitatis pugnaverat, nanciscerentur in Campania populum *Cultorem Trinitatis*. Hanc veram esse hujus loci sententiam, declarat ex periocha, quae a Monachi quidem editione (*in qua plura sane desunt*) abest, at in Henscheniana num. 17. legitur. Ibi auctor reddituras rationem, cur Castrensem jam morituram populi frequentes convenerint, hanc solam assignat, quia *piissimus Pater pro amore individuae* TRINITATIS, *& pro amore catholicae fidei a propriis finibus expulsus, nil curavit, ac cum rebus propriis renuntiavit voluntates*: eamque ob causam tantos concursus ad eum factos dicit, populi utique *Cultoris Trinitatis*.

Antequam ex his Actis pedem moveo; pulcherrimum illud est, quod num. 14. S. Castrensi morti proximus *hereditariam pacem* relinquit *fidelibus* cum stipantibus dicitur: quae ipsa locutio reperitur in Uranii Epistola de S. Paulini obitu, qua parte S. Joannis Neapolitani mors narratur. Quod loquendi genus fluxit ex illo Evangelii *Pacem relinquo vobis*, quasi testamentariam hereditatem scil. At num. 16. morituri Castrensis & sacra Mysteria celebrantis facies irradiatur. Id vero contigisse dicitur *dum secretè inchoaret principia*, ut

(9) Nam pag. 935. 2. occurrit *M. Caesius Castrensis*: & pag. 1127. col. penult. L. *Helvius Castrefis*, pro *Castrensis*: nam nomina in ENSIS finita terminabantur Graece in ησιος sive Ν, quae littera in marmoribus additur demiturque ad libidinem, ut *vicensimus, totiens: mesis* pro *mensis* &c. Poterat & huc referri inscriptio Gruteriana (pag. 325. 12.) sic incipiens, *Ti. Claudii Honoratiani Castrensis Morini*. Verum ibi meo judicio *Honoratianas* duntaxat cognomen est: cetera duo pertinent ad loci nomen: nam sicuti ex *Alba Longa* fit derivativum frequens in marmoribus ALBANVS LONGANVS (ut alia ejusdem modi taceam) sic CASTRENSIS MORINI fiebat ex oppido, quod *Castrum Morinum* appellaverint ob Romana Castra ibi aliquando posita.

Digitized by Google

3. *Sedes Episcopalis*.

Quam cathedram in Africa Noster tenuerit, ex Ruinarti conjectura modo laudata, si vera esset, innotesceret. Nunc videamus an saltem Sedem Episcopalem, quam in Campania nactus videtur, aucupari possimus. In Epternacensi Hieronymiani Mrologii apographo (quod IX ineunte saeculo jussu S. Villibrordi descriptum fuit) hoc eodem die sic legitur: *Et in Vulturno, Castrensis*. Atqui *Vulturnum* sive *Volturnum* nomen oppidi apud Livium & alios non incelebris, ad amnis cognominis ostia siti, fuit, Romanorum olim coloniae, postea sedis Episcopalis, quae aevo Gregorii M. jam defecerat: cujus Episcopatus cum Capuano coaluit: quin & *Castrum maris Vulturni* (sic enim oppidum, quod ex Vulturni jam olim diruti ruderibus crevit, vocatur) *demanium Ecclesiae Capuanae* fuisse ex antiquae tabulae inscriptione, & veteribus memoriis colligitur. Ibi igitur Castrensis sedes Episcopalis fuisse videtur: quae sedes medio quinto saeculo stetisse videtur, quae tandem, corruente oppido, saeculo VI. desiit. Adde quod Castrensis noster Vulturni obiisse ex eo videtur, quod ibi primū ejus ossa reperta fuisse ineunte IX. saeculo, ex Adiperti inscriptione infra demonstrabimus. Postremo *Castri maris Vulturni*, quod veteri Vulturnensi oppido successit, pervetusta Parochialis Ecclesia hodiedum *S. Castrensis* nomen gerit.

At huic opinioni plura opponi possunt. Ac primum illud, quod hoc totum de *S. Castrense* & *Vulturno* membrum in ceteris Hieronymianis apographis deest. Cujus rei causam, praeter Castellani (10) conjecturam, hanc puto fuisse. Omnium quidem Hieronymiani Mrologii exemplarium Epternacense antiquissimum habetur. In eo *Castrensis* cum assignata sibi sede locum tuebatur suum, quippe eo aevo is uti martyr colebatur: nec facile nisi martyres in Hieronymianum Mrologium admitti (excepto *Martino*, *Antonio* & siqui sunt forte alii pauciissimi, iidemque clarissimi) fas fuit. At quo tempore alia ejusdem Mrologii exemplaria descripta fuerunt, jam coeperat Castrensis non *Martyr*, sed *Confessor* inscribi. Qui titulus quia aevo sequiore opponebatur martyrio; idcirco posteriores amanuenses *Castrensem* ex Hieronymiani possessione dejecerunt.

Jam illud, quod ex Rom. Mrologio potest obiici (in quo Castrensis hoc die *Capuae* ponitur) paratam responsionem habet: nam quia Vulturnensis cathedra cum Capuana coaluit, & Capuana Diocesis olim & nunc *Castrum maris Vulturni*, quod antiquo Vulturno successit, complectitur; idcirco is Sanctus Capuae tributus fuit, ubi & praecipuum cultum omni tempore obtinuit. Potest & illud addi, quod videatur Radipertus Capuanus IX. saeculo Castrensis reliquias Vulturni inventas in sua Cathedrali collocasse: quod si verum fuit (de quo infra cap. 6. disceptabimus) merito Martyrologi posterioris aevi Castrensem Capuae posuerunt.

Venio jam ad objectionem longe gravissimam, quae ex S. Castrensis vita petitur. In qua altum quidem de Vulturno oppido silentium: contra vero S. Castrensis Suessam adiisse non obscure (11) significatur. Hic equidem respondere possem, in his Actis *Suessam* sive errore sive consilio positam fuisse pro *Sinuessa*; idque exemplo non carere, ex heic

(10) Castellanus ad hunc diem (si recte ejus mentem interpretor) conjicit, Castrensem in Hieronymiano Mrologio non adscititium esse, sed e prima manu: at postea quum animadvertissent, hunc Athletam in Vandalica persecutione (quae Hieronymo posterior fuit) decertasse, posteriores transcriptores eum sustulisse; nim. ut anachronismo mederentur; qui immanis futurus fuisset, si umquam Castrensis in eo Mrologio locum haberet, quod ipsi ab Hieronymo compositum crederent.

(11) Num. 11. legitur: *Tunc Pater Castrensis moenia Suessanae urbis adiit*. Qui mox dicitur *breve habitaculum in suburbanis ejusdem urbis* sibi delegisse.

Digitized by Google

heic (12) adnotatis perſpicies : ex Sinueſſae vero ſuburbanis mox S. Confeſſorem ſe contuliſſe Vulturnum . Verum hac reſponſione non indigeo: nec Caſtrenſis incolatum Sueſſanis invidere volo, modo ne iidem Caſtrenſem Epiſcopum ſuũ faciant, quod L. *Sacco* rerum Sueſſanarum ſcriptori placuit . Sueſſam ergo adierit primo Caſtrenſis. At ubi mox dicitur *in ſuburbanis ejuſdem urbis* habitaſſe, poteſt ſuburbani illius nomine Vulturnum jam ruinoſum oppidum venire , quod non multum Sueſſa aberat . Aut ſaltem ubi in ſuburbano prope Sueſſam is aliquamdiu ſubſtitiſſet, videtur idem poſtremo Vulturnum fuiſſe invitatus . Ex hìs jam intelligi poteſt , Caſtrenſem , qui in Sueſſano ſuburbano primum reſtitit , Vulturnenſem deinde Epiſcopum electum videri . Vulturni certe Caſtrenſem diem obiiſſe ſuũ , ex eo poteſt exiſtimari , quod ejus corpus a Radiperto inter Vulturni rudera repertum omnino videatur , uti mox oſtendetur ; & ex eo etiam, quod ex Actis intelligitur, eum non in mediterraneis, ſed in maritimo (13) loco habitaſſe . Hinc merito, ut initio dicebam, in Hieronymiano Mrologio S. Caſtrenſis in Vulturno ponitur , ſive ut ejus loci Epiſcopus , ſive ſaltem ut ibi mortuus ſepultuſque .

At cur , inquis, vitae auctor, qui a Caſtrenſis aetate parum abfuit , de ejus Cathedra , quam in Campania obtinuit , ſiluiſſet ? Annon, inquis, ſatius erit dicere, jam tum cũ Sinueſſam etiam Vulturnum ruinoſum fuiſſe oppidum, ejuſque incolas S. Caſtrenſi non ut Epiſcopo *Cardinali* , (uti S. Gregorius vocat , quem nos *incardinatum* dicimus) ſed pro temporis neceſſitate fuiſſe commendatos ? Equidem do

(12) Sinueſſam olim etiam SOESSAM fuiſſe vocatam videtur ex Ptolemaei Geographia conſici , in qua Campanie ora a Liri ad Vulturnum ſic deſcribitur : Καμπανὴν ἔδος ἐπὶ Τυρρηνικὸν πέλαγος , Δείριος ποταμὸς ἐκβολαί , Σοίσσα , Οὐολτοῦρνον . *Campanorum ad mare Tyrrhenum ſunt Liris fluminis oſtia , SOESSA, Volturnum* . Ac nequis *Soeſſae* nomine a Geographo *Sueſſam Auruncam* intelligi dicat, ſciat primum hanc in mediterraneis eſſe ſitam , non in ora maritima , nec praeterea ab eodem geographo eam fuiſſe praetermiſſam , quam cum Graeca diphthongo , Σουέσσα, *Sueſſam* vocavit : ex quo relinquitur , illam alteram maritimam , quam *Soeſſam* appellat, non aliam fuiſſe quam *Sinueſſam* , quae inter Liris & Vulturni oſtia ad mare interjacebat. His accedit , quod Agathodaemon Alexandrinus (quem S. Iſidori Peluſiotae aequalem fuiſſe putat) in Tabulis geographicis , quas ad Ptolemaei mentem confecit , non ſecus ac Ptolemaeus , inter utriuſque amnis oſtia *Soeſſam* ad mare poſuit , at vero in mediterraneis *Sueſſam* dedit . Quae quum ita ſint ; cur non quae in hs Actis *Sueſſa* ſcribitur , revera *Sinueſſa* fuerit ? quae utpote maritima facile ſe prima Caſtrenſi obtulit .

Verum *Sinueſſam* aliquando *Soeſſam* fuiſſe appellatam , nemo Latinorum dixit (quibus magis credendum eſt , quam Alexandrino geographo) nemo Graecorum . Ceterum non difficile eſt , ſive in eo perſcribendo nomine Ptolemaeum erraſſe , duabus omiſſis litterulis, nim. Σοίσσα pro Σινόισσα , ſive primos Ptolemaei tranſcriptores lapſos : nam tempore Agathodaemonis jam is error exemplaria invaſerat .

At vero Vitae hujus auctorem , cui Campaniam notam fuiſſe oportuit , *Sueſſam* pro *Sinueſſa* ſcripſiſſe ; id vero nunquam adducar ut credam . Accedit , quod *In territorio Sueſſano* (ait Monachus pag. 18.) *eſt pagus cum Eccleſia ſub invocatione S. Caſtrenſis* , antiquum ſcilicet adventus Caſtrenſis veſtigium : ut non ſit opus pro *Sueſſa Sinueſſam* intelligere .

(13) Jam pridem id obſervaverat Mich. Monachus extrema pag. 16. & pag. 17. Ac paſſim in Actis , ubi de loco habitationis ejus agitur , loci maritimi characteres ſeſe offerunt ; praeſertim num. 13. ubi praeter cetera haec leguntur ex Monachi editione : *Divino ſiquidem nutu feſtine navis littus contingit . Atque ut B. Caſtrenſis cognoverunt vultum perſpicium , ſponte devoverunt , quo ſtatuto tempore dona deferrent ejus Eccleſiae . Quorum exemplo OMNIS NAVTA AD ID LITTVS PERVENIENS pio cum amore gratanter eorum PROMISSA IMPLERE deſiderat* . Quem locum eo recitavi , ut appareat , jam tum ſcriptoris hujus aetate Vulturnenſem Eccleſiam *S. Caſtrenſis* (quippe in ea conditi) nomen praetuliſſe, & a praetereuntibus nautis dona , ad quae ſe majores voto obligaverant , eidem Eccleſiae perſoluta . Sed praeſtabit totum id vitae caput perlegere .

Digitized by Google

manus, modo id fateamur, Castrensem in Vulturnensi territorio subsitisse, ibique vitam cum morte commutasse.

4. *Dies emortualis.*

S. Castrensis vitae extrema haec verba sunt: *Migravit autem B. Castrensis ex hoc saeculo undecimo die mensis Febr. plenus virtutibus bonorum operum & consertus. Amen.* Consonant Kalendaria & Mrologia apud Mich. Monachum in Sanctuar. Capuan. pag. 462. & apud Henschenium, adhaec Hieronymianum Epternacense, & quae alia mox allegabimus, ubi de ejus cultu agemus. Quum igitur hoc ipso die Castrensis ad caelum evolaverit; cur non consueta *DEPositionis* nota in hisce, marmoreis fastis signatur, cujus loco *Natalis* signum adpingitur, diebus non suis scalpi solitum? Credibile ne est, marmoris nostri auctorem, harum notarum servantissimum, heic tantum aut falsum, aut fefelliſse? Id equidem non credo: qui si responsionem nullam in promptu haberem, hoc potius dicerem, totam ejus rei culpam in scalptore residere, qui ut alibi non raro errorum orthographicorum manifestus deprehenditur, sic potuit & heic N scalpere loco ☙ DP. quod revera in auctoris autographo fortassis fuerat.

Verum quid si hic dies revera emortualis non fuit? Acta quidem Castrensis a pene suppare scriptore (qualem se auctor profitetur) per me licet, scripta fuerint: at eisdem tamen additamenta plura adsuta fuisse, vel ex eo liquidum est, quod Henscheniana Acta pluribus locis uberiora sunt, quam quae dederat Monachus. Itaque aevo posteriore sicuti huic vitae principium absurdissimum (14) adscitum fuit; sic credo & finem fuisse adsutum (15) quo dies obitus consignaretur. Hanc autem diei emortualis notationem IX. Saeculo abfuisse ab hac vita, ex eo clarum fit, quod Fastorum nostrorum auctor (cui incredibile est, haec Acta non visa fuisse, quippe in Campania diffusis quaquaversum exemplis) in eis Actis diem obitus non legerit: quem si legisset, certe hoc die ☙ DEP. signandum sibi putasset, non vero *Natalis* notam.

Ceterum olim festum S. Castrensis diei XI. Februarii non aliam, opinor, ob causam affixum fuit, quam quia in eum diem celebris aliqua Translatio aut Ecclesiae Dedicatio aut quid simile incideret. At ubi semel in Kalendariis & Mrologiis Castrensis festivitas diei illi firmiter alligata fuit; jam tum vero dies ille pro emortuali, uti fieri consuevit, haberi coepit. Hinc postremo qui Castrensis Acta transcribenda sumpserunt, ea resarcire cupientes, qua parte manca putarent, diem emortualem addiderunt, nō qui revera fuerat, sed quem crediderunt: proclivi sane illorum temporum errore (in Graecorum metricis Ephemeridibus & alibi saepe obvio) ut dies festivitatis idem qui mortis existimatus fuerit. Memini me passim paria exempla notasse veterum Actorum, in quibus ad finem dies θανάσιμος posteriore manu accesserit, & quidem die festi pro die

(14) In quibusdam vitae Castrensis apographis, apud Monachum & Henschenium, principium tale erat, quo significabatur, persecutionem illam in Africa sub Valentiniano & Valente motam. In antiquo Breviario Capuano, quod penes me est, Lectiones S. Castrensis sic ordiuntur: *Temporibus Valentiniani & Valentini* (pro *Valentis*, ut *Antonini* pro *Antonii* &c.) *comprehensi sunt multi Christiani in Libya.* Ex his fontibus Ferrarius hauriens, ait, Castrensem *unum ex in exsilium missis in persecutione adversus Catholicos sub Valente & Valentiniano.* Quae sunt pluribus de causis ἄτοπα, & a posterioribus adsuta. Hinc Baronius ad hunc diem, quaedam in his Actis castigatione egere, pronuntiavit, illa certe quae a posteriore manu accesserunt.

(15) Nec illud temere est, quod finis, quem supra ex Actis recitavimus, non est integer: nam integrum servarunt Lectiones Breviarii Capuani, quae etsi sunt brevissimae, ad finem plura habent in hunc modum: *plenus virtutibus bonorum operum; & consertus gratia Divinae pietatis; & fidei Catholicae munimine roboratus.* Quae eo notanda censui, ut appareat, amanuenses nihil sibi non licere in haec Acta existimasse: ut qui, cultu late pervagato, pluribus in locis ea describerent.

Digitized by Google

die depositionis accepto. Postremo etiam in Hieronymiano Mrologio Sancti saepe diebus non suis consignantur: ne te forte Epternacensis apographi auctoritas turbet.

5. *Cultus*.

De cultu S. Castrensis per Capuanam dioecesim atque provinciam longe lateque propagato videantur quae variis Sanctuarii locis affert Mich. Monachus, itemque Henschenius. Quibus addi & hoc potest, quod olim in Capuano territorio pagus erat dictus *S. Castrensis* cū cognomine Ecclesia inter Marcianisium & Magdalonum, quod didici ex Instrum. Thesauri Capuani an. 1323. notato ad oram Mich. Monachi apud me. Sed & Neapoli ejusdem celebritas mire increbuit, uti et ex hoc Kalendario constat, & ex manu exarato altero, quod in Tutini chartis. Rituali Neapolitano praeit. Exstat in dioecesis Neapolitanae oppido, cui *Marano* nomen, Ecclesia Parochialis in honorem S. Castrensis antiquitus dicata, quae & S. Episcopi os (16) tibiae majoris possidet: unde & oppidanis hic dies totus ἀργὸς (*feriatus*) decurrit. Et quidem hoc etiam S. Castrensis merito tribuendum est, quod inter illos XII. extorres Episcopos, quorum nomina in Castrensis vita leguntur, is solus in his Fastis colatur: nam Elpidius, de quo sup. ad XV. Jan. alius est ab Elpidio Castrensis socio, uti vel ex eo constat, quod apud Mich. Monachum (in adnotatis ad Acta S. Prisci Junioris pag. 70.) utriusque tempora non conveniunt.

Sed Castrensis cultus antiquitatem nihil magis ostendit, quam quod, ut antedictum fuit, is antiquissimo Hieronymiano Mrologio inscribatur. In quo quia martyres tantum notabantur, hinc patet *Castrensem* primitus martyris cultum obtinuisse. Revera affert Henschenius antiquum Kalendarium exaratum ante annū 741. itemque Mrologium S. Martini Trevirensis, in quibus *S. Castrensis Martyr* hoc die inscribitur. Item in Mrologio MS. Capuani Monasterii S. Joannis, itemque in Casinensi (utroque apud Monachum pag. 18.) scriptum fuit: *Campaniae* (17) *S. Castrensis Episcopi & Mart.* Eodem & illud pertinet, quod Petrus Diac. in lib. de viris illustr. Casinensib. de Laurentio Casinensi, qui circiter saec. X. floruit, habet: *Castrensis Episcopi PASSIONEM versibus adornavit*. Re enim vera Africani XIIviri pro fidei causa varie torti fuerunt, etsi tormentis non immortui: quod genus *Confessores* vocabat antiquitas. At *Episcopi & Confessoris* titulus in posterioribus monumentis junctim legitur.

6. *S. Castrensis inventio, ac prior translatio ex Radiperti tumulo illustratur*.

In Cathedrali Calinulensi (vulgo *Carinolensi*) reperitur Epitaphium marmori inscriptum, quod (apud Mich. Monachum pag. 79.) tale est.

R esplendens nitida germen de prole parentum, Hac clausum nivea mole nitendo micat.
A lapsatus cujus judex cum venerit orbis, Flos hinc perpetuus surget ad astra volans.
D ignanter dignis ruilans qui moribus olim Obtinuit dignum pontificale decus.
I stius hic sedis retinens & jura potenter, Ecclesiam hanc compsit cultibus ipse novis.
P aspicuo argenti nam sacrum Aleare metallo Rufini eximii struxit in omne decus.
E xtulit altisuam praecelso culmine turrim, Qua resonent horis signa sonora sacris.
R eddidit & pulchram templis ac moenibus arcem, Quae sita Vulturni amnis ad ora manet.
T empli hujus pariter sacro sub culmine Sancti Castrensis studuit condere membra sacra.

E rexit

(16) Hoc non monerem, nisi & apud Mich. Monachum, & ex eo apud Henschenium, aliosque plures scriptum fuisset, Maranensem Ecclesiam brachii partem possidere. Atqui ex authenticis monumentis demonstravit mihi vir eruditus Ant. Antinorus litteris ad me datis, dum ille apud Maranum rusticaretur, os illud partem esse non brachii majoris sed tibiae, ex Ecclesia Montis Regalis illuc delatae; idemque a me petiit, ut de eo mentio hoc exsisteret: quod amico petenti, praesertim in Maranensium gratiam, non erat cur denegarem.

(17) Satis apparet, horum Mrologiorum auctoribus tunc temporis non innotuisse locum sive episcopatus, sive incolatus aut depositionis S. Castrensis, eoque posuisse locum provinciae pro loci nomine, quem ignorabant: qui olim Hieronymiano Martyrologio innotuit.

Digitized by Google

E rexit necnon praeſens quod cernitur Altar Illius ad nomen atque dicavit ovans.
P ercipere ex hujus meritis precibuſque per aevum Vt gaudens poſſit praemia celſa poli.
I nde etiam ſupplex ejus ſociavit ad aram Quem cernis tumulum lector amande ſuum.
S i noſſe ſatagis, cujus hic membra quieſcant, Grammatis indicio ſigna priora lege.

Ex cujus ultimo diſticho vides, eſſe id epigramma ex acroſtichorum genere, cujus initiales litterae ſimul collectae oſtendunt, fuiſſe RADIPERT EPIScopi tumulum. Ex eo vero titulo intelligitur, Radipertum quamdam Eccleſiam novis ornamentis ditaſſe, atque in primis S. Rufini Epiſcopi Capuani Altare argento exornaſſe, turrim campanariam conſtruxiſſe, arcem Caſtri Vulturni reſtituiſſe, S.Caſtrenſis oſſa in S. Rufini Eccleſia ſub apſide h.e.ſub Ara maxima a ſe facta collocaſſe, eique Arae ſuum tumulum admoviſſe. Et ex nominis quidem indole, fuiſſe hunc *Radipert* generis Langobardici proditur: verum cujus urbis Epiſcopus fuerit, quando vixerit, quamve Eccleſiam tantopere exornaverit, incertum volunt. In cujus intellectu epigrammatis inter Mich. Monachum (qui primus id evulgavit in Sanctuar. Cap. p. 79.) & Camillum Peregrinium in Campan.Fel.pag.179 & ſequ. minime convenit.

Nam exiſtimavit Monachus, Radipertum non Calinulenſem (h. e. ejus loci, in quo lapis proſtat) fuiſſe Epiſcopum, (quippe Calinulenſibus nihil commune eſſe poterat cum *Arce Vulturni*, ſive Caſtro Maris Vulturni, quod ut ante dictum, pertinebat ad *demanium Eccleſiae Capuanae*) verum fuiſſe Epiſcopum Capuanum, cui Vulturnenſe oppidum ſuberat: imo eumdem plane ac *Radelbertum* illum ſive Radelpertum S. Paulini Epiſcopi Capuani, qui medio IX. ſaeculo obiit, deceſſorem, cujus Radelperti in Actis S. Paulini fit mentio. Ex Monachi igitur interpretatione Eccleſia a Radiperto exornata apud Capuam veterem (cujus S.Paulinus ultimus antiſtes exſtitit) erat, in eaque & S. Rufini Altare, & S.Caſtrenſis oſſa, & ipſius Radiperti ſepulcrum poſita fuerunt. Verum qua occaſione poſtea lapis ille in Calinulenſem Cathedralem, quae 20.milliaribus ab vetere Capua diſtat, immigraverit, ignorare ſe fatetur. Monachi ſententiam poſtea Vghellus atque Hemſchenius ſecuti fuerunt.

At vero Peregrinius ridiculum putat, potuiſſe hunc lapidem ex urbe Capua Calinulum uſque abduci: cui bono? Itaque jam ab initio oportuit, eum tumulum ibi jacuiſſe, ubi nunc viſitur, aut certe in vicinia: proinde illud *Iſtius hic ſedis* pertinere ad Calinulenſem Cathedram, aut vero potius ad Sinueſſanam (nam Sinueſſa, hodie *La Rocca di Mondragone*, in Calinulenſi territorio eſt; nec multum a Calinulo abeſt; eademque *Rocca di Mondragone* hodienum Eccleſiam habet S.Rufino Capuano dicatam, h. e. illam quam Radipertus ornaverat) proinde Radipertum iſtum diverſum omnino fuiſſe a Radelberto Capuano S. Paulini deceſſore.

Mihi ſane ſi litis hujus arbitrium permittatur, lapis iſte videtur ibi ab initio ſtetiſſe, aut in vicinia, ubi nunc exſtat: & nihilominus Epiſcopus ille nec Calinulenſis, nec Sinueſſanus, ſed Capuanus fuiſſe, S.Paulini deceſſor. Quam univerſam tractationem, itemque illud, cur quarto diſticho illam Eccleſiam ſedem ſuam Epiſcopalem vocet, nequem forte morer, ſubjeci in ſubjectum (18) commentariorum.

Is

(18) *In Radiperti titulum Commentarius.*

Hujus epigrammatis auctor, ceteroqui ut illis temporibus minime ineptus, miram ubique κυριολογιαν, qua poteſt tamen & pro ſuo captu, affectat: id quod ex dicendis conſtabit.

Reſplendens nitida germen de prole parentum) Eſt hoc initium ex Langobardorum ingenio, in ſuis tumulis a nobilitate plerumque ordientium.

Dignanter dignis rutilans qui moribus olim Obtinuit dignum pontificale decus) Conjugatorum uſus heic non vacat, ac ſimillimum hoc prorſus eſt illi Baronii elogio, quo Bellarminum Capuana cathedra donatum ornaſſe dicitur:

Digitized by Google

tur: DIGNVS DIGNAE, ſupple *Eccleſiae datus*. Ergo *dignum pontificale decus* non temere heic ponitur, ſed ea locutione notatur, Radipertum non quemvis pontificatum, ſed *digniſſimum dignis moribus dignanter* fuiſſe nactum, Capuanum ſcilicet qui tunc maximus habebatur: ut prorſus Baronii apophthegma non tantum verbo tenus, verum etiam in eadem re atque epiſcopatu heic tanto ante expreſſum videatur. *Mirum ni* poeta iſte, ut illa infelici aetate haud *plane* infeliciſſimus, Plautum lectitaverit, qui *per conjugata* perpetuos ludos facit.

Iſtius hic ſedis retinens & jura potenter.) Hujus vero verſiculi ſententiam viri docti non ſunt aſſecuti, quos fugit vis Monoſyllabi ET, quod heic minime redundat (quod illos ſuſpicatos puto) ſed pro *etiam* ponitur. Ordo & ſenſus eſt. Non tantum ille *dignum pontificale decus* in Capuanam cathedram digniſſimam eſt conſecutus, ſed ET (i. e. etiam) *iſtius ſedis* (Sinueſſanae ſcilicet ubi tumulus poſitus erat) *retinens jura* &c. Nihil verius. Et ex hoc diſcimus, Capuanos epiſcopos, illa ſaltem aetate, etiam Sinueſſanam Eccleſiam, tamquam alteram ſecundariam ſedem, rexiſſe. Non errat ergo Peregrinius in eo, quod Radiperto Sinueſſanam cathedram aſſignaverit, ſed in eo quod hanc unice in eo agnoverit, quem de Capuana primaria dejecit. Nec novum eſt olim uni epiſcopo plures urbes paruiſſe, quod ne nunc quidem exemplis caret, imo ita interdum ut ſub uno epiſcopo plures ſint *concathedrales eccleſiae*, uti vulgo loquuntur. Exemplis quae ſunt paſſim obvia, ſupersedeo. Sed illud non eſt omittendum, quod ante hominum memoriam Capuanus Archiepiſcopus praeter primariam cathedram, quam in Nova Capua habet, etiam apud S. Mariam i. e. in Vetere Capua Cathedram non temporariam, ſed perpetuo erectam habet: id quod ex eo manaſſe credo, quod in veteris Capuae reliquiis aliquando epiſcopus peculiaris ſederit, diſtinctus ab eo cui Nova Capua ſuberat (nota ſunt Landulfi & Landenulfi exempla vergente IX. ſaeculo) ex quo factum puto, ut poſtea Capuanus Praeſul, quaſi qui duos epiſcopatus generet, utrobique cathedram fixam habuerit. Illud IVRA POTENTER, quo hexameter claudatur, notare videtur, Radipertum in Sinueſſano oppido ſive *Rocca di Mondragone* non tantum ſpiritualia ſed & ſaecularia *jura retinuiſſe*.

Eccleſiam hanc compſit cultibus ipſe novis) Quam *Eccleſiam HANC* vocet, patet ex ſequente diſticho, ubi *S. Rufini* altare argento exornaſſe dicitur. Ac valde notandum eſt, ibi non otioſe S. Rufinum EXIMII epitheto donari: ſunt enim ἀντιλογούμενα, nam Latinis *Eximius* dicitur ab *Eximo*, quaſi extra ceteros poſitus (Graecis eodem ſignificatu ac derivatione ἐξαίρετος) atque omnino idem eſt ac *praecipuus*: quo ſignificatur, eam Eccleſiam, de qua ibi ſermo eſt, S. Rufinum habuiſſe titularem ſuum, ac de hujus nomine appellatam fuiſſe *S. Rufini eccleſiam*. Ergo ſecundaria illa Cathedralis per Radipertum novo cultu aucta, erat S. Rufini epiſcopi Capuani Eccleſia, quae hodiedum Sinueſſae, ſive *nella Rocca di Mondragone* exiſtit: in cujus die feſto, quod agitur die XXV. Auguſti, oppidani ab antiquiſſimo tempore nundinas celebrant. Atque hinc poteſt vera detegi cauſa, cur ante dicta S. Rufini Eccleſia ſit ante hominum memoriam hodiedum Metropolitani Capituli Capuani patronatus, cujus Eccleſiae Parochus ab eodem Capitulo eligitur: id quod probe ſcio, ut qui olim illius Illuſtriſſimi Capituli Decanus fuerim. Veram inquam ejus patronatus cauſam hanc puto fuiſſe, quod illa olim Cathedralis ſecundaria Epiſcopi Capuani fuiſſet. Cujus rei plane germanum exemplum Neapoli ſuppetit, ubi poſtquam nova Cathedralis ante hos quadringentos annos exſtitit, vetus (quae nunc *S. Reſtituta* vocatur) Metropolitani Capituli patronatus evaſit. Sed antequam a S. Rufini Eccleſia abeo: ſciendum eſt, illam antiquam a Radiperto exornatam interiiſſe, cujus loco parva nunc aedicula ſupereſt: quam optandum eſſet in antiquitatis memoriam a Metropolitanis Canonicis, olim collegis meis, mihique dum vivam multo reverendiſſimis, reſtitui ac decorari.

Mox ſexto diſticho turrim campanariam vocat *altiſluam*, quod epitheton ab *alte fluentibus* funibus, quibus campanae impelluntur, ad ipſam turrim poetica licentia tranſtulit. Ibidem *Qua reſonent horis ſigna ſonora ſacris*. Nimirum enim ad ſingulas curſus Eccleſiaſtici horas ſuis diſtinctis temporibus ſigna perſonabant.

Reddidit & pulchram templis ac moenibus arcem, quae ſita Vulturni amnis ad ora manet. Ubi Vulturnum oppidum Punico bello celebre ad ſiniſtram amnis ſeſe exonerantis ripam antea ſteterat, ibidem ac proxime ejus urbis ruinas (quas hodie *Civita* vocant) Arcem *Caſtri Maris Vulturni* aut primus aedificavit, aut frequentari a veteris Vulturni incolis coeptam, *templis ac moenibus*, ita ut hodie viſitur, ad juſtae urbeculae modum Radipertus *ουτόκτιστος*. *Jam tum* (ait Sirmondus ad Ennodii Epigr. 110.) *ob militum praedonumque infeſtationes Caſtella aedificare cogebantur epiſcopi*: quum praeſertim tum temporis Campania principum Langobardorum, Graecorum, Saracenorum cruentis incurſionibus conflictaretur; unde & vetus

Capua

Digitized by Google

Is ergo Episcopus quum *Arcem Vulturni*, sive ut hodie dicitur, *Castrum maris Vulturni* aedificaret, in veteris Vulturni ruderibus S. Castrensis (qui Vulturni Episcopus aut saltem incola exstiterat, ibique sepultus fuerat, ut ante dictum) sacras Reliquias reperit; quas ille transtulit in Ecclesiam Cathedralem suam, non quidem primariam Capuae positam, sed alteram secundariam apud Sinuessam, S. Rufino sacram; easque sub Ara maxima collocavit, prope quam & se sepeliri jussit. Hinc ergo discis & tempus (nim. VIII. exeuntis, aut potius IX. ineuntis saeculi) & simul auctorem tum Inventionis S. Castrensis, tum etiam prioris Translationis in Ecclesiam Sinuessanam S. Rufini.

At postea Guilielmus Bonus Rex Siciliae

Capua jamdiu satisfens, tandem foederatis Langobardorum Beneventani Ducatus ac Saracenorum armis conflagravit; ex quo factum, ut medio IX. saeculo Landulfus Capuanus episcopus a Radiperto tertius novam Capuam in veteris Casilini ruinis ad sinistram amnis ripam communiverit. Sed quam arcem Radipertus ad Vulturni ostia imposuit, ea ob eamdem causam usque ad citimam aetatem sub episcopi Capuani dominio perduravit, uti constat ex inscriptione, quae me puero supra Cathedralis Capuanae portam legebatur in hunc modum: CASTRVM MARIS DE VVLTVRNO QVOD EST DEMANIVM ECCLESIAE CAPVANAE: de qua vide quae Peregrinius adnotavit pag. 178. Castrum vero illud a Radiperto non aliunde quam ex veteris urbis ruderibus fuisse aedificatum, nemo inficiabitur: quod & incolae norunt, qui propter structilis materiae inopiam caro coguntur aedificare: & vis ingens veterum saxorum idem demonstrat. Ergo dum Radipertus vetus Vulturnum eruderaret ad condendum novum, tunc certe incidit in S. Castrensis arcam antea ignotam; quam & in S. Rufini Sinuessanam Ecclesiam transtulit; quocirca statim sequitur:

Templi hujus pariter sacro sub culmine (i. e. sub apside) *Sancti CASTRENSIS studuit condere membra sacra* (quae proxime detexerat) *Erexit necnon praesens quod cernitur Altar* [Aram maximam intelligit, quippe sub apside positam] *Illius ad nomen atque dicavit ovans.* Cui Arae etiam tumulum suum idem Radipertus se admovisse dicit.

Extrema carminis illa sunt. *Si nosse satagis, cujus hic membra quiescant, GRAMMATIS indicio signa priora lege.* Quid *Gramma* vocaverit, non cuique expeditum est. Non enim heic *litteram* significat (sicuti Graecis τὸ γράμμα plerumque id notat) quia sequitur SIGNA PRIORA, per quod primores litteras designat. At apud Graecos aevi sequioris scriptores γράμμα extremum vestis limbum notat, qua notione apud Vghellum in charta an. 1197. *Gramata* num. plurativo reperitur: de quibus vide utrumque Cangii Glossarium. Si quaeris causam, cur γράμμα limbum vestis notaverit; eam tradet Suidas in Τριβώνιον, ubi scribit: Τριβωνοφόρος, ὁ φορῶν τολύπην ἔχουσαν σημεῖα, ἃς γραμμάτια. i. e. *Tribonophoros* est *qui gestat vestem habentem signa* (*clavos* Latini vocant, quae Graeci σημεῖα) *tanquam litteras*. Clavi illi ad oram praetexebantur, qui quum litterarum speciem praeseferrent, hinc & ipse limbus γράμμα *Gramma* vocabatur. Ergo heic GRAMMATIS tantumdem est quod *limitis* extremi. Solebant autem in acrostichis initiales litteras aut transversim notare, ne quem nomen ibi latens effugeret, aut certe eadem stantes quidem, sed paullulum a sequentibus absitas scalpebant, ita ut limbus quidam spectantibus videretur. Vtro ex his modo hoc epigramma incisum fuerit, ignoro, quippe nondum illud conspicatus. Verum hoc certe scio, non aliud *Grammatis* nomine, quam quod dixi, heic venire. *Et signa* quidem *priora grammatis indicio lecta* reddunt nomen RADIPERT EPIScopi. Hunc vero quando eumdem ac *Radelpertum* S. Paulini decessorem, cujus exstat in Breviario Capuano mentio, fuisse docuimus; octavo exeunte saeculo & nono ineunte is floruerit oportet. Atqui eodem plane tempore fuit Sangallensis Monachus RATPERTVS Turegiensis, nostro Praesuli ὁμώνυμος [nam T & D in his nominibus alternant, & vocales facile absorbentur aut mutantur] & aequalis, quippe qui Sangallense Chronicon ad an. 783. perduxisse reperiatur. Quod eo notavi, nequem forte cum Peregrinio offendat tantulum id discriminis, quod inter *Radipertum* [verum nomen in marmore consignatum] & Radelpertum [quomodo id nomen a Breviarii amanuensibus post plura saecula interpolatum fuit] intercedit. Verum de praeclaro hoc monumento satis: cui non piguit plusculum immorari, quod ei S. Castrensis Inventio in veteris Vulturni ruderibus, & Translatio prior in Sinuessanam S. Rufini Ecclesiam, accepta sit referenda: quorum utrumque octavo desinente aut ineunte novo saeculo accidit.

Digitized by Google

liae Metropolitanam Ecclesiam Montis Regalis decoraturus, ante finem saeculi XII. eas Reliquias in eam Basilicam transtulit. De qua Translatione quia jam alii plura scripserunt, dicere supersedeo. Ac me quidem plura jam quam putaram de Beatissimo Africanorum Confessorum antesignano commentatum esse non poenitet: necdum enim pleraeque illius res, eae maxime, quas heic expendimus, satis elucidatae fuerant.

Vnum heic addo iis quae de die emortuali cap. 4. pag. 44. dicta sunt. Etenim illa diei θανασίμου in fine Actorum notatio non more V. & VI. saeculi scripta est: quo tempore usus Nonarum, Iduum, Kalendarum nondum exoleverat. Ergo scribi debuisset *III. Id. Febr.* non autem, *Vndecimo die mensis Febr.* quod est longe posterioris aevi indicium. Dici non potest autem quantopere aevo sequiore peccatum sit in hac parte; quando dies festus in aliquibus Kalendariis notatus pro emortuali est habitus: idque satis fuit, ut ea notatio ex Kalendariis in Mrologia transfunderetur, ac postremo ex utriusque desumpta, ad calcem vitarum in supplementum, uti falso putabant, adsuceretur.

Quamquam vel si verum fuerit, Castrensem die XI. Febr. ad caelum emigrasse, non continuo sequitur, male in hoc marmore *Natalis* notam fuisse inscriptam. Nam *Natale* vox est generalis, quae festum quodcumque anniversarium notat, sive Translationis, sive Passionis, sive Depositionis. Verum hujus Kalendarii consuetudo est ut in diebus emortualibus peculiaris nota adponatur DP. aut P. illud vero γενεθλίων N. diebus non suis reservetur. Ceterum siquando die suo praefixum reperiatur, tunc intelligendum est *Natale Depositionis*, aut *Natale Passionis*: quemadmodum hoc alterum diserte notatur die X. & XIII. Augusti, quibus praescribitur N. PAS. i.e. *Natale Passionis*. Vide ad XXI. Jan. illud *Nat. Agnae de Passione* & *Natale de Nativitate*; & quae plura de hoc genere in Praefatione Deo opitulante addentur. Atque hoc mihi semel monuisse satis sit.

XII D QVO ELECTVS EST S PETRVS PAP

SAlebrosa admodum festivitatis Cathedrae Petri tractatio est, quamvis doctissimorum (19) virorum scriptis illustrata. Jam heic breviter quid mihi probabilius videatur, aperiam.

Ac primum omnium in Bucheriano hortulo, quod medio IV. saeculo conditum fuit, id festum sic notatur: *VIII. Kal. Mart.* (h.e. XXII. Febr.) *Natale Petri de Cathedra*: i.e. Cathedrae Petri festum, nam sic etiam ceteri Episcopi *Natalem* h.e. festum *Cathedrae* suae quotannis celebrabant. In hoc Petri festo S. Leo sermonem 96. habuit, quem primus edidit Quesnelius. Eodem die id & in Gregoriano Sacramentario celebratur. Haec fuit Cathedrae Petri initia: quae tamen ea tunc colebatur, ut de Antiochena aut Romana sede nihil peculiare celebraretur, sed γενικῶς Petri Episcopatus honoraretur.

At eodem tempore in Galliis, quamdiu certe ibi ante Carolum M. Ritus Gallicanus viguit, festum Cathedrae (nec Antiochenae nec Romanae, sed communiter acceptae) non die XXII. Febr. sed XVIII. Jan. agitabatur; id quod ex Gallicanis Ritualibus libris eo tempore conditis intelligitur. Et hactenus Cathedrae festum generale fuit: nisi quod quam celebritatem Romani die XXII. Febr. agebant, eam Galli antevertebant die XVIII. Jan.

Atqui haec cum Hieronymiano Mrologio (quod volunt sub Gregorio M. jam Romae usurpatum fuisse, uti constat ex

G ejus

(19) De ea consuli possunt Baronius, Constantius, Tillemontius, Quesnelius ad S. Leon. Hom. 96. ac postremo ad utriusque Cathedrae diem Bollandistae, Bailletus, Castellanus.

Digitized by Google

ejus epistola ad Eulogium) minime stare posse videntur; quippe in eo Mrologio jam distincta duo Cathedrae festa enuntiantur, *Romanae* die XVIII. Jan. & *Antiochenae* die XXII. Febr. Verum hanc distinctionem Cathedrarum dierumque non e prima manu in illud Mrologium invectam, vel ex eo patet, quod Romae ante Paulum IV. altum de festo Cathedrae Romanae silentium fuit, & quod festum illud, quod Romae die XXII. Febr. agebatur, olim indistinctum erat, nec Antiochenae nec Romanae Cathedrae peculiare; idq. saltem usque ad Rosveidanum Mrologium, quod parvum Romanum vocare solent, quod Ado Viennensis Aquileiae reperit. In hoc enim festum diei XXII. Februar. primum cernitur Antiochenae Cathedrae attributum. Sed vereor ut ibi quod ad Antiochiam pertinet, e prima manu sit, ac non potius pro ingenio IX. saeculi, quo ea distinctio invecta videtur, additum.

Nam eo inclinat animus, non ante IX. saeculum inter festa Romanae & Antiochenae Cathedrae distinctionem fuisse factam: nam antea tantum quod Romani die XXII. Febr. colebant, hoc Galli die XVIII. Jan. Itaque nec Beda nec Florus id discrimen agnoscunt: quod tamen in posterioribus Adonis, Vsuardique Mrologiis palam visitur.

Nec aegre admiserim, quod viri docti sunt suspicati, sub Carolo M. ea primum facta discriminata fuisse. Nam sub eo Rege Romanorum libri Liturgici abolitis Gallicanis usurpari a Francis coepere. Itaque quum in iis libris dies XXII. Febr. Petri Cathedrae assignaretur, apud Gallos vero jam antea ea sollemnitas diē XVIII. Jan. occupasset; placuit utrumque diem retinere, sed cum hoc temperamento, ut prior Romanae Cathedrae, posterior verò Antiochenae addiceretur. Nec id vero statim & ubique obtinuit (quantum equidem ex codicibus a Thomasio (20) editis perspicio) sed sensim sine sensu, ut fieri assolet. Verum ubi id receptum fuit, jam tum vero in Mrologia ea discriminatio invecta fuit, nec in ea solum quae ab integro compilabantur, sed & in antiquiora, ubi ea transcribi opus esset. Itaque jam tum in Mrologio, quod sub Hieronymi nomine circumfertur, ea duplicis festi distinctio locum invenit. Nam revera eam festorum Cathedrae duplicationem in Hieronymiano non e prima manu fuisse, ex eo existimari potest, quod immanis sit verborum varietas in Hieronymianis (21) apographis. Atque haec de Cathedrae Petri festo apud Latinos.

At interim apud Graecos mirantur non injuria viri doctissimi, quid sit, cur qui Chrysostomi, Basilii, aliorumque natalem cathedrae colerent, in Episcoporum principe id neglexerint. Nec enim usquam est hujus festi vestigium in Graecorum libris Liturgicis. Verum equidem id non miror. Nam quantum est hodie sacrorum Graeciae librorum, id omne haud magnam antiquitatem praefefert, quo-

(20) In Gregorianis inquam codicibus a Thomasio editis nonnumquam *Cathedrae* festum indistinctum in provinciis Francicae ditionis reperio. Sic in eo libro, qui inscribitur *Antiphonarius S. Gregorii Papae* pag. 166. notatur ex *Sangallensi* Cod. *XV. Kal Febr.* [i. e. 18. Jan.] *Cathedra S. Petri* sine ulla discretione *Romanae* aut Antiochenae. Sic etiam indistincte idem festum notatur in Lectionario Missae pag. 100. num. CCCVIII. ex *Sangallensi* MS. Idque ad XVIII. Jan. pertinere ex eo ostendi potest, quod mox iterum pag. 101. *Cathedra S. Petri*, etiam indiscrimenatim colenda proponitur. Vide etiam in Capitulari Evangeliorum pag. 151. utrumque festum sine sedis discrimine.

(21) Eam apographorum variationem hic exhibere non pigebit. Etenim ad XVIII. Jan. in Epternacensi tantum legitur, *Cathedrae Petri in Roma*: at in Lucensi, *Dedicatio S. Petri Apostoli, qua primo Romae Petrus Apostolus sedit*: & in Corbejensi, *Dedicatio Cathedrae S. Petri Apostoli, qua primo Romae sedit*. Ad XXII. vero Febr. in Epternacensi, *Cathedra Petri in Antiochia*: in Lucensi, *Natalis S. Petri Apostoli Cathedra* (corr. *Cathedrae*) *quam resedit apud Antiochiam*: & in Corbejensi, *Natalis Cathedrae S. Petri Apostoli, qua sedit apud Antiochiam*.

Digitized by Google

quorum qui sunt paullo antiquiores, Basilio Porphyrogennetae aequales sunt; ceteri multo recentiores: omnino autem omnes sunt schismate posteriores. Atqui praecipuum inter utramque Ecclesiam discidii caput in Papae Romani primatu versabatur. Pro hoc quidem quum occidentales acriter decertarent, eorum interest Petri Cathedram impense colere. Contra vero id Graecis curae non erat, quippe CPolitanam sedem extollere, Romanam deprimere, qua possent, adnitentibus. At ante schisma festivitatem illam a Graecis omissam non fuisse, imo eam hodierno potissimum die fuisse celebratam, hi Fasti marmorei testificari possunt; qui quum pleraque festorum suorum de Graeco ritu in suum Kalendarium transtuderint; hanc etiam celebritatem illinc arripuisse videntur. Quam quidem si ab Romana Ecclesia adsciviissent, eam cum Romanis in XXII (22) Febr. conjecissent. Nunc quia diverso prorsus diei illam adfixerunt; permagno id argumento est, Neapolitanos & festum & festi diem ex Ecclesia CPolitana illa antiquiore & Romanae sedi obsequentiore arcessiviisse.

Nunc ad inscriptionem hujus diei propero, quae talis est: D.QVO ELECTVS EST S. PETRVS PAP. Quod videbatur legi posse: *Dedicatio, quando electus* &c. Cur primam singularem litteram interpreter *Dedicatio*, facit Mrologii Hieronymiani inscriptio, quae die XVIII. Jan. in apographo Lucensi, quod edidit Florentinius, talis est: *Dedicatio S. Petri Apostoli, qua primo Romae Petrus Apostolus sedit*. In Corbejensi vero haud multo aliter: *Dedicatio Cathedrae S. Petri Apostoli, qua primo Romae sedit*. Qua in inscriptione *Dedicatio* non id est, quod ibi somniat (23) Florentinius, cui & alios haesisse video, sed est ἐγκαινισμὸς Cathedrae, seu ut cum Augustino loquar, *Encaeniatio*. Sane si pro QVO scalptum esset QVA, aut si certe supra illud QVO transversa lineola (index notae QVANDO) immineret, de tradita interpretatione nullus dubitarem. Nunc satius est aliter illud D solitarium exponere, quam fallentem scalptoris manum culpare.

Ergo illud D μοναδικὸν non est aliud, quam *Dies*. At cur, inquis, duodecimum Februarii vocat *Diem quo Petrus electus est Papa?* Vbi quaeso id Noster scriptum invenit? Equidem suspicor, hoc totum ex Graecorum libris schismate antiquioribus esse; in quibus & duodecimo Februarii id festum adnectebatur, & idem vocabatur *DIES quo Petrus Episcopatum iniit*. Id vero quum Graeci dicerent, non id volebant, pro comperto se habere, Petrum prid. Idus Febr. primo Episcopum processisse; verum, quicumque is fuisset dies, ejus diei commemorationem pridie Id. Febr. sibi agendam putarunt. Sic Dedicationes anniversarias tum profanas, tum etiam Ecclesiasticas interdum diei non suo adfixas fuisse, alibi a me observatum fuit.

Postremo quocumque modo inscriptionis

(22) Nec enim illud excipi potest, diem XXII. Febr. Neapolitanis alio potiore festo occupatum fuisse, eoque coactos Cathedram anteverrere: nam in his Fastis dies XXII. Febr. *Natalis* (quae vox diem non suum arguit) S. Thecae assignatur; de qua iterum fit die XXIV. Septemb. & quidem praefixa *Passionis* nota. Ex quo vides Theclae *Natalem* i.e. diem non suum Cathedrae Petri cedere debuisse, si Romanos ac non potius Graecos imitari Neapolitanis propositum fuisset.

(23) Florentinius ad XVIII. Jan. *Duo*, inquit, *in Mrologio nostro videntur recoli, Dedicatio templi S. Petri Apostoli, & memoria ejus Cathedrae, qua primum Romae sedit*. Mox multum in eo aestuat, ut definiat, cujusnam Ecclesiae dedicatio sit intelligenda. Sed frustra laborat tum is, tum alii post eum. Vide quae ad *Titulum Amphith. Campani* necnon in *De Dedicatione sub Ascia* de vera *Dedicationis* notione fuse disputavimus: ex quibus intelliges, *Dedicare* tantumdem esse quod ἐγκαινίζειν, sive *encaeniare*; idque non tantum de Templis aliisque fabricis usurpari, verum etiam de quacumque re alia. Itaque *dedicare magistratum* est eum inire. Apud Cyprianum Lector nescio quis *dedicare lectionem* dicitur i.e. tum primum suo muneri admoveri. Ita etiam Petrus *dedicare episcopatum* sive *Cathedram* tunc dictus est, quum primum auspicatus episcopale munus fuit.

Digitized by Google

nis hujus initium se habeat; certum est heic Cathedrae Petri festum agi, & quidem nec Antiochenae, nec Romanae; nam olim PAPA vox erat non Romanae sedis peculiaris, sed Episcoporum communis: id quod in hoc ipso Kalendario observari potest, ubi quis PAPA ROM. inscribitur, quod additamentum redundaret, nisi *Papa* nomen generale esset.

XIII N S TIMOTHEI PATR

TImotheus diei hujus fuisse dicitur PATRiarcha, sed cujus sedis, non adnotatur. Quocirca praestabit sedes omnes patriarchales percurrere, ut tandem quisnam is fuerit, certo eliciatur. Ac magna habenda est viris doctissimis gratia, quorum labore series patriarchales descriptas habemus.

Jam primum omnium Timotheus noster nec Antiochenus, nec Hierosolymitanus esse potuit, quippe in neutra serie Timotheus ullus occurrit. Ac ne CPolitanus quidem: in quorum catalogo duo quidem Timothei recensentur; at posterior ultimae aetatis est, quippe an. 1617. sedem illam adeptus; de priore vero nullo modo est cogitandum, ut qui haeresis manifestus fuit & Synodi Chalcedonensis hostis, qui anno 511. S. Macedonio exsuli subrogatus fuit, cognomento *Litrobules*.

Refero me igitur ad Alexandrinos Patriarchas, in quorum catalogo omnino quatuor hoc nomine episcopatum gesserunt. Ex his vero eximendus est Timotheus Aelurus, qui astu & praestigiis illam sedem invasit, vir exsecrandae memoriae (etsi a suis pro sancto habitus) unde nec ejus in catalogis ratio ulla habetur. Eximendus est Timotheus III. haereticus, qui an. 537. obiit. Restant duo alii Alexandrini *Timothei*; quorum qui an. 460. in locum impii Aeluri suffectus fuit, nomine *Timotheus Salophaciolus*, magnas laudes non tantum a Catholicis antiquae aetatis scriptoribus, sed etiam ab haereticis meruit, eo quod mitissimus in omnes esset. Sed ista semper-lenitas ei fraudi fuit. Itaque *tamquam nimis remissus* (uti loquitur Liberatus Diac.) accusatus fuit apud Imperatorem: deque insigni ejus socordia, qua sivit, ut Dioscori nomen ad altare inter Catholicos antistites recitaretur, a Simplicio Pont. perstrictus, errorem correxit, ac veniam petiit: vir plane absque hac una labe sanctissimus, eoque nullum cultum in Ecclesia obtinuit. Proinde de hoc *Salophaciolo Timotheo* Fasti nostri hodie non sunt interpretandi.

Restat ad ultimum Timotheus Alexandrinus hujus nominis primus; qui procul dubio is est, qui hodie in hoc Kalendario colitur. Is fratri suo Petro in sede Alexandrina successit, ac CPolitano I. Concilio subscripsit, gestoque per quinquenniū patriarchatu, an. 385. die xx. Julii vivere desiit. De quo praeter Baronium Pagiumque consulendus est clariss. Jesuita Sollerius olim amicus meus, dum viveret, in serie Patriarcharum Alex. pag. 50. Qui num. 265. queritur, *apud Graecos aut Latinos Hagiologos* nihil reperiri de hoc Timotheo, quem tamen Copti & Habessini maximo in pretio habuerint. In quorum Hagiologio is ita invocatur apud Sollerium: *Salutem Timotheo fratri Petri ejus, qui ante ipsum fuerat Vrbis Alexandrinae Archiepiscopus, qui Conc. CPolitano praesedit* (saltem ante alios subscripsit) *una cum aliis tribus SS. Patriarchis* &c. Sed & erectae in ejus honorem Ecclesiae idem Hagiologium apud Sollerium meminit in haec verba: *Veneror dedicationem pretiosae tuae aedis, Pater Timothee... quae tibi exstructa fuit...* (24). Quum hunc igitur tan-

(24) *Quae tibi*, inquit, *exstructa fuit, postquam tempus afflictionis praeteriit*. Ibi Sollerius nescire se ait, utrum illud *tempus afflictionis exactum*, deliguet Arianorum persecutio-

tantopere Habeſſini coluerint, recte mirandum Bollandianis videtur, cur non eumdem, ſi minus Latini, at Graeci ſaltem in ſuis Officiis, celebrarint. At mirari deſinerent, ſi in hoſce. Faſtos incidiſſent, in quibus is colitur: etſi die non ſuo (25) eoque huic diei non *DE Poſitionis* ſed *Natalis* nota praeſcripta fuit, pro noſtri Kalendarii more. Ex horum autem Faſtorum indicio, facile ſuſpicor IX. ſaeculo, quando *Timotheus* huic marmori inſcribebatur, eumdem ne a CPolitanae quidem Eccleſiae (a qua ſuos plerosque Sanctos noſtri adſciſcebant) hagiologiis abfuiſſe, ſed eumdem gliſcente (26) ſchiſmate mox forſan fuiſſe detractum.

Quamquam, ſi verum fateri volumus, ne nunc quidem Alexandrinus Timotheus a Graecorum libris, ſaltem manu exaratis exſulat: idque miror Sollerio non veniſſe in mentem; cui ſeriem Patriarchar. Alex. ſcribenti jam antea Maius Bollandianus praeceſſerat, ad cujus diem IX. in *Praetermiſſis* pag. 359. ſic ſcriptum reperio: *S. TIMOTHEI PATRIARCHAE* ΡΟΔΙΣΜΟΣ *notatur hodie in MSS. Synaxariis Mediolanenſibus, Taurinenſibus & Claromontano.* Ibidem Bollandiſta poſt ſuam de (27) ῥοδισμῷ conjecturam; faſſus, hunc *Timotheum* non alium poſſe intelligi quam Alexandrinum illum, de quo tamdiu loquimur, ad haec addit,

cutionem deſitam, an finem perſecutionis Catholicorum adverſus Chalcedonenſis Synodi adverſarios: nam certe iſtud Hagiologium Jacobitam aliquem auctorem habuit, quod ex cultu Timothei Aeluri, & aliunde oſtenditur. Verum parcat ſiniſterioribus iſtis conjecturis Sollerius. Quid enim Timotheo illi cum Monophyſitis longo intervallo recentioribus commune eſſe potuit? aut quae ratio fuiſſet, cur ſedata adverſus Eutychianos procella, S. Timotheo Eccleſia dedicaretur? At prius illud veriſſimum eſt. Nam quum Timotheus ab S. Athanaſio in ſede Alexandrina tertius, Arianorum hoſtis inſenſiſſimus fuiſſet; hinc ubi dira Arianorum adverſus Catholicos tempeſtas reſedit, S. *Timotheo*, utpote acerrimo ὁμοουσίου defenſori, Eccleſia publice exſtructa fuit. Quae eo hoc notavi, ut appareat, S. Timotheum apud Habeſſinos Koptoſque jam tum tempore ſuae ὀρθοδοξίας cultum obtinuiſſe, proinde Jacobitarum de eo teſtimonium minime ſuſpectum eſſe debere.

(25) Nam S. Timotheus menſe Julio occubuit: & quidem die XX. ejus menſis potius, quam eo die, uti ex Orientalibus monumentis colligit ibidem Sollerius.

(26) Fortaſſis enim CPolitani praeſules ſchiſmate poſteriores, quum ne Romano quidem epiſcopo concederent, aegre ferebant, Alexandrinum Timotheum CPolitanae Synodo ante Nectarium ſubſcripſiſſe. Sed conjecturis parcendum.

(27) *De Rhodiſmo ſeu Roſalibus S. Timothei, deque S. Januarii* Inghirlandata.

Bollandiſta is, qui *Praetermiſſos* diei IX. Maii recenſuit, ubi in pluribus Synaxariis inſcribi dixiſſet illud, (*S. Timothei Patriarchae* Ῥοδισμὸς) adnotaſſetque, verbum ῥοδίζω odore aut colore (quam ipſam notionem firmaverat H. St. in Theſ.) poſtremo S. Timothei *Rhodiſmum* inde appellatum conjicit, quod eo die in aliqua Eccleſia mos fuerit *conſecrari & diſtribui roſas... idque fieri vel ex inſtitutione vel ad memoriam S. Timothei Patr.* Haud plane felicissima conjectura, futura aliquanto felicior, ſi conjector Gloſſas antiquas conſuluiſſet.

Nam ab antiquo Cyrilli Gloſſario petenda erat ejus vocis notio, in quo ſic legitur: Ῥοδισμός, *Roſalia*. Sed junctim eſt legendum *Roſalia*. Et quidem ex vocabuli Latini terminatione licet intelligere, id feſti nomen fuiſſe, nam *Roſalia* ſic dicitur, quemadmodum *Floralia*, *Terminalia* &c. Quocirca Gloſſographus ille hoc ſibi vult: Ῥοδισμός (*Rhodiſmus*) *eſt feſtum illud, quod Latini* ROSALIA *nuncupant*. Ceterum illud *Roſalia* in his Gloſſis non eſt dubium quin neutrum plurale ſit. Id enim ex eo conſtat, quod in alio vetere Onomaſtico *Roſalia* tantumdem eſt, quod Ῥοδιακὰ & quod locus, quem ex Cyrilli Gloſſis adſcripſimus, in Cod. Sangermanenſi ſic habet: Ῥοδισμός, *Roſalia*, *hoc Roſalium*. Nimirum enim ſicuti aevo ſequiore plurale *Altaria* arceſſebatur ex recto ſingulari *Altarium*, ſic ſciolus ille qui Cod. Sangermanenſem deſcripſit putavit *Roſalia* venire ex ſing. *hoc Roſalium*. Atqui id erat ex eo nominum genere, quae partim ad ſecundae, partim ad tertiae declinationis normam pluraliter inclinantur, ut *Bacchanalia*, *Bacchanaliorum*, *Bacchanalibus*, & ſexcenta in eumdem modum. Et hactenus tradita Latini nominis conſtitutio plane clamat, *Roſalia* ſic feſti aut ritus ethnici nomen fuiſſe, ſicuti *Vinalia*, *Cerealia*, & quae plurima ſunt

addit, ejus festum notari in Kalendario Kopto (quod Seldenus in de Synedriis evulgavit) die XXX. Abibi i. e. XXIV. Julii; ad quem diem lectorem ablegat; Verum ad XXIV. Julii Bollandistae in *Praetermissis* scribunt, *non constare de cultu*

sunt alia ejusdem modi. Accedit, quod in Glossis illis veteribus vix unquam nomina alia praeter profana occurrunt. Fuerit ergo *Rhodismus* celebritatis paganicae nomen, quam ROSALIA Latini, imo & Graeci posteriores vocabant, ut ex illustri Theod. Balsamonis loco ostenditur.

Quem Balsamonis locum non pigebit heic adscribere, quum ex eo simul intelligatur *Rosaliorum* caeremoniam ex ethnicismo olim fuisse in Ecclesias suburbanas diffusam. Exstat autem is locus ad Concilii VI. in Trullo habiti Can. LXII. quo canone ethnica quaedam festa vetantur. Ad quem sic inter cetera optimus is Scholiastes commentatur. Τοιαύτη παιγνιμος ΑΛΛΟΚΟΤΟΣ (istud ἀλλόκοτος quod ex Beveregiana editione heic necessario supplevi, omiserat Cl. Cangius in Gr. Glossario in Ῥοσάλια, credo quod in aliis codicibus desit) ἐστὶ καὶ τὰ λεγόμενα Ῥοσάλια, τὰ μετὰ τὸ ἅγιον Πάσχα ἀπὸ κακῆς συνηθείας ἐν τοῖς ἔξω χώραις γινόμενα. *Ex istarum*, inquit, *monstrosarum* (seu *hibridarum*) *celebritatum genere sunt & ea quae ROSALIA vocantur, quae post Sanctum Pascha ex prava consuetudine in suburbanis locis aguntur.* Ad quem locum notari velim, eam celebritatem dici ἀλλόκοτος, quasi ἀλλόποκον (uti grammatici interpretantur) i. e. alieno partu editam, sive *hibridam*; sic enim ii ritus dici debent, in quibus ethnicae caeremoniae cum Christianis coeunt. Deinde in suburbanis locis *Rosalia* celebrari dicit; quia in pagis paganicae reliquiae diu subsistiterunt, unde & a *pagis, paganismus* nomen invenit, ut ad S. Castrensis Acta sup. ad XI. Febr. notabamus.

Verum ne sic quidem, ecquid apud gentiles, & horum imitatione apud Christianos *Rhodismus* & *Rosalia* fuerint, plane liquet. Scio apud gentiles plurimum rosae aliorumque florum usum fuisse in coronis & sparsione: cujus moris supervacaneum est exempla proferre in amantibus, in conviviis, inque honore deferendo tum vivis tum etiam mortuis. Ad vivos illa pertinent. Florus II. 7. 14. *Quid florum in consulem profuderunt?* Ovidius IV. 2.

Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum,
Undique jactato flore tegente vias.

Apud Herodianum lib. IV. Alexandrini *florum sparsionibus* (ἀνθέων βολαῖς) *imperatorem* (Caracallam) *honorabant*. At in mortuos multo id usitatius fuit, tum dum efferebantur, (quod passim legitur) tum etiam in sepultos. In Ravennate inscriptione sic scribitur: *Ut quotannis ROSAS ad monimentum ejus deferant.* Et alibi passim in lapidibus ac libris. Atque haec apud profanos.

At etiam apud Christianos plurimum florum ac praesertim rosae usum fuisse, vel ex eo potest colligi, quod festum Pentecostes apud Italos *Pascha Rosata* dicitur. Ac memini, me puero, in Capuana dioecesi in Dominica Pentecostes inter Missae sollemnia consuevisse Presbyteros Ecclesiae pavimentum rosis conspergere; qui mos postea exoluit. Sed eam sparsionem aeque antiquam fuisse atque ipsum *Paschae Rosatae* vocabulum, minime dubito. Appellatio vero illa etiam in Historia S. Leonis Papae IX. num. 21. occurrit: *Dominica quae dicitur Pascha Rosata.*

Jam vero sicuti apud profanos in clarorum mortuorum elationibus sparsiones hujusmodi copiosae fiebant; idem & in Sanctorum Translationibus apud Christianos factitabatur. Quo spectat quod apud Neapolitanos S. Januarii, itemque apud Capuanos S. Stephani Protom. Translatio (utraque nunc colitur ineunte Majo, quum maxime rosae vigent; at de S. Januario olim XIII. Apr.) dicitur *l'Inghirlandata*. Cujus vocabuli originem inde repetunt, quod tum in eorum Translatione prima, tum in anniversaria memoria, clerici sertis floreis redimiti occurrerent, ac passim rosae ac flores spargerentur. Ac vide ut mutuam sibi lucem affundant S. Januarii *l'Inghirlandata* a nostris Graecis celebrata, & S. Timothei Rhodismus.

Nec enim aliud, nisi vehementer fallor, est *Rhodismus* sive *Rosalia S. Timothei Patriarchae Alex.* quam festum Translationis ejusdem: quod quia die IX. Maii celebrabatur, quando maxima est rosae ubertas, credibile est, multum jaciendis rosis, sertisque nectendis tunc fideles indulsisse, in laetitiae argumentum, sanctique Antistitis honorem. Sicuti ergo apud nostros homines *l'Inghirlandata* tantumdem valet ac festum Translationis; non abnuerim & apud Graecos *Rhodismum* ejusdem festi fuisse vocabulum, a rosarum usu quaesitum. Et hic quidem *Rhodismus* legitimus ac laudabilis erat: at *Rosalia* illa, quae Balsamon criminatur, superstitione aliqua paganica non caruisse crediderim: alioqui a mero rosarum jactu, aut roseis coronis quid fuisset periculi?

Digitized by Google

in catholice illi unquam exhibito ; quippe Koptos & Habeſſinos pro Catholicis non habent. At cur non ſaltem Synaxariis modo laudatis adhibetur fides? Verum non dubito, quin Bollandiani ſocii ſaltem poſtquam eumdem Patriarcham in Faſtis hiſce marmoreis ſignatum animadverterint, abſtenturi ſint a ſeveritate formulae, NON LIQVERE : etſi paſſim alibi iidem viri doctiſſimi longe ſe faciliores praebent in Sanctorum cultu aſſerendo.

Ex dictis autem intelligitur, hunc Timotheum & apud Koptos & Habeſſinos (& quidem tempore ſuae ὀρθοδοξίας) inveniſſe cultum, & apud Graecos in Synaxariis ſuis (ut omittam quod hujus Timothei epiſtolam Canonicam Graeci nobis adſervarunt; quod etiam ad maximam de eo exiſtimationem facit: de qua Epiſtola vide Sollerium loc. cit.) ac poſtremo hoc die apud Neapolitanos noſtros, quos Myxo-Graecos licebit appellare.

XIIII N S BALENTINI

HVic marmori concinit Neapolitanum manu exaratum Kalendarium, quod Ms. Rituali Neap. praeit inter Tutini chartas, ubi hoc die ſcribitur: *S. Valentini M.*

Etſi autem plures numero Valentinos, & pleroſque eorum martyres, Bollandus & Henſchenius huic diei inſeruerint: non eſt tamen dubitandum, quin noſtri Kalendarii *Valentinus* aut ille ſit Interamnenſis Epiſc. & Mart. (cujus hoc die meminit Hieronymi Mrologium) aut ille alter presbyter ac Martyr Romanus, de quo Breviarium ac Martyrologium Romanum hoc ipſo die. De utroque Martyrologia Roſweidi, Vſuardi, Adonis, aliorumque paſſim loquuntur. At praeceteris genuinus Beda poſt Romanum Valentinum illius alterius Interamnenſis Ep. & Mart. ſane quam copioſum elogium pertexuit.

Ex vero nominum, item loci (uterque enim *Via Flaminia* paſſus dicitur, ſed unus prope Romam, ad Interamnam alter) diei feſti, ac nonnulla etiam temporis convenientia quoſdam in eam ſuſpicionem impulerat, fueritne unus idemq. Valentinus in duos poſtea diſtractus. Sed conjecturarum tenus res ſteterat. Verum Cl. Celellanus (cujus peculiarie eſt, ut ille ait, ex ſemita viam facere) non eſſe dubitandum ſtatuit, quin unus idemque Valentinus (ille Interamnenſis ſcilicet cujus meminit hoc die Hieronymianum Mrologium) in duos poſtmodum pullulaverit. Atqui quam vellem, vir clariſſ. & de hoc ſtudio optime meritus aut minus prochivem ſe ad antiquitatem evertendam praeberet, aut ſaltem idoneas rationes ſuae ſeverioris cenſurae afferret: qui heic certe nullam affert.

At equidem, ut cetera praetermittam, ſcio diverſas duorum Valentinorum Inventiones fuiſſe factas: & Interamnenſem quidem Valentinum an. 1605. repertum Interamnae fuiſſe (de quo vide quae hoc die Henſchenius p. 756. n. 9. ex Ferrario & Vghello profert.) Romani vero Valentini corpus ex ejus Eccleſia, quae extra Vrbem in Via Flaminia nobilis quondam erat, in S. Praxedis, caput in S. Sebaſtiani fuiſſe translatum. Ita, niſi Valentinum bicorporem fuiſſe dixerimus, duos diverſos Valentinos fuiſſe oportebit, Romanum unum, Interamnenſem alterum. Nec quidquam utrique commune video praeter nomen, Viam Flaminiam (ſed remotiſſimis ejuſdem viae locis; nam LXIV. ab urbe Roma milliario Martyr Interamnenſis ponitur in Hieronymi Mrologio) diemque feſtivum. Verum id paſſim factitabatur, ut cujus Sancti dies emortualis ignoraretur, is in eum diem conjiceretur, quo cognominem alium coli contigiſſet: cujus rei documentum vel hic ipſe dies ſuppeditat, quo die praeter hos duos, alii plures cognomines apud Bollandiſtas occurrunt.

At

Digitized by Google

At uter hoc die in hiſce Faſtis colitur? Romanum dices, quippe viciniorem, & aevo hujus marmoris ſatis celebrem; praeſertim quum hinc abſit *Epiſcopi* dignitas, qua pollebat alter. At equidem in Interamnenſem ſum longe inclinatior. Ac primum hic multo quam Romanus celebrior extra Romam erat: quippe unius Interamnenſis Hieronymianum(28)Mrologium meminit; Beda vero quum utrumque admiſerit, in Romano jejunus, in altero multus eſt. Deinde ſi de Romano agerent hoc die Faſti marmorei, non *Natalis* notam (quam diebus non ſuis apponunt) heic praeſcripſiſſent, ſed *Paſſionis*: etenim Athletae Romani Acta (non σύγχρονα illa quidem, ſed tamen venerandae antiquitatis) XVI.Kal. Mart. (i.e. XIV. Febr.) eum *decollatum* diſerte praedicant; quum interim alterius dies Paſſionis ignoretur, nec aliunde is videatur in hunc diem conjectus, quam alterius ὁμωνύμου gratia. Ceterum quod pontificalis dignitas hinc abſit, id nihil eſt; quae in Martyribus vix uſquam in hoc marmore ſcalpitur, & hic idem Interamnenſis in Hieronymiano mentionem epiſcopatus nullam habet.

XV N S PANTALEONIS

IDemne eſt, an diverſus ab illo *Pantaleone* Medico Nicomedienſi qui apud Graecos Latinoſque, imo & in hoc ipſo marmore conſignatur die XXVII. Julii? Prorſus idem. Nec enim illuſtris alius Pantaleon agnoſcitur. Qui quidem in Vſuardi Auctariis Sollerianis etiam heſterno die ponitur, & diverſis Februarii diebus in nonnullis veteribus ſcriptis conſignatur. De hoc redibit ſermo ad XXVII. Julii, quo die is iterum, uti diximus, in his Faſtis ſignatur. Celebris ejus cultus in hoc Regno fuiſſe cernitur, cujus & ſanguis alicubi, ut dicemus, magnae venerationi eſt. Sed & Neapoli erat olim oratorium *S. Pantaleonis R.* (i.e. *regionis*) *Termontis*, quod ex Tutini chartis deprehendi. Cetera ad 27. Julii videantur; ubi & illud quaeretur, cur utroque Kalendarii loco ϖ N. i.e. *Natalis* nota praefigatur.

XVI N S IVLIANES

SCribitur heic ejus nomen Graeco modo (utpote apud Neapolitanos, quos *bilingues* licebit appellare) nam ſicuti rectum *Agne* obliquum *Agnes* gignebat (uti ſupra ad XXI. Jan. monuimus) ſic patrius caſus *Julianes* fiebat ex recto Ιυλιανὴ *Juliane*. Nec aliter locutum reperio Petrum Subdiaconum Neap. in Actor. Prologo apud Bollandum: *Quia beatae & glorioſae Mart. WLIANES Sacratiſſimum corpus . . .*

Haec eſt autem celeberrima (29) illa Virgo & Martyr Nicomedienſis paſſa ſub Gal. Maximiano an. 294. aut non diu poſt;

(28) In Eptemacenſi apographo omnium antiquiſſimo ſic legitur: *Interamne via Flaminia Natali Valentini*. Quod *Valentini* nomen in Corbejenſi & Lucenſi ita in *Vincentii* tranſiit, ut tamen depravationis origo ſit manifeſta, praeſertim in Lucenſi exemplari, in quo *Valentini* nomen loci nomini praeit, & luxatae indicia ſunt manifeſta.

(29) Sanctam Julianam fuiſſe in Eccleſiis omnibus celebratiſſimam, illud declarat, quod in libris omnibus Eccleſiaſticis tum Graecorum tum etiam Latinorum reperitur; & quod pluribus in locis ejus reliquiae oſtenduntur; poſtremo, quod Actor. illorum, quae Bollandus affert, exempla innumerabilia manu exarata longe lateque proſeminata Bollandiſtae repererint.

Digitized by Google

post; quam Graeci (30) die XXI. Decemb. at Latini (31) hoc die colunt: utri rectius ac die suo, id vero sedulo inquirendum arbitror. Equidem universe sic statuo, in Sanctis natu Graecis plus esse Graecorum quam Latinorum monumentis tribuendum. Atqui ex Graecorum *liturgicis* libris nullus est, in quo Julianae festum alio die quam XXI. Decemb. signetur: quo die in eorum libris praescribitur Ἄθλησις, quod tantumdem est, quod Latinis *Passio*. Accedit marmoris nostri auctoritas, in quo hoc die non P. h. e. *Passio*, sed N. h. e. *Natalis* nota praefigitur, quae diebus non suis in hoc monumento adpingitur. Quominus autem hanc Neapolitani die suo celebraverint, id impedimento esse potuit, quod dies XXI. Decemb. potiore festo S. Thomae Ap. plenus erat. Ceteroqui apud nostros Translationis dies, quippe rei apud nos gestae, quam Passionis, quae Nicomediae contigit, celebrior esse debuit.

Contra hanc vero sententiam quid asseri possit, videamus. Ac primum in calce Actorum, quae primo loco affert Bollandus, diserte scriptum est: *Passa est autem B. Juliana die XIV. Kalendar. Martias. a praefecto Eleusio* . . . Is autem est XVI. Febr. Verum jampridem istorum Actorum fidem viri docti (32) suspectam habent: & ut inculpata esse, Bollando quidem, at dies certe Passionis non uno modo in manu exaratis (33) scribitur: ac postremo certum est, Fastorum nostrorum auctorem hanc diei δυναστμὸν consignationem in hisce Actis, (in Campania, opinor, tunc longe lateque diffusis) non legisse; alioqui ꝑ P non autem N. hoc die scalpi jussisset. Ac vereor ut ea Passionis consignatio antiquior sit saeculo (34) XI. exeunte.

At gravius fortassis illud videbitur, quod in Hieronymiani Mrologii apographo Corbejensi hoc die sic scribitur: *Nicomediae PASSIO S. Julianae Virg. & Martyris*. Verum a posteriore manu id accessisse, recte ostendit hoc die Castellanus, idq. ex additamento MARTYRIS. Nam primitus in Hieronymianum non nisi martyribus patebat aditus, nec proinde *martyrii* titulus addebatur. Accedit, quod a Lucensi apographo abest hoc die Juliana; & quod in Epternacensi sive Antuerpiensi ita signatur, ut mihi prorsus videatur ejus Translationem intelligere: de quo mox. Haec de die Passionis eo pluribus firmavi, ut marmori huic sua constet fides, in quo hoc die N. praefigitur, diebus non δυναστμοῖς in his Fa-

H stis

(30) De ea die XXI. Decemb. agit utrumque Menologium: nisi quod in Sirletiano scribitur *Commemoratio S. Matris Julianae* &c. Sed in Basiliano rectius Ἄθλησις i. e. *certamen seu passio*. De eadem eodem die Anthologium, Maximus Cyther. ac fuse Menaea magna, in quibus scribitur, *Sollemnitatem ejus celebrari in aede ipsi dicata, quae est juxta Templum S. Euphemiae in Petrio, ἐν Πετρίῳ*. De aede S. Euphemiae in Petrio videatur Cangius in Cfoli Christiana lib. IV. pag. 146. ubi unum hinc dicit ex Sanctimonialium Monasteriis βασιλικὸς i. e. imperialibus.

(31) Pro Latinorum consensu in hunc diem plura inferius monumenta adscribemus.

(32) Everterat istorum Actorum fidem Jo. Heftelius Lovaniensis: cujus objectis respondit postea Bollandus: sed quam recte, alii viderint. Aequi negari non potest, quin plurima in his Actis sint, quae concoqui vix possint, in primis autem narratio de daemone ab Juliana victo, & longa illa Martyris cum diabolo colloquia plena περιεργίας, ac multa episodia ad ornandam narrationem per otium adpicta. Quae tamen non efficiunt, quin fundus historiae verus sit, & Acta ipsa sint Martyrologiorum (excepto Hieronymiano, cujus auctori ea ignota fuerunt) aetate antiquiora: quod & stylus ostendit.

(33) Nam ad eum Actorum locum Bollandus adnotat, in quibusdam MSS. notari *VII. Id. Febr.* & in MS. Cusano, *V. Id.*

(34) Nam quum Petrus Subdiaconus vitam S. Julianae scripsisset [quam Petro Archiepisc. Neap. dicavit, qui desinente saec. XI. sedit] & ad ejus vitae finem posuisset: *Passa est autem B. Martyr Juliana quartodecimo Kal. Martias* (proclivi sane errore, quo dies festi pro die emortuali sumitur) verisimile est, tunc primum eam diei emortualis notationem ex Petri illius vita in Acta antiquiora transfusam fuisse.

Digitized by Google

tis praeponi solitum; simul ne quid de Rom. Mrologii auctoritate quidquam decedat.

Nam in Romano hoc die scribitur: *Cumis in Campania Translatio S. Julianae Virg. & Martyris*. Idque verum est. Nam eo spectat non tantum *Natalis* nota quae in hoc marmore nostro scalpitur, sed & quod in Epternacensi Hieronymiano notatur in hunc modum: *In Campania Cumbas* (i.e. Cumas) *NATALIS* (35) *Julianae*: & id genus (36) alia quae huc asferri possent, quae sunt Translationis Cumanae, non vero diei Passionis indicia.

Res enim sic se habuit. Auctor Actorum priorum apud Bollandum num. 21. S. Julianae reliquias *post paucum tempus* (eadem haec verba in pluribus Mrologiis in proxima Adnotatione observavimus, quorum auctoribus haec Acta visa fuisse, hinc intelligitur) *post paucum tempus* translatas narrat *ad fines Campaniae. Posita est autem* (ut ibidem in fine legitur) *B. Juliana prope territorium Puteolanum, ubi habet mausoleum uno miliario a mari*. Haec est prima Translatio, cujus etiam Petrus Subdiaconus in Vita hujus Sanctae meminit; qui tamen & secundam Translationem in calce vitae his verbis describit. *Postea vero imminente ethnica feritate* (Langobardorum incursionem heic designari putant Bollandus & Henschenius, quae gens anno 568. primum in Italiam inundavit) *ne talis tantusque thesaurus* (quippe in agro & extra moenia positus) *dehonestaretur; translatum est corpus ejus in civitatem Cumanam, ibique in ipsius & in B. Maximi basilica cum gloria collocatur*. Hujus alterius Translationis occasione suspicatur Bollandus, reliquias nonnullas Neapolim ablatas fuisse, de quibus Gregorius M. in epistola ad Fortunatum Episc. Neap. Postremo exstant apud eumdem Bollandum Acta tertiae Translationis S. Julianae, quae an. 1207. facta dicitur, quando Sancta haec Martyr cum S. Maximo Neapolim abducta fuit, & illa quidem in Asceterium Domnae Romitae, hic vero in Cathedrale Templum.

Sed illud scire interest, ecquam Translationem ex illis tribus Fasti marmorei colant. De tertia nefas est cogitare, quae prope quadrigentis annis recentior hoc marmore fuit. Ac ne prima quidem est intelligenda, quum primum S. Julianae Reliquiae ad Puteolanum littus appulsae fuerunt. Sed secunda Translatio colitur, qua *translatum est corpus ejus in civitatem Cumanam*, quando & partem aliquam sacri pignoris Neapolim abductam fuisse, praediximus. Hanc secundam Translationem intelligi inde colligo, quod non tantum in Romano diserte scribitur, *Cumis Translatio S. Julianae*, sed quod in Hieronymi Epternacensi Mrologio, ceteriscque (quae in Adnot. 36. citavimus) S. Juliana Cumis celebratur.

Atque ea sunt quae de hac apud nostros celebratissima Martyre mihi necessario

(35) Vox NATALIS heic eadem notione accipitur, qua in hoc marmore, pro *Festo* scilicet sive Translationis sive alterius generis: quo tamen significatu haud passim eam vocem in Hagiologis reperies.

(36) Roswveidanum, Centulense, aliaque Mrologia: *Et in Cumis S. Julianae Virg.* Vsuardus: *Civitate Cumis S. Julianae Virg.* ... In quibus Mrologiis *Cumanae* civitatis mentio manifesto est argumento, de Translatione Cumas facta, non vero de Passione, quae Nicomediae contigit, id festum esse intelligendum: quomodo in hodierno Romano recte distinguitur. Nec aliud sibi volunt Ado, Beda Vulgatus, Rabanus, Notkerus, MS. Lactiense, & S. Martini Tornacensis, in quibus scribitur in hunc modum: *Et in Cumis S. Julianae Virg. quae tempore Maximiani imp.* &c. ... *Quae passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus Deo disponente in Campaniam translata*. Quae plane clamant, hodiernum festum Translationis esse, non Passionis, uti recte in Romano monetur.

At Felicius, qui priora illa monumenta, in quibus Juliana Cumis ponitur, non autem haec posteriora, in quibus ejus Translatio ex Nicomedia in Campaniam detegitur, viderat, suspicabatur aut fuisse domo Cumanam, deinde Nicomediae passam, aut duas fuisse Julianas, Cumanam unam, Nicomedienſem alteram.

Digitized by Google

ſario animadvertenda duxi : ceteris ſupersedeo, quae, ne actum agam, legi poſſunt apud Engenium, Ant. Caracciolum, alioſque, ſed praecipue apud Bollandum hoc die. Niſi quod illud mihi nolenti exciderat, quod in manu exarato Kalendario Ritualis Neap. inter Tutini chartas hoc die legitur : *Julianes* (Graeco caſu ut in hoc marmore) *Virg. & Mart.* E regione vero in margine notatur, id in autographo notatum fuiſſe *littera rubra*, quo modo dies ἀπρακτοι *feriati* olim ſignabantur.

XVII DP PAVLI EPI IVNIORIS

EPiſcopus hic noſter fuit, etſi deſit τοῦ NOSTRI. Sic enim habeto. In hoc eodem marmore die III. Martii legitur DP. S. PAVLI EPI NRI MAIORIS. Ex quo intelligitur, hujus diei *Paulum*, qui *Junior* dicitur, ſic fuiſſe appellatum comparate ad alterum Paulum qui *Major* h.e. *ſenior* vocatur. Quandoquidem igitur Paulus major diſerte *noſter* dicitur, etiam hic alter *Junior* inter noſtros SS. Epiſcopos eſt numerandus. Nam illud NOSTER hujus monumenti auctor pro ſua maxima voluntate modo adpoſuit, modo omiſit, ut ex pluribus epiſcopis certo noſtris, in quibus illud *Noſtri* abeſt, infra conſtabit.

Tres autem omnino in Epiſcoporum noſtrorum ſerie Paulos novimus, unum qui Joanni Diacono quintus ab Aſprenate ponitur; alterum qui medio VIII. ſaeculo floruit, tertium qui exeunte eodem ſaeculo. Et quidem ſi ejuſdem Jo: Diaconi auctoritate ſtamus, nemo eſt eorum trium, qui non virtutum ſuarum (37) merito cultum adipiſci jure potuerit. Sed quando Kalendarium duos tantum in albū retulit, exiſtimari poſſet, non eſſe alios capiendos, quam priores duos, tertium autem idcirco non fuiſſe adnumeratum, ſive quod is recentior hoc monumento fuerit, ſive quod tum, quum hoc conſtruebatur, nondum is coli coepiſſet. Et ſic quidem olim conjiciebam.

[37] De Paullo, qui ab Aſprenate quintus numeratur, haec habet Jo: Diaconus : *Mirabilis in opere, mirabilis in factis, mitis in proſperis, prudens in adverſis; poſt diuturna tempora gaudens & ipſe migravit ad Dominum.*

De Paullo ſecundo, qui circ. an. 756. ſedit, longam elogium idem chronographus pertexuit. Omnia ejus geſta ſanctitatem redolent; atq. illud in primis, quod ipſa *die ſancti Paſchae, Miſſarum ſollemniis pene completis cunctos oſculatus eſt clericos, & omni populo exhortato, ſpiritu ingravit ad coelos.*

Huic Paulo II. Stephanus ſucceſſit, Stephanus Paulus III. vergente VIII. ſaeculo. Cujus electio mira prorſus fuiſſe videtur. Defuncto enim Stephano epiſcopo, Eupraxia Theophylacti Diacis Neapolitani uxor diu obſtitit, quominus quiſquam ex Clero eligeretur Epiſcopus. Poſtremo tumultuanti populo, ac paſtorem ſibi cleri petenti, Eupraxia Paulum hunc laicum comprehendens [quo verbo utens Chronographus, ſatis innuit, vim illi illatam fuiſſe, nec eum ullo modo promotioni ſuae velificatum] tradit eligendum. Quumque Neapolitani laicum (*illico tonſum*) eligere renuerent; Adrianus Papa [nimirum non ſine Numine id factum interpretatus] illud ratum habuit, ac Paulum Neapolitanum epiſcopum conſecravit. Neque is vero exſpectationem de ſe conceptam fefellit; nam & in ſacra aedificia, & eccleſiaſticam ſupellectilem plures quam quivis alius ſumptus fecit, & Eupraxiam ad bonam frugem converſam, Abbatiſſam Aſceterii cujusdam ab illa exſtructi ordinavit. Haec ferme de illo Jo: Diaconus habet, qui ceteroqui non ſolet epiſcoporum virtutes deſcribere, contentus fabricas enarraſſe, quaeque ſunt his ſimilia. Sed tamen illud animadverſione dignum videtur, quod Jo: Diaconus hujus electionem narraturus, tali prooemio utitur, quo minime uſus fuiſſet, niſi Paulus hic III. compertae ſanctitatis fuiſſet. Sic enim incipit : *Scribere autem incipientes, qualiter iſte pontificali culmine ſit ſublimatus, ſtudioſos precamur lectores, ut non aegre accipiant, & nobis imputent aliquid narraſſe ineptum: quia utilius eſt veritatem proferre, quam vitantes quicquam, ire per anfractam locutionem.* Re enim vera vitioſa habebatur electio, ſi laicus aſſumptus fuiſſet. Verum haec Divino judicio evenisse, Adriani Papae ratihabitio declaravit, ut ante dictum fuit.

Digitized by Google

Verum ubi poſtea in manu exaratam (38) Homiliam incidi, quae eſt de miraculis S. Agrippini; ejus me auctoritas compulit, ut noſtri Kalendarii *Paulum Majorem* eum eſſe, non qui primo aut altero CHRISTI ſaeculo, ſed qui medio octavo ſedit hujus nominis ſecundus, certo pronuntiarem; quandoquidem id digito intento ea Homilia demonſtrat. Nam inter cetera S. Agrippini miracula hoc ibi narratur de quodam, cui *Mauro* nomen, quem aegrotantem & ad S. Januarii tumulum orantem S. Martyr ſecundum quietem apparens juſſerit, S. Agrippini in eadem Eccleſia conditi ambire tumbam, ab eo ſanitatem conſecuturum: id quod evenit. Id vero accidiſſe dicitur *temporibus beatae recordationis domini Pauli PRIMI ſanctiſſimi & SENIORIS noſtri epiſcopi*. Recitat quidem haec verba Chioccarellus pag. 78. & tamen, cur Paulum in hac Homilia nominatum is interpretetur Paulum tertium, qui circ. an. 795. epiſcopatum iniit, non intelligo: niſi hoc eſt, quod haud raro in luce clara caecutimus. Quo enim pacto voculae illae PRIMI & SENIORIS in eum convenire poſſunt, qui tertius & ultimus inter Paulos numeratur? At ne primus quidem Paulus is, qui aevo Apoſtolico ſuppar fuit, ibi intelligi poteſt; quia illic agitur de S. Agrippini jamdiu tumulati miraculo, qui Agrippinus Pauli illius antiquiſſimi ſucceſſor fuit. Non aliud igitur relinquitur, niſi ut is Paulus qui in laudata Homilia PRIMVS & SENIOR vocatur, is plane ſit qui circiter an. 757. ſedit, qui tamen revera ejus nominis *Secundus* erat. Atque is idem eſt noſtri Kalendarii *Paulus Major*.

At enim, inquies, quo pacto is *primus & ſenior* in Homilia, in marmore vero noſtro *Major* vocatur, cui ante ſeptingentos ferme annos Paulus ille antiquior anteceſſerat? Reſpondeo, nomenclationes iſtas plerumque ex vulgi ore prodire. Apud vulgus autem Pauli illius antiquiſſimi memoria plane oblitterata fuerat, qui vix ab eruditis & antiquitatis ſtudioſis tenebatur. Hinc nihil proclivius fuit, quamut, quum duo Pauli, brevi inter ſe intervallo disjuncti (quorum unus medio VIII. ſaeculo, alter eodem exeunte vixerunt) in hominum memoria vigerent; alter eorum *& primus & ſenior & major*, alter *junior* nuncuparetur. Maneat igitur, *Paulum Majorem* (qui die III. Martii in hoc marmore conſignatur) eſſe illum Paulum, qui anno circiter 757. ſedit; *Juniorem* vero diei hujus eſſe illum qui an. 795. epiſcopus creatus fuit. Utrumque ſane ſuis laudibus non fraudat Jo: Diaconus, ut plane videantur coli pro caelicolis potuiſſe. At revera eos cultus poſſeſſionem apud Neapolitanos adeptos fuiſſe, antehac ignorabamus: ac nunc primum id ex integerrimi hujus marmoris auctoritate diſcimus, collati cum manu exarata Homilia de miraculis S. Agrippini.

Quae hactenus de duplici Paulo commentati ſumus, ea mire confirmantur inſcriptione quadam, quae corporibus SS. Maximi & Fortunati ſuperpoſita erat. Verum & hanc inſcriptionem, & plura alia quae huc pertinent, copioſe expoſuimus in Diſſertatione Italica, quae in Academia Hiſtoriae Eccleſiaſticae apud Oratorianos S. Philippi Nerii Patres ab hoc Eminentiſſ. Archiep. JOSEPHO SPINELLO inſtituta, nuper a me recitata fuit: quam ad calcem dabimus. Vide quoq. infra ad XIV. Junii, ubi de S. Fortunato: nec enim actum agere in more habeo.

Ex

[38] Eam Homiliam ſervabat apud ſe Chioccarellus. Eamdem aut ejus exemplum habuit etiam Bibliothecae SS. Apoſtolorum [teſte Ant. Caracciolo pag. 137.] ubi & hodiedum exſtat. Et Caracciolus quidem ab Jo: Diacono auctore Chronici Epiſcoporum Neap. Homiliam illam ſcriptam putavit nullo tamen argumento producto. Vtut eſt, non ante tempora Athanaſii III. qui ibi memoratur, ſcripta fuit, nec ante an. 961. Eam in feſto S. Agrippini publice in coetu fidelium lectam fuiſſe, intelligitur ex illis verbis, *Qui devote ad ejus* [Agrippini] *ſollemnia convenitiſtis*.

Digitized by Google

Ex hactenus dictis etiam marmoris hujus aevum deprehendi poteſt. Nam quandoquidem in eo S. Paulus Junior conſignatur, qui ab an. 795. ad uſque initia noni ſaeculi Neapolitanis praefuit, neceſſe eſt, hoc Kalendarium novo ineunte ſaeculo haud fore antiquius. At ne recentius quidem nono ſaeculo fuerit: nam in eo tacetur B. Tiberius, qui an. circiter 818. noſter epiſcopus eſt conſecratus: tacetur hujus ſucceſſor S. Joannes Aquarius: tacetur poſtremo Aquarii ſucceſſor S. Athanaſius, qui medio nono ſaeculo Neapolitanum pontificatum iniit. Et quidem hi duo ultimi inter illuſtres hujus ſedis ſanctos Antiſtites adnumerati fuerunt: ac certum habeo, S. Athanaſium paullo poſt mortem coli coepiſſe, ſaltem poſt ejus Translationem e Monaſterio Caſinenſi, quae quinquennio (39) poſt mortem contigit. Ergo videtur hoc Kalendarium inter annum 818. (quo Vrſus Paulo Juniori ſucceſſit) & annum circiter 880. (quo S. Athanaſii cultus ſatis increbuerat) fuiſſe conſtructum.

At enim ſcrupulus heic eſt avellendus oppido quam moleſtus. Quid enim? ſi res ſic ſe habet; Paulus ille ab Aſprenate quintus, de quo mira praedicat Jo: Diaconus, cultu ſpoliabitur. Verum ne is quidem ab aris removebitur. Eſt enim ille ipſe, cujus Depoſitio in his Faſtis notatur die XXIII. Auguſti. Vide ibi dicenda. Quibus ſi addas Paulum de Arretio; jam quatuor Paulos habebimus viros ſanctiſſimos. Nec plures quam hi quatuor eo nomine Neapolitanam Cathedram tenuerunt. Cetera plura quae huc ſpectant, in ante dicta Diſſertatione Italica videantur.

XVIII N S PIMEÑI

HVjus Sancti nomen in marmore ſic ſcalptum cernitur, ut tranſverſa lineola ſiniſtro litterae N haſtili non tantum inſiſtat, ſed plane artiſſime adhaereat, ita ut videatur monogramma compoſitum ex T & N. Sed tamen vox PIMETNI nihil eſt. Quocirca lineola prorſus redundat: nec eſt dubitandum, quin hujus Sancti rectus caſus ſit PIMENIVS (nam quae in IVS exeunt, olim in caſu patrio cum uno I ſcribebantur) & quin is idem ſit ac *Epimeneus* Martyr, cujus corpus Brixiae quieſcit in ſacrarum Virginum coenobio S. Juliae dicato, quemque Brixienſes eodem hoc die colunt. Ac aequem forte diverſitas nominum *Epimenei* & *Pimenis* turbet; ſciendum eſt hujus martyris nomen tribus ſaltem modis ſcribi conſueviſſe, EPIMENEVS, PIGMENIVS, PIMENIVS, quarum ſcriptionum primam rectiſſimam judico, quippe ἀναλογικην, & Graecis uſitatam, & ſuo ſignificatu praeditam; itemque ſecundam, ſi cū Y ſcribatur. Nam tertia ab alterutra videtur detorta. Nunc ſingularum nomenclationum teſtes advoco Kalendariorum & martyrologiorum libros, & quidem omnes hoc eodem die XVIII. Februarii.

Epimeneum hoc die exhibent Tabulae & Martyrologium Brixienſe, Galeſinius, Ferrarius; apud quem in Catalogo generali ſic reperio: *Brixiae S. Epimenei preſbyteri & martyris*: qui & in Adnotationibus conqueritur, Maurolycum perverſe pro *Epimeneo* ſcripſiſſe *Pigmenium*: quae eſt hujus nominis ſcriptura altera.

Atqui non tantum Maurolycus ſed & Felicius iſto modo ſcripſerunt, apud quos ſic legitur hoc die: *Item Pigmenii preshyt. & martyris*. Qui videntur exiſtimaſſe hujus diei martyrem non alium eſſe ſive a *Pigmenio* qui ſub Juliano, ſive ab *Epigmenio* qui ſub Diocletiano, decertarunt, uti

(39) S. Athanaſius an. 872. demortuus, an. 877. ſollemni pompa, cujuſmodi ſolis Sanctis tribuitur, ex Caſinenſi Monaſterio translatus Neapolim fuit. Cujus Translationis extant Acta ab aequali aut ſuppare ſcriptore compoſita. Sed de his videatur ſaepe memorata Italica Diſſertatio.

Digitized by Google

uti infra ex Martyrologio Romano demonstrabimus.

Postremo PIMENIVS testium multitudine ceteras duas appellationes superat. Sic enim scribitur in nostro marmore hoc eodem die, quo Brixiae *Epimeneus* colitur. Adhaec duo antiquitus scripta martyrologia apud Bollandum heic, unum Vltrajectinum S. Mariae, alterum Trevirense S. Martini, hoc die XVIII. Febr. sic habent: *Item Pimenii Martyris.* Item M. S. Richenovience: *Alibi S. Pimenii Martyris.* MS. Aquisgranense hunc eumdem primo loco ponit his verbis: *XII. Kal. Martii: Natalis S. Pimeni Presbyteri ad sanctos duos senes.* Postremo Greven in Auctario Vsuardi *Pimenio* Faustum hoc die adjungit: *Romae*, inquit, *Pimenii presbyteri & Fausti martyrum.*

Hactenus de scribendi modis: ex quibus primum necnon & (40) alterum, modo cum Y scribatur, sincera esse, originatio & analogia suadet: nisi quod haud raro in marmoribus optime scriptis corrupta nomina reperiuntur; utique quia sic etiam vulgo ea nomina usurpabantur. Vbi quaeso non *Philuminam* pro *Philumena* reperias in marmorib. & libris, ut & alia plura nomina depravata? Sicuti autem infra die VI. Martii BASILIVS pro BASILEVS scriptum fuit; sic etiam heic pro *Epimeneus* primo dici coepit *Epimenius*, mox abolita primore vocali, *Pimenius*. Nisi vero placeat hunc *Pimenium* depravatum ac detortum fuisse a *Pygmenius*: de quo nomine vide subtractas Adnotationes 40. & 41.

Venio nunc ad cetera martyris hujus, quae obscura esse omnia expostulant viri docti: inter quos Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae sic scripsit: *Epimeneus Presbyter Brixianus, quo tempore martyrium passus sit, nondum legi.* Sed equidem non dubito, quin Brixiensis hic martyr cum alterutro eorum sit confundendus, qui in Romano Martyrologio die XXIV. Martii inseruntur, in quo sic scribitur: *Ibidem* (i. e. Romae) *S. Epigmenii presbyteri, qui in persecutione Diocletiani sub Turpio judice gladio caesus, martyrium consummavit. Item Romae passio beati Pigmenii* (41) *presbyteri, qui sub Juliano Apostata pro fide Christi praecipitatus in Tiberim, necatus est.* Vb. Baronius in adnotatis testatur, mentionem de Epigmenio (h.e. Epimeneo) fieri in Actis S. Crescentii Martyris, quem Epigmenius baptizavit (de quo Crescentio vide eumdem Baronium die XIV. Sept.) Pigmenium vero agnosci ab Vsuardo, Adone & aliis, cujus res gestae in Actis S. Bibianae etsi depravatis legantur. De hoc Pigmenio videantur Bollandistae ad XXIV. Mart. pag. 481. Ergo, si me audis, Brixiensis martyr idem plane fuerit, ac alteruter eorum qui Romae passi dicuntur in Rom. Martyrologio, sive sub Diocletiano, sive sub Juliano. Vterque presbyter & martyr fuit haud secus ac Brixiensis. Ceterum in Romano Martyrologio eorum dies passionis colitur, at Brixiae dies Translationis: nam verisimile est, illum non alio die Brixiae celebratum fuisse, quam quo ejus Reliquias adepti fuerunt, quod & passim usuvenit. Adde quod & *Pimenius* ille, quem Greven supra laudatus Auctario Vsuardi die XVIII. Febr. inseruit, *Romae* itidem ponatur; quia ibi scilicet passus, deinde Brixiam advectus fuerit die XVIII. Febr. quo die postmodum a Brixiensibus coli coepit. Quae non temere a me dici locus hic Fastorum nostrorum ostendit, ubi hoc

(40) Nam *Pygmenius* cum Y significabit, *pugilem*, a πυγμὴ *pugilatus*.

(41) An est Presbyter ille *Pygmenius* [ea enim recta scriptura est, ut sit a πυγμὴ] cujus mentionem reperio in Epistola Eugippii ad Pascasium Diac. [praefixâ vitae S. Severini apud Bolland. pag. 485. num. 4.] ubi scriptum est: *Tandem Pirmenius* [pro quo in optimae notae MS. Belfortii legitur PYGMENIVS] *quidam Presbyter Italiae, nobilis & totius auctoritatis vir, qui ad eum* [Severinum] *confugerat tempore, quo Patricius Orestes inique peremptus est, interfectores ejus metuens, eo quod interfecti velut pater fuisse diceretur* &c. Verum hic sub Juliano pati non potuit; quia Orestes occisus fuit an. 476. Basiliseo II. & Armato cos. h. e. diutissime post Juliani Apostatae tempora.

Digitized by Google

hoc die non *Paſſionis* nota praeponitur, ſed *Natalis*, quae diebus ferme non ſuis in hoc marmore praeſcribi ſolet.

XVIIII DP QVODVVLTDEI EP̄I

ESt ille celebris Quodvultdeus Carthaginenſis Epiſcopus, dux eorum ſacerdotum & Clericorum, qui perſecutione Vandalica navibus rimoſis impoſiti, ad Campaniae littora ejecti leguntur. Ea res ſic ſe habet. Genſericus Vandalor. rex, ubi ſenſim Africam ſibi omnem ſubjeciſſet, tandem *Theodoſio XVII. & Feſto coſſ.* (is eſt annus 439.) *Carthaginem dolo pacis invaſit*, uti teſtantur Proſper & Marcellinus. Quae tunc perſecutionis procella in Catholicos deſaevierit, exſecutus eſt tribus libris Victor Vitenſis (qui male antea *Vticenſis* vocabatur) apud quem inter cetera ſic legitur lib. I. n. V. *Tunc vero* (rex) *memoratae urbis Epiſcopum, ideſt Carthaginis, Deo & hominibus manifeſtum, nomine Quodvultdeum, & maximam turbam clericorum navibus fractis impoſitos, nudos atque exſpoliatos expelli praecepit. Quos Deus miſeratione bonitatis ſuae, proſpera navigatione Neapolim Campaniae perducere dignatus eſt civitatem.* Agit de his etiam Romanum Martyrologium die XXVI. Octobris, ubi etiam Quodvultdeum cum ſuo Clero Neapolim appuliſſe dicit. Et quidem quum alii in alia Campaniae loca ſe diffudiſſent; Quodvultdeus & Gaudioſus cum aliis Neapoli ſubſtiterunt. De Gaudioſo agit noſtrum hoc marmor die XII. Julii (ubi ſic legitur N.S.GAVDIOSI ET RELI i.e. *reliquorum*, quaſi ſi Gaudioſus dux plurium fuerit, uti ſuo loco dicetur) atque iterum die XXVII. Octob. ubi ejus *Depoſitio* conſignatur. At Quodvultdei depoſitio non tantum in hoc noſtro marmoreo Kalendario huic diei XVIIII. Febr. affigitur, ſed & olim Ant. Caracciolus pag. 319. in vetuſto Neap. Eccleſiae Kalendario ſic ſe legiſſe hoc die XIX. Februar. teſtatur: *S. Quodvultdei Patroni Neapolitani Epiſcopi*. Ex quibus diverſis ac diverſo tempore repertis monumentis intelligitur, Neapolitanis hanc a patribus acceptam traditionem inſediſſe, Quodvultdeum non alio die ad caelum commigraſſe, quam die XIX. Februarii. Nec ſum neſcius in Kalendario Carthaginenſi, quod Mabillonius edidit, eamdem depoſitionem diei VIII. Januarii aſſignari his verbis: *VI. idus Januarii depoſitio Quodvultdeus Epiſcopi*. Atqui equidem de Sancti Antiſtitis hujus die emortuali non alii teſti magis, quam Neapolitanae Eccleſiae (in cujus ſinu is beato fine quievit, ſacrumque corpus honoratur) marmoreo monumento credendum arbitror; magis certe quam Carthaginenſibus (42) hinc remotioribus. Quare habenda eſt huic marmori gratia, cujus ope verus Depoſitionis dies S. Quodvultdei cum aliis veteribus Kalendariis Neap. conſentiens jam tandem pro comperto habetur. Cum veteribus, inquam, Kalendariis conſentiens: nam in poſterioribus id feſtum aut die uno antevertitur (ſicuti in quibuſdam Otterii membranis a Tutino excerptis, in quibus pridie id feſtum ſignatur) aut uno die poſtponitur, ſicuti legitur in Kalendario Ms. Ritualis Neap. inter Tutini ſchedas, ubi hoc quidem die notatur *littera rubra*: *Barbati Epiſcopi*; vigeſimo autem ſic ſcribitur: *Quodvult Dei Epiſcopi*. Ex

(42) His accedit, quod mihi videantur Epiſcoporum Carthaginenſium depoſitiones e poſteriore manu Kalendario illi acceſſiſſe. Neque enim credibile eſt, uſque ad V. ſaeculum tam paucos Carthaginis Epiſcopos a Carthaginenſibus inter caelicolas cultos fuiſſe. Verum illud Kalendarium initio Martyrum tantum ſera continebat, cui poſtea placuit Epiſcopos aliquot adnectere. Quorum *depoſitiones* utrum accurate diebus ſuis ubiq. reſpondeant, va de dubito. Illa certe copulatio *IV. Kal. Sept.* Depoſitionis *Reſtituti & Auguſtini* Epiſcoporum & *Non. Jan.* Depoſitionis *S. Deogratias & Eugeni Epiſcoporum*, haud videtur veros emortuales dies indicare.

Digitized by Google

Ex quo vides, *Barbati* festum ejeciſſe loco ſuo Quodvultdeum in recentioribus Kalendariis.

Agit de S. Quodvultdeo Ant. Caraccio-lus pag. 315. & ſeq. Verum plura in eo corrigenda arbitror, eaque poteris, ſi lubet, ex ſupra adnotatis ad XI. Febr. de S. Caſtrenſe, commode refingere.

XX S CINDINV

SIc Graeco more caſu patrio pro *Cindini* ſcribitur pro conſuetudine hujus marmoris. Ceterum ſi ſcriptio recte habet, videtur idem fuiſſe ac *Cendinus* ille, cujus mentio eſt in Hieronymiano Epternacenſi apographo ad XVI. Jun. his verbis: *In Sicilia civitate Miſana* (i.e. Meſſana) *Saturnini, Cendini*. Et Epternacenſi quidem apographo, utpote antiquiori, magis credo, quam Lucenſi, Blumiano, & Richenovienſi (apud Henſchen. ad 16. Jun.) ſcribentibus CENDENI, quod & longiuſcule recedit a noſtro marmore. Et dies quidem Martyrii in Hieronym. Mrologio ſignatur XVI. Junii. At interim de eo Neapoli hoc die ſine commilitone Saturnino memoria fiebat, propter aliquam antiquam Translationem nobis incompertam.

Ceterum CINDINVS aut CENDINVS nihil Graece aut Latine ſignificat: quo fit, verum nomen eſſe potuiſſe CINDYNVS a κίνδυνος, i. e. *periculum*. Verum inauſpicata nomina imponi perraro ſolebant: quocirca, ſi refingendum hujus Meſſanenſis Martyris nomen ſit, dictus videtur ACINDYNVS, ἀκίνδυνος i. e. *expers periculi*: familiare admodum apud Graecos nomen, quod & in marmoribus ſaepiſſime occurrit: & in Baſiliano Menologio tres Sanctos nomine *Acindynos* reperio. At ſaeculi barbaries fortaſſis effecerit, ut Meſſanenſis *Acindynus*, paſſus apocopam, hoc quidem *Cindinus*, in Hieronymianis vero Mrologiis *Cendinus*, *Cendenus*, & *Cendeus* (tot enim modis reperitur ſcriptum) evaſerit.

Quum autem hic Pugil domo Meſſanenſis fuerit, miror, nullam ejus memoriam apud populares manſiſſe nec hoc die nec XVI. Junii aliove tempore. Certe apud Canonicum Joannem de Joanne, qui in *De Divinis Siculorum officiis* libros omnes ſuae gentis Liturgicos excuſſit, nullum ejus veſtigium reperio.

XXI DEP VRSI EP̄I NR̄I

DVas mihi difficultates objicit hodiernus dies, in majores conjiciendo, niſi opportune additum fuiſſet *EPIſcopi NRI*. Quos nodos duos heic breviter expedire eſt animus.

1. *Fuerit ne hic Vrſus quinti, an noni ſaeculi epiſcopus.*

In ſerie Epiſcoporum Neap. quam ſcripſit Jo: Diaconus unus Vrſus comparet, qui ſub Damaſo Papa ſedit initio V. ſaeculi. At in ea ſerie quam concinnavit Chioccarellus agnoſcitur & ineunte IX. ſaeculo alter Vrſus Pauli Junioris ſucceſſor, deceſſor autem Tiberii. De neutro autem Sanctitatis indicia a noſtris ſcriptoribus afferuntur, uti infra dicetur. At nunc demum Kalendarium iſtud nos minime dubitare ſinit, quin aliquis *Vrſus epiſcopus noſter* pro Sancto agnitus fuerit. De utro ſit intelligendum, id vero ſedulo eſt inquirendum.

Ajo, Vrſum poſteriorem (quem IX. ineunte ſaeculo vixiſſe volunt) aut omnino nullum fuiſſe, aut ſi fuit, tantum *Electum*, non item ſacratum fuiſſe, proinde non potuiſſe in hoc marmore *epiſcopum* appellari. Et quidem veriſimile eſt, Vrſum juniorem nullum omnino fuiſſe; qui ſi exſtitiſſet, nae is ab Joanne Diac. (qui ſcriptor eodem aut ſeq. ſaeculo poſt alterum iſtum Vrſum Chronico ſcribendo

Digitized by Google

do operam dabat) minime ignoratus aut praeteritus fuisset.

Atqui Chioccarellus nonnisi ex Heremperto (cui eam narrationem(43) imputat) Vrsum juniorem in episcoporum Collegiū cooptavit. Ea narratio sic habet: *Tunc VRSVS ELECTVS praedictum Siconem jam factum principem* (Beneventanum, qui tunc Neapolim obsidebat) *deprecatus est, ut eam amplius malam non perveniret, neque sanguis effunderetur Christianorum. Sed Sico Longobardorum princeps admonitionem praedicti ELECTI audiens, destitit, & pacem inientes &c.* Ex his vides, fuisse *Vrsum* quemdam *Electum*, qui certe inter Neapolis episcopos est adnumerandus.

Verum quisquis Auctor narrationis illius fuerit; *Vrsi Electi* nomine Ant. Caracciolus (in *Sac. Eccl. Neap. monumentis* pag. 195.) Ducem Neapolitanum intelligit: cui opinioni favent quae in illo Anonymo sequuntur: *Et pacem inientes* &c. *Spopondit ipse* (Caracciolus pag. 194. pro *Ipse* edidit *Idem* in hunc modum: *Spopondit vero idem Neapolitanorum Dux &c.* quod ad Vrsum referri necessario deberet) *cum universis suis hominibus ... se daturos illico omni anno tributum &c.* Quamquam vel si legatur *ipse dux* (non autem *idem dux*) tamen videntur haec non ad alium referri posse quam ad Vrsum paullo ante nominatum; nec enim in illa narratione fit ducis alterius mentio. Verum, fateor, etsi Vrsus dux fuerit, non continuo fit, eumdem eligi episcopum nequivisse. Nam fuere & alii, qui simul ducatum & episcopatum Neapoli gesserint. Quamquam si Chioccarellum (in Vrso Juniore pag. 79.) audimus, videtur per haec tempora non alius quam *Bonus* Consul & dux Neapolitanus fuisse.

Jam vero missis spinosioribus; Vrsus quidem ille de quo Pseudo-Heremperti, sive verius Anonymus Salernitanus loquitur, quum *Electus* dicitur, non potest intelligi aliud quam *electus Episcopus*. Verum quia idem numquam sacratus fuit; idcirco ab Jo: Diacono omitti debuit; qui auctor nullum ex his qui dumtaxat *Electi* fuerint, suo Chronico adtexuit. Atque eadem ratio facit, ut *Vrsus* nostri Kalendarii (quippe qui *Episcopus noster* diserte appellatur) longe sit alius ab Anonymi Salernitani *Vrso Electo*. Qui quidem posterior Vrsus (ut id obiter moneam) anno 818. vivebat, nam eo anno S. Januarii corpus Sico Neapoli Beneventum transtulit; de qua Translatione agit in recitata narratione Anonymus ille Salernitanus, & Leo Ostiensis I. 20.

Ex dictis omnino sequitur, Vrsum Kalendarii marmorei alium esse non posse quam priorem alterum, qui ineunte V. saeculo successit Severo: de quo Vrso haec habet Jo: Diaconus. *Vrsus Episcopus sedit annos IV. Fuit autem temporibus Damasi Papae et Valentiniani Aug. .. Ipse vero Vrsus Episc. sepultus est in Cymiterio foris ab urbe, ubi & B. requiescit Epherus.* Corrige *Ephebus*.

2 *An Vrsus Kalendarii idem sit ac Antipapa Vrsicinus.*

At heic negotium facessit, quod Anastasius in vita Damasi, narrato Vrsicini schisma-

(43) Quae Chioccarellus ex Heremperto recitat, ea quidem in Ant. Caraccioli *Quatuor Chronologis* exhibentur ad calcem Heremperti, & quidem tamquam fragmentum tutioris Heremperti historiae. At Camillus Peregrinius ea non esse ex Heremperto sive Erchemperto ait, sed ex historia fusiore cujusdam Anonymi Salernitani Erchemperto recentioris; cujus Historiae septem insignes partes edidit Peregrinius in *Historia Princ. Langob.* in quarum secunda leguntur ea quae supra ex Chioccarello descripsimus. Et quidem Chioccarello (qui totam eam narrationem de Sicone Neapolim obsidente, ac S. Januarii corpus auferente ex Erchemperto citat) imposuerat Leo Ostiensis qui I. 20. eamdem historiam Erchemperto auctori tribuit. Verum quo sensu Erchempertum auctorem laudarit Ostiensis, jampridem notavit ibi Abbas de Nuce; nimirum quia is codex (in quo Erchempertus agmen ducebat) ejusdem nomine circumferebatur, etsi alia plura opuscula ibi essent, inter quae Anonymus Salernitanus, a quo est ista de Sicone narratio.

Digitized by Google

schismate, haec subjiciat: *Et facto Concilio sacerdotum, constituerunt Damasum, quia fortior & plurima multitudo erat, & sic constitutus est Damasus: & Vrsicinum ejecerunt ab urbe, & constituerunt eum Neapoli episcopum*. Eadem reperiuntur in Liutprando Ticinensi, Abbone Floriacensi, & aliis (apud Chioccarellum pag. 38.) qui ex Anastasio sua hauserunt. Incidunt autem haec in Vrsi Neapolitani (quem Jo:Diaconus sub Damaso ponit) tempora. Quare quem Joannes Diac. Vrsum vocat, is paullo aliter *Vrsicinus* sive *Vrsinus* ab Anastasio vocatus videtur. Quo posito, absonum videbitur, a Neapolitanis inter Sanctos relatum fuisse eum, qui aliquando Antipapa fuisset.

Respondeo, non esse prorsus absurdum, Vrsicino isti (si modo sit idem ac Vrsus noster) post dilutam poenitentia salutari schismatis culpam, & actam sancte vitam, aliquando etiam, poscente id ejus merito, inter Sanctos fuisse apud Neapolitanos locum.

Sed valde laetor, hac me responsione non indigere. Nam nego, umquam Vrsicinum illum Damasi aemulum Neapoli consedisse: id quod & ante me negarunt Baronius, Chioccarellus, Ant. Caracciolus, Vghellus, alii. Scimus Vrsicinum in Galliis exsulare coactum. Quo igitur pacto idem Neapoli sederit? Respondet Muratorius (in Adnot. ad Chron. Jo:Diaconi in Vrso hoc, de quo agitur) Vrsicinum sero admodum in Galliis exsulasse, proinde potuisse ante id exsilium Neapoli episcopatum gerere. Atqui si ita se res habet, jam Vrsicini Episcopatus incidet in S. Severi tempora; quem tamen Severum necesse est saltem usque ad ann. circiter 387. vitam produxisse, quo anno Ambrosii ad eum Severum exstat epistola. Multo id est incredibilius (44) quod ibidem Muratorius conjicit, nim. Vrsicini episcopatum praecessisse episcopatui Severi. Ergo si me audis, nec ante nec post Severum est huic Vrsicino locus. Adde quod Faustinus & Marcellinus in *Libello precum*, etsi Vrsicino impense faveant, tamen de hujus episcopatu Neapolitano tacent. Adde hoc etiam quod in vita S. Severi (quam dedere Bollandiani die XXX. Aprilis) Vrsus qui apud Joannem diac. Severo successit, S. Severi *Nepos* (45) & *Successor* dicitur: quae in Vrsicinum convenire non possunt. Ergo numquam Vrsicinus Neapoli gessit episcopatum: ac facilius est Anastasium (nec enim Damasi vita Anastasio est antiquior, quantum ex stylo conjicere possum) Vrsicinum cum Vrso nostro perperam confudisse, quam nostratem Joannem Diaconum aut ignorasse Vrsicini antipapae Neapolitanum episcopatum, aut Vrsum Severi nepotem pro Vrsicino lectoribus propinasse.

Postremo vel si hoc demus (quod tamen esse falsissimum demonstravi) Vrsicinum ante S. Severum Neapoli consedisse; jam ejus episcopatus diversus ab Vrsi Episcopatu foret; sicuti & diversa essent amborum nomina, cognatio, ac tempora. Proinde S. Vrsus, de quo hoc die in nostro Kalendario agitur, *successor ac nepos* S. Severi erit, & ab Vrsicino Antipapa diversus.

XXII

(44) Ejus conjecturae ansa Muratorio praebuit Vghellus, qui in serie Episcop. Neap. Chioccarellum imitatus, ante Severi episcopatum, Vrsicino Antipapae locum dedit: sed uterque magis, ut eum rejicerent quam ut adstruerent. Verum quidquid hujus rei fuerit; manifesta res est, ante Severum Vrsicino locum esse non posse. Qua de causa? Quia Severo Jo: Diaconus ann. XLVI. imputat: quae annorum periodus si circiter anno Christi 387. [quando Ambrosius ad Severum scripsit] terminari fingatur, eadem auspicabitur ab anno circiter 341. h. e. 25. ante Dimasum electum annis. Ex quo sequitur, Vrsicini episcopatum Neapolitanum non in schismatis remedium potuisse adhiberi, quippe longe antiquiorem schismate. Vt cetera interim [illegible] multa omittam.

[45] In vita S. Severi apud Bollandianos die XXX. Aprilis num. 7. *Tunc unus ex circumstantibus, Vrsus diaconus nepos ejus* (Severi *qui post ejus transitum ipse episcopus ordinatus est* &c.

Digitized by Google

XXII N S THECLE

DE illa celeberrima Apoſtoli Pauli diſcipulâ agitur in his faſtis die XXIV. Septembris. Quocirca videri poterat longe alia eſſe hujus diei *Thecla*. Eſtne ergo illa *S. Thecla* Sanctimonialis Benedictina, quae huic diei affigitur apud Bollandum in hujus diei *Praetermiſſis* pag. 281. col. 1? Verum quum de ea taceat hoc die Mrologium quoddam Caſinenſe, quod penes me habeo, quanto minus inſcribi huic marmori debuit? Adde quod haec μοναστρία ſaec. X. labente floruit, noſtrum autem monumentum eſt centum annis antiquius.

Verum quid operam ludimus? Non eſt ambigendum, quin hodierna Thecla ſit illa eadem πολυθρύλητος aevi Apoſtolici Martyr. Quae quidem in Rom. Mrologio diei XXIII. Septemb. inſeritur, ut & in Beda, Uſuardo, Adone: in Baſilii vero Menologio poſtridie, ut & in his Faſtis: at eadem in omnibus Hieronymianis apographis huic diei (XXII. Febr.) inſcribitur, ut & in Greveni & Maurolyci Mrologiis, & in Mss. Richenovienſi, Laetienſi, Tornacenſi, Aquiſgranenſi.

Itaq. de hac celebratiſſima Martyre bis Neapoli *Synaxis*, ſeu *Panegyris* (utroque modo Graeci id vocabant) cogebatur: ſemel die XXIV. Septemb. in Graecorum Eccleſiis: rurſus autem hoc die in Latinis. Sed illa die *Paſſio* recte in his Faſtis praeſcribitur, quippe eo die Thecla conſummata creditur: hodie vero *Natale*, quippe die non ſuo. Etiam in Hieronymianis hoc die vox *Natalis* de Thecla uſurpatur. Cetera, quae ad hanc Heroinam pertinent, expedientur τῇ Θεῷ ad 24. Septemb.

XXIII P S POLICARPI EP̄I

EST ex Graecis, qui in Baſilii Menologio, in Menaeis, Kalendariis, & Anthologio hoc die ponunt Polycarpum Smyrnae Epiſcopum. Cum Graecis conſentiunt Moſcovitae in ſuo effigiato Kalendario: ex Latinis autem Martyrologia Hieronymi, Rabani, Galeſinii &c. Adde & cetera Mss. Martyrologia apud Florentinium, in quibus conſtanter Polycarpus huic diei inſcribitur: etſi in MS. Centulenſi apud Bollandum pag. 428. ejus feſtum die 24. Febr. conſignatur. At Beda genuinus, & Romanum Martyrologium cum aliis pluribus diei XXVI. Januarii hunc tantum Apoſtolorum diſcipulum affixit. Et tamen hoc ipſo die XXIII. Februarii illum revera fuiſſe coronatum, plures viri doctiſſimi tum ex Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiae (juxta Valeſii emendationem & calculos) tum ex antiquiſſima Eccleſiae Graecae traditione, liquere exiſtimant: de quo argumento vide Valeſium (46) ad Euſebium & Florentinii exercitatio-

(46) *Valeſii locus de die Paſſionis Polycarpi. Quid in Smyrnaeorum Epiſtola ſit Magnum Sabbatum.*

Doctiſſimus Valeſius ad Euſebii IV. 15. fine Epiſtolae Smyrnenſis Eccleſiae recitato, immorantur plurimum verbis illis, Μαρτυρεῖ δὲ ὁ μακάριος Πολύκαρπος μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων, σαββάτῳ μεγάλῳ; in quibus pro Μαΐων ſcribendum eſſe Μαρτίων contendit, eaque ea verba interpretatur: *Paſſus eſt autem beatus Polycarpus die ſecundo menſis Xanthici, ante diem VII. Kal. Martias, magno Sabbato.* Praeſtabit autem virum ipſum eruditiſſimum loquentem facere.

Poſtremo notandum eſt, quod Polycarpus paſſus eſſe dicitur die II. menſis Xanthici, i. e. ante diem VII. Kal. Martias. Verius quidem tum in not. ad Epiſt. Smyrnaeor. tum in lib. de anno ſolari Macedonum & Aſianorum cap. 1. affirmat, Smyrnaeos praeter morem reliquarum Aſiae civitatum menſem Xanthicum exorſos fuiſſe a die XXV menſis Martii. Sed quum ad id probandum nullam rationem afferat; in eo

Digitized by Google

eo non possum illi assentiri. Quis enim credat, Smyrnaeos in mensium Macedonicorum dispositione a reliquis Asiae civitatibus dissensisse? Certe si ita fuisset, Smyrnaei... ad vitandam ambiguitatem adjecissent, καθ' ἡμᾶς τοὺς Σμυρναίους ... Quum igitur Smyrnaei non aliter menses suos ordinaverint, quam ceteri Asiani; apud Asianos vero mensis Xanthici initium in XXII. Februarii diem inciderit: idem quoque Smirnaeis observatum sit, necesse est. At heic conqueritur Florentinius (in Dissertat. quam de hoc ipso argumento diei XXIII. Febr. subjecit, pag. 343. statim post medium) nullam a Valesio rationem fuisse productam, qua conficeret, Asianorum Xanthicum incepisse die XXII. Febr. Quare conatur ibidem vir doctus id ex Galeno demonstrare, apud quem Artemisius mensis cum aequinoctio incipit, h. e. (secundum antiquos) die XXIV. aut XXV. Martii. Ex quo sequitur Xanthicum, qui proxime pracit Artemisio, inire debuisse die XXII. Febr. Quae quidem pluribus ibi a Florentinio deducta lectores reperient, si tanti videbitur.

Pergit autem Valesius. *Quare in epistola Smyrnaeorum de martyrio Polycarpi scribendum est* πρὸ ἑπτὰ Καλανδῶν Μαρτίων, *ut legit vetus interpres* (ita quidem legitur in quibusdam codicibus veteris illius interpretationis, ut & apud Bollandum: sed in Ruinarti editione aliter exhibetur) *nam secundus dies mensis Xanthici apud Smyrnaeos & Asianos cadebat in VII. Kal. Martias. Certe eo die (XXIII. scilicet Febr.) & Smyrnaei & omnes Graeci memoriam S. Polycarpi semper celebrarunt, ut constat, tum ex Actis Pionii Mart.* (at in Pionii Actis de *natali genuino* Polycarpi sermo est, idque festum in melioribus codicibus apud Ruinartum signatur *IV. Id. Mart.*) *tum ex Menaeis Graecorum. Quod si quis cum Usserio nobis objiciat, diem magni Sabbati, quo passus est B. Polycarpus, numquam posse cadere in VII. Kal. Martias; respondebimus, obscurum nobis esse, quodnam fuerit illud Sabbatum magnum, cujus a Smyrnaeis facta est mentio, tum in Epist. de Martyrio Polycarpi, tum in Actis Pionii.* Ingens est certe virorum doctorum de hoc Sabbato Magno discidium: de quo vide plura apud Florentinium in modo laudata Dissertat. Deq. eo equidem quid sentiam, dicam mox pauca.

Sequitur. *Sed quum diem quo passus est B. Polycarpus tot tantisque testimoniis designatum habeamus (VII. scilicet Kal. Mart.) praestat meo judicio eam sententiam tueri, quae tum Smyrnensis Ecclesiae, tum omnium orientalium tabulis confirmatur, quam incertis de Magno Sabbato conjecturis, & Judaeorum traditionibus inniti.* Hactenus Valesius; apud quem plura videri possunt. Adeatur & Tillemontius Not. 5. ad S. Polyc. qui more suo copiose discussa hac de Polycarpi die θαυασίμῳ in omnes partes quaestione, tandem in Valesii sententiam non invitus labitur.

Nunc ad *Sabbatum magnum* redeo, quod viris doctiss. fraudi fuit; qui quod pro Paschali Sabbato id acciperent ex Jo. XIX. 31. (cui addi potest Trullani Canonis 89 μεγα σάββατον pro Paschatis pervigilio sumptum) hinc Polycarpi Passionem de die XXIII. Febr. machinis omnibus deturbare adnisi sunt. Verum quid apud Joannem illud sibi velit, *Erat enim magnus dies ille Sabbati*, dicam ad eum Evangelistae locum, Deo opitulante. At vero heic *Sabbatum magnum* nihil minus est, quam Paschale Sabbatum. Nam mirandum profecto fuerit, in nullis hujus diei factis dictisque Polycarpi ad Paschale Sacramentum minimam allusione m fieri, aut ad jejunium sacerrimi bidui, ut infra ad calcem explicabitur. Imo vehementer dubito, utrum omnino Sabbatum h. e. septimus hebdomadae dies tunc decurrerit, quum Polycarpus combustus est. Quid ita? quia quidvis potius credam, quam Judaeos (quorum in Sabbatis ἀφραξία ad superstitionem usque ridiculam degeneraverat) licere sibi arbitratos ligna & sarmenta ad pyram simul cum gentilibus convehere, uti narratur in ea Epistola apud Ruinart. num. 13. Quid ergo *Sabbatum magnum* vocarunt? profecto non aliud quam diem Dominicum: quem diem ut Judaico Sabbato Christiani Smyrnenses opponerent, *Sabbatum* non qualecumque sed *magnum* nuncupabant; *Sabbati* vocabulum non pro die septimo, sed pro quolibet festo accipientes, more Judaeorum, qui teste Suida, Σάββατον πᾶσαν ἑορτὴν καλεῖν, *omne festum Sabbati nomine donabant.* Jam autem ab initio Christianis intellectum fuit, Judaici Sabbati sollemnitati diem Dominicum subrogatum fuisse, h. e. parvo Sabbato *Magnum*. Omnino autem necesse est huic *Sabbato magno* Christianam, uti fecimus, non autem Judaicam significationem tribuere. Nec enim verisimile est, Smyrnaeos Christianos Polycarpi martyrium festi mere Judaici nota fuisse consignaturos. At Evangelicus ille *magnus dies Sabbati* longe est aliud (ut in loco dicetur) sed tamen significatu consentaneo.

Hactenus dictis si forte illud objiciatur, quo dies huic Sabbato magno praecedens num. vocatur παρασκευὴ *parasceve*; facile respondebimus, proprie *Parasceves* Graeco nomine non diem Veneris venire, sed *praeparationem*, festivitatis scil. Quare si Smyrnaei diem Dominicu *Sabbati magni* nomine donarunt; non est

sonum

nem hac die pag. 340. Quibus nihil addere volo, nisi tantum metricarum Ephemeridum (apud Papebroch. to. 1. Maii) hunc versiculum:

Ἐνάτῃ δὲ ἐν τριτάτῃ κατὰ φλόξ Πολύκαρπον ἔκανσεν.

Te, *Polycarpe, dedit vigesima tertia flammis.*

Proinde rectissime in nostro marmore non *Natale* (i. e. *quodvis festum*; id enim passim *Natale* significat, quod saepe diximus) sed *Passio* ipsa S. Polycarpi huic diei addicitur.

Heic autem notasse proderit, Smyrnenses tanti Polycarpum fecisse, ut etiam diem anniversarium, quo in lucem editus fuit, quotannis celebrarent. Id quia non video ab aliis animadversum; afferam ex Actis S. Pionii Mart. verba quae huc attinent; sic enim prope initium scribit. *Secundo itaque die sexti mensis* (illud *sexti* in aliquibus scriptis deest, & recte, quia non bene *secundus sexti* componitur cū *IV. Id. Mart.*) *die Sabbati majore* (47) *NATALE Polycarpi Martyris celebrantes* (48) *GENVINVM, Pionium, Sabinam, Asclepiadem*

sonum, ab eisdem diem praecedentem fuisse *Parasceven* vocatum: in utroque enim nomine sese Judaeis ἀνασοίχους gerere debuisse videbatur.

Atque hanc quidem qualemcumque de Magno Sabbato & Parasceve conjecturam videbar mihi aliquo ex antiquitate testimonio posse utcumque firmare: nam aliquid certe, quod eo spectet, legisse memini. Interim casu incidi in Vsserii de Epist. S. Ignatii Dissertationem; in qua initio cap. XI. aperte, quod res est, fatetur Orientales tum sacris Synaxibus publicisque Scripturae explanationibus, tum etiam exclusione jejunii, *non solum Dominicam, sed etiam Sabbati diem* honorasse: *non quidem* (addit) *ut Sabbatum Judaicum, sed ut Christiani Sabbati παρασκεύην*. Quibus verbis (nisi *Christiani Sabbati* nomine μυστικώτερόν aliquid intellexit) quid aliud vult dicere: nisi *Christianum* Sabbatum esse Dominicam, prae qua dies ipse Sabbati dicendus sit *Parasceve*?

Jam vero quod supra tetigi, in his Actis, illum jejunii biduani (quod per ὑπερθεσιν *superpositionem* h. e. continuatam inediam primi Christiani celebrabant) fieri mentionem: adde etiam constituturum esse contrarium, si recta sit Cotelerii interpretatio num. VII. Nam ibi *digmitae* Polycarpum invenerunt ἐν ἄνῳ ὑπερῴῳ κατακείμενον ὑπαιθρίῳ: quod Cotelerius vertit *in quodam superiore cubiculo DISCUMBENTEM*, idque non tantum die Sabbati Parasceves, verum etiam ante solis occasum, quantum quidem ex postea gestis intelligitur. Verum fatendum est, illud κατακείμενον non esse heic *discumbentem* (si hoc pro *cenantem* ponitur) sed, quod recte vetus Interpres reddidit, *se prementem* i. e. clam jacentem. Italice *appiattato*: quod cum *Evangelico* Polycarpi *martyrio*, in his Actis laudato, consentit. Locus antiqui interpretis sic habet: *Invenerunt eum nocte* (istud *Nocte* male se habet pro ὀψὲ τῆς ὥρας, quod est *post cenae horam*, de qua proxime praecessit) *in tegulis se prementem*. Δωμάτιον ὑπερῷον est quiddam sub tegulis & contignatione cenaculum, quod nostri vocant *Soppigno*. Ibi se Martyr premebat. Confer geminum locum ad 26. Febr. in Adnot. ad Vit. S. Porphyr. num. 97.

(47) Vox ista *Majore* ab scholis est; sicuti et quod ejus loco apud Bollandum legitur, *Quum Sabbatum magnum intraret*; nam ad XI. Martii in S. Pionio ostenditur, hunc passum fuisse die Sabbati vulgaris Judaici, non Sabbati magni.

(48) Ita quidem in melioribus MSS. codicibus legitur, & in Ruinarti editione: at interim est nonnulla in aliis varietas, inde orta, quod non intelligentes quid sit *Natale genuinum*, putarint de Natali Passionis agi. Hic autem quum in XXIII. Febr. incideret; hinc in aliquibus editis hic locus longe aliter legitur in hunc modum: *Vigesima tertia mensis Febr. die* (qui modus putandorum dierum, nulla habita Kalendar. Nonar. Iduum ratione, est ultimorum temporum, & ab iis profectus, qui in Natali Passionis S. Polycarpi captum Pionium crediderunt, non intelligentes quid esset *Natale genuinum*) *Vigesima*, inquit, *tertia mensis Febr. die, quum Sabbatum magnum intraret, Natali scilicet B. Martyris Polycarpi vigente Decii Imp. persecutione, Pionius presbyter* &c. Quis autem sibi persuaserit, in eumdem diem, quo captus est Pionius, concurrisse non tantum diem anniversarium Passionis Polycarpi, verum etiam mobile illud Sabbati magni festum; quae duo itidem illo anno concurrerant quo passus est Polycarpus? Itaque nemo non videt, cur in hunc locum debacchati sint scioli. Causam jam proxime attulimus, quod existimarent, non aliud fuisse Natale quam Passionis, idque incidere debuisse in XXIII. Febr. Non est ergo aliter legendum, quam quo modo supra ex Ruinarto recitavimus.

Digitized by Google

piadem &c. vis perſecutionis invenit. At Polycarpi *Natale paſſionis* non *IV. Idus Mart.* ſed VII. Kal. Martias h.e. hodierno die colebatur; quo die virũ illum admirabilem eſſe paſſum, teſtatur Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiae Valeſio judice. At in IV. Id. Mart. (i.e. XII. ejuſd. menſ.) S. Polycarpi *Natale genuinum* incidebat. Egimus de *Genuini* vocabulo ſupra copioſe ad XXI. Jan. in Adnot. 19. ubi de Agnetis genuino agebatur: quo loco piget non veniſſe in mentem S. Polycarpum adnumerare iis, quorum duo Natalia celebrarentur, unum de Paſſione, alterum de nativitate carnali.

XXIIII INVENTIO CAPITIS S IO BA

EST ex Graecorum libris, puta Menaeis, Anthologio, & Baſilii Menologio, in quo plura de prima Inventione & variis Translationibus dicuntur, hoc eodem die. At iidem Graeci die XXV. Maii de Inventione ſacri capitis agunt, qua Comanis repertum, CPolim translatum fuit. Hoc autem die non tantum Graeci, & Moſcovitae, ſed & Latini (uti Beda, Vſuardus, Ado) de eadem Inventione agunt. Verum nihil neceſſe eſt de Inventionibus ac Translationibus capitis S. Jo: Baptiſtae diverſo tempore factis heic plura dicere; quando hoc totum argumentum exhauſtum fuit a Cl. Du-Cangio in Gallico opuſculo, quod de eo argumento conſcripſit, ex quo ſua decerpſit Papebrochius ad 24. Junii pag. 711. & ſeq.

XXV S THEODOSII EPI

TACent de hoc libri omnes Graecorum ac Latinorum hoc die. Nec vero in toto Menologio Baſilii ullus mihi occurrit Theodoſius Epiſcopus. Nec omnino aliunde ullus mihi innoteſcit Theodoſius Epiſcopus praeter Autiſſiodorenſem, qui ſub Clodoveo interfuit Concilio Aurelian. 1. de quo Martyrologium Rom. die XVII. Julii & eodem die Notkerus, Additamentum Adonis, Galeſinius, & ipſum Hieronymi Martyrologium, verum ex additamento, uti certo judicat Florentinius, quem vide ad XVII. Julii. Autiſſiodorenſis igitur Theodoſii claritas efficit, ut de alio ullo, quam de eo hodierno die cogitare non liceat. Non puto autem hunc diem Theodoſio emortualem fuiſſe (qui in Mrologiis ſignatur die XVII. Julii) ſed Translationis, Dedicationis, aut omnino alterius feſtivitatis.

XXVI N S PORPHIRII

SA Porphyrius Gazae Epiſcopus qui circ. anno 421. ex hac vita migravit, non tantum apud Graecos & Moſcos in ſuo figurato Kalendario Papebrochiano, ſed & in Rom. Martyrologio hac die colitur: qui dies ei re vera emortualis fuit; quippe quum menſis Dyſtri ſecundus dies, quo migraſſe dicitur, incidat in Februarii XXVI. Ac poterat ſane in hoc Kalendario pro *Natale* (quod eſt γενεσιακον, & univerſe quodlibet feſtum anniverſarium ſive depoſitionis, ſive Tranſlationis, alteriuſve generis notat) ſcribi *Depoſitio*. Niſi vero biſſextilis anni (49) intercalatio uno die Porphyrii mortem remorata fuit; aut niſi illud interceſſit, quod

(49) In ceteris quidem annis primus menſis Dyſtri dies in 25. Feb. incidebat: at anno biſſexto (cujuſmodi is erat, quo Porphyrius occubuit: qui meo judicio an. 420. hinc emigravit, ut in ſeq. Adnot. dicimus) videtur primus Dyſtri in 26. Febr. incurriſſe, ac ſecundus in 27.

Digitized by Google

quod fortaſſis menſem Dyſtrum pari paſſu cum Martio progredi ſunt olim ſuſpicati, unde reperitur ejus memoria in Caniſii Menologio die II. Martii. At metricae Ephemerides (apud Papebr.to.1. Maii) hunc ſepultum hoc die volunt.

Πορφυρίου τὸν λύχνον χθὲν ἐκρυψ' εἰκάδι ἕκτῃ.
Porphyrii exuvias vigeſima ſexta inhumavit.

Hujus celeberrimi Antiſtitis exſtat hoc *die* apud Henſchenium Vita fide digniſſima, a Marco Porphyrii diſcipulo conſcripta, non ſine maximo fructu legenda, quam Gentianus Hervetus Latinitate donavit. Sed dolent interim antiquitatis amatores, Graecum ejus vitae textum intercidiſſe, aut certe quid eo factum ſit, ignorari; praeſertim quum interpretatio ipſa valde inconcinna ſit. Verum quo aequiore animo jacturam Graeci textus feramus, ea ipſa interpretis rudis ſimplicitas efficit: qui quum fidiſſime verbum verbo appendat; ubicumque Graecum adire fontem uſus popoſcerit, haud difficile fore auguror ex Latinis Hervetianis Graeca Marci ſcriptoris reſtituere. Illud magis moleſtum eſt, quod hoc quantivis pretii monumentum multis difficultatibus ex hiſtoria petitis intricatur. Verum ne ſic quidem quiſquam unus (excepto fortaſſis Caſtellano) reperitus eſt, qui de hujus monumenti ſinceritate dubitare animum induxerit: tanta eſt ejus hiſtoriae bonitas, gravitas, ſimplicitas, atque in oculos incurrens εἰλικρίνεια. Ex iis autem difficultatibus eam, quae maxima planeque inſuperabilis habetur, expoſitam atque ita, ut ego judico, expeditam heic haberi volui: nam ceteras copioſe complexus eſt Tillemontius not. 1.

Παρέκβασις. *Quo pacto Praylii, qui S. Porphyrium presbyterum ordinavit, epiſcopatus Hieroſolymitanus cum Joannis item Hieroſolymitani temporibus componatur.*

Quum Porphyrius in ſanctis Hieroſolymorum locis degeret, ab ejus loci epiſcopo invitus presbyter ordinatur. Ea promotio ſi recte annorum Porphyrii calculi ineantur, incidit non in annum 392. (quod plerique cenſent) ſed in annum potius (50) 393. Quo anno non eſt dubium fuiſſe Hieroſolymorum Patriarcham Joannem illum, qui Cyrillo ſucceſſerat. Et tamen Marcus in ejus vita num. 10. narrat, eum a Praylio ſacratum fuiſſe: qui Praylius haud citius an. 416. Joanni ſuccedere potuit.

Heic ego, miſſis futilibus hujus nodi (51) ſolutionibus, Henſchenianam in medium afferam; cui mox & meam comitem

(50) Quod ſic oſtenditur. Mortuus eſt B. Porphyrius die 26. Febr. an. 420. de quo anno v. Till. m. Not. 2. Jam ſi ab eo anno retro numeres annos 23. ac menſes prope 11. (etenim a Marco ſcriptore mortuus dicitur *anno epiſcopatus ab eo geſti vigeſimo quarto, menſe undecimo*, h. e. anni vigeſimi quarti menſe undecimo, quum is ſcil. in epiſcopatu degiſſet annos 23. menſ. 10. ac dies aliquot) jam is ordinatus reperietur Epiſcopus menſe Aprili aut extremo Martio anni 396. Atque huic ſupputationi non parum favet, quod Tillemontius ad calcem Not. 2. affert de Hunnis exeunte anno 395. Orientem infeſtantibus: vide locum. At idem Porphyrius triennio ante epiſcopatum ſacratus presbyter fuerat: quod neceſſario incurrit in annum 393.

(51) Inter quas primum refer priorem Henſchenii conjecturam: videri ſcil. Praylium Joannis Patriarchae Syncellum fuiſſe, ſicque Porphyrium Joanni ordinandum propoſuiſſe, atque hinc a ſcriptore eam ordinationem Praylio tributi. Verum bis mox injecta *Praylii Epiſcopi* mentio aliud longe ſuadet. Verum Henſchenius ipſe huic ſolutioni parum opinor fidens, alteram meliorem, uti jam expoſuimus, attulit de chorepiſcopatu Praylii.

Adhaec Bailletus ſic ſcripſit in Tab. Critica ad 26. Febr. *On croit, qu'une main poſterieure y a ajoûté le nom de l'évêque de Jeruſalem; mais qu'il a pris Prayle pour Jean.* Sed non eſt veriſimile, id tribus locis, iiſque inter ſe conſpirantibus, a manu poſteriore tentatum. Deinde ea eſt Marci ſcriptoris in hoc opuſculo diligentia, nullos ut paullo clariores viros niſi de nomine appellet: qui praecipuus eſt veritatis character.

Verum perbelle accidit, quod quiſnam tam audax

Digitized by Google

mitem adjungam. Henſchenius igitur ad Porphyrii Vit. n. 10. conjicit, Praylium ſub Joanne Patriarcha Chorepiſcopi jure ac poteſtate uſum, Porphyrio manus impoſuiſſe. Hanc ſuſpicionem uſque adeo probavit Papebrochius (in Hiſt. Chronolog. Patriarch. Hieroſ.) ut pro certo ſtatuat, Praylium ex Chorepiſcopo ſui Patriarchae, poſtea ad ipſum Patriarchatum fuiſſe promotum. Hanc eamdem conjecturam Bailletus Petavio ad Epiph. haer. 79. auctori tribuit in margine vitae Porphyrii: ſed Papebrochii verbis (52) aliorſum acceptis falſus.

Illud interim doleo, quod haud infelix Henſchenii & Papebrochii de Porphyrii chorepiſcopatu conjectura Tillemontio diſplicuerit, excipienti, Chorepiſcopos non fuiſſe, *que pour la campagne, comme leur nom meſme le porte, & non pour les villes, bien moins encore pour une Cathedrale... telle qu'eſtoit l'egliſe de la Reſurrection de Jeruſalem, dont il eſt parlé*

ici. Verum nuſquam hoc a Marco dicitur, Praylio quidquam fuiſſe juris in Eccleſiam Reſurrectionis: hoc ſolum narratur, eum *Sanctorum locorum ſacerdotem* fuiſſe. Atqui pleraque ſanctorum locorum extra urbem Hieroſol. erant, quorum tutela atque adminiſtratio procul dubio ſacerdotem optima lege praepoſitum h.e. Chorepiſcopum requirebat. Quid enim aliud quaeſo hoc ſibi vult quod a Marco auctore vitae num. 10. ſcribitur: *Quum... audiſſet autem S. Porphyrii nomen & vitam, qui erat SANCTORVM LOCORVM SACERDOS Praylius, eum arceſſivit, & invitum ordinavit presbyterum; quin etiam ei credidit cuſtodiam venerandi ligni Crucis.* In his inquam verbis, ordinandi presbyteros in Praylio poteſtas, eum presbytero majorem fuiſſe arguit: at eundem Patriarcham nondum fuiſſe, id argumento eſt, quod vox *Sacerdos* (quod ceteroqui etiam de epiſcopis uſurpatur) reſtringitur additamento *locorum ſancto-*

audax fuerit, ut in hanc vitam violentas manus intulerit, non effugit Canonici Caſtellani ſagacitatem; qui hoc die pag. 777. ſic ſcriptum reliquit. *Mais celle* (vite) *que nous avons aujourd'huy ajant paſſé par les mains de METAPHRASTE, & n'etant point venue a nous comme elle etoit ſortie de celles de l'Auteur, on y trouve certaines additions abſurdes... car* (Marc) *ce temoin oculaire ne peut avoir avancé que Prayle Eveque de Jeruſalem (qui ne fut fait eveque que l'an. 417) ordonna Porphyre prêtre, qui l'etoit dez l'an 392.* Id ipſum Caſtellanus & pag. ſeq. inculcat, Metaphraſtem quaſi hujus criminis manifeſtum accuſans; idque non modo ſine ullo teſte, ſed omnino ſine ulla veri ſpecie: quid enim obſecro, in tota hac vita uſquam Metaphraſtici occurrit? cujus ſtylum potius *anti-Metaphraſticum* vere licebit appellare. Quocirca ad alias ſolutiones me refero.

Tillemontius Not. 1. §. 5. ſic cenſuit. *J'aimerois mieux avouer que la memoire de l'auteur s'eſt troublée en cette rencontre... Le nom de Prayle qui vivoit encore lorſqu'il écrivoit* (at Porphyrius Praylio ſuperſtes fuit; nec niſi poſt Porphyrii mortem videtur haec vita conſcripta) *ou qui n'eſtoit mort que depuis peu, eſtant plus preſent a ſa memoire, s'eſt gliſſé inſenſiblement dans ſon écrit.* Miror ſane, in

eas anguſtias hoc ſe Tillemontium conjeciſſe, in quas vix quiſquam, ubi conclamatum ſit, ſe conjiceret. Miror etiam, ſi tribus hujus vitae locis Marcus auctor, qui rebus omnibus interfuerat, memoria lapſus fuerit. At illud in primis miror, ſi Marcus memoria lapſus impune id tulerit, nec a quoquam aequalium craſſiſſimus is error correctus fuerit. Nemo vero non videt, ecquam viam vir ſummus patefaciat ad eludendam gravium ſcriptorum auctoritatem, ubi forte aliquid ſe dabit ἐναντιοφανές. Nam quid facilius, quam memoriae lapſum cauſari?

(52) Sane quidem Bailleto (aut quiſquis ea margini Bailleti illevit) errandi anſam praebuit, quod in Papebrochio loc. cit. legiſſet haec verba: *Pridem tamen Chorepiſcopum eum* (Porphyrium) *oportet fuiſſe ordinatum cum ea poteſtate, quam Petavius noſter explicat in Adnot. ad Epiph. haer. 79.* Quibus verbis nihil aliud ſibi Bollandiſta voluit, niſi ibi a Petavio demonſtratum fuiſſe, Chorepiſcopis nonnumquam Epiſcoporum permiſſu licuiſſe non tantum inferiores miniſtros, ſed etiam Diaconos & Presbyteros ordinare: nec enim ibi apud Petavium de Porphyrio vola aut veſtigium. At Bailletus ex non adito Petavio (quem etiam cum Papebrochio falſo citavit; nec enim ad Haer. 79. ſed 69.

Peta-

Digitized by Google

ſanctorum. Graece ſane heic ſcriptum oportuit (quantum quidem fidiſſimae interpretationis veſtigia indicant) ὁ τῶν ἁγίων τόπων ἱερεὺς γενόμενος Πραύλιος : qui locus ſi de epiſcopo primario intelligendus eſſet; concipiendus erat, ὁ τῶν Ἱεροσολύμων ἱερεύς, *Hieroſolymorum Sacerdos*. Deinde quod additur, ei a Praylio Sanctiſſimi Ligni cuſtodiam fuiſſe concreditam, id primum palam oſtendit, in hoc Porphyrium fuiſſe ordinatum, ut ei cuſtodiae praeeſſet; deinde non de Cathedrali Reſurrectionis ibi agi, ſed de Eccleſia quae in Golgotha erat, ubi & ſacroſanctum illud Lignum fuiſſe adſervatum, in antiquis quibuſdam Hieroſolymorum deſcriptionibus legi. Itaque paullo poſt in Calvariae monte (ubi ea Eccleſia erat) dormienti Porphyrio viſio oblata fuit, ac ſanitas reſtituta. Nec omnino aliam Chorepiſcopalem Praylii Eccleſiam fuiſſe reor, quam Golgothae *Baſilicam*.

Atque hactenus expoſita Praylii chorepiſcopatum prope certum efficerent, niſi illud intercederet quod in eadem vita num. 12. ſcribitur. Nam Joannes Caeſareae Metropolita quum triennio poſt quam Porphyrius presbyter factus eſt, Deo revelante didiciſſet, hunc nutu Divino Gazae *Epiſcopum* a ſe ordinari oportere; *Scribit epiſtolam ad ſanctum Praylium EPISCOPVM HIEROSOLYMORVM, cujus ſecimus antea mentionem, ut ad ipſum mitteret B. Porphyrium*. Ecce quem antea *ſanctorum locorum Sacerdotem* dixerat, nunc ſine ambagibus *Epiſcopum Hieroſolymorum* vocat; ac ne forte diverſum ab illo ſuſpicareris, addit, *cujus fecimus antea mentionem*: imo & quod additur, ei Porphyrium ligni S. Crucis clavum reſtituiſſe, non alium oſtendit ab eo qui ante triennium eas concrediderat.

Haec omiſſa Henſchenii (quem ſemper (53) *Bollandum* vocat heic Tillemontius) reſponſione, ſive id prolepſi tribuentis, quia ſcribente Marco jam Praylius patriarchatum fuerat conſecutus, ſive in textu male ſcriptum fuiſſe *Hieroſolymorum* pro *ſanctorum locorum*: his inquam haud peſſimis reſponſionibus ſuperſeſſis, alia mihi tentanda eſt via. Ajo igitur, Praylium tum quidem quum Porphyrio manus impoſuit, tantum Chorepiſcopum ſanctorum locorum fuiſſe: at eumdem triennio poſt (i.e. anno 396.) ipſam Hieroſolymitanam cathedram adeptum, eoque *Hieroſolymorum Epiſcopum* diſerte appellari. Quem ne diverſum a *chorepiſcopo* crederes, addidit, *cujus ſecimus antea mentionem*. Etenim ſic ſe res habet. Joannis Patriarchae epiſcopatui ſex annos Nicephori chronographia attribuit; quod ſexennium ab anno 389. aut 390. incipiens, anno 395. aut 396. terminatur, quando jam Praylius eam ſedem adeptus in hac Vita deprehenditur. Rurſus Praylii epiſcopatui ejuſdem Nicephori chronologia annos XX. (omiſſo, opinor, eo quod excurrit) imputat: quod ſpatium ſi anno 417. (quo Praylii mentio alicubi facta occurrit) terminetur, ab an. 397. ordietur; ſed additis praeterea fractionibus numerorum, quas chronologus neglexerat, in annum 396. incurret, quo ab Joanne Caeſarienſi ſcripta ad Praylium Hieroſolymorum Epiſcopum epiſtola fuit, teſte Marco in hac vita.

Et haec quidem pulchre procederent, niſi aliunde Joannis Hieroſolymitani vitam longius eſſe producendam, illius cum Hieronymo notae contentiones oſtenderent, & id maxime quod idem Joannes an. 315. Hieroſolymis & Dioſpoli Pelagio impenſe favit. Imo ſub ejuſdem anni exitum idem Joannes adhuc in vivis erat, quippe ipſo die natali S. Stephani Protom. Translationem ejus reliquiarum

K (Lu-

Peravius de Chorepiſcopis diſſerit) haud paucis poſthac ſimiliter errandi occaſionem offeret, nec eruditiſſimus ille Epiphanii enarrator, primus auctor Chorepiſcopatus Praylii fuerit. Haec obiter.

(53) Forteſſis enim ut Caſtor pro Pólluce, Caeſar pro Bibulo audiebat; & nunc quoque, ut Calepinus pro omnibus eum ſecutis Lexicographis; ſic Bollandus inſtar eſt omnium collegarum ſuorum.

Digitized by Google

(Luciano presb. de ea re per visum admonito) celebravit, Ex quo sequitur, non ante initium an. 416. Praylium Joanni suffici potuisse.

Hic sane eo loci rem deductam vides, ut Joannis episcopatus ex certis monumentis omnino usque ad totum annum 415. sit prorogandus; itemque in eadem sede Praylius ab anno usque 396. (teste Marco aequali scriptore, & Nicephori calculis) sit agnoscendus. Quid ergo est, nisi quod anni XX. (qui a 396. ad totum 415. fluxerunt) utrique Antistiti quavis commoda ratione sunt imputandi? Nec alia ad hoc via patet, quam si dixerimus Joannem, sive ob devexam aetatem sive propter necessitatem aliam, sibi vivo ac videnti Praylium (satis antea in chorepiscopatu probatum) collegam & *coadjutorem* sociasse. Id quidem eodem plane tempore & Aurelius Hipponensis fecit, qui sibi urgente necessitate Augustinum in coepiscopum adscivit. Nec usquam dicitur id tum primum fuisse factum: imo a Possidio, & ipso Augustino praecessisse plura & Africana & TRANSMARINA (54) exempla narrantur.

Praylii autem an Augustini coepiscopatus praecesserit, haud habeo dicere. Sed temporum discrimen si intercessit, permodicum (55) sane id fuit.

Hactenus difficultatem maximam earum, quae S. Porphyrii vitam obsident, pro viribus profligasse sufficiat. Nec quemquam impensae qualiscumque operae poeniteat; nam incredibile dictu est, quanta antiqui moris penus ex hac vita depromatur: in quam paucas admodum (56) animadversiones (missis aliorum observationibus) heic raptim adspergi non piguerit.

XXVII

(54) Possidius quidem cap. 8. sic ait. *Episcopatum suscipere contra morem Ecclesiae* (tritum scilicet & communem) *suo vivente episcopo presbyter recusabat; dumque illi fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro* (eidem Augustino) *TRANSMARINIS & AFRICANIS Ecclesiae exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit ... Quod in seipso postea fieri non debuisse, ut vivo suo Episcopo ordinaretur, & dixit & scripsit; propter Concilii universalis* (Niceni) *vetitum*: ne duo nimirum Episcopi una in urbe ordinarentur. Ad haec ipse Augustinus Epist. 111. ad Paulinum & Therasiam: *Quod quidem quia tanta ejus* (Aurelii) *caritate tantoque populi studio Dominum id velle credidi, nonnullis jam EXEMPLIS praecedentibus, quibus mihi omnis excusatio claudebatur; vehementer timui excusare.* Ac miris laudibus extollit id factum Epist. seq. Nolanus Paulinus. Qui in eo, ubi ait, *NOVO MORE* provectum, *ut non succederet in cathedra episcopo, sed accederet*: ibi *novus mos* est is qui a trito recedit, etsi alias inductus alicubi fuerit.

(55) Incidit is Augustini *Coepiscopatus* in annum 365. ex Prosperi Chron. & quidem exeuntem, quum Christi Natalis immineret ex August. Hom. 26. inter 50. At Praylius anno 396. (i. e. triennio post Porphyrii presbyteratum) jam Hierosolymorum Episcopus Marco in vita Porphyrii nuncupatur. Quem eopse anno Joanni collegam accessisse, chronographia Nicephori suadet, XX. annos Praylio assignantis. Sed a Nicephoro annum unum, & quod excurrit, omittum oportuit; quippe Praylius an. 417. in vivis erat, ut ostendit Papebrochius in serie Patriarch. Hierosol.

(56) *In S. Porphyrii Vitam Animadversiones aliquot.*

NVm. 16. *Rapientes* (Gazaei) *B. Porphyrium, ordinaverunt eum episcopum Gazae. Ordinandi* verbum apud prisci aevi scriptores est eligere, creare, & de dignitatibus usurpatur. Id Graecis est χειροτονεῖν: quod verbum heic Graece erat. Tam χειροτονεῖν vero, quam *ordinare* ministros sacros olim populo & clero tribuebatur: at *manus imponere* & χειροθετεῖν Episcopi consecrantis erat. De his plura accurate, & praeter vulgi opinionem, adnotavimus in nostris Biblicis observationibus ad N. T. Deo dante evulgandis.

Num. 19. *Congregati autem idololatrae* (Gazaei) *in Marnio, multa sacrificia & multas preces faciebant ea de causa* (ad impetrandas pluvias scilicet) *Dicebant enim MARNAM esse DOMINVM IMBRIVM: Marnam vero dicunt esse Jovem.* De *Marna* Gazaeorum peculiari numine videatur Josephus, Histori ac Eccles. scriptores, Stephanus ethnicographus in

in Gaza, Hieronymus, alii. Omnes autem consentiunt eumdem fuisse ac Jovem. Sed de etymologia non una est opinio. Stephanus loco cit. putat Marnam Graece significare Κρητογενῆ i.e. Jovem cognomento *Cretagenem* sive in Creta genitum. Etsi autem ex nomine *Marnas* ea significatio nullo modo exsculpi potest; fatendum est tamen, Gazaeos *Marnam* cum *Jove Cretagene* confudisse: quod testatur *Vita* haec num. 64. *Marnion, quod dicebant esse Critae generis Jovis*: ubi Graece certe erat Κρητογενοῦς Διὸς i.e. *Cretagenis Jovis*; quod & Henschenius vidit. Altera nominis hujus interpretatio ab auctore Bocharto profecta ea est, ut sicuti בַּרְנָשׁ *barnas* est *filius hominis*, sic מָרְנָשׁ *Marnas* sit *dominus hominum*: notum est enim מָר *Mar* apud Syros *dominum* notare. Tertiam demum interpretationem hic Vitae Porphyrii locus suppeditat, ubi ad eliciendas pluvias Gazaei suo *Marnae* supplicant; cujus facti haec ratio traditur, *Dicebant enim Marnam esse dominum imbrium*: esse scilicet Jovem ὑέτιον *pluvium*. Et ea quidem verba (fateor) minime cogunt, Gazaeos Syros in *Marnas* agnovisse *pluviarum* significantiam, sed tantum Marnam eumdem ac Jovem fuisse, quem tamen Deum aliunde scimus habitum esse *Dominum imbrium*. Verum quid si populares sic existimarint, *Marnam* significare non tantum *Dominum*, sed etiam *pluvium*? Ac *Marnas* quidem Syris Gazaeis non מָרְנָשׁ *Marnas*, sed מָרְנָא *Marna* opinor dicebatur (sine sibilo, quod videtur ad Graecam terminationem pertinere) quae vox proxime quidem venit a מָרָן *maran*, *dominus*: at ipsum *Maran* mihi videtur ab Heb. מוֹרֶה *moreh* (i. e. *doctor*) factum, verso ex Chaldaica dialecto O in A, & adscito N terminali. Quod vero *Maran* a *Moreh* veniat, inde intelligitur, quod τὸ *Mar* (quod est *Maran* decurtatum) Babylonii, teste Elia, pronuntiabant *Mor*, quasi cum vocali *Cholem*: de quo vide Buxtorf. Lex. Chald. in מָר *Mar*. Ac plura equidem afferre possim, quare *Maran* (ex quo fit *Marna*) ex Heb. *Moreh* sit arcessendum: maxime quum significatio conveniat, quia *Moreh* Hebraeis est *Doctor*, & *Maran* apud Judaeos est doctorum illustrium titulus. At vero Hebraeum מוֹרֶה *Moreh* non tantum *doctorem* significat, verum etiam *pluvium* ex Joel. II. 23. Quare hinc factum puto, ut τὸ *Marna* (sive etiam *Marnas* cum *Samech* non radicali, sed terminali) putarint Syri notare deum *pluvium*, seu *dominum imbrium*, ut eum haec vita nuncupat.

Ibidem paucis interjectis narrantur iidem Gazaei in eadem calamitate *egredientes extra civitatem in locum, qui vocatur Orationis*. Id Graece procul dubio erat εἰς τὸν λεγόμενον τῆς ΠΡΟΣΕΥΧΗΣ τόπον. Quod debuisset Hervetus (qui in hac interpretatione amat τεχνικὰ vocabula potius intacta relinquere, quam Latina veste donare) reddere *In eum qui dicitur PROSEVCHAE locum*. Nam & Juvenalis de Judaeorum *proseuchis* loquens, id vocabulum non immutavit: etsi Vulgatus N. T. interpres *Orationem* vocaverit. De Judaeorum proseuchis quaedam haud protrita scripsimus in nostris ad N. T. adnotatis, atque inter cetera proseuchas extra urbium moenia constitui consuevisse, quod & ex Act. XVI. 13. constat. Id vero huic salivam movet, cur idololatrae (nam de his sermo est) in Judaicam proseuchum convenerint, quibus ceteroqui scimus Judaeorum genus ludibrio fuisse. Et tamen haud semel in meis ad N. T. observatis ex variis poetarum locis ostensum fuit, gentiles valde se pronos ad Judaicas caeremonias praebuisse. In Judaeorum conventus ethnici religiosiores perreptare fatagebant apud Hor. extrema Sat. lib. I. Et Juvenalis:

Ede ubi consistas: in qua te quaero proseucha?

Verum quid si proseucha ista, in quam Gazaei gentiles coibant, non Judaica (nec enim Marcus diligentissimus scriptor id dissimulasset) sed paganica fuerit? Id viderur verisimilius. Scio Julianum Apostatam plurima Christianorum & Judaeorum instituta (ac praesertim quae ad precationes & ἄσκησιν spectant) ad gentiles transfudisse, quo moratiores viderentur. Itaque Gazaei sive jam antea proseucharum usum ab Judaeis vicinis edidicerant, sive saltem sub Juliano. Vtut est: illud pro certo habuerim, istam Gazaeorum proseucham fuisse non Judaicam sed idololatricam, verum ex Judaeorum imitatione constitutam: quae si Judaica fuisset, id Marcus pro sua consueta λεπτολογίᾳ (cujus illustre specimen infra ad num. 61. edam) minime silusset. Quid si vero & poetae Juvenalis *proseucha* ethnica fuerit? Vetus quidem ejus Scholiastes dubitat, an non fuerit locus, ubi mendici stipem efflagitabant, potius quam Judaeorum proseucha. At hic Marci biographi locus (in quo proseucha gentilium sacris precationibus inserviebat) & Juvenalis versiculus mutuam sibi lucem affundunt.

Num. 22. narratur Barochas Porphyrii discipulus (de quo multus in hac vita sermo est) *vixisse aliquando in vicum propter canonem Ecclesiasticum*. *Canon* est praestatio, quam qui exigebant, vocantur in legibus *Canonicarii*. At hinc discimus, quarto saeculo Palaestinae Ecclesias praediis fuisse dotatas, pro quibus

Digitized by Google

bus *canonem* dictum *Ecclesiasticum* [quae vox sedulo est notanda] a conductoribus aut potius emphyteutis exigebant. Quas non Ecclesias Constantinus dotavit? Vides praeterea, agricolam illum, a quo exigebatur canon, fuisse idololatram; qui & Barocham verberibus usque adeo contusum reliquit, ut mortuus haberetur.

Num. 54. *Egimus autem* [loquitur autem Marcus de se ac B. Porphyrio, & Jo: Caesariensi] *in civitate* [CPoli] *tres dies, donec accepimus legationem quadraginta librarum*, ex imperiali largitione scilicet in usus Ecclesiasticos, uti constat ex praecedentibus liberalitatibus. At quid proprie heic sit *legatio*, obscurum quum sit; tamen tum Henschenius in adnotatis ad vitam, tum Tillemontius securi praetervehuntur hunc locum. At Castellanus id ita vertit: *une Ordonnance pour quarante livres*: quod nimis vagum est. Verum quid moror? In Graeco Hervetus repererat Λεγατῶνα, aut Λεγατῶνα: sed fidus interpres pro suo more vocem τεχνικὴν immutare supersedit; quam Latine non *legationem* [id enim heic nihil est] sed *delegationem* reddere debuisset. Nam millies in libris juris *Delegare* aut *delegare debitorem* est vice sua alium reum creditori dare. Notum est illud juris effatum: *Delegatio vicem solutionis continet*, l. 37. §. 4. D. de op. libert. Et *delegatio nominum* ubi non in jure nostro legitur? Itaque vult dicere Marcus, principali rescripto delegatum fuisse debitorem, qui in Palaestina Porphyrio libras XL. persolveret. Hinc, credo, aliquis collegerit, in Graeco textu defuisse primam hujus vocabuli syllabam. Verū nihil prorsus in Graeco deest. Nam Graecos juris Romani scriptores primam ejus nominis syllabam omisisse ex Glossis Nomicis colligo, quas Car. Labbaeus ad calcem vet. Glossar. edidit, in quibus scribitur: Λεγατῶν, ἡ ἐκ προσώπου μεταθεῖσα τὸ χρέος εἰς πρόσωπον i.e. *Legatio* [quae Latinis est *Delegatio*] *est quae transfert debitum de persona in personam*. Porro *libras non argenti sed auri* heic intelligere par est, quarum singulae olim aevo Constantiniano quatuor & octoginta solidorū sive aureorū erant: at eadem libra postea ad duos & septuaginta solidos redacta a Valentiniano Seniore fuit; unde & *Librae occiduae* (nam *Occiduum* apud sequioris aevi scriptores idem est quod imminutum) nomen invenit in Actis S. Marcellini Papae, & in Synodo Sinuessana, uti copiose docuit Jac. Gothofredus ad l. un. *de Oblat. vot.*

Num. 61. ad finem. *Et corruens Veneris statua unius quidem caput fregit in duas partes, alterius autem humerum & brachiale*. Reperat enim in Graeco interpres βραχυάλιον. In Glossis Cyrilli βραχιάλιον est *Veriola*, quod Itali vocant *braccialetto*. Ac vide de hoc vocabulo utrumque Cangii Glossarium. Illud autem scire refert, cur istam brachialis comminutionem dignam existimarit Scriptor, cujus mentionem commentario suo intexeret. An ut effeminati istius mollitiem ostenderet, qui ad Veneris adorationem cum cultu muliebri accesserit: quam dissolutionem Deus discerpto eo ipso ornatu aperte improbaverit? Nisi tale quiddam Marco scribenti obversatum fuit, videbatur minutioribus istis notandis supersedere debuisse. Sed utut est: hinc certe & ex aliis sexcentis hujus Vitae locis Auctoris hujus λεπτολογία [*rerum minutissimarum narratio*] cognoscitur: quae tamen non minimus veracitatis ac simplicitatis character est.

Num. 64. in urbe religionibus supra quam dici potest deditissima, octo non amplius numerantur *Simulacrorum templa publica*: quibus numeratis additur, *Erant autem alia quoque plurima simulacra in aedibus* [privatorum scilicet quibus opponuntur illa *publica templa*] *& pagis, quae nemo posset numero subjicere*. At octo illa *simulacrorum publica templa* sic numerantur, *Solis & Veneris & Apollinis & Proserpinae & Hecates, & quod dicebant Hierion seu sacerdotum* [videtur Marcus tantum τὸ καλούμενον Ἱερεῖον scripsisse deinde fort. ab sciolo additum ἢ τῶν ἱερέων: putavit enim sicuti *Tychion* fit a Τύχη, sic *Hierion* dictum fuisse ab ἱερεύς: quod si e Marci manu illud *sive Sacerdotum* prodiit, aliquid ibi certe retrusioris antiquitatis latet] *& Fortunae civitatis* [quod Latine dicendum erat *Genii civitatis*; nam qui Latinis *Genius*, is Grecis Τύχη *Fortuna* nuncupabatur] *quod vocabant Tychion*; *& Marnion, quod dicebant esse Critae generis Jovis* [sive potius *Cretagenis Jovis*, ut supra innuimus] *quod existimabant esse gloriosius omnibus templis quae sunt ubique*. Jam vero sicuti haec tantum *publica* templa erant, sic eorum numina *publica* dicebantur, quia publico civitatis decreto publicum cultum consecuta erant: quum contra in Lrariis plura alia privata religione colerentur. Inscriptio Capuae in foro dimidiata visitur, in qua quaedam [sive *Laberia* sive *Faberia*: nam tantum ABERIA supereſt] fuisse dicitur *SACERDOS PVBLici NVMINIS CAPuae* [nisi mavis τὸ PVBL. interpretari *Sacerdos publica* ut alibi *Sacerdos publicus*] *electa a splendidissimo ordine Decurionum*. Dianae Tifatinae templum omni aevo Capuae celebratissimum fuit; cujus ista sacerdotio fungebatur.

Num. 66. Deliberantibus, quid Marnio fieret, puer CHRISTI spiritu afflatus edicit, cre-

Digitized by Google

cremandum esse solo tenus, illitis prius foribus pice, sulphure, & sevo porcino in unum commixtis. *Asserte* inquit *PICEM HVMIDAM, sulphur, & sevum porcinum*... In Graeco erat πίσσαν ὑγράν: quod reddere debuisset *picem liquidam*, ut eam Plinius appellat; nam in ea nomenclatione ὑγρὸς non pro *humidus*, sed pro χυτὸς *fluidus* sumitur, teste Nicandri Scholiaste, ubi ait cantharidum odorem similem esse πίσσῃ ΧΥΤΗι, ὅ ἐστι τῷ ὑγροπίσσῃ, *pici fluidae, sive hygropissae*. Apud Dioscoridem lib. I. c. 95. πίσσα ὑγρὰ (*pix liquida*) ex picea & pinu colligitur: cui cap. 98. opponitur *pix arida* (ξηρὰ πίσσα) quae quia coquendo spissatur, *palimpissam* (παλίμπισσαν) vocari ait. Plinius XXIV. 7. picem duum generum esse vult *spissam* & *liquidam*.

Num. 79. Lapides ad aedificandam Ecclesiam conferuntur, *ex tumulo* (*tumulum* Castellanus reddidit *tombeau*; quum tamen heic collem modice assurgentem notet) *qui dicitur ALDIOMA*. Vox *Aldioma* formam habet Graecanicam, tamquam si sit ab ἀλδιόω, quod verbum nusquam extat: nec tamen ea vox ex alia radice hodie nota deduci ἀναλογικῶς potest: nam ex ἀλδαίνω oriri analogia vetat. Hinc de origine Syriaca merito mihi suspicio subiit. Cujus opinionis certum me tandem reddidit Magni Etymologici auctor (etsi ipse in etymologia falsus) in Ἀλδήμιος, ubi sic scripsit. Ἀλδήμιος, ἢ Ἄλδος· ὁ Ζεὺς ὃς ἐν Γάζῃ τῆς Συρίας τιμᾶται, παρὰ τὸ ἀλδαίνω, τὸ αὐξάνω· ὁ ἐστι τῆς αὐξήσεως τῶν καρπῶν. Μεθόδιος. h. e. *ALDEMIOS, sive ALDOS est Jupiter, qui Gazae* (*ea est urbs Syriae*) *colitur; a verbo* ἀλδαίνω, *quod est Crescendi verbum, deque fructibus usurpatur. Auctor Methodius*. Haec Etymologus. Nunc illud dubitari potest, utrum ab Jove *Aldo* tumulus ille diceretur *Aldioma*, quod in eo deus *Aldus* coleretur, an contra ab *Aldioma* te colle deus *Aldus* nomen sibi peperit. Prius si sequimur, Jupiter *Aldus* ab דלד *balad* i. e. *genitus* aut *in lucem editus* proficisceretur; itaut sub hoc nomine Jovis natalitius, de qua Cretenses gloriabantur, colatur, sicque *Aldus* idem plane qui Κρηταγενὴς (i. e. *in Creta natus*) sub qua appellatione intelligebatur Gazaeorum *Marnas*, sive Jupiter, uti diximus ad num. 19. Est & apud Isaiam LX. 6. *Balad* loci nomen iisdem litteris scriptum. Ex *Halad* autem (mutato O in A pro more Chald.) fiebat אלד *Halda*, unde cum Graeca terminatione *Aldos*. Verum quid si potius id nomen, uti supra attigimus, primario tumuli fuerit, & ab eo ad Numen, quod ibi honorabatur, translatum? Certe enim ex hoc diaconi Marci loco discimus, in eo tumulo latomias fuisse, ex quibus Porphyrius lapides ad Ecclesiae constructionem convectari fecit. Erit igitur ea vox a Syriaco & Chaldaeo verbo חלד *halad* quod est *perfodere, suffodere, perforare*; quod de fodinarum cuniculis usurpatur; ut & vox *hulda*, quae *talpam, mustellam*, & cereras animantes, quae cuniculos suffodiunt, significat. Ab his igitur lapicidinar. cuniculis *Aldioma* sibi nomen quaesivit; unde & Jupiter ibi cultus *Aldus* & *Aldemius* vocatus fuit. At Graeculorum ingenium est ejusmodi, ut peregrina omnia vocabula ad suas origines qua jure quaque injuria referre adnitantur. In *Aldi* autem & *Aldioma*tis vocabulis diutius me versatum, nondum sane poenitet: quippe quae monumenti hujus cū Etymologico M. consentientis sinceritatem mire demonstrent. Confer & quae nomina propria infra exponentur ad num. 102.

Num. 80. quum pueri tres in puteum decidissent, Porphyrius *jussit aliquem descendere per funes cadorum & scrutari pueros*. Recte. Nam in tympano seu machina ad hauriendas aquas comparata funes, quibus *modioli* (uti vocat Vitruvius: at Hervetus appellavit *cados*, secutus Marcum qui τῶν κάδων scripserit oportet) ex intervallo inseruntur, ita sunt dispositi, ut non male scalarum vicem praebere possint.

Num. 84. inter columnas ab Eudoxia Aug. in Ecclesiae ornatum missas, *duae* inquit *vocantur CARYSTIAE: quae quidem sunt in sancta Ecclesia lucentes tamquam smaragdi*. Carystium marmor tum in crustis commendabatur, tum maxime in columnis. *Carystiarum* columnarum meminit Strabo lib. X. scribens, apud Carystum in loco qui Μαρμάριον dicitur, esse λατόμιον τῶν Καρυστίων κιόνων, *Carystiarum columnarum lapicidinam*. Eisdem verbis utitur Stephanus. Meminit & Carystiarum Plinius XXXVI. 6. & alter Plinius X. 6. Tibullus III. 3. & alii plures. Atque equidem jam olim alicubi ex non obscuris indiciis deprehendisse memineram, non aliud fuisse hoc genus marmoris quam viride illud lucidissimum marmor, quod Itali appellant *Verde antico*. Verum hic Marci locus id jam diserte docet: eo enim spectat illa *smaragdi* comparatio, ad cujus colorem lucemque marmor Carystium, si sit optimae notae, proxime accedit. Cujus marmoris fodinas hodie ignorari vulgo expostulant. Sed eae in Euboea, uti dixi, qua parte urbs Carystus erat, quaerendae erunt. Eas latomias quanti olim Romani imperatores fecerint, ostendit Romanus lapis apud Aldum in Orth. p. 479. sic inscriptus. *Hymeneus Caesa-*

ris

Digitized by Google

vis ser. Thamyrianus a lapicidinis CARISTIIS fec. sibi & Thamyro nutricio.

Num. 88. loquitur Marcus de Porphyrii disputatione cum Julia Manichaea, quam Cornelius quidam Diaconus notis exceperit: quam disputationem se scorsum evulgasse, idem Marcus affirmat. Vtinam aetatem ferret ea disputatio: jungi enim posset cum ejusdem argumenti Disputatione altera auctore Archelao tertii vergentis saeculi Caesarorum in Mesopotamia episcopo, quae ad calcem Socratis & Sozomeni, ex Latina vetere interpretatione prius edita, deinde auctior a Zacagnio prodiit, Quam ipsam quoque primitus notis exceptam fuisse oportet: quamque demum *Hegemonius* quidam, teste Photio, *perscripsit* h. e. ut ego interpretor, in eam formam, qua nunc cernitur, a se redactam sub Archelai nomine publici juris fecit: id quod & Marcus in Porphyrii disputatione praestitit. Archelai disputationem Syriace exstare docet doctiss. Biblioth. Vaticanae praefectus Joseph Assemanus to. 1. Biblioth. Orientalis pag. 515. Jam vero ad *notas* quod attinet, de iis sic loquitur Marcus: *Frater autem Cornelius diaconus sciens notis scribere, QVIBVS VIVNTVR IN IVRE, jussus a beato episcopo notabat omnia.* De notis ταχυγραφικαῖς occuparunt jam viri eruditi optima quaeque decerpere. Verum heic illud tantum adnotasse sufficiat, ab Isidoro I. Orig. 21. 22. 23. tria notarum genera describi, *Vulgares, Juridicas, militares*. Sed idem quum de juridicis accuratius agat, hoc ipso opinor praestetisse videtur, has aevo suo usitatiores fuisse: quod & ex hoc Marci loco colligitur. Plura harum exempla Isidorus affert (utinam omnes prodidisset) ad extremum addens: *Has juris notas novitii imperatores* (Justinianus & eum secuti) *a codicibus legum abolendas sanxerunt, quia multos per has callidi ingenio ignorantes decipiebant*. Hinc etsi extra leges in ceteris excipiendis nihilo minus juridicae usurpari possent, paullatim tamen (maxime inundantibus barbaris) obsoleverunt tam Latinae juridicae Isidori, quam quibus Graeci utebantur.

Num. 92. *Et licebat* (in nova Ecclesia a Porphyrio dedicata) *videre choros angelicos, non solum in Ecclesiastica Consequentia, sed etiam in Horis, quando fiebant*. Pro *Consequentia* in Graeco erat Ακολυθία, *Acoluthia*. Ex his vides summam totius Officii Ecclesiastici partitionem in *Acoluthiam* & *Horas*. Et *Horarum* nomine non hodie solum, sed & olim veniebant *Prima* (pro qua in aliquibus monumentis numeratur ὀρθρος diluculum) *Tertia, Sexta, Nona*, quas hodiernum *Horologium* complectitur cum suis *Mesoriis*. Meminit earumdem Horarum Pseudo-Clemens VIII. 34. qui & illarum mysteria vulgo nota exponit; Hieronymus locis pluribus, & alii veterum complures. Horarum distributionem ad Sciniorem Theodosium auctorem esse referendam, VValafrido Straboni (de reb. Eccles. c. 25.) docenti haud aegre crediderim: unde non est mirandum, in hac Vita *Horarum* mentionem injici. Atque haec de Horis. At illud haud satis concoquo, cur heic *Acoluthia* ab *Horis* distinguatur. Nam jamdiu apud Graecos Acoluthia pro toto Officii cursu accipitur (quantum quidem ex nominis interpretatione licet colligere, quia, inquiunt, Officii partes una alteram sese invicem consequuntur) itant & Μεσορύκτιον & Ὄρθρον & Vesperam, adhaec autem & Horas & μεσώδιον complectatur. An igitur aetate Porphyrii id consuetudo ferebat, ut quidquid praeter Horas i. e. Tertiam, Sextam, Nonam (nam Prima utrum initio Horis adcenseretur, dubitatur) esset, id totum *Acoluthia* appellaretur? Id quidem a vero non multum abludit. An vero potius *Horarum* vocabulum totam Officii nocturni pariter diurnique distributionem complectitur (id enim videtur ex Pseudo-Clemente, Hieronymo, & aliis, ad haec ex VValafrido & recentioribus colligi, ac nominatim ex Zonara apud Meursium, qui in novenario, uti vult, Horarum numero mysterium aucupatur) an inquam *Horarum* nomine totus Officii cursus venit; *Acoluthia* vero in hac Vita non aliud quam Hymnodiam & modulabiles quasdam partes designat? Modulabiles partes intelligo *Stichera, Hirmos, Troparia, Canonem, Odas* & quae plura sunt harum rerum vocabula in Ritualibus Graecorum libris. Cur autem *Acoluthiam* in hac Vita pro *Hymnodia* & modulatis cantionibus sumam, primum facit cujusdam Gerasimi Vlachi Thesaurus quadrilinguis in quo (apud Suicerum) Ακολυθ. α est... Τυμῳδία, Τυπος, Κανὼν. *Acoluthia* est... *Hymnodia, Hymnus, Canon*. Deinde quod *Sequentiae* (quae vox τῇ Ακολυθίᾳ respondet) vocabulum apud Latinos partes modulabiles tantum complectitur: unde & *Sequentiarius* is liber dicebatur, qui *Sequentias* contineret. Adhaec Typicum Sabae c. 12. Ἀναστάσιμος ἀκολυθία ὁ ψάλλεται: ubi diserte *Acoluthia* est Hymnodia: nam ibi de *Canone* ἀναστασίμῳ sermo est. *Canon* autem est illustris Hymnodiae pars, ex pluribus Odis constans. Quid multa? verba ipsa Vitae, quae supra recitavimus, id voce diserta clamant; ubi Angelicis choris similem fuisse dicit non tantum *Consequen-*

Digitized by Google

quentiam, Graece *Acoluthiam* (quae per se nata sit choros Angelicos referre, eoque minus mirandum) verum etiam *Horas* ipsas, nim. ab Hymnodia secretas.

Num. 97. Porphyrius ut tumultui propter se concito se subduceret, per tecta fugiens, Salaphthae puellae dixit: *Affer ad nos huc floream in hoc tectum, ut hic maneamus, donec sedetur tumultus civitatis: & ne renunties nos hic esse.* Quod *tectum* interpres reddidit, id credo Graece erat δωμάτιον. Omnino autem hic locus simili est illi in Actis S. Polycarpi num. 7. ubi *diogmitae* repererunt Sanctum Martyrem ἐν ἑνὶ δωματίῳ κατακείμενον ὑπερῷον, i. e. *in quodam contignationis cenaculo jacentem, aut etiam jacentem.* Confer dicta ad hunc Actorum Polycarpi locum sup. ad XXIII. Febr. pag. 69. ad finem not. 46.

Num. 101. Illud, *Postquam autem* (Porphyrius) *Sanctum deposuisset habitum*, aperte ostendit (id quod & aliunde ex antiquioribus monumentis constat) sacras vestes secretas a communibus tunc habuisse Ecclesiae ministros; & illis quidem tamdiu usos, dum sacris operarentur aliudve quid sacri peragerent, postea remotis illis induisse civiles, sed tamen clero consentaneas. Nam civilia clericorum indumenta diversa tunc fuisse a laicorum vestibus, ostenderem, si id agerem. Interim huc facit, quod in hac vita etiam piae illae feminae quae in domibus monasticam vitam degerent, diverso a saeculi puellis amictu contegerentur: id enim mox ostenditur num. 102. ubi Porphyrius virginem *Salaphtham* donasse dicitur *habitu regulari*, eamque diaconissae Manaridi commendasse, ut sub hujus ductu vitam sanctiorem capesseret. Sed jam de *Manaridis* & *Salaphthae* nominibus aliquid est dicendum.

Num. 102. Dicitur Porphyrius arcessisse *piam Manaridem diaconissam, quae interpretatur ipsa quoque Graeca lingua φωτεινή i. e. lucida.* Illud *ipsa quoque* refertur *ad Salaphthae* interpretationem proxime traditam num. 98. ubi *Salaphthae vox pacem* significare dicitur. Et MANARIS quidem cur *lucida* vertatur, facile dictu est: nam a verbo נוּר *nur* (quod apud Hebraeos, Chaldaeos, Arabes, & Syros Graecis φωτεινὸς, lucere designat) fit Hebraice מְנוֹר *manor* i. e. *lucerna*: ex quo fit Chaldaeorum (O in A mutantium) *Manar* aut *Menara*; unde cum Graeca terminatione *Manaris* erutur i. e. *lucida*. At *Salaphtha* quo pacto Syriace sive Chaldaice *pacem* designet, non video. Itaque suspicabar, a Marco scriptum fuisse *Salamtha*. Idque verum nomen ei fuisse, postea ex Castellano pag. 790. didici, testante in compendio Graeco hujus Vitae, quod in Regia Bibliotheca asservatur, ejus nomen scribi SALANTHA cum N loco labialis P, eamque postea εἰρήνην *Irenen* (quod *pacem* significat) fuisse vocatam. At, si me audis, ne haec quidem recta est nominis illius scriptio: quae SALAMTHA cum M appellanda fuit, si quidem ejus nomen *pacem* designabat. Proniissimum autem fuit M in N a librariis mutari. Jam vero vox *Salom* (quae Hebraeis *pacem* notat) Syris dicitur ܫܠܡܬܐ *selamtho* sive (Chaldaica pronuntiatione) *Selamtha*: ipsum scilicet hujus puellae nomen. Sed & *Barochas* (de quo multus est in hac vita sermo) est בָּרוּךְ *baruch* i. e. *benedictus*, addita terminatione Graecanica. Quid *Marnas*, quidve *Aldioma* Syriace significarit, jam supra ostendimus. Nec alium certe, quam Syrum sermonem Gazaeis vernaculum fuisse, ex eo intelligitur, quod num. 66. quamdiu puer ille fatidicus Syriace vaticinabatur, minus mirandum id accidit. At postquam eadem illa (num. seq.) Graece est elocutus puer, id vero apud S. Porphyrium ceteroſque miraculo fuit.

Atque haec in S. Porphyrii Vitam animadvertisse sufficerit. Illud tantum huic addendum est. Nam quod supra pag. 72. in Adnot. 51. innuebam, a Castellano sine ullo prorsus fundamento fuisse dictum, hanc Vitam a Metaphraste interpolatam fuisse, id mihi aliqua ex parte est retractandum. Nam incidit Castellanus in Vitae Porphyrii Graecum compendium manu exaratum in Regia Bibliotheca num. 2010. Id vero volumen non intus, sed in dorso Metaphrastis nomen inscriptum habebat: de quo vide eumdem Castellanum statim initio pag. 790. Estne vero id satis, ut fusiori alteri Vitae ab Herveto Latine redditae, inquam commentati hactenus sumus, (quae veritatis caracteres ad miraculum omnes signatos habet, quaeque a stylo Metaphrastico abest quam longissime) ex Metaphrastica manu fuci aliquid aut alienae incrustationis accesserit? Mitto, quod externae duntaxat librorum inscriptiones (quas non ipsi librarii, sed ineptissimus quisque glutinator, aut quivis alius e trivio solebat dorso illinere) plerumque fallunt, nec quidquam fidei merentur.

Postremo S. Porphyrii hortatu Theodorus, Mopsuestenus scripsit commentarios in Ecclesiasten. Commodum dum in his eram, id didici ex Catalogo librorum Syrorum *Ebedjesu* apud eruditiss. mihique amicissi. Josephum Assemanum Bibliothecae Vaticanae praefectum to. 3. *Biblioth. Orient.* pag. 32. ubi is Syrus Theodori opera recensens, ait: *Ecclesiasten uno libro exposuit, deprecante* [*Phorphurios*] *Porphyrio.* Nec alium tum temporis Porphyrium novi: & Theodorus quia an. 403. commentari in Biblia adortus, Nostro aequalis fuerit oportet.

Digitized by Google

XXVII N S HIERONTII

DE Hierontio nihil nec hoc nec aliis diebus apud Graecos ac Latinos uſquam reperias. Imo nec omnino quiſquã hoc nomine eſſe potuit (quippe quod nullam praeſefert Graecanicam (57) analogiam) niſi forte ex ſaeculi barbarie id heic accidit. Nam is qui hoc die colitur eſt *Gerontius* aliquis, qui tamen ex IX. ſaeculi & ſequentium dialecto, (quam infra in menſe Martio explicabimus) *Hierontius* vocabatur. Et quidem *Gerontii* nomen inter Caelicolas geſſerunt ſane quamplurimi. In Vſuardo die XXV. Aug. *Gerontius Ep. & Mart.* inſcribitur. In Vſuardi Auctariis Sollerianis Die XXI. Sept. itemque XXX. Oct. agitur de *Geronte* Mart. ac IX. Dec. de *Gerontio* cum ſociis.

Jam vero ut certiora perſequamur: in Africa die XIV. Jan. *Gerontius M.* cum aliis inſeritur Hieronymiano Mrologio, qui idem ne ſit an diverſus a *Gerontio*, item Afro Martyre qui cum pluribus aliis die XIX. ejuſdem Menſ. eidem Hieronymiano & pluribus aliis Mrologiis inſcribitur, haud facile dixerim. Hoc tantum ſcio, poſteriorem ex Mrologiorum conſenſu etiam Romani, valde illuſtrem videri: de quo vide Bollandum die 19. & 14. Jan.

In Aquicinctienſi & Marchianenſi Mrologiis (apud Bollandianos die XXIII. Febr. p. 363.) agitur de Smyrnenſi Mart. *Gerontio*, uno fort. ex Polycarpi ſociis, ſed perquam obſcuro.

Sed clarior haud paullo videtur *Gerontius* Mart. ſocius Baſilidis, quem Henſchenius Kal. Aprilis p. 10. ex Menaeis editis, aliiſque manu exaratis Graecorum libris eruit: qui *Gerontius* in aliis Mſſ. Graecanicis die XIII. aut XIV. ejuſdem menſis refertur.

Poſtremo die IX. Maii in Italia quidam *Gerontius* Epiſc. *Ficoclenſis* & Martyr colitur, qui ineunte VI. ſaec. vixerit. De quo videatur Papebrochius ad IX. Maii p. 461.

Ex his paullo clariores ſunt Afer (19. Jan.) Graecus (Kal. Apr.) & Italus (9. Maii): quis verò eorum hoc die a noſtris colatur, incertum. Sed quando is die non ſuo colitur (quod etiam *Natalis* nota oſtendit) facile adducor, ut credam, hunc diem Translationis reliquiarum huc advectarum fuiſſe. Ac fortaſſe ſive Graeci *Gerontii*, ſive, quod facile fuit, *Ficoclenſis* vicinioris Reliquias Neapolitani poſſidebant: qui Ficoclenſis Gerontius etiam Rom. Mrologio inſeritur.

XXVIII N S MARCELLI EPI DE SVRIA

IN voce SVRIA ferme corrupta vocalis primae ſyllabae in marmore cernitur. Sed V potius, quam Y heic exhibui; quia paſſim alibi in hoc monumento V pro Y ſcalpitur.

Illud magis me angit, quod hoc die altum de hoc Syro ſilentium apud Latinos Graecoſque. Ceteroqui quum ſcalpta heic *Natalis* nota diem non ſuum arguat; licebit undecumque illum arceſſere. Et quidem in Baſilii Menologio die 29. Dec. agitur de quodam Marcello Syro, h. e. Apameae in Syria nato. Verum huic nihil praeter nomen & patriam ſuffragatur. Nam noſter epiſcopus fuit: at hic alter in Monaſterio Acoemetarum monachus, mox

[57] Nulla inquam analogia: nam *Λέων Leon*, *Δράκων Dracon* &c. quia apud Graecos in obliquis interſerunt T, ut *Λέοντος Leontos* &c. idcirco inde flectuntur derivativa *Leontius*, *Dracontius* &c. At vero ex *Ἱερὼν Hieron* quia naſcitur patrius caſus *Hieronis* [quo nomine eſt ille in Baſilii Menologio die VII. Nov. Martyr & duor. & triginta Sociorum dux, Melitinae in Armenia] idcirco derivativum inde fieret *Hieronius*, non *Hierontius*.

Digitized by Google

mox Abbas fuit. Sunt autem in hagiologis libris Marcelli martyres plane innumerabiles: & die XVIII. hujusmet mensis in Hieronymiani Mrologii apographis quidam Marcellus Mart. inscribitur, agmen post se ducens. Verum neminem ex tot Marcellis reperire potui, qui simul episcopus & Syrus fuerit, praeter *Marcellum Apameae in Syria* antistitem; qui quod Jovis templum diruisset, furore gentilium occisus fuit sub exitum quarti saeculi. Praeter ea quae de hoc affert Basilii Menologium, ac Menaea die XIV. Augusti, videantur Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus & alii, necnon Baronius ad eumdem diem. In nostro autem Kalendario cur die ultimo Febr. festum celebretur, fortassis aliqua Translatio, aut aliud in causa fuit. Nam *Natalis* nota, uti diximus, diem non emortualem indicat.

At etiam de vicino arcessi poterat alter *Marcellus Apameae* episcopus & Mart. cujus Menaea memoriam nudius quartus (h. e. die XXV. Febr.) inferunt, subjecto hoc disticho:

Στίνδεις Θεῷ Μάρκελλε θερμῷ τῷ πόθῳ
Θερμὰς σταλαγμὸς αἱμάτων ἐξ αὐχένος.
Marcelle, votis fervidis libas Deo
Stillas cruoris fervidas ex gutture.

Hic, inquam, videbatur noster Marcellus esse, nisi illud intercederet, quod hic tum in Menaeis tum in Maximo Cytheraeo non Apameae Syriae, sed Apameae Cypri Episcopus fuisse dicatur. Sed tamen quia in insula Cypro Apamea nulla fuit; praestabit cum Bollando (in Praetermissis die XXV. Febr.) pro *Cypri* reponere *Syriae*. Quamquam praeter Syriacam novem, adhaec aliae cognomines Apameae fuerunt: sed Syriaca nobilior, ceterae ferme obscuriores.

Illa interim suboritur controversia, duo ne Marcelli (unus 25. Febr. alter 14. Aug.) an unus idemque sit habendus. Bollandus loco cit. ταυτότητα (*eumdem esse*) metabatur. At diversos fuisse censuit Bollandista Pinius ad XIV. Aug. in *Marcellum*; idque tribus de causis, 1. quod diversis diebus affixi fuerint; 2. quod diverso martyrii genere exruciati; 3. quod diversarum urbium Episcopi fuerint. Jam singula expendere operae fuerit, ac simul meum qualecumque judicium interponere.

Ac primum festorum diversitas Sanctorum diversitatem non infert. Sexcenties id in Graecorum Officiorum libris occurrit: sive quia de eodem fit pluries, sive quod unum eumdemque per errorem in plures distraxerunt, aut ex Actorum diversitate falsi, aut qua re alia. Quod & in Latinorum libris Ecclesiasticis haud raro accidit.

Ac ne martyrii quidem diversitas tanta est, quae diversos adstruere caelicolas cogat. Nam qui XIV. Aug. colitur de eo sic Sozomenus VII. cap. 15. καὶ πυρᾷ ἐμβαλόντες ἀνεῖλον; h. e. *rogo impositum interfecerunt*: quod dupliciter capi potest, sive ustulatione vitam finivisse, sive rogo impositum, occisum prius fuisse, mox igne consumptum. Hoc posterius alicubi legitur apud Pinium (ad XIV. Aug. p. 156. lit. F. τῷ πυρὶ κατακοντίσαντες ἐκαυσαν, h. e. *jaculis confossum concremarunt*. Quod cum Sozomeno collatum sic accipi debet, ut pyrae impositus & ad palum alligatus initio fuerit, tum jaculis confectus, postremo subjectis rogo facibus arserit. At, inquis, ille alter obtruncatus occubuit. Verum de jugulatione in disticho illo nihil: tantum dicitur guttas cruoris stillasse collum: quod de jugulo jaculis petito magis est ut intelligam. Nec enim de exsecta cervice stillae, sed fluenta manant.

Postremo urbium diversitas ex errore profluxit. Fortassis enim in codice, quo utebatur Menaeorum compilator, aut descriptor, Marcellus ille, qui XXV. Febr. inscribitur, *Apameae Syriae* tribuebatur: sed *Syriae* vox corrupta, divinandi ansam sciolo praebuit. At sciolus *Cyprum*, quam alias regiones maluit; quia in Basilii Menologio ad XIV. Aug. Marcellus ille (qui postea Apameae pontifex fuit) ἐκ τῆς Κυπρίων ὁρμώμενος νήσου, h. e.

ex Cypro prodiiſſe dicitur. Id inquam ſatis ſciolo fuit, ut ex evanidis litteris *Cyprum* potius, quam quidvis aliud extunderet: ignarus ſcilicet Apameam ubivis potius quam in ea inſula quaeri poſſe.

Hactenus expoſitae opinioni meae maximum pondus additur hujus marmoris auctoritate. Nam hujus diei Marcellus facilius ex XXV. Febr. quam ex XIV. Aug. huc trajici potuit. Quod ſi Noſter idem, qui in Menaeis nudius quartus colitur; ex eo efficitur, hunc non alii Apameae tribuendum, quam quae Syriae Secundae metropolis erat: quandoquidem in his Faſtis aperte ſcalpitur DE SVRIA. Vnus igitur Marcellus fuit, tum qui in Menaeis bis (XXV. Febr. & XIV. Aug.) inſcribitur, tum qui in hoc marmore colitur extremo Februario.

Jam vero illud non eſt praeter hujus Kalendarii morem, quod enuntiato epiſcopatu, de Martyrio tacetur: quod alibi non raro animadvertitur. Nec vero utrumque verſus hic capiebat, quum & ὁ SVRIA ſubſcribi neceſſe fuerit.

M MARTIVS D XXXI

I N S SOFRONII MŌN

VAlde obſcurum eſt, ecquiſnam hic *Sophronius Monachus* fuerit. Die XI. Martii apud Graecos quidem & Latinos colitur S. Sophronius, qui prius Monachus, deinde & Patriarcha Hieroſolymitanus fuit, qui ubi contra Monothelitas ſtrenue decertaſſet, ante medium VII. ſaeculum ex hac vita migravit. At hoc ipſo die i. e. Kalendis Martii in Menaeis, & in Maximo Citherorum epiſcopo junguntur *Silveſter & Sophronius Martyres*: qui (ξίφει τελειοῦνται) *gladio conſummati* dicuntur: quibus comites alios duos *Marcellum* & *Antoninum* praemittit Synaxarium quoddam apud Bollandianos hoc die pag. 22. Nec alios praeterea Sophronios novi, niſi Sophronium Conſtantiae in Cypro Epiſcopum, de quo tum Sirleti Menologium, tum etiam Romanum Mrologium die VIII. Dec. agunt, at Baſilii Menologium poſtridie: quem huc pertinere non arbitor: ſicuti nec huc pertinet nescio cujus ſedis Epiſcopus *Sophronius*, cujus Μνήμη, *Memoria* tantum, ſine elogio exſtat in eodem Baſilii Menologio die XX. Febr.

Dubium eſt igitur, utrum *Sophronius* noſtri Kalendarii ſit martyr ille hujuſmet diei, ac Sylveſtri commilito (quem nihil impedit quin & *Monachus* fuerit: quod unum in marmore huic Sophronio tribuitur) an vero potius ſit ille celeberrimus Hieroſolymorum Antiſtes, qui & *Monachus* antea fuit, & celebris Jo: Moſchi diſcipulus. Poſterius ſi ſequimur; dicemus eum a die XI. Martii (quo hunc Sophronium Graeci & Latini colunt) merito dimotum fuiſſe propter concurſum Pionii Martyris longe clarioris: ſitum vero fuiſſe hoc die, in quem alter Sophronius martyr incideret. Nam id familiare Martyrologiis & Kalendariis fuit, ut quoties Sancto alicui ſedes quaerenda eſſet, in eum diem conferretur, in quem & homonymus alter incideret.

Verum ne ſic quidem animus conquieſcit meus. Quid ſi enim neuter eorū, quos modo deſignavi, verus eſt Kalendarii hujus *Sophronius*? Non prior; quem Monachum fuiſſe non conſtat; etiamſi vero fuiſſet, tamen eum *Martyrem* inſcribi (qui multo potior eſt titulus) quam *Monachum* convenientius erat. At ne alter quidem huc pertinere videtur. Qui etſi Monachus in Theodoſii Mandra prius fuit; ridiculum eſt tamen de ſtatu monaſtico, quem antea profeſſus fuerat, fieri mentionem, de clariſſimae vero ſedis epiſcopatu, quem ad obitum uſque tenuit, taceri. An igitur illud MON. quod

alibi

Digitized by Google

alibi *Monachum* in hoc Marmore designare solet, heic longe est aliud? Quid si enim sit Graecum hujus Patriarchae agnomen? In confingendis istiusmodi agnomentis mire in Liturgicis libris luxuriant Graecorum ingenia: ut vix ullus sit Sanctus, quin διακρισιν aliquo agnomine ab aliis homonymis dignoscatur. Itaque quum hic Magnus Sophronius adversus *Monothelitas* acerrime depugnasset, fortasis Μονοθελητομάστιξ (ut est illud *Homeromastix*, Aristarchi agnomen) i.e. *Monotheletarum flagellum* agnominatus fuerit. Aut verius dicebatur (usitatiore scilicet Graecanicae compositionis genere) Μονοθελητομαχος, *Monotheletomachus;* sicuti ille alter impiissimus dictus est *Iconomachus*, & plura in eumdem modum. Hoc quidem genus fingendorum agnominum est ex Graecorum ingenio, in eorum vero libris liturgicis usitatissimum. Cujus noti agnominis satis heic fuit primorem syllabam scalpi; quia credo Sophronius sub *Monotheletomachi* agnomento notissimus fuisset.

Age vero, sicui forte delicatiori, ut sunt hominum ingenia, id argutius quam verius videatur: illud MON. (esto) *Monachum* significet. At ne id quidem impediet, quo minus Patriarcha Sophronius longe *clarissimus* heic intelligi debeat. Nam marmoris hujus auctor in titulis subnectendis securiorem se praebere solet, quam pro morosa nostri saeculi diligentia. Etenim pluries in his Fastis *Episcopum* inscribi cernes, qui etiam *Martyr* fuerit; nec dubium est, quin longe praestabilius sit *Martyris*, quam Episcopi decus: ac memini alicubi MONachum nescio quem inscribi, potiore interim titulo dissimulato.

Sed ne causam quidem defuisse, reor, cur Sophronius MONachus potius quam Episcopus heic vocaretur. Causam vero arguror fuisse talem. S. Mariae Aegyptiacae cultus in urbe nostra mirum in modum increbuerat, uti ostendetur infra ad IX. Aprilis. Ejus vero cultus celebritas accepta est referenda vitae, quam de ea Ascetria *Sophronius* Hierosolymitanus composuit. Papebrochius quidem (ubi de Maria Aegyptia) machinis omnibus eam vitam huic Patriarchae abjudicare nititur: sed frustra; ut in loco ostendetur. Eam vitam Neapoli manibus omnium tritam fuisse, vel id testatur, quod eam Paulus Neapolitanus Latinitate donavit haud diu post hujus marmoris structuram. Sed & idem Sophronius *SS. Cyri & Joannis* (qui in hoc Kalendario pridie Kal. Febr. coluntur) *Encomium* scripserat. Ob has vitas a Sophronio scriptas factum est, ut & de iis Sanctis officium fieret, & simul de vitarum auctore. Quemadmodum non puto ob aliud meritum in his Fastis S. Polybium die XIII. Maii signari, quam quia Neapoli vita Epiphanii quaedam sub ejus *S. Polybii* nomine (sive vero, sive falso) circumferretur. Jam vero in epigraphe vitae Mariae Aegyptiae non aliud Sophronio agnomentum, quam *Monachi* tribuebatur, quia adhuc monachus eam scripserat ediderat que. Hinc puto factum, ut in hoc marmore *Sophronius* non alio, quam MONachi titulo donaretur. Sed & *Limonarium*, sive *Pratum spirituale* aliquando sub Sophronii Monachi nomine ambulasse, certum est: nec enim aliter illud citat Damascenus Or. 1. de Imag. & Conc. Nicen. II. Act. IV. Itaque Neapolitanos, quibus *Sophronii* opera (in quibus is *Monachus* inscriberetur) assidue ad manus essent, arbitror in sermone familiari non alio illum, quam *Monachi* titulo, ab aliis Sophroniis distinxisse. Eoque factum, ut is hoc die MONachus inscriberetur.

Quae hactenus dixi, etiam si Papebrochio demus Aegyptiacae vitam huic Sophronio abjudicandam, nihilo minus valebunt. Nam satis est, si ea vita sub ejus nomine vagaretur, sub quo illam & Paulus Neapolitanus Latine edidit.

Digitized by Google

II NT S ADRIANI ET NATALEE

NIhil de his hoc die nec apud Graecos nec apud Latinos. Quum plurimi autem sint Adriani martyres; heic sine controversia Nicomedienſis ille Martyr *Adrianus* est intelligendus, de quo Latini ferme die VIII. Septembris (qui dies in noſtro Kalendario Nativitate B. Mariae Deiparae impeditur) quippe non alius quam ille Adrianus conjugem habuit *Nataliam*, quae heic S. Adriano comes adjungitur. Et vero idem Adrianus in pluribus Martyrologiis non tantum diei VIII. Septembris, sed & IV. Martii affigitur: in quem diem quoniam in hoc marmore S. Marcus Ab. incidit, hinc Adrianus loco motus, in hunc diem translatus fuit. Sane quod ad *Nataliam* attinet, ea ab Vſuardo Kalendis Decembribus inſeritur: fort. ob eam cauſam, quod Ado (ad diem 1. Decembris) illam *ſepultam Kalendis Decembris* dixerit. At in Romano parvo Martyrologio Roſweidano *Natalia* eodem die VIII. Septembris, quo & maritus, ponitur: de quo Vide Jeſuitam Sollerium ad Vſuardi VIII. Septemb.

Antequam hinc abeo, notandum est, censuisse Baronium (quem vide ad diem IV. Martii & VIII. Septemb.) verum Paſſionis diem S. Adriani fuiſſe IV. Martii (in quem diem haud pauca Martyrologia edita & manu exarata *Adrianum* conjiciunt) die vero VIII. Septemb. ejuſdem Translationem coli: a quo non abhorret Florentinius ad VIII. Septemb. At vero Bollandiſtae ad diem IV. Martii pag. 300. multo plura Martyrologia enumerant, in quibus NATALIS Adriani notatur die VIII. Septemb. Ex quo contendunt, eum diem triumphi fuiſſe. At meminiſſe oportet, *Natalis* vocabulo non aliam notionem ſubjectam eſſe, quam feſti anniverſarii, ſive id feſtum ſit obitûs, ſive Translationis: uti in Praefatione dicemus, ac alibi ſaepe admonuimus. Ergo ubi feſtum alicui diei in aliqua Eccleſia affixum fuit, etſi is dies neque depoſitione nec translatione, aliave memoria inſignis fuerit; tamen *Natale* dicitur, h. e. feſtum anniverſarium: id quod tum alibi animadvertere licuit, tum in hoc noſtri Kalendarii loco, in quo die II. Martii *Natale* Adriani ponitur, quippe die non ſuo. Concidit ergo Bollandiſtarum argumentum a voce NATALIS petitum.

III D̄P S PAVLI ĒPI NR̄I MAIORIS

QVae huc pertinent, abunde explicuimus ad diem XVII. Februarii. Ibi vide: ne crambe repetitâ, lectorem enecem.

IIII NT MARCI ABB

NE dubita, quin ſit ille Marcus, de quo Baſilii Menologium hoc eodem die. Is patrator miraculorum fuiſſe dicitur; cujus duo prae ceteris prodigia ibi narrantur, quod catulo hyaenae viſum reſtituerit, quodque ſacram communionem de manu Angeli accipere conſueverit. At is in Menaeis die ſequenti colitur; ubi eadem ac plura traduntur. Porro is quum quadragenarius vitam eremiticam ſuſcepiſſet, centenarius obiit. Quod de Sacra Euchariſtia illi ab Angelo porrecta innuimus, id etiam a Sozomeno narratur; qui auctor in Sceti illum degiſſe cum Apollonio Juniore, Moſe Aethiope, & Macario, tradit, ac Sacras Litteras memoria tenuiſſe. Plura apud Bollandianos die V. Martii de hoc S. Marco legi poſſunt tum ex Paradiſo Heraclidis, tum ex Palladii Hiſtoria Lauſiaca,

Digitized by Google

ſiaca, Petro de Natalibus & aliis. Et hunc quidem Marcum monachum fuiſſe Aegyptium, ex hactenus dictis intelligitur. At fuiſſe etiam Abbatem, id vero nunc primum ex hoc monumento addiſcimus. Hunc autem diem Marco θανάσιμον *emortualem* non fuiſſe, ex praepoſito NT (non autem DEP.) pronum eſt ſuſpicari.

VNS IERASIMI

HIc eſt S. Geraſimus Abbas celeberrimus in Palaeſtina prope Jordanem. At auctor noſtri Kalendarii G ita eliquavit, ut I conſonum evaderet. Animadvertes geminum dialecti hujus exemplum tum ſupra XXVII. Febr. tum infra ad XXXI. Martii: ac de ea dialecto vide inferne (1) adnotata.

Ad Geraſimum vero quod attinet; ejus res geſtas collegerunt hoc die Bollandiſtæ partim ex S. Euthymii, partim ex S. Quiriaci vitis; at ex Jo: Moſcho, id quod ad admirandam leonis cum S. Geraſimo familiaritatem pertinet, diſcere licet.

In utraque autem vita (tum S. Eutymii, tum S. Quiriaci) Geraſimus hoc ipſo die V. Martii mortuus dicitur. Et in Euthymii vita additur hoc amplius: *Indictione XIII. in conſulatu Zenonis Aug. ſecundo*; qui fuit annus 475. Ex quo vides rectiſſime in hoc monumento S. Geraſimi feſtum huic diei affigi: quo eod. die de eo agit Rom. Martyrologium, ac Felicius. At Graeci minus recte, qui non die V. ſed IV. Martii de Geraſimo agunt in Menaeis, in Baſilii Menologio, Anthologio & apud Maximum Cytheraeum, ut & in Moſcorum Kalendario figurato apud Papebr. to. 1. Maii: forſan quia hoc die illi S. Cononem Jſauricum colunt. Ad haec in Menaeis die XX. Martii rurſus eſt de hoc Geraſimo memoria.

Ex hoc autem & aliis pluribus exemplis cerni poteſt, Kalendarium noſtrum non κατὰ πόδα ac per omnia Graecos ſequi, imo rectius nonnunquam Sanctos ſuis diebus, quam Graecos recentiores affigere. Sed tamen etſi Geraſimi feſtum die emortuali in his Faſtis conſignatur; illud doleo, quod non *Depoſitionis*, ſed γενεσίου illam *Natalis* notam (quae diebus non ſuis, aut non exploratae depoſitionis, praefigi a Noſtris ſolet) heic adpinxerunt. Id vero totum hanc opinor cauſam habet. Nam Neapolitanos arbitror jam tum a prioribus illis ſaeculis Geraſimi feſtum diei V. Martii, tamquam vere emortuali addixiſſe: idque in hoc marmore non putarunt mutandum. At vero Graeci poſteriores de S. Geraſimo pridie agere occuparunt: reſque eo paullatim evaſit, ut etiam Metricae Ephemerides (etſi noſtro Kalendario recentiores)

(1) Aevo ſequiore eadem dialectus apud Latinos ſcriptores obtinebat, quae nunc Neapoli apud vulgus eſt uſitatiſſima, ut J conſonum loco litterae G uſurpetur. Nam ſicuti nunc pro *Gennaro* vulgus effert *Jennaro*, pro *Giano*, *Jano* & cetera in eumdem modum; ſic IX. ſaeculo (quo ſcalptum hoc marmor fuit) pro *Geraſimus*, ſcribebatur *Jeraſimus*: pro *Gerontius* (die 27. Febr.) *Hierontius*: pro *Glycerius* (die 31. Mart.) *Hilucerius*. Sed & ſequentibus ſaeculis eadem conſuetudo obtinuit. In Vſuardi Auctariis Solerianis die I. & X. Jan. legitur *Jaſpar* pro *Gaſpar*, qui vulgo habetur unus ex tribus Magis.

At Papebrochius ad Metricas Ephemerides, quas praepoſuit tom. 1. Maii, ad diem IV. Martii, de *Geraſimo* ſic adnotat: *Huic Anachoretae ad Jordanem miniſtravit leo; qui errore vicini nominis ad S. Hieronymum (Italis S. Girolamus) tranſiit.* Verum ſi noſtrum hoc marmor (ubi *Jeraſimi* pro *Geraſimi* ſcribitur) inſpexiſſet vir doctus, minime ille ad Italorum *Girolamum* recurriſſet, ſed potius ad medii aevi *Jeronymum* [cum I conſono: ſicuti & infra ad 30. Sept. ſine H ſcribitur] in quo prima ſyllaba eadem eſt ac in *Jeraſimo*. Vel ſic tamen ſatis inter utrumque nomen eſt diſcriminis: ut minime neceſſe ſit ex Geraſimo ad Hieronymum inſigne leonis fuiſſe traductum. Nam illud verius eſt, conſueviſſe antiquos ſylvicolis Sanctis Leonem juxta adnectere ad genus vitae ab iis actum commonſtrandum.

Digitized by Google

res) diem Martii quartum ut Gerasimi θανάσιμον (2) venditarint. Hinc opinor IX. saeculo, quando hoc marmor scalptum fuit, incertum habebatur, utrum Gerasimus die IV. an postridie obierit. Inter ea opinionum incerta non est mirandum, si decreverit Kalendarii auctor viam tutam insistere, eamque notam inscribere, quae diebus sive suis sive non suis communis sit, cujusmodi est illud N.

VI P S BASILI EPI CERSON

BAsilius, de quo hoc die agitur, ne dubita quin sit BASILEVS Chersonensis Episcopus & Martyr cui sex commilitones adjunguntur; de quibus in Graecorum libris die sequenti agitur.

Atqui si ita se res habet; duplex in orthographia heic error deprehendetur. Primus quod BASILI scriptum sit pro BASILEI. Verum hanc pravam nominis scripturam ex saeculi more manasse, certum (3) habeo. Alter error in urbis nomine commissus fuit, in quo deest aspiratio; non enim CERSON. sed CHERSON. i.e. *Chersonis* scribi oportuerat. Nam hoc pertinet ad eam Tauricae Chersonesi urbem, quae urbs antea quidem toti peninsulae cognominis erat, & ipsa quoque (4) *Chersonesus* nuncupabatur, postea vero

(2) Metricae Ephemerides, quas Papebrochius tom. I. Maii praeposuit ad IV. Martii sic habent:

Τῇ δ τοιῳτῳ Γερασιμος βιοτου ἀτιτεμ.
Gerasimo sed quarta dies fuit ultima vitae.

(3) *Basileus* quidem [Gr. Βασιλεὺς] recta scriptura est. Quamquam quo tempore nostrum Kalendarium constructum fuit, eum mihi persuadeo passim apud Latinos *Basilium* fuisse dictum: nam in Martyrologio Rom. die IV. Martii sic legitur: *Apud Chersonesum passio SS. Episcoporum BASILII, Eugenii* &c. Quae videtur Baronius ex Menologio Sirleti quod edidit Canisius, hausisse: in quo is etiam *Basilius* vocatur, & diei IV. Martii item affigitur. Nec aliter in Pseudo-Dextro, ubi ex his collegis *Basilius* Carthaginis Spartariae factus Episcopus dicitur. Ex quibus omnibus cum nostro marmore collatis mihi credibile fit, olim aevo sequiore a Latinis hunc Martyrem *Basilium* pro *Basileo* appellari consuevisse. Accedit, quod sicuti supra die XVIII. Febr. *Pimenius* dicitur is, qui revera Epimeneus (Ἐπιμενεὺς) esset; consimili heic errore (qui videtur ei saeculo familiaris fuisse) *Basileus* in *Basilium* degeneravit. In his dum essem, subiit animum meum suspicio nonnulla Menologium illud quod Canisius edidit tamquam ex Sirleti Card. interpretatione, revera ab antiquo alio interprete translatum fuisse: alioqui Card. doctissimus hunc Mart. *Basileum* non *Basilium* appellasset. Et sane hoc Menologium inter demortui Card. schedas repertum fuit sine ullo titulo, quo doceamur, id a Sirleto Latine traductum fuisse. Videtur ergo antiquior ea interpretatio fuisse. Deinde si illa a Sirleto elaborata esset; nae doctiss. Cardinalis Graecum mensium ordinem a Septembri incipientem non immutasset: nec enim eo saeculo tantum sibi licentiae in interpretando sumebant, ut ab ordine autographi recederent. Nunc antiquior interpres non tantum ab Januario exorsus fuit; sed & pleraque in textu ipso immutasse videtur (teste Bollando to. I. Mart. p. 862. col. I. qui tamen a Sirleto eam traductionem profectam putavit) quippe alibi justo longior, alibi nimio contractior, nullam aequabilitatem servat. Fiebat hoc pro antiquorum more & ingenio, quorum interpretationes auctorum suorum vestigia non fideliter premunt, sed pro suo arbitratu plura addunt detrahuntque. Itaque translatio illa utrum ex ingenio Sirleti prodierit, aliquando dubitavi. At vero Baronius in adnotatis ad 3. Jan. (ubi de S. Gordio Mart.) Menologii illius Latinam interpretationem a Sirleto elaboratam illiusque manu majori ex parte descriptam, ex ejusdem liberalitate ad manus habuisse se gloriatur: de qua usurpat quae Hieronymus de codice Pamphili dixerat: *Tanto amplector & fervo gaudio, ut Croesi opes habere me credam.* Itaq. curiosi rerum harum, quibus satis est otii, viderint, utrum Canisiana Menologii editio iis, quae membratim affert Baronius, per omnia conveniat. In *Basilio* certe hodierno convenitur.

(4) Urbs illa, in latere occidentali Chersonesi sita, Plinio dicta fuit conjunctis nominibus *Heraclea Chersonesus*, quorum prius nomen eo pertinet, quod Heracleotarum Ponticorum colonia fuisset, alterum vero, quod esset Chersonesi. Chersonesus, h. e. totius *peninsulae*

vero subsecutis temporibus contracto nomine (5) χερσὼν *Chersón* est appellata. Ergo, uti dixi, in marmore CHERSON (i.e. *Chersonis* patrio casu) & quidem cum aspiratione scribendum fuisse videtur. At vero defectus aspirationis sinceritatem nostri marmoris maxime ostendit: etenim IX saeculo ac sequentibus ea urbs Latinis sine aspiratione, & ut primae declinationis esset, scribebatur. Anastasius in vita S. Martini Papae: *Deinde directus est praedictus Sanctissimus vir in exsilium, in locum qui dicitur Cersona.* Sed & S. Clemens Papa *trans Pontum in eremo, quod adjacet civitati Cersonae, subire exsilium* in ejus Actis dicitur. Nec alio modo eamdem urbem vocat Abbo Floriacensis in Vitis Pontificum. Poterat his addi & tertius error multo gravissimus, quod quum in libris omnibus Graecorum ac Latinorum hic sanctus cum sociis septimo die Martii colatur; contra in nostro Kalendario diei VI. affigatur. Verum mox ostendetur, diem verum Passionis ejus fuisse hunc, quem ei hoc marmor assignat, non vero sequentem.

Cetera vero quae ad Basileum ac socios attinent, videri possunt apud Bollandianos ad diem VII. Martii pag. 639. & seq. Et quidem Basilei socii modo plures, modo pauciores numerantur; & ita quidem, ut in Graecorum libris modo Ephraem, modo Basileus agmen sociorum ducat: at apud Galesinium, Molanum, Ferrarium Basileus tamquam dux praeponitur ceteris. Nec aliter se res habet in Rom. Mrologio die IV. Martii. Id quod & in nostro Kalendario fit; in quo moris est, ut quoties plures commilitones uno die coluntur, eorum primus dumtaxat consignetur pro ceteris omnibus. Itaque hoc loco solus Basileus nominatur quasi antesignanus scilicet. Ejus autem dignitas tantum episcopalis nominatur, omissa martyrii laurea, non praeter hujus Kalendarii morem.

Restat id unum, ut de die festi loquar: quod festum in omnibus ferme Graecorum libris (Menaeis, Maximo Cytheraeo, Horologio, Anthologio) ut & in Galesinio, Molano, Ferrario diei VII. Martii affigitur: nisi quod in Basilii Menologio Vrbini ante paucos annos edito id festum diei VIII. Martii adnectitur, ut contra in Sirleti Menologio apud Canisium & Rom. Martyrologio diei IV. Martii. Postremo in nostro Kalendario hujus martyris *Passio* diei VI. Martii adpingitur. Quaerat heic aliquis quisnam ex his diebus Basileo emortualis seu potius triumphalis fuerit. Ajo, tantum in nostro Kalendario eum diem recte consignari; nam die VI. Martii Basileus & Ephraem coronam acceperunt, quo eodem die post annum recurrente etiam Eugenius, Agathodorus, Elpidius martyrium consummarunt. Testes hujus rei Menaeorum auctorem & Maximum Cytheraeum advoco, apud quos (in Bollandistis hoc die pag. 642. num. 3.) legitur: *In hos quoque* (Eugenium, Agathodorum, Elpidium) *impii insurrexerunt, ac vinctos, crudelissimeque verberibus laceratos mactarunt, anno uno post caedem SS. Basilei & Ephraem, sexto die Martii mensis.*

Quandoquidem autem horum pugilum

sulae (nam id χερσόνησος significat) Tauricae parva peninsula. Atque hinc puto intelligi posse, cur Strabo lib. VII. Tauricam Cherronesum appellet *magnam*: non enim id ab eo factum comparate ad Chersonesos h. e. peninsulas orbis ceteras, sed comparate ad illam ipsius met Tauricae Chersonesi parvam peninsulam, in qua urbs nomine *Heraclea-Chersonesus* erat. Locus Strabonis sic habet: ἡ δὲ μεγάλη χερρόνησος &c. *Magna autem Cherronesus* (nam cum duplici R usurpat Geographus loco R & S) *ad Peloponnesi imaginem tum formae, tum magnitudine prope accedit.*

[5] Vrbs Chersonesus apud posteriores Graecos χερσὼν *Chersón* mutilato vocabulo dicebatur. Patet id non tantum ex Notitiis Episcopatuum apud Carolum a S. Paulo, & ex Stephano Episcopo *Chersonis*, qui Synodi V. Collationi VIII. subscripsit, verum etiam ex Procopio IV. Gothicor. 5. & I. Pers. 12. ex Zonara in Rhinotmeto, ex Eustathio ad Dionysii Versum 140. ac postremo ex Menaeis, Menologio, Anthologio, ceteriisque Graecorum libris, in quibus Basileus & Socii, *Chersonis* (χερσῶνος) episcopi fuisse dicuntur.

Digitized by Google

lum Acta Bollandiſtae ex Menaeis deſumpta dederunt; potuiſſem & eadem ex Baſilii Menologio & Latina Clementis XI. Pont. Max. interpretatione heic ponere: niſi animadvertiſſem, ea iiſdem plane verbis Graece conſtare, ac quae in Anthologio Antonii Arcudii apud Bollandiſtas pag. 640. num. 5. leguntur. At ab ultima Anthologii editione (Romae an. 1738) qua utor, ea abſunt: in quo praeter aliquot ſenarios horum athletarum martyrium complexos nihil aliud de iis legitur.

VII N̄ ARCADI ĒPI

COlitur a Graecis hoc die cum *Neſtore*, quorum uterque Trimethuntis in Cypro Epiſcopus fuiſſe dicitur. Et quidem in Menaeis & Maximo Cytheraeo Neſtor Arcadio praeponitur: at in Synaxario Claromontani Collegii apud Bollandiſtas ad hunc diem pag. 643. num. 3. Arcadius Neſtori praeit; nec aliter in Menologio Baſilii, in quo ad finem diei VII. ſic reperio: *Et memoria SS. Arcadii & Neſtoris Epiſcoporum Trimethuntis Cypri, & certamen SS. Eubuli & Juliani medici* &c. Poſteriorem hunc ordinem videntur Faſti noſtri marmorei ſecuti; in quibus moris eſt, ubi plures ſunt collegae, primum dumtaxat adnotari, ceteros ſiqui ſunt ſubaudiri. Itaque heic ſubaudire decet *Neſtorem* ejuſdem ſedis Epiſcopum, nec non *Eubulum* & *Julianum* Martyres.

At fortaſſis de *Eubulo* & *Juliano* erunt qui diſſentient; quos videtur idem Baſilii Menologium non Arcadio Trimethuntis Epiſcopo (qui certe hoc die in noſtro marmore colitur, quia additur EPISCOPI) ſed Arcadio Monacho diſſe comites. Nam die ſequenti in eodem Menologio exponuntur Acta Arcadii monachi & ejus diſcipulorum Eubuli & Juliani, qui ſub Juliano Apoſtata obtruncati fuerunt. Ex quo vides Arcadium Monachum (de quo die VIII. in Menologio) diſtinguendum eſſe ab Arcadio Epiſcopo; illi vero, non huic, ſocios eſſe aſſignandos Eubulum & Julianum. Idque ſecuti ſunt Bollandiſtae die VI. Martii pag. 426. ubi agunt *de SS. Juliano Medico & Eubulo martyribus & S. Arcadio Cyprio eorum Magiſtro.* Nec mirum, ſi Bollandiani ſocii in diem VI. (non VIII. ut in Menologio) hos Sanctos conjecerint; quia die VI. de iis omnibus Sanctis agitur in Menaeis.

Verum equidem ſuſpicor, unum eumdemque Arcadium fuiſſe: nam uterque Cyprius fuit, & utrique Eubulus & Julianus comites aſſignantur in Baſilii Menologio, & ceteris Graecorum libris. Ceterum horum librorum auctores quum duas diſtinctas memorias de Arcadio reperiſſent, in quarum altera de Epiſcopatu tacebatur; ſic negotium tranſegerunt, tamquam ſi duo Arcadii diverſi eſſent, eoſque diverſis etſi contiguis diebus aſſignarunt; utrumque non praeter morem.

VIII

VAcant hoc die Faſti Marmorei noſtri.

VIII P̄A S QVADRAGINTA

MErito in hoc Marmore PASSIO SS. Quadraginta hoc die conſignatur, quia hoc ipſo die IX. Martii martyrium illi conſummarunt. Praeter librorum omnium Liturgicorum Latinae Graecaeque Eccleſiae conſenſum in hunc diem, diſerte hoc teſtantur eorum Acta apud Bollandiſtas ad X. Martii pag.

Digitized by Google

pag. 18. ex Armeno sermone traducta, brevitatis & gravitatis suae merito se plurimum commendantia, in quibus scriptum est, *Omnes simul animas suas ad Deum emiserunt die nona Martii*. Hoc ipsum, nisi vehementer fallor, legebatur olim in alteris Actis Latinis, in quibus nunc (apud Bolland. eodem die pag. 21. num. 13. in fine) legitur: *Compleverunt autem martyrium suum II. Idus Martii*. Mendose (6) ut arbitror. Ac facile restituenda ibi est nota quinarii quae exciderat, ac rescribendum *VII. Idus Martii*. Postremo eamdem passionis diem confirmant metricae Graecorum Ephemerides (apud Papebr. tom. 1. Maii) in quibus die IX. Martii scribitur:

Α'μῳ ἐνάτῃ ἑάγη σκέλη ἀνδρῶν τεσσαρακοντα.

Crura quaterdenum contrivit nona virorum.

Nec aliter quam VII. Id. Martii de his agitur in Hieronymi Martyrologio, in Beda genuino a Bollandianis edito, ceteriseque Mrologiis, & plurimis in Kalendariis (etiam in illo, quod praeponitur Rituali Neapolitano apud Tutinum, in quo horū festum littera rubra notatur) itemq. in Basilii Menologio, Menaeis, Anthologio, &c. sed & in Romano Martyrologio etiam postquam a Baronio refictum fuit, eodem die hi pugiles inseruntur. Postremo in Romano Breviario olim eodem die de his Athletis fiebat Officiū ante Innoc. X. At hujus tandem jussu iidem Quadraginta in gratiam S. Franciscae Rom. ritu duplici celebrandae, suo loco moti, in diem sequentem perpetuo translati fuerunt. Praeter autem bina modo a me laudata horum Acta, exstant & tertia ab Jo: Diacono Neapolitano (eodem, qui Chronicon Episcopor. Neap. condidit) de Graeco (7) translata, quae ex MS. Capuano ibidem pag. 22. edidere Bollandiani: ut eorumdem martyrum laudationes a SS. Basilio, Greg. Nysseno, Gaudentio Brixiensi &c. pertextas taceam.

X N S POPLII EPI MAR

PEr omnia hi fasti graecissant. Itaque heic *Poplium* (8) Graeco more dixerunt pro eo, quem Latini *Publium* vocant.

Atque hoc quidem die nullus Publius visitur nec in Latinorum Martyrologiis nec in Graecorum libris. Et ex eo, quod in hoc marmore *Natale*, non *Passio* heic M scri-

(6) Mendose inquam, quia ex omnibus Graecorum Latinorumque libris apparet, eos non die XIV. sed IX. victoriam consecutos. Deinde facile fuit, una in autographo deleta numerica nota, ex VII. factum fuisse II. Postremo illud *II. Idus*, *II. Non. II. Kal.* haud passim reperitur alibi, quam in ultimae aetatis monumentis (nam antea scribebatur *prid. Id. prid. Non.* &c.) idque a Kalendariis ortum habuit, in quibus numerorum notae suo ordine adscribuntur, gradatim decrescentes usque ad *II. eg. V. Id.* & deinceps *IIII. III. II. Idus: ac demum Idibus*.

(7) Haec Acta de Graeco fuisse transfusa, testatur Joannes ipse in Prologo [in quo & *sermones S. Januarii Martyris* se vocat, h. e. ejus diaconos sive ministrum, ac facile in Diaconia S. Januarii, nunc *S. Gennaro all'Olmo*: siccine quidam profanus sacrorum minister vocatur

(8) *Publium* Graeci Πόπλιον plerumque appellant. Plerumque inquam; nam etiam Πόβλιον dicunt in inscriptionibus sexcentis atque in libris: ut satis mirari non queam Harduini praeceps judicium, quem memini alicubi [nam ubi id dixerit, promptum non habeo] damnasse

vo-

Digitized by Google

scribitur, satis elicitur, non hunc diem passionis fuisse, sed festi. Ac Publii quidem, sed tantum Martyres, sunt sane quamplures. Vnus tantum Episcopus simul & Martyr celebratur. Is est ille Athenensis Episcopus & martyr Publius, qui in ea sede Dionysio Areopagitae successit: de quo die XXI. Jan. Vsuardus, & Ado, quin & Hieronymi Martyrologium, sed omissa ejus Cathedra. Sunt qui hunc illum esse Publium (Πόπλιον) dicunt, cujus pater dysenteria laborans in inf. Melita a Paulo sanatus fuit: quod etiam in Adone reperitur. Miror apud Graecos nihil de hoc Athenienſi episcopo reperiri in Menologio. De Menaeis nescio. In nostris autem Fastis, quia dies XXI. Januarii festo S. Agnes occupatur, iccirco ejus *Natale*, h.e. festum quodlibet anniversarium, in hunc diem perpetuo translatum fuit.

Quod modo innuebam, hunc Publium eumdem ac Melitensem pluribus fuisse visum; id jam accuratius est tractandum. In libello de festivitatibus Apostolorum, sic legitur. *XII. Kal. Febr. Natalis S. Publii Athenar. Episcopi: qui princeps insulae Melitae vel Militenae, quum navigantem B. Apost. Paulum Romam, sub custodia detentum, per triduum hospitio receptum humane tractasset, ut B. Lucas* (Act. XXVIII. 7.) *refert; patrem ipsius Publii contigit febribus, & dysenteria vexatum jacere. Ad quem quum intrasset B. Apostolus, & imposuisset illi manus, & orasset, sanavit eum. Quem Publium adhaerentem sibi B. Apostolus postea ordinatum episcopum ad praedicandum direxit: qui postmodum Athenienſium Eccleſiam nobiliter rexit, & praeclarus virtutibus & doctrina praefulgens, ob Christi martyrium glorioſe coronatur. Nam primus Dionysius, inde Publius iſte Athenis praefuit.* Eadem apud Notkerum, Maurolycum, Canisium, Vsuardi diversa auctaria, Bedam vulgatum (non illum sincerum) ad XVIII. Jan., apud Petrum de Natalibus, Galesinium, Felicium & alibi reperies. Nisi quod vetus Romanum Mrologium a Rosveido editum non Athenarum, sed ipsius Melitae insulae eum Episcopum facit, etsi eumdem Athenis ponit, fort: quod ibi Martyr occubuerit. *Athenis* inquit *S. Publii Episcopi, qui MILITENUS a Paulo Episcopus ordinatus*. Atque haec de hodierno *Poplio* dicta sufficerent; nisi & illud mihi adnotandum esse judicarem, nim. *Publium* illum, qui a Latinis die XXI. Jan. colitur, de quo hactenus locuti sumus, in Hieronymiano Epternacensi (quod inter apographa ejus Mrologii antiquissimum habetur) hunc Martyrem cum P non cum B scribi juxta cum nostro marmore, etsi cum vocali ultima, in hunc modum, PVPLI.

XI NT S PIONI MĀR

EST Pionius ille celeberrimus Smyrnae Presbyter ac Martyr, de quo Graeci in Menologio Basilii, & Menaeis hoc ipso die: at Latini die I. Febr. Hujus Acta Passionis sincera apud Ruinartum legisse non poenitebit. Recte autem in hisce marmoreis Fastis *Natale* i.e. festum, non autem *Passio* Pionii hoc die consignatur. Etenim vir sanctissimus revera die sequenti triumphum peregit, uti constat ex Actorum fine, ubi scriptum est: *Acta sunt haec ... Consule imperatore Gajo*

ροθείας antiquissimam ac sinceriſſimam quandam Graecam Epigraphen Harundellianam, eo solo argumento fretum, quod in ea Πάβλιος pro Πόπλιος legeretur. Sed mirus in his est homo suavissimus. Quaerat heic aliquis, cur Πόπλιον plerumque Graeci usurparint. Quia, inquam, vetus Latium *Poplicum* non *publicum* dicebat; & ex eadem analogia *Poplium* [a *Poplus* pro *populus*] non *Publium* omnino usurpaverit. At observatum millies a me fuit, apud Graecos antiquas Latiales nominum propriorum tam hominum quam locorum ſcriptiones saepenumero perennasse, quae postmodum apud Latinos immutatae fuerunt.

Digitized by Google

Gajo Messio Quinto Trajano Decio, & Vitio (corr. *Virio*) *Grato* (is est an. Christi CCL.)... *IIII. Idus Martii* h. e. die XII. Martii. Verum quia hic dies apud Latinos Graecosque festo S. Gregorii impeditur; idcirco Graeci, & juxta cum Graecis Neapolitani pridie occuparunt de S. Pionio agere: Ac sane possem in Acta illa sincera a Ruinarto edita afferre aliquid symbolae, verum nequem morer, praestabit id quidquid est in (9) *Adnotata* rejicere in cupidorum gratiam.

[9] *De Actorum S. Pionii sinceritate & in eadem Adnotationes aliquot.*

Horum Actorum, quae ad manus habemus, sinceritatem ostendit prae ceteris Eusebii IV. Hist. 15. auctoritas, ubi ea omnia quae heic uberius exponuntur in breve compendium redigit, in eo tantum lapsus, quod Pionium inter Polycarpo suppares athletas numerat, quum tamen Polycarpum sub Marco principe pallium hic alter longo post intervallo sit secutus, quippe in Deciana persecutione combustus. Sed & Actorum sinceritatem demonstrat Latinae interpretationis antiquitas tanta, ut non dubitem eam tertio exeunti aut quarto Christi saeculo adscribere: tanta ibi passim sermonis nativa proprietas inter innumerabiles mendas [pleraque a librariis profectas, nonnullas etiam ab ipso interprete non satis exercitato, & tamen grandiloquo; ut facile juventutis in eo vitium & ingenium minime subactum agnoscas] intermicat. Atque haec privatim ad interpretem pertinent. Ne quem vero forte longissimae conciones offendant, quasi quae exercitationis gratia ab otioso aliquo confictae fuerint; sciat has ipsas allocutiones copiosissimas non tantum ab Eusebii testimonio praesidium sibi adscivisse, verum etiam dolendum esse, ni fallor, quod non integrae ad nos usque pervenerint, quod certe iis constabit, qui Eusebii epitomen cum Ruinartianis Actis conferet, in quibus, ut cetera non desint, illas certe *Allocutiones & consolationes* [inquit Eusebius] *quas in carcere positus adeuntibus ipsum fratribus adhibuit*, frustra requires: quibus tamen cap. XI. locus esse debuit. Has autem conciones, & quidquid Martyres mutiebant, omnia a notariis fideliter excepta fuisse, & aliunde scimus, & ex his Actis intelligitur cap. IX. *Quum cerae notarius quae respondebantur imprimeret*. Ac volupe sane est, eas ipsas voces cognoscere, quas fervor spiritus in coetu expressierit Sancto Martyri ac Doctori Pionio. Quem ne dubites inter Ecclesiae Doctores numerare, illud facit, quod in his Actis haud semel eo elogio donatur, & quod ejus orationes justum Fidei nostrae apologeticum & exhortationem complectuntur.

Prius est autem *die Sabbati*, quod non semel Actis celantur, praesertim cap. 3. *Innumerae quoque aderant feminarum catervae, quia erat dies Sabbati, & Judaeorum feminas ab opere diei festivitas relaxabat*. At illud cap. 2. *quum Sabbatum magnum intraret* [quod ex Metaphraste affert Bollandus] vereor ne ab iis ortum sit, qui Pionio ac Polycarpo eumdem emortualem diem (tametsi non eodem anno) tribuendum esse crediderunt, inducti scilicet ab injecta *Natalis Polycarpi* mentione. Atqui in Actis sinceris quae a Ruinarto habemus, Natale illud *genuinum* Polycarpi erat, non Natale Passionis. Verum de his vide dicta tum ad XXIII. Febr. in Polycarpo, tum ad XXI. Jan. in S. Agne, ubi de *genuino* plura. Atque ut eo redeam: dies emortualis Pionii Sabbatum vulgare Judaicum erat: quod pluries in his Actis dicitur, ac praecipue ad calcem: itemque id in Chronico Alexandrino diserte legitur. At quia Polycarpus *Sabbato magno* [qui ut ad Polycarpum diximus, est dies Dominicus] occubuerat; hinc scioli etiam Pionium Sabbato *magno* sive *majore* combustum videri voluerunt: irrito sane conatu; nam Sabbati mobilitas nihil cum fixis diebus commune habet: ut omittam quod iidem illi scioli nihil interim fixum diem sollicitare sunt ausi; quippe Polycarpus VII. Kal. Mart., Pionius IV. Id. Mart. martyrium consummasse in suis quisque Actis narratur.

Illud errori non est adscribendum, quod cap. V. legitur, *PION obtempera nobis*: nam quia primitiva cum suis derivativis permutabantur [uti ad XVII. Jan. notavimus] hinc Πίων *PION* [quod *pinguem* significat] & Πιονιος *Pionius* alternabant. Verum hoc levius.

Illud profecto gravius, quod cap. XIX. legitur: Tum Proconsul: *Quid autem aera aspicis? Sacrifica. Ille* [Pionius] *respondit: Non aspicio aera, sed Deum qui aera fecit. Rursus Proconsul: Dic quis fecit? Ille respondit: Non licet, prodi*. Sed removenda est meo periculo distinctio ante istud *Prodi* [ne videatur esse imperativus a *Prodeo*: quod ineptissimum fuerit] ac junctim uno spiritu pronuntiandum *Non licet prodi*, a *Prodo* scilicet. Alluditur enim ad arcani disciplinam, qua doctores Christiani quaedam sacro silentio premenda esse putabant. Dixerat Pionius, hunc aera a Deo factum.

Digitized by Google

XII DE S GREGORII PAPE

OPtime *Depositio* S. Doctoris huic diei affigitur tum heic, tum etiam in vero Bedae Martyrologio Bollandiano his verbis: *Depositio S. Gregorii Papae beatae memoriae:* ex quo eadem verba etiam in antiquiora Martyrologia sub S. Hieronymi nomine deinde manarunt. Sed & in uno prae ceteris ex Hieronymianis Martyrologiis an. circ. DCC. (h.e. ante illud Bedae) exarato sic Bollandistae scriptum invenerunt, *S. Gregorii Papae Romensis*. Deinde porro in omnibus Kalendariis, ac Martyrologiis libriſque omnibus Graecorum, & Moscorum Kalendario figurato tom. 1. Maii, hic Pontifex adscriptus fuit, & quidem non aliter quam hoc die. Ac miror, Bollandianos heic pag. 121. num. 3. scripsisse in Basilii Menologio, hunc Papam pridie h. e. die XI. Martii celebrari. Fortassis ea luxatura fuerit exemplari ad Bollandistas submisso peculiaris. Ceterum in Menologio Vrbini an. 1727. Graece & Latine summa cum accuratione edito id festum die XII. inseritur.

Postremo hic unus ex illis Caelicolis est, qui Neapoli majore ritu colebantur: quantum ex manu exarato Kalendario, quod Rituali Neapolitano praeponitur, existimare licet, in quo hodiernum festum rubricato charactere perscribitur.

XIII P S CRISTINE

HAec martyr ignota Latinorum fastis (nisi quod eam hoc die Baronius Rom. Martyrologio addidit ex Canisii Menologio) celebratur in Graecorum Menaeis in haec verba: *Eodem die Sancta martyr Christina* (*ἡ ἐν Περσίδος*) *ex Persida orta, flagris caesa* μαστιζομένη *consummatur*. De ea meminit & Canisii Menologium his verbis: *Eodem die Christina pro Christi Confessione apud Persidem martyr effecta migravit ad Dominum*. Eadem tamen a Basilii Menologio nuper edito,

ctum. Instat Proconsul, ut nomen Dei qui fecit, expromat. Nam sicuti diis singulis apud profanos sua erant nomina, sic & Deo illi, cui Pionius aeris factionem tribuerat. Nec a vero aberrabat ille, quia revera Deo uni ac vero suū esse in Scripturis nomen inaudierat, illud scilicet *ἀνεκφώνητον* & *τετραγράμματον* [*ineffabile, & quadriliterum*] quod Divinam naturam exprimit. At Martyr, *prodi* id *non licere* respondit. Ex quo intelligimus, nomen illud non minus apud Christianos quam apud Judaeos silentio involutum fuisse.

Id tamen impedimento non fuit, quin ad curiosos rerum nostrarum rimatores nomen illud manarit: nec enim credo inter Judaeos defuerant, qui illud gentibus proderent; quandoquidem Porphyrius hostis Christiani nominis infensissimus palam scripsit, Judaeorum Deum *Jevo* appellari, qui aliis *Javo* aut *Jova* dicebatur. Id fortassis proconsulem non fugiebat, eoque importunis percontationibus elicere nomen conatur, eo consilio, ut Christianorum *Jovam* cum gentilium *Jove* re & nomine consentire demonstraret, ac proinde ei Deo merito esse sacrificandum. Sic enim spe sua dejectus proconsul demum instituit: *Necesse est te IOVEM dicere, qui in caelo est ... Ergo sacrifica illi, qui est deorum omnium caelique regnator*. Vbi illud *Necesse est* Latina proprietate tantumdem est, quod *certum est, certum habeo*. Ac fortassis Pionius, qui has sibi notas gentilium insidias praevidisset, per veram exceptionem illam [*Non licet prodi*] calumniandi ansam praecidit. Vides profecto, ut unius importunae distinctionis erasione locus longe pulcherrimus ac singularis sanitatem ac lucem est consecutus.

Ceterum veram nominis ineffabilis pronuntiationem non eam fuisse, quam nunc puncta vocalia Masorethica praeseferunt, sed eam, quae proxime ad *Jovis* nomen accederet, in nostris Biblicis, atque in Tyrrhenicis ostendimus: proinde Tyrrhenos ex oriente profectos veri Dei nomen detulisse in Italiam, quod postea in Jovis falsi numinis nomen degeneravit. Id quidem in locis liquido demonstratum fuit. Et ibi dictis favet mirifice hic Actorum Pionii locus. Atque in ea quidem Acta, his paucis contenti pluribus adnotandis supersedeo.

Digitized by Google

to, & Anthologio abeſt. At Chriſtina, Virgo & martyr, de qua Latini paſſim in ſuis Martyrolog. die 24. Julii, longe eſt aliud. Hanc alteram porro Latinorum Chriſtinam Virg. ac Mart. martyrologia omnia *Tyri* in Etruria ponunt. De qua *Tyro* (uſque ad hoc tempus pro commentitia habita) alicubi plura a me dicta ſunt, & ita ut poſthac de ea dubitari non poſſit: pro quo initurum me a doctiſſ. Tuſcis gratiam confido. Vide & tertiam Chriſtinam die XXXI. Maii.

XIIII

VAcant hoc die Faſti marmorei Neapolitani.

XV N S NICODEMV

NOn alius eſſe debuit, quam ille celeberrimus Chriſti diſcipulus, cujus tantùm Inventio (una cum Stephano, Gamaliele, & Abibone) die III. Auguſti celebratur; feſtum autem ab omnibus Martyrologiis libriſque Graecorum abeſt. Ne Ferrarius quidem hunc catalogo Sanctorum extra Martyrologium inſeruit: credo quod ejus nomen in S.Stephani Inventione legeretur. Itaque habenda eſt Neapolitanis antiquis gratia, apud quos unos hujus tanti viri Apoſtolici, quem Chriſtus ſuo alloquio & diſcipulatu dignatus fuit, cultus hoc die viguit.

Fuit ceteroqui & alter obſcurior *Nicodemus*, de quo inter Vſuardi Auctaria a Sollerio collecta, die XXI. Decembris ſic legitur. *Romae Nicodemi, qui SS. Martyrum corpora, ſcilicet Claudii, Nicoſtrati, Caſtoris, & Simplicii de fluvio extracta domi ſuae ſepelivit, ut in geſtis eorum legitur*. Eadem ferme reperies in Adone die VIII. Novembris.

XVI N S MONTANI MAR

IN toto Baſilii Menologio nullius uſpiam eſt Montani mentio. At in Latinorum Martyrologiis tot ſunt *Montani Martyres*, ut incertum ſit, quis potiſſimum is ſit, quem hoc die Faſti noſtri memorant. Itaque curabo Montanorum martyrum, quoſcumque reperire licuit, catalogum heic adtexere, ut deinde, ecquis ille ſit, de quo hoc die in marmore noſtro feſtum agitur, facilius decerni poſſit.

Die 24. Feb. Montanus M. in Africa ex Martyrol. Rom.

Die 26. Martii Montanus presb. & Mart. cum ſociis Sirmii ex Martyrolog. Hieronymiano, Beda, Vſuardo, Adone, Notkero, Martyrol. Romano, & aliis paſſim. Vide & Martyrolog. Hier. die 11. Maii.

Die 23. Maii Montanus Martyr in Africa ex Martyrolog. S.Hieronymi. Is tamen obſcuri eſt nominis, nec ducit agmen, ſed miles gregarius eſt.

Die 17. Junii Montanus miles ſub Hadriano & Martyr Tarracinae, ex Rom. Martyrologio tantum, & quidem ex additamento Baronii.

Die 3. Julii Montanus M. Tarſi, ex Martyrologio S. Hieronymi.

Die 21. Julii Montanus M. in Africa ex Martyrologio Hieronymiano.

Die 17. Nov. Montanus M. in Africa in Martyrol.Hier.ex fide MS.Corbejenſis.

Heic mihi ſi detur optio, ſane non dubitaverim (niſi ſiqua ratio occultior, ac Neapolitanae (10) Eccleſiae peculiaris, ſubeſt) quin ex Omnibus Montanis (magnam

[10] Veluti ſi Neapoli reliquiae alicujus ex illis obſcurioribus Montanis fuerint, quarum gratia officium de eo fieret. Verum donec documenta earum reliquiarum in lucem proferantur, interim quid aliud relinquitur, niſi ut Montanus dici hujus ſit ille Sirmienſis longe clariſſimus?

Digitized by Google

gnam partem obscuris) seligendus sit ille Sirmiensis Montanus presb. & M. quippe omnium celebratissimus, idemque omnibus Martyrologiis (& quidem ut agmen post se ducens, aut saltem cum *Maxima uxore*) adscriptus, De eo Hieronymianum Martyrol. ex fide MS. Lucensis, & Blumiani die 26. Martii haec habet: *In Syrmia Munati & Maximae uxoris ejus*, Verum pro *Munati* legendum esse *Montani*, elicitur ex socia *Maxima uxore*, quam omnia Martyrologia eodem die cum Montano jungunt: & ex MS. Corbeiensi apud Florentinium, & ex codice Britanno-Saxonico apud Bollandistas ad 26. Mart. in quorum utroque martyr hic Sirmiensis non *Munatius* vocatur, sed *Montanus*, eique *Maxima* uxor, & XL. alii commilitones adjunguntur.

Taceo quod in eodem Hieronymiano Martyrol. die XI. Maii scribitur: *In Syrmi natalis S. Montani*: quippe addubitante (11) Florentinio an sit ille Maximae maritus. Adhaec Beda Genuinus (quem Bollandistae to. secundo Martii praefixerunt) eodem die 26. Martii sic posuit: *In Sirmio Montani presb. Maximae uxoris ejus & aliorum XL.* VVandelbertus eodem die duobus his versibus ejus meminit: *Septima* (supple *Kalendar. April.*) *Montanum memorat cum conjuge sancta, Atque simul quadrageno cum martyre passum*. Vsuardus eodem die: *In Sirmio SS. Montani presb. & Maximae in mare mersorum*: quibus verbis editio Coloniae & Lubecae an. 1490. addit: *Corpora eorum non longe ab urbe inventa sunt*. In aliis Vsuardi MSS. dicuntur *in fluvium*, non in mare projecti. Ado in hunc modum eodem die: *Et apud Sirmium natale S. Montani presb. qui cum Maxima uxore sua tentus, & in fluvium praecipitatus est: corpora eorum nono ab urbe* (*Sirmio* scilicet non *Roma*; quia sequitur, *sepulta sunt*, quippe adhuc insepulta, ubi ex vicino amne enatassent) *lapide inventa & sepulta sunt*. Eadem in Notkero reperies. His concinit hodiernum Martyrol. Rom. in quo etiam *in flumen demersi* dicuntur. Atque Vsuardus ipse (si Bollandistis ad 26. Mart. pag. 616. credimus) *maris* nomine non aliud quam lacum Sirmiensem Savo amni adjectum intellexerit; quippe quum sermone ἰδιωτικῷ *lacus* & *mare* pro synonymis habeantur. Atque haec de martyrii genere. Ceterum hos Maurolycus & Felicius sub Maximiano Imp. & Probo praeside, Galesinius sub Diocletiano ponunt, & *in Savum* (nominatim) projectos narrant: ex quibus suspicor his Acta illorum MM. innotuisse, quae nusquam hodie visuntur. Apud hos eosdem tres ultimos Martyrologos etiam *Demetrius Diac.* illis commilito adjicitur.

Cur tam multa, inquies, de his martyribus heic cumulata fuere? Nimirum ut ex eorum celebritate tanta, quantam vix in aliis usquam reperias, intelligatur, Montanum, de quo Fasti nostri marmorei, non alium esse posse, quam qui die XXVI. hujus ipsius mensis, in omnibus Mrlogiis agmen post se ducit: quum contra alii Montani longe obscuriores sint. Ceterum sicuti alibi passim in hoc marmore choragus tantum adscribitur, ceteri de choro tacitis nominibus subaudiuntur, idem prorsus & heic factum vides, omissis *Maxima & XL.*

Restat unus tantum scrupulus evellendus, cur, quum in omnibus omnino Martyrologiis die XXVI. Martii de his MM. fiat, in nostro marmore die XVI. consignentur. Possem equidem consuetam illam exceptionem obtendere; nempe quia dies XXVI. apud Neapolitanos festo S. Sabini, de quo infra, impediretur. At potuit etiam luxaturae hujus culpa in auctore hujus Kalendarii fortassis residere, aut potius in codicibus quibus ille ute-

[11] Atqui αὐτόπτης est: nam is etsi die 26. Martii apud omnes colebatur; poterat tamen etiam die XI. Maii propter aliquam Translationem aut Inventionem &c. celebrari. Imo nomen ipsum *Natalis*, in eo Martyrologio rarum, forsan festa a die passionis diversa designat. Vide alibi pluries dicta de significatione vocabuli NATALIS.

Digitized by Google

utebatur. Nempe ex illo Sanctorum syntagmate, quod noster hagiographus habebat ad manus, videtur nota denarii excidisse (sive illud librarii peccatum fuit, sive codicis senium) ac pro XXVI. lectum XVI; unde idem error & in Kalendarium Neapolitanum redundavit. Verum quid pluribus opus est; quum *Natalis* nota heic apposita diem non suum arguat?

XVII PONISIMI ĒPI

NOn dubium est, quin PONESIMVS (pro quo in marmore scribitur *Ponisimus*; quia id aetatis jampridem vocalis *Eta* pronunciabatur ut I, ut alibi saepe in hoc marmore) sit ἀναλογῶν ὄνομα vox regulariter formata. Nam quemadmodum a verbo ὄνημι fit ὄνησις & deinde ὀνήσιμος *onesimos* i. e. *utilis*; sic a πονέω fit πόνησις, & indidem porro effici poterat & πονήσιμος, *ponesimos* i.e. *laboriosus*: etsi posterius hoc vocabulum non reperitur in lexicis. Proinde potuit revera aliquis Episcopus hujus nominis esse: tamen quia nec in Latinis nec Graecis Fastis ullus usquam *Ponesimus* occurrit; idcirco sine ulla titubatione affirmo, legendum heic esse, *Passio Onesimi Episcopi*. Nec novum est in hoc Kalendario voces inter se confertas, ac nullis spatiis aut punctis distinctas legi. Ergo ne dubita, quin PONISIMI scriptum sit pro P. ONISIMI i. e. *Passio Onesimi*; & quin hodie agatur de *S. Onesimo Episcopo* eodemque (propter illud P. praefixum) etiam martyre.

Nunc illa inquisitio supereſt, ex plurimis Onesimis, qui in Fastis Ecclesiasticis leguntur, ecquisnam huc potissimum pertineat. *Onesimus* Suessionensis episcopus quarti saeculi (de quo Bollandistae die XIII. Maii) huc non attinet, quia martyr non fuit. Adhaec ne *Onesimus* quidem ille monachus, de quo Basilii Menologium die XIV. Julii, quidquam commune cum nostro habet, quippe episcopatu & martyrio carens; nec *Onesimus* ille Martyr quidem sed non episcopus, natione Italus, sub Licinio martyrium Puteolis passus, de quo idem Menologium die X. Maii. Postremo poterat forte huc referri Onesimus Episcopus Byzantinus, tertius ordine, de quo Nicephorus episcopus in Chronico, & Nicephorus Callistus in VIII. Hist. 6. Verum nec de Martyrio, nec de (12) sanctitate hujus quidquam litteris proditum reperio.

His jam quatuor Onesimis remotis, restant adhuc duo alii aevi Apostolici cognomines viri. Quorum unus Ephesi episcopus fuit, in Ignatii ad Ephesios epistola summis laudibus exornatus: de cujus martyrio etsi nihil scriptum reperiatur; non est tamen difficile, illum hac aliquando laurea, ut illis temporibus, fuisse potitum. Alter est nobilissimus ille Philemonis servus, Paulique discipulus, idemque episcopus & Martyr. Nunc id danda est opera, ut statuatur, uter eorum sit hodiernus marmoris nostri Onesimus: quo labore nos quaedam Mrologia levarent, si eorum (13) valeret auctoritas, unum ex utroque conflantium.

Equi-

(12) Nisi quod apud Castellanum in S. Onesimo ad XVI. Febr. quidam Philippus Cyprius [an. 1645. catalogum Episcoporum C Polit. edit] Stachyis in ea sede successorem facit Onesimum, illum credo intelligens Philemonis servum, de quo mox dicemus. Verum Philemonis Onesimus ubivis potius quam Byzantii fuerit oportet.

[13] *Ephesinus Onesimus idem ne sit, an diversus a servo Philemonis.*

De Philemonis Onesimo Graeci die XV. Febr. at Latini postridie agunt. Sed de ejus Ephesino Episcopatu Basilii Menologium ceteriique eorum libri tacent: tacent & antiquiores Martyrologi. Nam Bedae genuinus sic orditur diem XVI. Febr. *S. Onesimi Apostoli*. Nec aliud, quam

Equidem in Philemonis Oneſimum ſum multis partibus inclinatior, quippe multo nobiliorem, antiquioremque, & in omnibus Latinorum (excepto Hieronymiano) Mrologiis, Graecorumque libris decantatum, & *Apoſtoli* elogio donatum: eumdemque non tantum (14) Epiſcopum, ſed & certo Martyrem: quum contra de Epheſini martyrio nihil proditum reperiatur. Poſtremo ſi Graecis (15) credimus, idem Philemonis ſervus Puteolis palmam eſt conſecutus. Is quidem martyrii locus verus necne fuerit, (16) non interpretor. At certe quum

IX.

quam unicum *Apoſtoli* titulum Roſveidanum Mrologium ei tribuit. Vandelbertus etiam & Rabanus de ejus epiſcopatu ſilent. Ac primi omnium Ado & Vſuardus ita ejus elogium pertexuerunt, ut videatur Philemonis Oneſimus a Paulo & Epiſcopus ordinatus, & Epheſi [circ. an. LXIV.] ab eodem Paulo relictus, quando ſcilicet Romam martyrium conſummaturus perrexit. Id vero clarius ab aliis ſecutis Martyrologis affirmatum fuit. Ac poſtremo Romanum Mrologium diſertiſſime id teſtatur, ſic ordiens diem XVI. Februarii. *Natalis B. Oneſimi, de quo S. Paulus Apoſtolus ad Philemonem ſcribit: quem etiam poſt S. Timotheum Epheſiorum Epiſcopum ordinavit, praedicationiſque verbum illi commiſit. Hic vinctus Romam perductus, ac pro fide Chriſti lapidatus, primo ibidem ſepultus fuit; inde ad locum ubi fuerat Epiſcopus ordinatus, corpus ejus delatum eſt.* Habes heic *martyrem* & *Epheſi Epiſcopum*. Atqui Epheſino Oneſimi illius, qui Philemonis ſervus fuit, epiſcopatui non aliud anſam praebuit, quam Ignatii in Epiſt. ad Epheſios *Oneſimi* cujuſdam Epheſini Epiſcopi mentio. Ceterum [ait Tillemontius ad S. Pauli vitam Not. 70.] temporum ratio vetat, Philemonis Oneſimum eumdem fuiſſe ac Epheſinum ab Ignatio laudatum; quum Philemonis ſervus circ. an. LXI. Paulo ſe adjunxerit, Epheſini autem Oneſimi meminerit Ignatius an. CVII. Verum non video, quid impediat, quominus quis, etiamſi fuerit tricenario major, ab an. LXI. ad CVII. vitam prorogare potuerit. Adhaec [pergit Tillemontius] Cedrenus & Nicephorus Philemonis Oneſimum ſub Domitiano martyrium conſecutum teſtantur, h. e. facile decem ante Epheſinum annis. Atqui nec Cedrenus nec Nicephorus rei tam antiquae teſtes ſatis idonei eſſe poſſunt. His igitur argumentis non ſatis permoveor, ut duos fuiſſe credam: at illud dumtaxat unum ſuadere id plane videtur, quod auctor Conſtitutionum VII. 46. ſine ullis ambagibus Philemonis ſervum *Beroeae in Macedonia Epiſcopum* factum prodidit: Βεροίας δὲ τῆς κατὰ Μακεδονίαν Ονήσιμος ὁ Φιλήμονος. Ergo quarto ſaeculo [nec enim ſerius illae Conſtitutiones prodierunt] Oneſimus Philemonis Beroeae ſedíſſe putabatur, diverſus adeo ab Epheſino Oneſimo. Hinc merito jam ante Tillemontium Vſerius itemque Cotelerius duos fuiſſe Oneſimos contenderunt; quos male antea Grotius ad Epiſt. ad Philem. in unum coegerat.

[14] Beroeae inquam in Macedonia epiſcopum; uti modo ex verbis Pſeudo-Clementis VII. Conſt. 46. oſtendimus.

[15] Baſilii Menologium ad XV. Febr. haec prae ceteris habet. *Poſt mortem vero S. Pauli a Tertullo Romae praefecto comprehenſus, ductuſque Puteolos, flagris ſaeviſſime caeditur: quumque a Chriſto ad idolorum cultum deſcifcere nollet... ad iram Tertullum concitans, confuſis minutim cruribus* [crurifragio Oneſimum vitam finiſſe, etiam apud antiquiores reperio, uti mox dicetur] *ad Dominum quem dilexerat, migravit.* Eadem ferme in Menaeis ceteriſque Graecorum libris occurrunt.

[16] *De Puteolano S. Oneſimi Pauli diſcipuli martyrio: deque ejuſdem crurifragio.*

Hoc quidem decus, quod ad Puteolanos ex Oneſimi ſanguine apud ſe fuſo redundat, nullo modo ornatiſſimis vicinis ſurreptum eo. Sed quam vellem, validiore tibicine ea opinio fulciretur. Nam quod ad Puteolanum hujus Oneſimi martyrium attinet, quis ſcit, an non ex altero Oneſimo Mart. Italico [quem idem Baſilii Menologium die X. Maii Puteolis cum aliis ſociis coronatum ſtatuit] id Graeci in Pauli diſcipulum transfuderint? Accedit quod aliorum opinio, Romae Oneſimi paſſionem conſtituentium, haud paullo eſt antiquior. Ado in lib. de feſtivit. Apoſtolor. eum Romae lapidatum narrat. Id tamen totum Ado ex veteribus [non tamen illis ſinceris] S. Ignatii Actis deſcripſit, in quorum antiqua interpretatione legitur, Ignatii reliquias Romanorum urbis tutelam futuras, *in qua*, inquit, *Petrus crucifixus, & Paulus decollatus, & Oneſimus lapidatus.*

Etſi, fateor, in Oneſimi lapidatione falſus eſt vetus illorum Actorum interpres, in quibus Graece legitur ᾗ Ονήσιμος τῇ τῶν σκελῶν κλάσει τέλος ἐδέξατο i. e. *Et Oneſimus crurium confractione eſt conſummatus.* Idem

cruri-

Digitized by Google

IX. saeculo Graecorum mentibus ea persuasio de Puteolano Onesimi martyrio insedisset; non est verisimile, Neapolitanos tanti viri (in quem & Pauli discipulatus, & simul sanguinis in vicina urbe fusi fama, sive vera sive falsa, convenirent) festum fuisse omissuros.

Hunc autem Onesimum non alio quam hodierno die tulisse triumphum, ex suis & Puteolanorum memoriis adducti, (ut equidem conjicio) persuasum Neapolitani habebant: eoque huic Sancto litteram P (tamquam *Passionis* huic diei affixae notam) praescripserunt. Quod videndum, an non Puteolano Onesimi martyrio fidem sit majorem conciliaturum. Nam inde potest intelligi, non vagam & incertam sanguinis apud se effusi famam servasse Puteolanos ac vicinos Neapolitanos IX. saeculo, sed usque adeo stabilem, ut etiam Passionis diem consignatum in suis tabulis ii praeferrent. Saltem hoc jure tunc nostri homines utebantur: qua illos possessione non temere deturbaverim, tuituros se Interdicto, *Vti possidetis*.

Illud supervacaneum est monere, hunc, de quo tamdiu loquimur, Philemonis famulum miris a Paulo laudibus cumulari, de quo tota est Epistola ad Philemonem (quam alibi Deo dante illustrabimus) tota Pauli manu perscripta (vide vers. 19.) uti moris est, ubi ad intimos familiares deque intimo familiari scribitur: in qua etiam in *Onesimi* nomine pulchre (17) ludit Apostolus.

XVIII N S CVRILLI EPI HIERV

A Graecis procul dubio hunc Sanctum sane quam illustrem habuit Neapolitanum Kalendarium; in quorum libris Ecclesiasticis omnibus hoc die de Cyrillo Hierosolymitano agitur. Eumdem hoc die proponunt & Moscorum figuratae Ephemerides apud Papebr. to. 1. Mai. At apud Latinos veteres Martyrologiorum auctores nusquam comparet, praeterquam *in* Romano, & alicubi in Vsuardi Auctariis Sollerianis hoc eodem die. Is in Typico S. Sabae *Patriarcha* inscribitur, καὶ ὁμολογητὴν scilicet; nondum enim illo tempore Hierosolymitani Antistites *patriarchae* inscribebantur, sed tantum *Episcopi* usque ad hunc Cyrillum. At hujus successor Joannes primus omnium *Patriarchae* elogio donatur. Sed antequam a nostro Cyrillo abeo; nolo dissimulare, metricas Graecorum Ephemeridas hunc diem Cyrillo θανάσιμον facere; sic enim hoc die scribitur:

Ογδοάτῃ δεκάτῃ θάνατος μέλας εἷλε Κύριλλον.

Octavâ decimâ mortis rapit hora Cyrillum.

N Cur

crurifragium in proxima Adnot. ex Basilii Menologio adnotavimus: Συντρίβεις σκέλη καὶ λεπτὸν contusis minutim cruribus. Tamen quia difficile est Actorum Ignatii interpreti tam gravem veternum obrepsisse, ut pro crurifragio lapidationem lectori propinaverit, id quod & Adoni & ceteris persuasit; haud aegre crediderim in Graeco exemplari, quo utebatur interpres, locum illum fuisse corruptum, ac divinandi ansam praebuisse, dum pro λάσιν (pereunte primore littera) legerent fortasse λάσιν, aut simile. Quod interpres ad lapidationem pertinere est auguratus: λᾶας est *lapis*, & λεύω *lapido*, & λάεσσιν (gen. plur.) apud Hesychium est *lapidem*. Ceterum crurifragium ad conficiendos reos adhiberi consuevisse, res est satis pro-

(17) Duplex est ea alludio, semel versu 11. *Qui tibi aliquando inutilis fuit* [Gr. ἄχρηστον; quod verbo tenus *inutilem* significat, sed huic etiam *damnosum* notat: in veteribus Glos. Ἄχρηστος est *Incommodus*, h. e. Molestus: & apud Italos *Disutile* de viro pernicioso usurpatur] *nunc autem & mihi & tibi utilis*. Nam *Onesimus* Graece *utilem* notat.

Rursus autem versu 20. sic scripsit Apostolus: *Ita frater: ego te fruar in Domino*. Pro *Ego te fruar*, Graece est ἐγώ σου ὀναίμην (in quo verbo pulchra est ad Onesimi *nomen* alludio) h. e. *hunc ex te fructum capiam*: ex te inquam, qui *teipsum mihi debes*, uti proxime dixerat. Quando igitur tu χρήσιμε meus es, cupio & χρῆσιν te meum esse; & in hoc facto te mihi ὀνήσιμον [*Onesimon* i. e. *utilem*] praestare.

Digitized by Google

Cur igitur non in his Faſtis *Depoſitio* ſignata fuit potius, quam *Natale*? Vtut ſe res habet; equidem noſtrum marmor multo antiquius eſſe ſcio, quam illas metricas Ephemeridas: quibus ceteroqui ſollemne eſt eos dies, quibus celebre aliquod feſtum a Graecis affigitur, pro θανασίμοις *emortualibus* venditare. At noſtri cautius *Natalis* notam adpoſuerunt; cujus vocabuli ambitu feſtum quodlibet quotannis recurrens continetur. Doleo interim quod hujus perilluſtris Doctoris Acta nulla habemus, ex quibus verum depoſitionis diem reſcire poſſimus.

XVIIII P̄ S CHRISANTHI ET DARIE

DE feſtivo horum ſanctorum die diſcidium eſt inter Latinos Graecoſque: apud hos enim hoc die de illis agitur in Menaeis, Anthologio, Maximo Cytheraeo, Moſcorum Kalendario figurato, &c. etſi in Baſilii Menologio Vrbini nuper edito dies XVII. Octobris eiſdem dicatus ſit. At vero apud Latinos Martyrologos non hoc, ſed die XXV. Octobris ea Martyrum ξυναξις conſignatur. Atqui Neapolitanorum Faſtorum auctoribus quum propoſitum eſſet Kalendarium ſuum partim ex Graecis, partim ex Latinis Officiorum libris conſarcinatum edere; utroque die hos ambos Martyres conſignarunt. Sed tamen ſi uno loco *Paſſionem* praenotaſſent, altero *Natale*, (ut alibi fit, quoties duplici die de aliquo Martyre fit) id ferendum videretur. Nunc utrique diei *Paſſio* inſcribitur. Eſtne hoc ſupinitati ſive incogitantiae auctoris tribuendum? Non credo. Illud mihi fit veriſimilius, Neapoli, (utpote Graeco-Latina tunc civitate) bis de his factum fuiſſe officium, priore quidem in Graecorum Eccleſiis, poſteriore in Latinis. Nam crediderim de his SS. Neapoli tum Graecos tum & Latinos peculiares habuiſſe Eccleſias. Ceterum de certaminis die puto fuiſſe olim dubitatum, quum Graeci paſſionem huic diei imputarent, contra Latini diei XXV. Octobris. Hinc inter partium inter ſe certantium ſtudia, in his Faſtis utriq. diei *Paſſio* praenotata fuit. Et alibi memini in ſimili inter Latinas Graecaſque Neapolis Eccleſias certamine, utrique diei *Natalis* notam praefixam fuiſſe, credo quod neutra ex parte idonea documenta afferrentur. At vero in hodiernis Martyribus pro Graecis ſtant metricae Ephemerides toties a me laudatae, quae hoc die hos conjuges *inhumatos* tradunt.

Χῶσαν Συζυγίην δεκάτῃ ἐνάτῃ ὁμόλεκτρον.

Concors conjugium undevicena aggere texit.

Atq. dies ſepulturae ferme cū die θανασίμῳ confunditur. At ne Latinis quidem arbitror defuiſſe memorias, quibus horum Paſſio diei XXV. Octob. affigenda videretur. Marmor vero noſtrum, ut in re dubia, utriſque obſecundat.

XX DĒ S CALVI ĒPI NRI

EST ille Calvus, qui medio octavo ſaeculo Coſmae in ſede Neapolitana ſucceſſit: de cujus cultu nunc primum ex hoc monumento certiores evadimus. Ceterum is a Joanne Diac. in Epiſcopor. Chronico inter (18) *bonos* epiſcopos refertur. Verum quod magis mirere, ſolus inter Neap. Antiſtites bis Kalendario inſeri-

(18) *Calvus*, inquit, *Epiſc. ſedit an. XII. menſ. IV. D. III. Hic inter cetera BONITATIS ſtudia, S. Soſii* (Diac. Miſenatis & mart.) *non longe ab urbe oratorium inſtituit, ſic in ſublime erectum, ut univerſa quae in circuitu poſita ſunt, conſpicere poſſit.* Id oratorium videtur fuiſſe in via qua adſcenditur in clivum dictum *Capo di monte*, ubi dicitur hodiedum *S. Soſio*, ubi villam Jeſuitae poſſident.

Digitized by Google

scribitur, semel hodie, iterum die XVIII. Novembris: sed hoc die sub titulo *Depositionis*, illic *Natalis*. Ex quo, ut alibi monuimus, elicitur hunc diem Calvo emortualem fuisse. Verum sive quia mensis Martius plerumque impeditus esset Dominicae Passionis memoria, sive aliam ob causam, visum est alterum diem assignare, fortassis Translatione aliave S. Calvi memoria insignem, quo quis *Natale* i.e. festum quodlibet a Depositione diversum celebraretur. Nec alii quis mihi excipiat, *Calvum* illum (de quo die XVIII. Novemb.) alium fortassis esse, quum illinc absit ὁ NOSTRI. Nam (praeterquamquod pronomen istud saepissime omittitur) nullus *Calvus* in omnibus Martyrologiis ceterisque Ecclesiae monumentis usquam occurrit, ad quem ille scilicet, qui die XVIII. Novemb. notatur, referri possit.

XXI D̄P S BENEDICTI AB

VNo ore in omnibus Mrologiis hoc die Benedicti festum annuntiatur; etiam in Hieronymiano, a quo Confessores ferme absunt: etsi non ante Benedicti res gestas a S. Gregorio in Dialog. libris descriptas hunc Sanctum (celebriorem tunc certe factum) Hieronymiano adjectum fuisse fit verisimile. At in Menaeis, Menologio Canisii, Maximo Cytheraeo, Anthologio diei XIV. Martii Benedictus affigitur. Postremo in Basilii Menologio ex MS. Cryptae Ferratae nuper Vrbini edito, ad hunc ipsum diem XXI. Martii sic legitur: *Commemoratio S. Patris nostri Benedicti Archimandritae Romae.* Sed tamen *in ejusdem* Menologii apographo ex eadem Cryptae Ferratae Bibliotheca erutο, quo utebantur Bollandiani, ea Commemoratio legebatur die XX. ante S. Thomam Patriarcham CPolitanum. An igitur hanc & hujus similes alias festorum luxaturas editores Menologii sustulerunt? An potius amanuensis incuria in apographo Bollandiano S. Benedicti festum loco motum fuit? Ceterum ex Auctore vitae S. Mauri (apud Bollandistas ad hunc diem pag. 276. num. 7.) constat, non alium quam diem XXI. Martii Benedicto emortualem fuisse. Quocirca recte in his Fastis marmoreis hoc die illius *Depositio* consignatur. Sciendum est autem, in Kalendario Ms. quod Rituali Neapolitano praemittitur, S. Benedicti festum rubricatis litteris adnotari, ad diei majorem celebritatem notandam.

XXII N S THOME P̄AT

PAtriarcham fuisse dicit, sedem omisit, fortassis quia Regiae urbis Antistites consueverant a Neapolitanis (qui quidem etsi sub jurisdictione patriarchali Papae Romani essent, tamen quia imperatori CPolitano suberant, in ritibus plurimis etiam CPolitanae Ecclesiae politiam sequebantur) κατ' ἐξοχήν, & sine additο sedis, simpliciter *patriarchae* vocari. Sic infra die VI. April. *Natale S. Eutychii Patr.* qui patriarcha CPolitanus fuit. Hic autem est ille Thomas, qui secundum Chronici Alexandrini rationes anno DCVII Cyriaco in sede CPolitana successit, ac postmodum an. DCX ex hac vita emigravit. De hoc in Latinorum Martyrologiis nusquam agitur: at idem in Graecorum libris liturgicis (excepto Anthologio Romae excuso) passim reperitur: nisi quod de die festo non plane convenit. Is enim in Basilii Menologio est XX. Martii: alibi XXI. alibi XIX. ac postremo in Menaeis MSS. Bibliothecae Ambrosianae Translatio consignatur die XIX. Martii, at obitus sive *obdormitio* die XXII. In nostris his Fastis die XXII. non *Depositio* sed *Natale* (quod γενεθλιον nomen est) adnotatur. At

Digitized by Google

revera Thomas die XX. Martii mortuus, die vero XXII. terrae mandatus fuit, teste Auctore Chronici Alexandrini ferme συγχρόνῳ, ubi sic scribitur : *Hoc anno mense Dystro, qui est Romanis Martius, die XX. qui incidit in feriam VI. moritur Thomas Patr. CPolitanus, & XXII. ejusd. mens. die Dominico terrae mandatur*. Inter illas vero dierum Thomae dicatorum varietates Neapolitani, ut in re lubrica, caute heic maluerunt communem *Natalis*, quam peculiarem *Depositionis* notam adscribere.

XXIII P S CASTVLI MAR

SVnt nominis hujus Martyres sane quam plures & in Hieronymiano Mrologio, & in Romano, & alibi passim. Verum hodiernus Marmoris hujus Castulus non est alius quam Romanus hujus nominis athleta ; qui quum esset Palatii *Zetarius* (de hoc officio domus Augustae vide seq. *Excursum*) Christianos hospitio & omni ope fovebat. Qui demum sub Diocletiano principe, cui serviebat servitutem, & sub Fabiano urbis praefecto nobile martyrium consummavit. De eo Latini in Hieronymiano & Romano Mrologio, & alibi passim non hoc sed die XXVI. hujus mensis agunt : at Graeci nullum Castulo diem dicatum habent ; nisi quod die XVIII. Decemb. Sebastianum cum aliis sociis memorant, inter quos & hic *Castulus* recensetur.

At illud heic scire interest, cur in hoc marmoreo Kalendario PASSIO (quae vox diem martyrii in his Fastis notat, quod millies monuimus) *S. Castuli* diei XXIII. Martii affigatur : quum non tantum in Romano, sed & in antiquissimo Hieronymiano (19) & aliis Martyrologiis id festum diei XXVI. ejusdem mensis inscribatur. Heic satis erit de Hieronymiano tantum Mrologio respondere ; nam ab hoc fonte cetera manarunt. Atque equidem censeo, quo tempore Hieronymianum illud consarcinatum fuit, diem Castuli triumphalem ignoratum fuisse (quid mirum, quando in Actis sane quam antiquis, quae nunc extant, de die Passionis ne γρὺ quidem ?) diem autem XXVI. ei dicatum fuisse propter aliquam Translationem, aut Dedicationem. Hinc in Hieronymiano non *Passio*, sed *Natale Castuli* ad diem XXVI. scriptum fuit. Atqui si ex nostro Kalendario de ceteris conjecturam facere licet ; *Natalis* vox aut diebus non suis praefigitur, aut certe non complectitur confessam diei emortualis notationem. At vero nostri Kalendarii auctor nactus videtur sive Acta sive memorias quaslibet (veras an falsas, non praestare audeo) in quibus Castulus hoc ipso die palmam consecutus diceretur. Non enim de nihilo hoc est, quod hoc die *Passionis* nota huic pugili praefigitur.

Habemus autem hodiedum Acta hujus Martyris apud Bollandianos die XXVI. Martii pag. 612. satis bona & antiqua, etsi non ab aequali (20) scriptore profecta ; ex quibus plura liceat (21) addiscere.

[19] In omnibus ferme Mrologiis ejus memoria diei XXVI. Febr. inscribitur. Hieronymianum Epternacense sic cum diem orditur : *Romae Natale Castuli*. In apographo Lucensi edito a Florentinio : *Romae in coemeterio via Lavicana Natalis S. Castuli*. In Rosveidano : *Romae S. Castuli Zetarii palatii*.

[20] Ad finem Actorum S. Castuli legitur in hunc modum : *Et in eodem loco via Lavicana non longe ab urbe Romana ejus corpus requiescit humatum : in quo loco multa beneficia praestitit Christus . . . usque in praesentem diem*. Quae scriptorem posteriorem notant. Etsi fieri potest ut non minus haec clausula, qui brevis initio Prologus [de quo mox dicam] ab Auctore recentiore, quam ipsa Acta, prodierint.

[21] *Ad Acta S. Castuli, apud Bollandianos pag. 612.*

Si ex Actorum principio judicium de toto monumento ferre quis animum inducat, nae is toto caelo aberrabit. Nam brevis Prologus, qui praemittitur, siquid video, longe posterio-

ris

tis est auctoris, quam quae sequitur tota narratio. Nam quale est illud loquendi genus? *Itaut per universum terrarum orbem eorum crudelissima protitulata* [fort. *praetitulata*] *ferocitas permaneret* [fort. *permanaret*]. Mox paucis interjectis: *Nos ergo, FRATRES* [ex hac προσφωνήσει licet, animadvertere, quorsum prooemium istud praefixum fuerit: nempe ut in Officii cursu, aut in conventu fidelium Acta ista legerentur] *quanta fecerit Dominus.. ad gloriosam beatiss. Castuli..passionem, ad auriculas revocemus.* Hic finis est Prologi: quem doleo Bollandianos non sejunxisse a cetero corpore, saltem ut sectionem diversam constitueret.

Acta vero ipsa ordiuntur a verbis illis num. 1. *Igitur dum multa turba credentium cresceret, & tutus inveniri non poterat locus ad latebram confovendam; apud beatiss. Castulum.. qui eo tempore Zetarius palatii exsistebat, omnes hospitabantur: qui B. Castulus ibidem prope palatium in superiori loco & valde alto commanebat. Ideo autem haec ASCENSIO* [i.e. locus in quem ascenditur: sicuti *lavatio, caenatio, ambulatio* sunt locorum, non πραξεων actuũ nomina] *apta probabatur, quia de eis... qui Palatio adhaerebant, suspicio esse non poterat.* Haec paucis admodum mutatis vocibus leguntur & in Actis S. Sebastiani (quae ibid. afferunt Bollandistae) num. 2. Atqui vel ea, quae recitavimus, non uno loco graecissant, quasi si de Graeco in Latinum sermonem transfusa fuerint. Veluti illud *commanebat* est ex Gr. συνέμενε: & quum pluribus sane locis superior domus pars, quâ Castulus incolebat, describatur; semper circumloquendo ea pars indicatur, nusquam autem propria *cenaculi* vox usurpatur, quae Latinum scriptorem non effugisset, si quidem haec Acta Latino primum ore locuta fuissent. Nam eodem pertinet, quod ibidem mox legitur: *In locis superioribus Palatii*, quod Graece fuerit ἐν ὑπερῴοις τῶ παλατίῳ h. e. *in cenaculis Palatii*: Sed & alibi idem locus περιφράζεται, nusquam *cenaculorum* vocabulo usurpato.

At illud, quod modo ex narrationis initio deprompsimus, *Tutus inveniri non poterat locus ad latebram confovendam*, ita eleganter dictum est, ut tamen id etiam ex Graeco manasse quod & in Actis S. Sebastiani totidem verbis Latine reperitur; quae tamen Acta hodiedum Graece exstare dicuntur manu exarata. Itaque verbum *Confovere* (Graece συνθάλπειν) est idem quod *occultare*. Sumpta est metaphora ab avibus, quae quum ova aut pullos confovent, ea simul expansis alis occultant. Reperitur apud Aeschylum in Prometheo ξυνθάλπειν μύθοις ψευδέσιν, *confovere* [pro *occultare*] *mendaciis*. Sic etiam in Aristophane θαλφθῆ λογοις.

Quum igitur Christianis haud usquam facile esset latebram confovere; in B. Castuli cenacula, quae Palatio adhaerebant, se contulerunt: idque non tantum quia de Castuli aedibus, quippe eidem Palatio ministrantis, non poterat suboriri suspicio, verum etiam quia ipsa per se cenacula tutam latebram efficiebant. *Cenacula* (sic enim sine diphthongo in litteratis saxis et melioribus libris plerumque scribitur: de cujus vocis etymologia alibi differam) dicebantur pars domus superior, ad quam scalis ascendebatur. Festus: *Cenacula dicuntur, ad quae scalis ascenditur.* Itaque quot scalae, tot erant una in domo cenacula. Martialis I. 118.

Et scalis habito tribus, sed altis.

Ita *tristegon* erat poetae hujus conductum. Et inquilinis tenuioris fortunae cenacula locabantur: unde *cenacularium facere* de iis dicebatur, qui ea re quaestum faciebant, pluris locando, quae minoris conduxerant. S. Pauli conductum Act. XXVIII. cenacula mera fuisse, ostendimus ad eum locum. Ab eo factum, ut qui ibi sedem haberent, latere in tuto crederentur; quod raro a principibus speculatores mitterentur ad inquilinos egenosque in cenaculis considentes. Juvenalis Sat. X. 17.

.. Egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors: rarus venit in cenacula miles.

Hinc S. Polycarpus in hujusmodi cenaculis (ἐν δωματίῳ) *se praemebat* h. e. latitabat: vide quae ad ejus Acta notavimus. Et S. Porphyrius tumultuantem plebem declinaturus, in cenaculis latebram sibi quaesivit, uti supra ad ejus vitam observavimus. Eadem haec S. Castuli cenacula describuntur ad finem Actorum S. Sebastiani post descriptam Castuli passionem, his verbis; *Relicta* (i.e. vidua) *Martyris Castuli Zetarii nomine Irene, abiit nocte: ut corpus S. Sebastiani tolleret & sepeliret. Et inveniens eum viventem adduxit ad domum suam in SCALA EXCELSA, ubi manebat ad palatium; & ibi intra paucos dies salutem integerrimam recuperavit.* Verum de his satis.

Num. 2. Cajus *Papa* ... *singulorum* (qui se ad Christum converterent) *nominibus acceptis, omnes baptizans, numero sanctorum sociabat.* Illud *nominibus acceptis* a delectu militari est sumpta locutio. In delectu enim juventus nomina dabat, quae consul, aut qui delectui praeerat, accipiebat. Idem & in Christiana militia loquendi mos, quo conversi *nomen Christo dare* dicebantur, et Episcopus *nomina accipere*.

Num. 3. Quum quidam de alto lapsus omnia mem-

Digitized by Google

re. Sed & in Actis S. Sebastiani, quae & ipsa bonae frugis plenissima sunt, plura leguntur ad hunc Castulum pertinentia, quae cum Actis modo laudatis probe (22) consentiunt. Vtra autem sint antiquiora, haud temere pronuntiaverim. Tillemontio certe non accedo, affirmate statuenti, antiqua Castuli Acta ab alteris illis S. Sebastiani hausta fuisse.

Atque hactenus dicta de hoc S. Martyre festinantibus satis esse poterunt. Nisi quod duo adhuc haerent scrupuli, haud facile evellendi. Itaque statui parumper de via deflectere, ac duabus factis excursionibus, sive aliorum, sive meae cupiditati satisfacere. Quos *Excursus* siquis supervacaneos putaverit; non morabor, quin eos nec de limine salutatos praetervehatur.

EXCVRSVS PRIOR
De S. Castuli Coemeterio via Labicana.

IN Pauli Aringhi lib. IV. Romae Subter. cap. XI. de eo sic scribitur. „ Martyrologia sub die VII. Kal. April. Via „ Labicana eumdem martyrio coronatum „ fuisse perhibent; & in B. Notkeri Martyrologio de Coemeterio pariter mentio his verbis incurrit: *Romae Via Labicana in Coemeterio EIVSDEM natalis S. Castuli, qui quum esset Vetarius Palatii, & hospes Sanctorum, ut in gestis B. Sebastiani legitur, a persecutoribus artatus, & tertio appensus, tertioque auditus, in confessione Domini perseverans missus est in foveam, & dimissa est super eum massa arenaria, atque ita cum palma martyrii migravit ad Christum.* Quae quidem verba *In Coemeterio ejusdem*, intellectum duplicem sortiri queunt; nimirum *in Coemeterio ejusdem Castuli*, vel *In Coemeterio ejusdem Viae Labicanae*. Apud omnes igitur indubitatum est, sacrum Martyris Corpus, vel in eod. arenario, ubi martyrium subierat, & ubi postmodum sub ejusdem nomine Christiani Coemeterium exstruxerint, vel certe in ipsius Viae Labicanae Coemeterio, ubi B. Tiburtii corpus quiescebat, pia fidelium manu reconditum.

Hactenus Aringus: quem nollem de eo dubitasse, quam in partem Notkeri verba

membra quaesaset, ita ut de sola ejus ageretur sepultura, ait B. Tiburtius: *Permittite me ei PRAECANTARE, & forsitan recipiet sanitatem ... & super vulnera ejus dicebat leviter* (i. e. *secreto*: notum est illud Catulli, *Audibant eadem haec leniter & leviter*: submissa vox heic arcani disciplinam designat, in his quae vulgo prodi nefas erat) *orationem Dominicam & Symbolum; & solidata sunt membra ejus. Praecantatio praecantatrix* & similia non nisi in deteriorem partem usurpata reperiuntur. Sed fortassis in medicina faciendo honestum id erat verbum. Scitum est enim antiquos medicos plurimum praecantationibus tribuisse: etsi reprehendat id Vegetius III. *Artis veterinariae* 44. *Aliquanti praecantatione tentant afferre remedia, quae vanitas ab aniculis solis diligenda est*. Vtut est: jam supra admonui, de Graeco haec Acta transfusa videri: apud Graecos autem ἐπᾴδην & καταπᾴδην verba sunt μίσα i. e. tum in bonam tum sequiorem partem accipi solita: de quibus H. Stephani Thesaurus exempla suppeditabit. At Latinus interpres *praecantandi* verbum usurpavit, quia id demum Graeco ἐπᾴδω e regione respondet. In Cyrilli Glossis: Ἐπᾴδω, *praecanto*.

Ad finem Actorum S. Castulus *Missus est in foveam, & missa est super eum massa arenaria. & ita cum palma martyrii migravit ad Christum. Massa* in Glossis antiquis idem saepe quod βῶλος, sive *gleba*. Itaque noli de fabulo aut arena dissoluta heic cogitare; nam & terra subtilior, cujus partes cohaereant, *arenae* nomine veniebat: maxime quum *Harenam* cum denso spiritu antiqui scripserint, & ab *Haereo* derivaverint. Quo circa verius est S. Castulum telluri insossum obiisse, h. e. in foveam demisso glebam superjectam fuisse.

(22) In Actis S. Sebastiani (apud Bollandianos die 26. Febr. num. 4.) sic breviter Castuli martyrium describitur. *Post haec autem Torquatus egit, ut Castulus Vetarius Palatii, hospes Sanctorum comprehenderetur: qui quum fuisset artatus & heic tertio appensus, tertio auditus; in confessione Domini perseverans, missus est in foveam, & dimissa est super eum massa arenaria, & ipse cum palma martyrii migravit ad Dominum.* Haec eo heic adscripsi, quia haec eadem tum in Adone & aliis Martyrologiis, tum etiam in Romano totidem fere verbis repetuntur; quae ex S. Sebastiani Actis mutuarunt.

Digitized by Google

verba ſint accipienda. Eſtne enim credibile, hoc illi Martyrologo veniſſe in mentem ut *Coemeterium Viae Labicanae* uſurparet? quis umquam iſto modo locutus eſt? Aut ſi tamen nova appellatione uti voluiſſet, jam inde ab initio ſic orſus eſſet, *In Coemeterio Viae Labicanae*, aut vero, *Via Labicana in Coemeterio*, quocumque nomine illud vocaretur. Nunc vero ineptiſſimae genus battologiae fuerit loqui in hunc modum, *Via Labicana in Coemeterio ejuſdem* (Viae Labicanae). Quo circa non eſt dubium, illud *Ejuſdem* referendum eſſe ad ſequens *S. Caſtuli*. Novum, inquis, iſtud fuerit loquendi genus. Fateor. Verum danda eſt ſaeculo incondito venia. Repererat credo Martyrologus alicubi ſcriptum, *Romae Via Labicana natalis S. Caſtuli*; ac mox, *Cujus corpus pia fidelium cura in Coemeterio ejuſdem* (Caſtuli ſcil.) *ſepultum fuit*, aut tale aliquid. At is dum verba contrahere ac tranſponere ſatagit, nec opinanti hoc excidit, ut EIVSDEM prius poneret, mox nomen S. CASTVLI ſubiiceret.

In his porro dum eram, commodum incidi in Raph. Fabretti Inſcriptionum Caput VIII. quod Chriſtiana elogia complectitur. Qui paſſim toto capite pluribus titulis a ſe tum primum editis ſubſcribit in hunc modum: Ex *Coemeterio B. Caſtuli*. Ex quibus ſubſcriptionibus fit manifeſtum, nobilem ἀρχαιολόγον non tantum habuiſſe exploratum, fuiſſe aliquod Coemeterium ſub ejus Martyris nomine, verum etiam deſignatum habuiſſe locum, ex quo plurimas inſcriptiones deſcripſit. Quam loci deſignationem vix tandem apud eumdem reperi eod. capite, pag. 556. num. XXVI. ubi epigraphen affert hujuſcemodi, ſane quam obſcuriſſimam, ſed tamen ad rem, de qua quaerimus, indagandam opportuniſſimam & quantivis pretii.

QVOROSVN NOMI
NAE MASIME
CATIBATICV
ISECVNDV
MARTVRE
DOMIINV
CASTVLV ISCALA

Chriſti Monogramma adiacet.

Ad quam, de epigrammatis difficultate pauca (23) praefatus, ſic demum adnotat. *Niſi quod ex ea verum Coemeterii B. Caſtuli ſitum accepimus, Aringho incompertum, ut idem fatetur lib. IV. cap. XI. In ipſo ingreſſu* (Coemeterii) *lapidem hunc eruimus, in vinea ſcil. Patrum Tertii Ordinis S. Franciſci ad primum lapidem Viae Labicanae poſt Portam Majorem: ubi* κατεβαθμὸς, i. e. *deſcenſus* (*barbare hic CATIBATICV*) *ISCALA* (*i. e. per ſcalas*) *aperitur.*

Atqui nimis facilem heic ſe praeſtat ſollertiſſimus ceteroqui antiquitatum indagator. Quid ſi enim CATIBATICV ſit Martyris alicujus nomen patrio caſu, ut etiam SECVNDV & CASTVLV? & ut paſſim in noſtris Faſtis marmoreis Sancti gignendi caſu in V deſinunt more Graecanico. Itaque ea inſcriptio (quae utrinque mutila videtur) ſublatis tantum orthographicis mendis, ſic videbitur refingi poſſe: *Quorum ſunt nomina, Maximae, Catabatici, vel Secundi* (nam in ISECVNDI illud I reſpondere videtur Graecae conjunctioni ἢ) *Martyres Domini, Caſtuli in ſcala*. Cetera opinor deſunt. Nam videntur hi martyres fuiſſe ex illorum numero, quos Caſtulus in ſuis cenaculis (quae heic deſignantur per illud ISCALA) hoſpitio acceperat. Notum eſt illud in Actis S. Sebaſtiani, (quod in Not. 21. recitavimus) *Adduxit in domum ſuam* (Caſtuli ſcil.) IN SCALA EXCELSA. Adde & illam cenaculorum periphraſin Martialis I. 118.

Et ſcalis habito tribus, ſed altis.

Verum

[23] Difficultatem tantam hujus Chriſtianae inſcriptionis ibi Vrbinas praedicat, ut ſibi *inextricabilem* appellare non dubitet; eamdemque cum illa LVCII BARBATI F. conferat, quam Sirmondus feliciter expoſuit, quamquam apud eumdem Fabrettum licebit cognoſcere pag. 461. Atqui quo iſtud Chriſtiani tituli fragmentum pertineat, ſpero me non infeliciter anguratum, ne poſthac terriculum cuiquam afferat. Vide infra.

Digitized by Google

Verum age, meliora proferamus. Nam volo hoc largiri, illud CATIBATICV non esse Martyris nomen. Quid ergo est? Quia καταβατὸς est quasi dicas *Descensilis*; sane τὸ καταβατικὸν erit *Descensorium* (sicuti *Ascensorium* vox fuit aevi medii, qua singulae scalarum *directiones*, quae Italis dicuntur *Tese*, notabantur) est inquam *Descensus* seu *scalae*, quibus in cryptam sive *Confessionem* descendebatur. Nam & quam nos *Confessionem* dicimus, hanc Theophanes vocavit καταβασιν, quod ibi Anastasius *Descensum* interpretatur. Ergo istud Fabretti fragmentum complectebatur forsan indiculum eorum Martyrum, qui in ea crypta celebriores erant, cum locorum uniuscujusque designatione; in hunc modum: *Quorum sunt nomina: Maximae in Catabatico* (seu Descensu) *secundo, Martyris Domini*: (item) *Castuli in Scala*. Sequebatur scalae designatio, & porro cetera. Ex hoc autem interpretandi modo tantum sequetur, in ea crypta jacuisse *S. Castuli* Reliquias; at non continuo fiet, eam cryptam fuisse antiquitus nuncupatam *S. Castuli Coemeterium*. Aut si libeat, id ei vetus nomen fuisse; magis id ex Notkeri verbis illis, *Via Labicana, in Coemeterio ejusdem* (uti supra exposuimus) constabit, quam ex recitato lapide. Verum ubi semel ex Notkero constiterit, ei Coemeterio, in quo is Martyr humatus fuit, *S. Castuli* nomen haesisse; tum vero ex Fabrettiani lapidis indicio etiam ubi id Coemeterium fuerit, porro assequemur. Ergo libenter Fabretto assentior *B. Castuli Coemeterium* (aliunde ex Notkero notum) in suprascripta vinea Patrum Tertii Ordinis statuenti,

EXCVRSVS ALTER

De S. Castuli officio, sive de Zeta & Zetario, Diaeta & Diaetario.

NEc quid sit *Zetarius* S. Castuli officium, nec omnino quid sit *Zeta* (unde *Zetarius* deducitur) recte assecutos scriptores hagiologos animadvertenti mihi, ubi plura ad eā rem idonea collegissem, in manus incidit Ant. Velseri viri docti Epistola ad Hieron. Fabrum quae inscribitur, *De Zeta & Zetario*: *cui* (pergit epistolae inscriptio) *S. Castuli historia occasionem praebuit*: quae epistola Pignorio *de servis* adnectitur. Itaque ne actum agerem, omnem de ea re cogitationem abjeceram. Verum perlecta Epistola, quia ne is quidem mihi visus est rem acu tetigisse; vix tandem a me impetravi, ut in hoc argumentum e via longius aliquanto digrederer.

§. I.

De Diaetae sive Zetae significatu.

Zetam idem plane esse quod *Diaetam*, & *Zetarium* tantumdem quod *Diaetarium* etsi sunt qui (24) dubitarunt; tamen haec ipsa S. Castuli historia omnem dubitandi ansam praecidere debuisset. Nam qui in Actis Latinis *Zetarius* appellatur, is in Graecis S. Sebastiani Actis vocatur (25) διαιτάριος *diaetarius*. Sed, & in Romanis (26) legibus qui ab uno JCto *diaetarius*; is ab altero *zetarius* nuncupatur. Vt omittam, quod in Plinii epistolarum manu exaratis codicib. alibi *zeta* pro *diaeta*, alibi contrarium legitur; ut plane liqueat, eam non fuisse vocum, sed dialecti varietatem. Nec vero mirum: nam D & Z apud antiquos permutabatur. Ad Aeolicam

[24] In eum censum referendi sunt Torrentius ad Svetonium in Claudio cap. 10. & quicumq. alii, qui negantes, *Zetam* a *Diaeta* detortum esse vocabulum, undecumque diversas *Zetae* etymologias venantur; uti Coel. Rhodiginus, Fulvius Vrsinus aliiq. apud Vossium in *Zeta*.

[25] In Actis Graecis manu exaratis S. Sebastiani M. apud Cangium: πορευθεῖσα ἡ τὸ διαιτάριος σύζυγος ἐπὶ τὸ πίδιον &c. *Vxor diaetarii in campum profecta &c.* Ea autem est Irene S. Castuli Zetarii vidua, de qua Acta Latina S. Sebastiani ad finem sic loquuntur: *Relicta* [h. e. vidua] *Martyris Castuli Zetarii nomine Irene, abiit nocte, ut corpus S. Sebastiani tolleret*. Cetera attulimus supra in adnotatis ad Acta Castuli.

[26] Nam qui in l. *Quaesitum* §. 42. de instr. leg. dicti sunt *diaetarii*, prorsus iidem *zetarii* vocantur a Jul. Paullo Sent. tit. VII. Quae duo loca inferius comparabimus.

Digitized by Google

licam dialectum id grammatici referunt, qua Z loco litterae D usurpabatur, ut ζαβάλλην pro διαβάλλην, & ζάκορος pro διάκορος. Sic *Zabolus* pro *Diabolus* tritissimum est: & Antoninus in Itinerario Hipponem *Zarrhytum* pro *Diarrhyto* nuncupat: Et in inscriptione ad calcem Analectorum Mabillonii scribitur ZEBVS pro DIEBVS. Quo & illud pertinet, quod *qui olim*, teste Prisciano *Medentius*, is postea *Mezentius* audivit. Atque is mos non est mihi dubium quin ab oriente profluxerit: nam ubi Hebraei litteram Z usurpant, ibi Chaldaei Syrique ejus loco D saepissime perscribunt, ut pro *Zahb* (i.e. aurum) *dehab*, & quae sunt sexcenta ejuscemodi.

Sed, inquis, si a *Diaeta* fit *Zeta*, hoc cum diphtongo *Zaeta* scribendum erat. Verum sciendum est, Graecas voces antiquitus Romana civitate donatas haud raro a Graeca orthographia deflexisse. Sicuti ergo pro σκηνὴ veteres in saxis ac libris constantissime scribebant cum diphthongo *Scaena*: sic contra pro διαιτα antiqui DIETA cum E simplici scriptitabant (teste Gruteriano lapide pag. 201. 8. in quo ter ea vox scalpitur, nec nisi cum E solitario: ac testibus quoque antiquis libris (27) & incerta Varronis auctoritate) unde nil mirum si *Zeta* cum E simplici usurpetur pro *Zaeta*.

Ac ferme in iis maxime vocibus Latini a Graecanica orthographia interdum recedunt, quarum vocum significationem immutant. Nam etsi nomen, de quo agimus, Graeci juris est; tamen διαιτα apud Graecos vagam & γενικὴν (28) *habitationis* notionem obtinet: at contra apud Latinos numquam eo generali significatu *Dieta* (sic enim scribere sine diphthongo mallem, nisi ringentes Aristarchos vererer) sive *Diaeta* usurpatur, sed semper certam ac peculiarem domus partem designat: quae cujusmodi sit, id jam investigare operae fuerit.

Sunt autem de *Diaetae* seu *Zetae* significatu sententiae sane quamplures. Baccius & alii ad rem balnearem id vocabulum retulerunt. Credo autem eis imposuisse

O &

[27] In Glossis veteribus DIETA cum E simplici scribitur. Sic quoque in aliis manu exaratis codicib. Postremo in eamdem γραφὴν nos ducit id, quod ex Varrone afferunt, *Dietam inde dictam videri, quod in ea* PER DIEM EDATVR. Nec enim id quaero, utrum ea etymologia recta sit. Verum si quidem eam Varro usquam tradidit, oportet aevo Varroniano ad DIETA sine diphthongo scriptitatum. Nunc autem Varronis auctoritatem Vossius reperiri negat: de quo postea viderimus.

[28] Quantum est veteris Graeciae non alibi διαιτων quam generali significatu pro habitatione aut sede usurpavit. Sic etiam ea vox pluries sumitur in Jobi Graeco interprete, ubi Vulgatus *Habitaculum* aut tale quiddam reddit &c. Quocirca fugit eos ratio, qui ad illustrandam Latinam *Diaetae* significationem arcessunt sive illud Plutarchi, ubi μίαν παλλακίδων διαιταν a Domitiano exstructam cum Capitolii magnificentia comparat, sive similes locos eos: nam palam est, *pellicum habitationem* non vero *pellicum diaetam* ibi designari. Sicuti & quam Strabo lib. XIII. διαιταν Βασιλικὴν vocavit, addens, ἣν προσηγόρευσε τιμωνίον, hanc eamdem Plutarchus ὄικησιν nuncupavit i. e. *habitationem*. Vnus tamen quod adhuc sciam, est Athenaei locus V. 10. ubi de mirifica illa Hieronis navi; in qua tricenae hinc atque inde διαιται *diaetae* exstructae dicuntur. Quo loco *diaetas* eadem notione accepisse videtur, ac apud Latinos; apud quos etiam navium *diaetae* memorantur, domorum diaetis non absimiles. Neque id vero vitio vertendum est Dipnosophistae, quasi qui a prisca Graeci sermonis mundicie deflexerit. Crediderim potius Graecos, qui in magna Graecia ac Sicilia degerent, proprium hoc habuisse, ut διαιταν pro peculiari domus membro sumerent, eaque notione id vocabulum scriptores Siculos in vulgatis a se descriptionibus navis illius usurpasse: unde & Athenaeus eamdem descriptionem ab iis mutuatus, etiam διαιταν eodem significatu retinuerit. Quocirca si a me quaeras, cur *Diaeta*, quae Graecis vox est generalis, apud Latinos peculiaris evaserit; praesidens dicam, Latinis Siciliam & majorem Graeciam ducem ejus usurpationis exstitisse. Atque haec διαιτης acceptio referenda mihi videtur inter Γλώττας Ἰταλικὰς, quarum Catalogos veteres nonnulli grammatici evulgarunt, qui ab Athenaeo & aliis alicubi memorantur.

Digitized by Google

& JCti *diaetas* (29) *hypocauſtas*, & Lampridii *Zetas* (30) *vaporatas*. Quaſi vero perpetua ac non potius διογενικὰ haec epitheta eſſent. Ad ſummam non quia *zetae* aliquae *hypocauſtae* erant, continuo univerſum zetarum genus ad thermas eſt amandandum. Simile judicium eſto de Papiae *zetis aeſtivalibus* (31) *& hyemalibus*. Et tamen balnearem iſtam *zetae* interpretationem ſecutus Tillemontius, S. Caſtulum vocat in Indice, *Commis aux étuves de l' Empereur*; nec aliter interpretatur iſtud S. Caſtuli officium ad *S. Sebaſtian.* Not. 5. Atqui Caſtulus Martyr Diocletiano famulabatur: cujus ſi thermis praeerat, inepte is adhaerentia Palatio cenacula inſediſſet; quum contra debuiſſet Thermas Diocletianeas incolere.

Eſt & altera opinio, quae plures & magnos patronos habet, Ant. Velſerum (qui in ea tamquam a ſe reperta mirifice ſibi placet) Voſſium, & plures alios docentes *Diaetam* ſive *Zetam* eſſe tantumdem, quod *caenationem*. Ac miror quoſdam id in argumentum afferre, quod in veteribus Gloſſis *Dieta* & *Cenaculum* ſint ſynonyma: nam *cenaculum* non eſt locus ad caenandum, ſed ſuperior domus pars, quam Graeci vocant ὑπερῷον: unde in antiquis Gloſſis *Dieta* Graece eſt ὑπερῷον. Verum de diaeta quatenus *cenaculum* redditur, poſtea videbimus. Nunc qui dietam volunt *caenationem* eſſe, afferunt Sidonii locum II. ep. 2. *Ex hoc triclinio fit in diaetam ſive in caenatiunculam tranſitus . . . in hac ſtibadium & nitens abacus*. Verum diaetas nonnumquam *caenatiunculae* (non autem juſtae caenationis) uſum praebuiſſe, non eo inficias, ſicuti & uſus alios innumerabiles eaedem praeſtabant: at omnino tantumdem eſſe quod caenationem, id vero pernego. Illud vero miror, quod etiam junioris Plinii loco abutuntur ſcribentis, *Hinc turris erigitur, ſub qua diaetae duae, totidemque in ipſa, praeterea caenatio*. Nam intelligere hinc potius debuiſſent, caenationem a diaetis illis manifeſte diſtingui. Poſtremo & ex Varrone docent, *Diaetam* ab eo dictam, quod ibi per *diem edatur*. Et plures certe ex Varrone id citant, ſed iidem nec locum indicant, nec verba producunt. Quumque Voſſius neget ſe in toto Varrone id uſquam reperiſſe; facile adducor, ut credam, Accurſium omnium primum id ex Varrone citaſſe ad L. *aequiſſimum* §. *Si tamen* D. *de uſufru.* Sed age, dixerit hoc Varro (nec enim id a Varronianis etymologiis ceteris abhorret) non aliud inde tandem efficietur, niſi quod ſupra ex Sidonio oſtenſum fuit, nonnumquam *diaetas* (ſive potius *dietas*, ſi vera ſit Varronis etymologia) pro caenatiunculis uſurpatas. At illud non intelligo, ecquid Voſſio ſuaſerit, ut in Etymologico ſuo Diaetam ſic definiret: *Dicebatur Latinis caenaculum, in quo aeſtate ad umbram, hyeme ad ſolem caenabatur*. Etſi ſatis memini, id alios ante Voſſium ſcripſiſſe. Sed & illud quoque ſtomachor, quod idem Voſſius in ZETA, eam ſic deſcribat: *Zeta ſignificat aedificium ac partem domus, quae cubiculum habeat ac caenationem*. Nam quaero, ecquis hoc veterum docuerit. Nec vero *zeta* ſive *diaeta* ex pluribus membris componebatur, ſed & ſimplex erat, & exiguitate forſitan potius commendabatur, ut infra oſtendemus.

At illam *Diaetae* ſignificationem, quam modo ex Gloſſis antiquis produxi, nimirum *Dieta* (ſic enim cum ſimplici E a Gloſſographis ea vox ſcribitur) idem quod ὑπερ-

[29] Earum meminit Vlpianus l. 55. §. *lignis* D. de leg. 3. ubi ſic ſcribitur: *Lignis autem legatis, quod comburendi cauſa paratum eſt, continetur, ſive ad balnei calefactionem, ſive diaetarum hypocauſtarum &c.*

[30] Lampridius Heliogabalo: *Odores Indicos ſine carbonibus ad vaporandas zetas jubebat incendi.*

[31] Papias: *ZETAE, domus, quae ſubtus pedes habent aquas: harum aliae hyemales aliae aeſtivales. Zetae hyemales ſunt, quas calidas facit ſubducta flamma. Zetae aeſtivales, quas frigidas facit ſubducta aqua.* Atqui harum nemo antiquorum meminit. Itaque e genus loquendi ſequioris aevi; quo uſus eſt Cl dericus Vitalis lib. 2. *In quinto zetae hyemal in ſexto Zetas aeſtivales.*

Digitized by Google

ὑπερῷον sive *cenaculum* sit, nihil moror. Nam aevo sequiore, quando illae Glossae conscribi caeperunt, ad superiorem domus partem *dietae* vox pertinebat. At eadem aevo meliore latius patebat, & honestissima domus pars habebatur. Ceterum plures nominum notiones infusa postmodum barbaries immutavit. Exemplo esse possit FABRI vox, de qua alibi (32) disputatum a me fuit.

Ac fuit sane tempus, quum *diaetam* pro ea aedificii parte acciperem, quam Itali *Alcovam* vocant, quae ita cubiculo tamquam ejus pars adhaeret, ut tamen veli objectu ab eodem segregetur. Atque hanc opinionem pluribus olim persuasit Plinii alterius locus II. epist. 17. *Diaeta*, inquit, *perquam eleganter recedit: quae specularibus & velis obductis reductisque, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur. Lectum & duas cathedras capit.* Cui plane gemina est illa descriptio altera lib. v. ep. 6. *Mox diaetula refugit* (in superiore loco posuerat *Recedit*, a cubiculo scil.) *quasi in cubiculum idem atque aliud* (h. e. idem reductis, ac rursus aliud obductis velis) *lectus huic & undique fenestrae* &c. Plane crederes cum Molano ad Vsuardum, Baronio, Cangio aliisque *alcovas* nostras ab eo describi. Verum alcovas nunc ad dormiendum paratas habemus, at illa priore Plinii loco non item; nam sequitur: *Jucundum est cubiculum noctis & somni*: imo potius recessus erat ad meditandum, ac studiis vacandum, nam de eadem infertur: *In hanc ego diaetam quum me recipio, nec ipse meorum lusibus, nec illi studiis meis obstrepunt*. Sed & diaeta illa, de qua VII. ep. 5. scribitur, non ad dormiendum sed ad agendum erat comparata, quod eum locum consideranti patebit. Vsus ergo diaetarum ab usu *alcovae* diversus: tū in diaetis specularia ex omni parte admittebant lucē, quae in nostris alcovis aut nulla sunt, aut uno ex latere, qua aditur. Ceterum quod *specularibus & velis obductis reductisque* adjiceretur auferreturve cubiculo, id non commune omnium, sed Plinianae diaetae peculiare fuit.

Ac videor sane opiniones omnes jam pervulgatas exposuisse ac simul refutasse. Poterat & illud dici, *diaetam* plerumque pro cubiculo quovis acceptam; id enim videbatur innuere Vlpianus l. 1. §. 27. *de S.C. Sillaniano* his verbis: *EODEM autem TECTO qualiter accipiatur, videamus: utrum intra eosdem parietes* (extimos totius domus scil.) *an & ultra intra eamdem diaetam vel cubiculum* &c. Sed re melius perpensa ibi VEL non est ἐξηγητικὸν (quod nonnumquam solet) sed disjunctivum. Et hactenus quid *Diaeta* non sit. Age jam quid sit, adstruere experiamur.

Diaetae autem τὸ τί ἐστιν h. e. *constitutio* ea maxime est, ut fuisse videatur *Recessus* quidam aut conclave μοναδικὸν καὶ αὐτάρκες *solum & sibi relictum*, ita ut in diaeta commorantem nemo itu ac reditu obturbaret, videret nemo. Ac sane diaeta cum iis recessibus comparari potest, quos Itali vocant *Gabinetti*, *Ritiri*, *Foderi*, *Appartamenti* (etsi hoc ultimum Italis patet latius, atque interdum plurium simul conclavium compagem complectitur) quaeque sunt alia ejus rei apud Italos vocabula: quae quidem majoribus cubiculis praetendi solent, nequis meditanti, aut lectitanti, aut quidvis clam aliis facienti obstrepat. Vno verbo hoc inter cubicula cetera & diaetas intererat, quod illa unum post aliud deinceps recto tramite adibantur: at in diaetas divertebatur; quippe quae cubiculis ex latere adhaererent, quaeque ab omni, ut ita dicam, servitute liberae, nec iter nec actum cuiquam deberent. Atque eo sane nos Plinianae diaetae duplex descriptio (quam supra adscripsimus) ducit, nam illud lo-

[32] Vide ad calcem Epistolae *de Dedic. aedis* Mantissam alteram, quae est de S. Josephi opificio. Nempe ibi ostensum fuit, *Fabri* vocabulum aevo meliore materiariis juxta ac ferrariis commune fuisse: at idem postea nomen IV. ac V. saeculo *ferrarii* proprium evasit. Ex quo manavit Latinorum illius aetatis opinio falsissima, Josephum [qui in Evangelii Vulgato interprete *Faber* nuncupatus] fuisse fabrum ferrarium.

Digitized by Google

quendi genus (33) *Diaeta recedit & refugit* an non diaetam esse *recessum* docet? Et id vero etiam docet usus, quem ex eo Plinius capiebat; cui in illam se recipienti, ut studio se recrearet, nemo obstrepebat. Eodem spectat & tertia quaedam Plinjana descriptio II. 17. ubi diaetas duas caenationi cuidam praetendi (34) ait. Eodem nos ducit & JCti Scaevolae (35) locus de *separata diaeta*. Eodem Suetonius Claudio cap. X. ubi de illius in (36) diaetam receptu.

Non tantum autem cubiculis, per quae transitus ultro citroque patebat, diaetae illae, non adeundae, adhaerebant, verum etiam ambulationibus (vulgo *Corridori*) utrinque aut ex uno latere adnectebantur (id quod ex Hieronis (37) apud Athenaeum nave pulchre intelligitur) quas in Monasteriis medio aevo interdum *Zetas*, nunc *cellas* vocant. Quumque Romanorum aedes τετράστοα essent, ferme ut hodierna monasteria, crediderim iis porticibus diaetas longa serie adhaesisse. Ex quo factum ut διαιτάρχης & διαιταρίω in vet. Glossis tantumdem sit, quod *Atrienſis*. Eadem vero symmetria etiam in superiore domus parte processisse videtur. Ac de *diaetae* constitutione hactenus. Possim etiam diversas diaetarum ἰδιώματα, adhaec & genera recensere. Verum ne plane obtundam, omitti ea praestabilius censeo. Aut vero, si videtur, pauca admodum imae (38) cerae imprimentur in cupidorum gratiam.

§. II.

(33) Praestabit ea duo loca heic iterato adscribi, non sine insertis, sicubi erit opus, brevibus declarationibus, nec non interpunctionibus emendatis. Lib. II. ep. 17. longior quaedam *diaetae* (quam Plinius *amores suos* vocat) descriptio sic incipit. *In capite xysti, deinceps cryptoporticus* (gignendi casu reor) *horti DIAETA est, amores mei: revera amores mei: ipse posui. In hac heliocaminus quidem, aliâ xystum,* [corr. *In hac heliocaminus quidam. Aliâ xystum* &c.] *aliâ mare, utràque solem, cubiculum autem valvis* [non sine specularibus, & velis, ut infra] *cryptoporticum fenestra* (auferendi casu) *prospicit* (illa diaeta scil.). *Qua mare contra parietem medium, diaeta* (illa eadem, opinor, quâ modo *amores suos* vocarat) *perquam eleganter RECEDIT: quae specularibus* [quae specularia *valvis*, de quibus supra, inseruntur] *& velis obductis reductisque, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur. Lectum & duas cathedras capit... Junctum est cubiculum* [illud, a quo specularibus & velis diaeta secernebatur] *noctis & somni... In hanc ego diaetam quum me recipio, abesse mihi etiam a villa mea videor... Nam nec ipse meorum lusibus, nec illi studiis meis obstrepunt.* Jam lector intelliget, hunc a me locum longe illustriorem factum, quam antea fuerit.

Altera est descriptio brevior lib. V. ep. 6. *Mox diaetula REFVGIT* [quod tantumdem est atque illud *Recedit* loci alterius] *quasi in cubiculum idem atque aliud* (h. e. idem reductis, aliud obductis specularibus & velis, ut in superiore loco). *Lectus heic & undique fenestrae & tamen lumen obscurum umbra premente. Nam laetissima vitis per omne tectum in culmen nititur & ascendit. Non secus ibi, quam in nemore jaceas: imbrem tantum... non sentias.*

(34) In eadem illa epist. 17. libri II. *caenatio... CINGITVR diaetis duabus* (i. e. caenationi praetenduntur diaetae duae) *a tergo, quarum fenestris subjacet vestibulum villae, & hortus alius.*

(35) L. 66. §. ult. D. *de don. int. vir. & ux.* Scaevola ait: *Virgini in hortos deductae... quum in SEPARATA DIAETA... esset...* Vbi illud *Separata* non est διορισμὸν epitheton, sed perpetuum.

(36) Apud Suetonium Claudio cap. 10. *Excluſus inter ceteros ab insidiatoribus Caii... in diaetam, cui nomen Hermaeum, REGESSERAT.*

[37] Athenaeus V. 10. in descriptione navis Hieronis sic posuit. ἦσαν δὲ τῆς μέσης παρόδου παρ' ἑκάτερα τὰ πλάγια διαιτῶν τετράκλινοι οἷς ἀνδράσι τριάκοντα ὁ πλῆθος. Quod sic reddidit interpres Dalechampius. *Ad utrumque parietem adiitus medii diaetae fuerunt numero triginta virales, quatuor* (singulae) *lectis stratae.*

(38) *Diaetarum primariae notioni adhaerentes quaedam ἰδιώματα sive Propria; tum & earum genera diversa.*

I. Diaetae ferme erant angustiores, quam cetera cubicula. Illa certe Sidonii II. 2. quam supra expendimus, justa diaeta erat; sed eadem quum caenationis usum praebebat, non just caenatio, sed *caenatiuncula* vocatur. Sic etia

Pli-

Digitized by Google

§. II.

De Diaetarii seu Zetarii officio, & conditione.

Quorsum, inquies, haec tam multa de *Diaeta* sive *Zeta?* Nempe ut S. Castuli munus in apertum proferatur: quem *Pa-*

Plinianae Caenatio (vide Adnotat. 34.) diaetis duabus a tergo cingitur; ut caenationis area quadrupla unius diaetae fuerit. Sed tamen navales Hieronis diaetas ceteris majores repetio, quippe τετραλίτους i. e. lectis quaternis stratas.

II. Amoenitate plurimum praestabant. Plinianae diaetae id docere possunt; & quod Ulpianus l. 13. §. ult. D. *de usufr. & quemad.* ait, *Vel inter diaetas amoenas*, consueto opinor epitheto usus. Eodem pertinent diaetae hortorum, de quibus infra.

III. Ornamentis exquisitis instruebantur. Apud Ecclesiae scriptores nihil frequentius zetis cultu sumptuosissimo ornatis. Acta S. Sebastiani: *Triclinia ... quae ex gemmis & margaritis habens zetas instructas.* Abdias lib. V. histor. Apost. *Jam enim regnum paratum vobis, & ex coruscantibus gemmis zetas instructas.*

IV. Fuisse in eadem domo plurimas, & ex diaetae constitutione quam supra asseruimus, & ex diversis ipsius usibus intelligitur, ad haec autem ex l. 34. D. *de usu & usufr.* ubi apud Scaevolam sic testator scribens inducitur. *Pactiae, & Trophimae diaetas omnes, quibus uti consuevit, habitet.* Vides heic diaetas sane quam plures *in unius* usum cessisse. Quid jam de tot aliis libertis libertabusque, de quibus ea lex loquitur, dicendum? Dixi illas *Diaetas omnes* uni in usum cessisse. Nec enim recitata verba recte sic habent. In iis primum inducenda est copula ET, ac scribendum *Pactiae Trophimae*: quae enim quamdiu ancilla erat, *Trophima* dicebatur, mox a Pactiae gentis aliquo manumissa, appellari coepit conjunctis nominibus *Pactia Trophima*. Deinde & τὸ *Habitet*, de una heri sermonem, docet. Atqui & interpunctione ea verba peccant, sic distinguenda, ut post Trophimae σιγμὴ major adhibeatur in hunc modum: *Pactiae Trophimae*: [supple ex vicino *dari volo*, id nempe quod sequitur: Deinde] *Diaetas omnes, quibus* [Pactia Trophima] *uti consuevit, habitet.* Quamquam fieri potest, ut *Quibus* ponatur pro *In quibus*, & *Vti* pro adverbio, non pro infinitivo ab *Vtor*; ac distingui possit: *Pactiae Trophimae* [dari volo] *diaetas omnes*; [in] *quibus, uti* [h. e. sicuti] *consuevit, habitet.*

latii principalis fuisse *Zetarium*, ejus Acta docent, ut & illa altera S. Sebastiani: at ejusdem S. Sebastiani Graeca manu exarata διαιτήριον vocant: voce procul dubio ex Latino [39] accepta. Quo tamen aperte docemur *Zetarium* & *Diaetarium* dia-

V. Eae plures diaetae suum quaeque agnomentum a deo quopiam, qui diaetae illius sive διαίσημον *insigne*, sive tutela esset, sibi adsciscebant. Itaque illa in quam Claudius se recepit [Suet. in Claud. c. 10.] *Hermaeum* a Mercurio vocabatur. Lapis Romanus apud Gruterum pag. 201. 8. *Gestatio. circini. exterior. a. DIETA. APOLLINIS. ad. DIETA. eandem.* Mox: *Gestatio. interior. a. DIETA. eand.* &c. Etiam Lucullo *diaetam* fuisse cognomento *Apollinis* dictam, apud viros eruditos passim legitur: sed falso. Nam quum viris doctis persuasum esset, *diaetam*, tantumdem esse quod *caenationem*; hinc quod Lucullus [apud Plutarchum in ejus vita pag. 519.] διαιτητήριον (i. e. *caenationem*) cognomento *Apollinis* nuncupatum habuit, id iis placuit per summum errorem *diaetam Apollinis* appellare. Vide Plutarchi locum lectu dignissimum, & de eo, quid apud Lucullum significaverit, *Caenare in Apolline*: ubi vocabuli διαίτης nullum usquam vestigium.

Jam vero diversis diaetarum generibus non immorabor, ad quae satis fuerit digitum duntaxat intendere. Nam si locum diaetarum spectes, illae & in domibus urbanis erant, & in villis (uti sunt, quas ab altero Plinio descriptas habemus) & in hortis (quarum meminit l. 43. §. 1. D. *de legatos.* & l. 41. §. In testamento D. *de legat.* 3. & l. 66. §. ult. *de don. int. vir. & ux.*) adhaec autem in atriis (unde in Glossis διαιτητήριον, διαιτήχης idem qui *Atrienses*) in cenaculis, in navibus (cujusmodi illae in Hieronis navi) &, ut cetera mittam, in muris urbium: quo spectat quod Ordericus Vitalis saepissime in suis historiis murorum speculas (quas nostri homines vocant *Galitte*) *Zetas* nuncupet.

Postremo & si usum spectes, plura inde genera suborientur: nam erant, quas appellare possis *heriles* diaetas, & *libertinas*, & *serviles*: id quod ex legibus supra citatis colligitur. Erant in usum studiorum, (ut illa Plinii II. 17.) in usum balnearem (uti *diaetae hypocaustae* apud JCtum) erant & in caenationis usum, (ut illa Sidonii, de qua supra meminimus) ut omittam speculatorias Orderici zetas modo indicatas: & quae plurium generum aliae afferri huc possent.

[39] Quamvis *DIAETA* origine sua vox Graeca fuerit: tamen ejus derivativum *Diaeta-*

rius

dialecto, non significatu, diversa fuisse nomina, ut supra declaravimus.

Verum ne sic quidem *Zetarii* vox est extra omnem ambiguitatis aleam. Nam finita in ARIVS modo artificium ejus rei notant, modo praefecturam aut custodiam, modo quodvis aliud eo pertinens. Verum utut est; *Diaetarius* certe [missa commentitia [40] *furis* notione] nec *balneatorem* notat [uti falso interpretatur Tillemontius in hoc S. Castulo Not. 5.] nec quidvis aliud quam *custodem diaetarum*, Quae quidem significatio facile ex Vlpiani responso percipi potest l. 1. §. 3. D. *nautae caupones*, sic scribentis: *Et sunt quidam in navibus qui custodiae gratia navibus praeponuntur, ut νυκτοφύλακες, ideſt navium custodes, & diaetarii*. Quare sicuti in navibus diaetarii intelliguntur, qui diaetas navales custodiunt; sic non alii sunt in domibus diaetarii, Quamquam iidem non tantum custodes sed & curatores diaetarum videntur fuisse, earumque tum mundiciem procurasse, tum etiam ut rite instructae essent.

Ad conditionem vero quod attinet, sane quidem ii poterant ad id famulorum genus referri, quos nostri homines vocant *Camerieri*, nisi observassem, diaetarios nec ad familiam urbanam pertinuisse, & uni alicui domui aut villae affixos fuisse. Vlpianus l. 12. §. 42. *de instructo vel instrum.* ait: *Idem respondit, domo itaut instructa est .... legata, urbanam familiam, item artifices, quorum operae ceteris quoque praediis exhibebantur, legato non contineri. Ostiarii autem* [*inquit*] *vel topiarii, diaetarii, aquarii, domui tantum deservientes continebuntur. Sed quod de artificibus ait, falsum est, si ejus domus causa parati sunt, licet aliis quoque praediis commodabantur.* Idem [etsi diversus in speciem abire videatur] & Paullus in III. Sentent. tit. 6. §. 58. definivit, scribens: *Domo cum omni jure suo sicut instructa est, legata, urbana familia* [sed illi domui serviens] *item artifices, & vestiarii, & zetarii, & aquarii eidem domui servientes, legato cedunt.* Ex utroque igitur JCto discimus, Diaetariis non tantum inter urbanam familiam locum non fuisse, verum etiam eosdem inter deterrimae conditionis servos [cujusmodi aquarii, ac prae ceteris [41] ostiarii habebantur] fuisse recensitos. Quocirca egregie religiosum prodit se Velserus, dum serio addubitat, inter servos ne an libertinos S. Castulum zetarium recenseat. Quod enim libertatis acceptae signum in eo deprehendas? At, inquit, *ter auditus fuisse* [in Actis] *dicitur: quae cautio & moderatio in servum vile caput vix congruit.* Atq. si idem servus hero praecarus fuisset, ea Praefecti cautio necessaria erat, ut quacumque posset, eum Principi lucraretur. Etsi non diffiteor, Castulum nostrum supra diaetarios ceteros fuisse honestioris conditionis; quippe qui non villae alicui aut ignobi-

rius formam mere Latinam habet, sicuti sunt derivativa omnia in ARIVS desinentia. Nec refert, quod Theophanes & alii quidam Graeci aetatis mediae διαιτάριος nomen usurparint: nam ita hoc adoptarunt, ut & complura alia officiorum domus Augustae Latina vocabula.

[40] Citantur quidem a nonnullis ex l. 7. D. *de extraord. crim.* & ex l. 1. D. *de effract.* fures *diaetarii*: sed ibi in optimis quibusque exemplaribus legitur *Directarii* sive (ut in Florentinis exhibetur) *Derectarii*. In priore sic loquitur Vlpianus: *Qui directarii appellantur, qui in aliena cenacula se DIRIGVNT* (quo verbo JCtus etymologiam nominis tangit) *furandi animo, plusquam fures puniendi sunt.* In posteriore idem: *Simili modo & sacculatii & directarii erunt puniendi.* Et quidem a Glossis *Directarius* exponitur, quo modo ab Vlpiano. Videndus de his etiam Paullus in V. sent. 4. §. 8. & Cujacius in X. Obser. 27. 34. De qua voce memini alicubi praeter aliorum opinionem scripsisse.

[41] *Aquarii* servi quam vili haberentur, ostendit quod eos Tertullianus per contemptum *aquariolos* vocat, & inter nequissimos numerat. *Ostiarii* vero miserrima antiquitus conditio fuit, qui catena religatus ad ostium assidebat, teste Suetonio in de Clar. Gramm. & Ovidio. Unde illud Afranii: *Ostiarii impedimenta* (i. e. catenas) *tintinnire audio*. Unde janitor apud Plautum Asinaria: *Nolo ego fores, CONSERVAS meas, A te verberarier*: quod loquendi genus etiam Ovidius usurpavit.

Digitized by Google

biliori praedio affixus esset, sed ipsi Palatio, unde & *Zetarius Palatii* in Actis vocatur.

At etiam eo boni Velseri propendet animus, ut *diaetarius* ei fortassis videatur idem fuisse qui DIAETARCHVS: de quo officio exstat Gruteri inscriptio pag. 576. 7. in hunc modum: DEXTERO. CAESARIS. SERVO. DIAETARCHO. DOMVS. AVG. TREBONIA. LAVDICE. FEC. CONIVG. B. M. &c. Verum diversum fuisse *Diaetarchum* a *Diaetario*, tum nomina ipsa satis per se produnt tum vero idem ex Theophane [42] ostendi potest. At interim si *Diaetarchus*, qui ceteris diaetariis praeerat, in recitato epigrammate *Caesaris servus* nuncupatur, an non multo magis & Castulus noster servus imperatoris fuerit? Cui satis opinor decoris affert ea libertas, qua eum CHRISTVS donavit. Atque haec de S. Castuli officio habui dicere; plura omnino, quam opus erat. Sed siquando quid lucis hinc sacrae antiquitati affundetur; neminem, uti spero, longioris in hisce tricis studii poenitebit.

XXIIII NS OCTO

VTilli, qui in his Fastis die VIIII. hujus mensis coluntur, non alio nomine, quam QVADRAGINTA vocantur: idem & Octoviris diei hujus contigit. Sunt autem illi celeberrimi Octo, quorum Eusebius in Historia (43) Martyrum Palaestina quidem editione octavus Eusebii liber ad caput usque XVII. progreditur, cui postea id supplementum de Palaestinis Martyribus seorsum adnectitur. At credo in aliis exemplaribus variasse capitum numerum, itaut Palaestinorum Historia haberetur pro cap. XV. Cave ergo ne supradictum citandi modum diligentissimo Cardinali vitio vertas.

De his autem Octo sic Eusebius incipit: *Ea quae postea subsecuta sunt, cui tandem visa aut audita stuporem non injecerunt?* Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu? Putares enim hos athletas tormenta inaudita pertulisse. Et tamen non aliud, quam obtruncati narrantur. Quo igitur magnificum proemium? Quo tanta exspectatio cietur? Nimirum quia illi (haud dubie Spiritu Sancto intus permovente impulsi) ultro se Praefidi obtulerunt. Quare de Eusebio mirandum videbatur, nō tam quod hi ultro ad martyrium prosiluerant, quam quod id contra Ecclesiae disciplinam (quae ultro se offerre vetabat) ausi, tamen auxiliante Dei gratia legitime coronati fuerint.

Jam vero inter hos Martyres duo sunt *Dionysii*, duoque *Alexandri*: at vero *Romulus* unus est, unusque *Agapius*; & tamen de Romulo dicitur, Ῥωμύλος ἦν καὶ αὐτῷ προσηγορία, eademque copula in Agapio praeter morem additur, Ἀγάπιος καὶ αὐτῷ ὄνομα ἦν. Estne inducenda copula Καὶ h. e. Et? Non puto. Nam & Budaeus in Comm. plura antiquorum exempla affert, in quibus Καὶ illud παρέλκει. Et Eusebium perquam nimium esse in affectanda

[42] Theophanes διαιταρίων *diaetariorum* Latino vocabulo sic utitur, ut eos plures in Palatio Principis fuisse satis significet: veluti ubi ait: ἐκ τῶν διαιταρίων τῶ Παλατίου πολλοί, *Multi ex diaetariis Palatii*. His autem unus praeerat, qui πρῶτος i. e. primus eidem dicitur, ad annum 8. Anastasii sic scribenti: Εὐτυχιανὸς πρῶτος τῶν διαιταρίων, *Eutychianus diaetariorum primus*, h. e. Diaetarchus. In Veteribus quidem Glossis Philoxeni sic legitur: *Atrienses lib. de Off. proconsulis*, διαιτάρχους, διαιτάρχης (h. e. iis qui in lib. *de Officio Proconsulis* vocantur *Atrienses*, respondent, quos Graeci posterioris aevi appellant *diaetarios*, aut *diaetarchum*) sed eo non efficitur *diaetarios* eumdem fuisse ac *diaetarchen*, sed hoc tantum inde elicitur, utrumque ad atriensem similiter referri, tum *diaetarios*, tum horum praefectum, qui *diaetarches* vocabatur.

[43] *Ad Eusebii narrationem de Sanctis Octo.*

[illegible] adnotatis hoc die ad hos Octoviros, eorum Acta ex Eusebii libro VIII. Hist. Eccl. cap. 15. peti jubet. Atqui in toto octavo Hist. Ecclesiasticae libro nec vola nec vestigium horum Martyrum exstat; sed de his agitur in Historia Palaestinae Martyrum ejusdem Eusebii. Haec autem quia in Christophorsoni editione (qua utebatur Baronius) octavo Eusebianae Historiae libro ad finem ita adnectebatur, tamquam si pars aut supplementum ejus libri esset (quod & in manu exaratis factum reperitur) ad Baronio sic citandi ansam praebuit. Et in Va-

Digitized by Google

Palaestinae tum nomina, tum etiam & martyrii genus describit. Passi sunt anno altero persecutionis, quam ibi Eusebius describit, h. e. anno 304. ex Ruinarto, at 305. ex Tillemontio, *Die vicesimo quarto IX. Kal. Apriles*: qui est hodiernus dies. Eorum vero nomina sunt *Timolaus*, *Dionysius*, *Romulus*, *Pausis*, (44) *Alexander*, alter *Alexander*, *Agapius*, alterque *Dionysius*. Et in Romano quidem Martyrologio hoc eod. die XXIV. ii Octo celebrantur: sed in Hieronymi Mrolog. tum pridie coluntur, [& quidem variatis aut corruptis diverso modo nominibus pro codicum MSS. diversitate] tum etiam hoc die recensentur, sed per errorem Africae adscripti. Venio nunc ad Graecos: in quorum Menaeis tum editis, tum scriptis hoc die *Octo Martyres Caesareae Palestinae gladio interempti* coluntur, sed simplici *Memoria*, & quidem suppressis eorum nominibus. At vero de eisdem magnum Officium fit Idibus Martii, quo die non tantum in Menaeis, sed & in utroque Menologio [Basilii & Sirleti] in Synaxario Claromontani Collegii, & Anthologio Octo illorum nomina [nisi quod *Pausis* in *Publium* refingitur] & Martyrium describitur.

Verum illud heic scire interest, cur hic dies [quem vere emortualem fuisse; ex Eusebio intelligitur, & ex consensu Latinorum, Aegyptiorumque imo & Graecorum, quippe qui hoc die saltem Memoriam illorum Octo signatam exhibent] *Natalis* non vero *Passionis* notam praefixam gerat: hoc enim consuetudini hujus marmoris adversatur, in quo *Natale* diebus non suis praemitti solet. Verum jam saepe monuimus, eamdem notam generalem esse, & etiam ad dies διωγμων pertinere. Adde quod heic plena scriptura esse debuerat NT. PAS. h.e. *Natale Passionis* [quod plenum loquendi genus in hoc marmore occurrit bis mense Augusto] verum compendii causa illud PAS. subaudiri placuit. Haec certe responsio mihi se magis probat, quam si dicerem, Neapolitanis imposuisse magnum horum Officium, quod in Menaeis fit Idibus Martiis, itaut putarint, eumdem, & certaminis diem fuisse. Nam [ut omittam, non constare an antiquitus id festum Graeci in Idus Martias conjecerint] Eusebii Historia Martyrum Palaestinae jam tum credo terebatur ab omnibus, libro VIII. Hist. Eccles. adnexa; in qua horum triumphus in hodiernum diem conjicitur, secundo persecutionis Diocletiani anno.

XXV ANNVNTIATIO DN̄I IH̄V

FEsti hujus in hunc modum inscriptio ut ad IESVM referatur festivitas, rarior est, sed tamen non sine exemplo. Beda genuinus: *Annuntiatio Dominica*: sic quoque in Martyrol. Rosweidano: & sic ferme etiam Vsuardus, Ado, Notkerus, ut & quaedam Hieronymiani Martyrologii apographa: nam in optima Flor

da dictionis elegantia, in tantum ut ob id studium haud raro obscuritate laboret, nemo opinor inficiabitur. Vel sic tamen nihil ad veteris Graeciae venustatem.

Fit autem in horum passionis historia mentio κυνηγεσιου, quod bene Valesius *Amphitheatrum* reddidit: nam etsi κυνηγεσιον proprie *venationem* significat; tamen apud posteriorem Graeciam etiam pro Amphitheatro, ubi venatio dabatur, accipitur. Fuit & CPoli Amphitheatrum nomine κυνηγιου. Et Eusebianum quidem Amphitheatrum non aliud fuerit, quam cujus alicubi Josephus aut quis alius meminit. In illis porro verbis, *Ad Vrbanum* (praesidem) *qui tunc forte ad Amphitheatrum proficiscebatur*, neglexit Valesius vim Graeci verbi ἐπιβαινω, quae suasisset interpretari *Ascendebat*. Factum nollem. Nam ex ea proprietate addiscimus, id Amphitheatrum in edito loco fuisse. Sane ex N.T. patet, quam non temere Palaestini *ascendendi*, & *descendendi* verba usurparint.

(44) Qui *Pausis* in plerisque codicib. scribitur, is alicubi teste Valesio *Paesis* (Παησις) vocatur. At prius illud tuetur Graeca analogia, nam *Paesis* nihil est. Hunc male Graecorum Officia *Publium* appellant.

Digitized by Google

Florentinii editione id festum sic ponitur ut *Mariae* nomen casu obliquo subnectatur: *Et in Galilea Civitate Nazareth Adnuntiatio S. Mariae de Conceptione, quando ab Angelo est salutata:* a quo optima manuscripta non longe absunt. Adhaec in Sacramentario Gelasiano Thomasii: *In Adnunciatione S. Mariae Matris Dñi nostri J. C. VIII. Kal. April.* In Gregorii Sacramentario: *Annuntiatio Angeli ad B. Mariam.* In Kalendario Allatiano: *Adnunciatio S. Mariae*: ac totidem plane verbis in Neapolitano manu exarato Kalendario, quod Rituali Neapolit. praemittitur; ubi id festum rubris characteribus adnotatur. Imo nec aliter proponitur id festum in Graecorum libris. In Basilii Menologio: *Annuntiatio Sanctissimae Deiparae.* Sic quoque, sed paucis adjectis verbis, in Sirleti Menologio, in Menaeis, Synaxario Claromontano, & Anthologio: in quorum plerisque huic festo προεορία praemittitur. Atque haec de festi hujus inscriptione. Nam quae ad ejusdem historiam & antiquitatem attinent, ea satius fuerit ex Florentinio, Thomassino, Bailleto, aliisq. Liturgicis scriptoribus peti, quam recocta saepius crambe fastidium lectori creare.

Illud non omiserim, quod antiquis vulgo olim persuasum fuit, uno eodemque die tum Incarnationem Domini, tum etiam ejusdem sacratissimam mortem contigisse. Qui quum hoc die utrumque mysterium colerent; consequens fuit, ut post diem tertium Dominicam Resurrectionem festo immobili celebrarent, praeter mobilem Paschatis festivitatem. Eaque persuasio Neapolitanis saeculi circiter duodecimi insederat, in quorum saepe laudato Kalendario, quod Rituali praeit, die XXVII. Martii sic scribitur: *Resurrectio Domini*. Habeo & Sicula Kalendaria testes moris hujus, & alia quaedam praeter illa quae Bollandistae ad hunc diem & ad XXVII. produxerunt.

XXVI NTS SABINI

INnumeri sunt in Graecis ac Latinis libris Ecclesiasticis *Sabini* Martyres: sunt & Confessores haud pauci. Sed qui hoc die colitur, non alius mihi videtur quam celeberrimus ille Martyr Hermopolitanus in Aegypto nomine *Sabinus*, qui hoc eodem mense, verum non hoc, sed die XIII. Rom. Mrologio insertus a Baronio fuit, ex fide Sirletiani Menologii. Is vero in Sirleti Menologio *Sabinus*, *alias Abibus* vocatur. At Menaea eod. die XIII. ita ejus memoriam inserunt, ut solo *Abibi* nomine sint contenta: contra vero eadem Menaea mox die XVI. de eo Martyre Officium magis sollemne habent, sed sub solo *Sabini* nomine: ceterum ex genere (45) Martyrii satis constat, in Menaeis tum *Abibum*

(45) *De Abibo, aliter Sabino: de ejus martyrio, de Hermopoli & Scamandro.*

Abibum ac *Sabinum* Hermopolitanum unum & eundem esse, ostendit Sirleti Menologium, in quo is *Sabinus, alias Abibus* vocatur. In Menaeis autem idem Martyrii genus utrique adscribitur. Etenim *Abibus* diei XIII. hoc distichon ornatur:

Βύβις Ἀβίβος εἰς ποταμὸν σὺν λίθῳ,
Ἔπλει ποταμὸν συμφορᾶσθαι τῷ βίῳ.
Saxo alligate, Abibe, in amnem mergeris,
Te enavigasse flumen hoc vitae, docens.

Ac nihilo secius *Sabinus*, cujus elogium in menaeis die XVI. contexitur, post diversa tormentorum genera ad extremum dicitur *lapidi alligatus in Scamandrum* (de quo amne postea videbimus) *immissus, ita demum martyrii lauream consecutus.* Menaeis consonat non tantum in duplici nomine, verum & in genere martyrii Menologium Sirletianum, uti diximus, in quo ad diem XIII. sic scribitur: *S. Sabini, alias Abibi, ex Hermopoli, qui saxo alligatus, & in flumen dejectus, martyrio consummatus est.*

Quod autem ad *Abibi* nomen attinet, id videtur homini Aegyptio peculiare fuisse. Nam quod primo mensi *Abibi* nomen Moses (in Hebraeo textu Exodi XIII. 4.) imposuerit, mihi videtur vocabulum ab Aegyptiis didicisse. Fuerit ergo *Abibi* nomen Aegyptiis juxta atque Hebraeis usitatum. At idem Martyris *Abibi* nomen a Graecis Latinisque in usitatius *Sabini* vocabulum, idque finitimae pronuntia-

Digitized by Google

diei XIII. tum *Sabinum* diei XVI. unum & eumdem esse. Cur autem Sabinus is, qui in Menaeis die XVI. celebratur, a nostris in diem XXVI. dilatus fuerit, curiosius rimanti poterit ea ratio succurrere, quod dies XVI. S. Montani potiore festo occupabatur. Ac perpulchre sane accidit, ut in his Fastis Montanus cum Sabino sedes permutarit suas; dum Montanus de die XXVI. retractus est in XVI. ejusdem mensis, Sabinus contra de XVI. in XXVI. commigravit. Quid si enim Montani festum antevertere Translatio aut Dedicatio aliqua Neapolitanos jussit? quo facto Sabinus, qui ex die XVI. a Montano deturbatus fuerat, in vacuum Montani locum, quod reliquum unum erat, convolavit. Et haec ratio satis est verisimilis, praesertim quum utrique diei *Natalis* h. e. diei non sui nota praescribatur. Hoc vero si placeat; ex eo poterunt quae diximus sup. ad diem XVI. illustrionis, abiit. Atque haec de nomine.

Jam vero *Hermopolis*, Martyris hujus palaestra, in Aegypto triplex fuit, quarum unaquaeque Nilum, aut aliquod ex Nili brachiis vicinum habuit, in quod dejici Sabinus potuit. Sed omnium celeberrima est Hermopolis illa quae Nomo *Hermopolitano* nomen indidit, quaeque Ἑρμούπολις μεγάλη, *Hermopolis magna* Ptolemaeo appellatur, ad discrimen illius quam μικρὰν *parvam* idem geographus dixit, adjacentem flumini quod per ostium Canopicum effunditur; necnon & tertiae *Hermopoleos* in Delta positae ad flumen Thermuthiacum. Ecqua vero ex his tribus heic sit intelligenda, ignoratur. Verum quum absolute sine ullo additamento *Hermopolis* vocetur; erit fortassis illa Hermopolitani Nomi metropolis.

Verum quid istud monstri est, quod in *Scamandrum* praecipitatus dicitur? Nec enim alium hujus nominis amnem ab illo Mysiae nominatissimo novimus. Nisi vero aliquod ex Nili brachiis *Scamandri* nomen tulerit; idque nunc primum ex Menaeis didicerimus. Atqui darem manus, si hoc genus librorum idoneum ad testimonium dicendum de his rebus esset, ac non potius millies caelum terrae jungeret. Mihi potius videtur *Scamandri* nomen ab illo manifesto, a quo distichon ibidem adscriptum prodiit ejusmodi.

Πλήθους Σκαμάνδρου τῆς ἐλέγξεως ὕδωρ,
Εὐανδρίας ἔλεγχος ἦν τῷ Σαβίνῳ.

ra fieri. Atque haec prior esto sententia.

Verum quid, inquis, nitimur *Sabinum* hunc ex die XVI. hujus mensis machinis omnibus huc pertrahere; quum huic ipsi hodierno diei *Sabinus* suus apud Graecos non desit? Res enim sic se habet. In Synaxario Claromontani Collegii S. J. Parisiensis, itemque in altero codice Dominicano, alioque rursus Mediolanensi [apud Bollandistas ad XXVI. Martii pag. 619. n. 5.] hoc die sic legitur: Ἄθλησις τῶν ἁγίων Μαρτύρων Μανουὴλ, Σαβίνου, Κοδράτου, καὶ Θεοδοσίου, i. e. *Certamen SS. MM. Manuelis, Sabini, Quadrati, & Theodosii*: nec aliud ibi elogium adjungitur. An non igitur hic erit hodiernus marmoris nostri Sabinus? Nulla per me quidem mora erit. Sed tamen libere dicendum est, quid de hoc sentiam. I. Hodiernus Synaxariorum Sabinus est obscurissimus, nec aliud, quam ejus nomen adscribitur. II. Idque nomen abest hodierno

Quos versiculos ex Graecis haud sane bonis, sic poteris, si lubet, Latinos non deteriores facere.

Flumen Scamandri, ut Mosis exploratus aquas,
Pectus Sabini explorat, an virile sit.

Ceteroqui ad verbum ii senarii sic sonant. *Fluentum Scamandri*, (veluti) *redargutionis aqua* (alluditur ad aquam zelotypiae Num. V. quae a LXX. vocatur ὕδωρ ἐλεγμοῦ i. e. *aqua redargutionis*) *Virilis animi Sabini in argumentum fuit.* Atqui versificator ille ut adlitterationes undequaque caperet, fluvium aliquem invenire voluit, qui ἀνδρείας (*virilitatis*) aliquid suo nomine praeseferret. Idcirco *Scamandri* nomen usurpavit (etiam licentia usus poetica, ac propterea pro appellativo nomine ponens, ut *Acheloïa pocula*, & sexcenta hujus generis) quia ἀνδρείας nomine ipso videretur gerere. Et poetae quidem acumen ejusmodi fuit: puridissimum, sed tamen in versu ferendum. At is versificator antiquior Menaeis fuit: quae qui postmodum concinnavit, quum *Scamandri* mentionem in senariolis illis nactus esset, ea processit, ut historicae seriei Sabinum Hermopoli passim in Scamandrum praecipitaret; proinde Mysiam cum Aegypto quasi Xerxen ponte conjungeret. Ea enim est eruditio novae Graeciae. Quanto porro Basilii Menologii prae Menaeis gravius atque castius: in quo tantum legitur die XIII. Martii, Τιμωρηθεὶς ἐρρίφη εἰς τὸν ποταμὸν, *post tormenta in flumen projectus est.*

Digitized by Google

dierno die a supraſcripto Martyrum choro in ceteris Graecorum libris, praeſertim in Menaeis, & utroque Menologio, Baſiliano ac Sirletiano. III. Imo in Baſilii Menologio pugilum illorum elogium non hoc die, ſed craſtino pertexitur, ſed, uti dixi, ſine comite Sabino; ac de *Quadrato* ibidem ſeorſum agitur. Ac ſane quantum equidem ex horum Officiorum Graecanicorum lectione potui colligere, quoties de pluribus Martyribus memoria fit ſine elogio, non neceſſe eſt illos ſimul depugnaſſe; ſed pleraque in unam memoriam coeunt Sancti plures, martyrii genere ac loco diverſi. Itaque nihil facilius fuit, quamut *Sabinus* ille celeberrimus Hermopolitanus (de quo crediderim nō tantum Neapolitanos, ſed & alias forſan Eccleſias hoc die XXVI. feſtum celebraſſe) ex Kalendariis aliquot peculiaribus in Synaxaria immigraverit. Summa eo redit. Alter hic Synaxariorum trium *Sabinus*, niſi idem atque Hermopolitanus ſit, obſcuriſſimus fuerit oportet; proinde haud facile hoc die a Neapolitanis colendus. Interim prior ille celebratiſſimus ob eas quas dixi cauſas ſedem ſuam cum Montano permutaſſe mihi videtur, eoque huic maxime diei adſcriptus fuiſſe.

Ceterum *Sabinus* Epiſcopus (cujus corpus cum aliis pluribus ex oppido *Leſina* Regni Neapolit. exeunte ſaec. XVI. Neapolim in Aedem Annuntiatae translatum fuit, teſte Caeſare de Engenio pag. 404.) nihil huc attinet.

XXVII PS ISACII

ILlud P. i. e. *Paſſio* deſignat, de martyre heic agi. Ac plures, ſat ſcio, fuerunt hujus nominis martyres, qui ex Martyrologiis & ex Baſilii Menologio innotuerunt: ſed nemo eorum uſquam hoc die colitur. Quo magis eo propendet animus, ut putem agi heic de illo *Iſacio* Monacho, qui Catholicae fidei gratia a Valente verberibus affectus & longa carceris cuſtodia maceratus, tandem extincto, uti praedixerat, imperatore, in pace quievit. De hoc quidem Confeſſore Baſilii Menologium, ceterique Graecorum libri die XXX. Maii memoriam agunt: at Surius hoc ipſo die XXVII. Martii. Itaque quae cauſae Surio fuerunt, ut hunc Sanctum huic diei aſſignaret, eaſdem & Faſti marmorei habuerunt, ut eum huic diei affigerent. Atqui hauſit hoc Surius ex vita quam affert de Graeco translatam: in cujus fine legitur, *Migravit ad Dominum ... VI. Kal. Aprilis*. qui eſt dies XXVII. Martii. At Papebrochius ad 30. Maii pag. 247. num. 6. rejicit hanc diei emortualis conſignationem in *errorem librarii Graeci*, ς' Μαρτίου *legentis pro* κζ' Μαΐου: nam in altera vita longiore, quam edidit ibi Papebrochius, is mortuus dicitur die XXVI. Maii. Verum fruſtra erroris librarium a Papebrochio coargui, oſtendit hoc Marmoreum Kalendarium (ſi non antiquius vita longiore illa per Papebrochium evulgata, at certe non valde diſparis antiquitatis) in quo ita diei XXVII. Martii hic B. Monachus affigitur, ut eo die is migraſſe ſignificetur, per appoſitam ſcil. *Paſſionis* (non vero γενικωτέραν *Natalis*) notam. Itaq. non dubito, quin potius & ex vita Surii, & ex hoc marmore emendanda ſit nota temporis in vita longiore apud Papebrochium pag. 258. ad finem, ubi pro μηνὶ Μαΐῳ εἰκάδι ἑκτῃ puto ſcriptum antea fuiſſe μηνὶ Μαρτίῳ κζ per arithmeticas notas, quas qui poſtea depravatas reperit, inde excudit ὁλόγραμματον illud εἰκάδι ἑκτῃ. Vide de hoc Martyre plura ad XXX. Maii.

Et quidem *paſſionem* huic, tamquam Martyri, tribui, non miror, ut qui revera cruciatus pro fide fuit. At vero quum hoc die is non per tormenta, ſed in pace quieverit; convenientior forſan fuiſſet *Depoſitionis* nota. Ita ſane. Verum poſtquam ſemel is pro martyre haberi coepit; etiam diem emortualem *Paſſionis* appellatione decorari placuit. De hoc Chriſti Confeſſore plura dicemus infra ad XXX. Maii, quo is iterum cum *Natalis* nota hiſce Faſtis inſcribitur.

Digitized by Google

XXVIII DP ETVCHII EPI

SI recta est marmoris scriptura ; erit hoc prorsus novum in Curia Sanctorum nomen : quod quidem nomen & ab analogia Graecanica multum abludit. Quocirca etiam atque etiam considerandum est, ecquid lapicida heic scribere in animo habuerit.

§. I. *An ETVCHIVS idem qui Eutychius.*

Nihil autem esse videtur propius, quam ut lapicidae scripturo EVTVCHII h. e. *Eutychii* posterior diphthongi vocalis exciderit. Nisi vero non tam errato id scalptoris, quam consilio est assignandum. Etenim in diphthongis nonnullis olim posterior (46) vocalis omitti dedita opera solebat. Sed & hoc ipsum (47) nomen reperitur aliquoties in antiquitus scalptis marmoribus cum E simplici. Itaque sit sane ETVCHII pro *Eutychii* positum. Esto. At vero ex tot Eutychiis unum aliquem reperire, qui simul & Episcopus fuerit, & ejus *Depositio* (quae heic diserte in marmore notatur) in hunc diem inciderit, hoc opus, hic labor. Sane vero Episcopos hujus nominis tres omnino quatuorve reperio. Aut siquis forte alius in veteribus Fastis latet, nae is valde obscurus, & ἐπιχώριος (*localis*) Sanctus aliquis fuerit, nec certe talis, de quo se sollicitos Neapolitani praebere debuerint. Eorum vero, quos dixi, clarissimus omnium est *Eutychius* Patriarcha CPolitanus. At is non hoc, sed die VI. Aprilis obiit, quo & in his Fastis inscribitur. Fuit & *Eutychius* Episcopus Comensis in Italia : sed is in Latinorum libris liturgicis die V. Junii colitur. Sicuti neque huc pertinet *Eutychius* Martyr, Melitenae Episcopus, de quo die 28. Maii. Multo minus *Isichius* (sic enim corrupte scribitur) *Magnus* Episcopus Viennensis V. saeculi, aut siquis forte alius rimanti occurrerit : quorum nemo hoc die obiit.

Illud fortassis unum relinquitur, ut fuisse videatur aliquis Neapolitanus ejus nominis Episcopus Joanni Diac. ignotus: nam vulgo volunt, nonnullos ex nostris Praesulibus ejus diligentiam effugisse. Huc sane animo propenderem, nisi grave mihi videretur, potuisse ex Episcopis Neapolitanis eum, qui non nomine tenus, sed etiam certo Depositionis die adnotato, huic Kalendario insertus reperiretur, obscurum Jo: Diacono esse, qui haud diu post hoc marmor editum Chronico suo scribendo operam dedit. Itaq. ne ab hac quidem sacra anchora quidquam spei supereſt. Quocirca ad alias cogitationes animum convertamus licebit.

§. II. *An ETVCHIVS idem qui ESVCHIVS sive Hesychius.*

Quid si enim qui hodie heic insculpitur, non *Eutuchium* aliquem designet, sed potius ESVCHIVM (T tantum pro S posito, aberrante scalptoris manu) sive *Hesychium*? Nam de H initiali praetermisso nemo mihi litem intendet : quod omittere & huic (48) marmori, & aevi medii scriptoribus familiare fuit, idque in hoc maxime (49) nomine. Quod si docue-

[46] Tritum est hoc in Graecis Inscriptionibus marmorum ac nummorum, in quibus simplex O pro diphthongo ου, ut Συρακοσίων pro Συρακουσίων ; & E solitarium pro diphthongo EI scribebatur. Adhaec occurrit in Latinis Mss. AGVSTVS pro *Augustus* : & nihil frequentius, quam nudum E pro diphthongo AE, priore omissa : nam & hoc moris fuit. Sic *Egipius* pro *Aegipius* in vet. codicibus scribitur : de quo ad diem crastinum.

(47) Apud Gruterum pag. 340. 4. & 1064. 12. ETYCHES pro *Eutyches* : & 753. 4. ETYCHIANVS pro *Eutychianus* scribitur.

[48] In hoc ipso marmore praeter diem XXI. Octobr. ubi S. HILARIV scribitur, a ceteris semper H initio abest, ut die 30. Sept. S. IERON. pro *Hieronymi* : die XI. Septembr. IACINTHI : die XI. Maii ILARIONIS. Peri etiam facilitate H in medio negligitur.

[49] Nihil frequentius in marmoribus medii aevi & in libris reperias, quam nomen homille modis depravatum, ut *Esycius*, *Esicius*, *Esytius*, *Isicius*, *Isychius* &c. Quibus jam addetur istud hujus marmoris ETVCHIVS.

Digitized by Google

cuerimus, in hunc diem alicujus *Heſychii* Depoſitionem incurrere, nos omne punctum tuliſſe, laetandum erit. Atqui colitur hoc ipſo die in Baſilii Menologio *Heſychius* quidam *Presbyter Hieroſolymitanus*: quem hoc die obiiſſe ejuſdem Menologii auctoritas cum noſtro marmore collata ſuadet. Is ergo erit, de quo quaerebamus, pro quo ſcalptor incurioſus poſuit ETVCHIVS, una aberrans littera. Ac de Menologio quidem infra.

Interim meminit ejuſdem Cyrillus ſaeculi VI. ſcriptor fideliſſimus apud Bollandum (in vita S. Euthymii ad xx. Jan. pag. 308. num. 42.) in haec verba ex Gentiani Herveti translatione. *Juvenalis Patriarcha* (Hieroſolymitanus) *quum S. Paſſarionem, qui tunc erat Chorepiſcopus, & Heſychium accepiſſet Presbyterum, accedit ad Lauram* (S. Euthymii) *& Templum quod eſt illic dedicat* (non anno Chriſti 429. ut ibi ſubnotat Jo: Bollandus, ſed anno 428. uti emendat Papebr. in Hiſtor. Chronol. Patriar. Hieroſol. tom. 3. Maii num. 98.) ... *Gaudebat Euthymius ... maxime quod Paſſarionem cum Patriarcha & divinum Heſychium, qui in reliquo eorum, qui ſe exercebant, choro inſignes erant, in Laura degentes cerneret. Sed Sanctus quidem Paſſarion, quum nondum ſeptimum menſem ab illo tempore tranſegiſſet, e vivis excedit in profunda ſenectute.* Anno ſcil. 429. Paſſarion obiit.

At S. Heſychius quinquennio poſt e vita migravit. Theophanes (pag. 79. edit. Regiae Pariſ. an. 1655.) in eumdem annum refert Valentiniani cum Eudoxia Theodoſii junioris filia nuptias, & Heſychii Presb. Hieroſol. obitum his verbis: Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Ησύχιος πρεσβύτερος Ιεροσολύμων ἐτελεύτησεν. *Eodem anno Heſychius Presb. Hieroſolymitanus ſuum diem obiit.* Is eſt annus 434. dies vero emortualis tum ex Baſilii Menologio, tum vero etiam ex noſtro Kalendario innoteſcit, in quo ejus *Depoſitio* hodierno die XXVIII. Martii conſignatur.

§. III. *An is Heſychius fuerit Presbyter tantum, an vero etiam Epiſcopus.*

Atqui exſiſtit heic non mediocris difficultas. Nam ETVCHIVS i. e. *Heſychius* is, cujus *Depoſitio* hoc die in hiſce Faſtis notatur, *EPIſcopus* ibidem inſcribitur. Quo poſito, diverſus ſit oportet ab eo, de quo hoc die agitur in Baſilii Menologio, qui tantum *Presbyter* inſignitur. Nec aliud in vita S. Euthymii quam Presbyter fuiſſe narratur. Non aliud quoque a Theophane quam presbyteratus ei tribuitur, tum verbis modo de ejus obitu recitatis, tum pag. 71. ubi cum Theophili Alexandrini obitu, & Cyrilli electione hujus Heſychii Hieroſolymitani promotio ad presbyteratum (50) componitur. Idem prorſus ſuadent operum ejuſd. quae nunc exſtant, tituli, in quibus *Presbyter* inſcribitur. Ac poſtremo Photius *Heſychio Presbytero Hieroſolymitano* (ſic enim appellat) cod. 269. *Encomium in S. Thomam*, cod. autem 275. aliud ejus opuſculum *in Jacobum fratrem Domini & Davidem Chriſti patrem* tribuit. Sic etiam Bibliothecae Graecorum Patrum collector ſolam presbyterii dignitatem in eo agnoſcit. Plures ſimiles operum inſcriptiones cum *Presbyteri* elogio infra afferemus §. ult.

(50) Theophanes pag. 71. obitum Theophili cum promotione tum Cyrilli tum etiam Heſychii noſtri conjungit his verbis: *Dormitio Theophili Alexandrini, & [προβολὴ] promotio divini Cyrilli, & Heſychii Presbyteri.* Vbi & nullis interpoſitis voculis, ſtatim idem inculcatur his aliis verbis: *Hoc anno Theophilus Alexandriae Epiſcopus exceſſit e vivis* [ſexto Theodoſii Jun. anno] *& in ejus locum Cyrillus ... ſuffectus eſt, eodemque anno Heſychius Presbyter Hieroſolymitanus litterarum doctrina florebat.* Vbi memini, adnotari a Jac. Goar, in plurib. ſcriptis libris hunc poſteriorem locum deeſſe. Ac revera quid neceſſe erat Theophili obitum & quae ſequuntur, iterato narrari? Itaq. facile, uti ſuſpicor, haec poſteriora ſciolus margini illeverit, volens declarare, quo ſpectaret vox προβολὴ in priore loco; nim. in Cyrillo ea voce deſignari *promotionem* ad Cathedram, at in Heſychio non *promotionem* ad Presbyterium (nec enim id tamquam memorabile adnotandum fuit) ſed ejuſdem *profectum* in ſacra eruditione. Id vero poſtea librarii in textum intruſerunt.

Digitized by Google

ult. Sed & Rabanus in Prol. ad Levit. ad Freculfum Lexovienſem, hunc Heſychium (auctorem Comm. in Levit.) diſerte vocat, *Ven. Presbyterum Hieroſolymorum.*

Quid in hac tanta difficultate ſtatuemus? an erraſſe ſcalptorem noſtri marmoris, qui pro *PRESByteri* ſcripſerit *EPIſcopi*? At grave eſt tertio quoque verſu lapicidam reum peragere. Sane in Auguſtino ſpei plurimum initio repoſueram, cujus exſtant duae ad *Heſychium* quemdam epiſtolae (tum 197. alias 78. tum etiam 199. alias 80.) ac rurſus alia Heſychii ejuſdem ad Auguſtinum (quae eſt 198. alias 79.) quibus in epiſtolis mutuo ſe ambo illi *coepiſcopos* & *fratres* ſalutant, ut videri potuiſſet Hieroſolymitanus Heſychius tandem epiſcopalibus inſulis fuiſſe decoratus. Verum perſpexi tandem eum, cum quo mutuum litterarum commercium Auguſtinus exercuit, Salonitanum in Dalmatia Epiſcopum fuiſſe, ipſo Auguſtino teſte in XX. de Civit. 5. ubi poſterioris epiſtolae 199. ad illum a ſe ſcriptae meminit, quae inſcribitur *de fine ſaeculi*, ibique diſerte eum *Salonitanum Epiſcopum* vocat. Hieroſolymitanum autem Presbyterum nemo ſibi perſuaſerit potuiſſe ad Salonitanam Cathedram perrepere.

Hac ſpe falſus, non continuo tamen animum deſpondeo. Adhuc enim neſcio quid creperae lucis affulget.

§. IIII. *De Epiſcopali Heſychii dignitate duplex conjectura.*

Hoc primum ponendum eſt, non tantum in hoc marmore, verum etiam in Gloſſa ordinaria ad Leviticum, Heſychium *Epiſcopum* appellari, imo *Hieroſolymorum* (51) *Epiſcopum*, ſi Gloſſae credimus. At grave eſt duos minime inidoneos teſtes, ejuſdemque (52) aetatis reſpuere. Quin multo praeſtabilius eſt viam quaerere, qua oſtendi poſſit, nec ſuperiores illos fuiſſe falſos, qui eum *Presbyterum* inſcripſerunt, nec noſtram teſtium bigam, apud quos idem audit *Epiſcopus*. Non alia vero ad id via patet, quam ſi Heſychium ultimis annis *Chorepiſcopum* fuiſſe dixerimus: nam Chorepiſcopi ſaepe *Presbyteri* nuncupabantur, maxime ſi epiſcopali (53) conſecratione caruiſſent. Ac rurſus eoſdem Chorepiſcopos interdum ſimpliciter *Epiſcopos* fuiſſe appellatos, ex pluribus monumentis liquet.

Porro non aliud quam Chorepiſcopus ſanctorum locorum fuit olim exeunte IV. ſaeculo Praylius, quando S. Porphyrium epiſcopum ordinavit: de quo vide ad 26. Februar. ſup. pag. 72. Praylio in

[51] Gloſſam ad manus non habeo: ſed tamen Xyſtus Senenſis de eo ſic habet: *Heſychius, Hieroſolymitanus Presbyter, vel, ut in Gloſſa Ordinaria ſuper Leviticum ſcribitur, Hieroſolymorum Epiſcopus* &c.

(52) Nam ſi Faſti marmorei nono ſaeculo ſcalpti fuerunt, etiam VValafridus Strabo, qui fuit Gloſſae ordinariae auctor, nono ſaeculo floruit. Quo, inquis, hoc pertinet? nimirum quia ſi noſtrum Kalendarium poſt Strabonem conſcriptum fuiſſet, dici poſſet Heſychii Epiſcopatum a Strabone hauſtum fuiſſe: proinde duos hoſce teſtes pro uno numerandos. Nunc aevo eodem hi teſtimonium dicunt, & quidem permagno locorum intervallo disjuncti, ut unus alterius vocem exaudire nequeat. Proinde recte pro duobus teſtibus habeantur licebit. Ex quibus liquet, nono ſaec. Heſychium pro Epiſcopo fuiſſe habitum. Quod & diu poſtea placuit.

Nam anno circiter 1410. exſtitit in Anglia *Boſſonus Burienſis* Monachus, vir eruditiſſ. qui

luſtratis atq. excuſſis innumeris bibliothecis, *Catalogum Scriptorum Eccleſ.* compoſuit, quem manu exaratum habuit Huſſerius. Is igitur *Explanationes in Leviticum* (Heſychii noſtri Hieroſolymitani opus) *Iſychio* [ſic enim vocat] *Hieroſolymorum Epiſcopo* tribuit, teſte Huſſerio in Biblioth. Theol. MS. apud Guil. Cavium.

[53] Canon X. Antiochenus: ὡς καλλιμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες &c. Vetus interpres: *Chorepiſcopi tametſi manus impoſitionem ab Epiſcopo ſuſceperunt, & ut Epiſcopi ſunt conſecrati, tamen* &c. Verum pro *Tametſi ... ſuſceperunt, & ut Epiſcopi ſunt conſecrati* vertendum fuerat, *Etiamſi ... ſuſceperint, & ut Epiſcopi ſint conſecrati* &c. Nam Canon ſupponit, non omnes Chorepiſcopos ſimul etiam epiſcopali conſecratione donatos. Dum ergo Chorepiſcopos frenis quibuſdam coercet, id etiam de iis intelligit, qui conſecratione facti fuerint Epiſcopi.

Digitized by Google

in Chorepiſcopatu ſucceſſiſſe mihi videtur Paſſarion, Paſſarioni Heſychius. De utroque mentionem facit Cyrillus in S. Euthymii vita, iis verbis quae §. 2. recitavimus. Ibi *Juvenalis Patriarcha, adjunctis ſibi S. Paſſarione, qui tunc erat* CHOREPISCOPVS (utique *ſanctorum locorum*: quem unum Chorepiſcopatum Hieroſolymitanum ex vita S. Porphyrii novimus) *& Heſychio Presbytero*, accedit ad Lauram .... *Sed ſanctus quidem Paſſarion, nondum ſeptimo menſe tranſacto obiit*, anno, uti ſupra innuimus, 429. Quid ergo aliud relinquitur, niſi ut Paſſarioni in eo Chorepiſcopatu Heſychius ſucceſſerit? Id enim neceſſario ſuadet Epiſcopalis titulus, qui ei tum in hoc noſtro marmore, tum ab auctore Gloſſae tribuitur. Adde quod eadem Gloſſa *Hieroſolymorum epiſcopum* eum facit, h.e. revera non aliud quam Chorepiſcopum ſanctorum urbis illius locorum. Nam quominus ipſius ſanctae urbis Patriarcha fuiſſe credatur, Epiſcoporum Hieroſolymitanorum laterculum prohibet, a quo Heſychius is abeſt. Poſtremo Heſychio ſub an. 434. demortuo ſucceſſiſſe in chorepiſcopatu videtur Anaſtaſius is, qui poſtea Patriarcha fuit. Atque Anaſtaſii chorepiſcopatum confirmat ex vita S. Euthymii Pagius ad an. 398. n. 25. & 458. n. 11.

Nec ſane aliud ad aſſerendam Heſychio Chorepiſcopalem dignitatem reſtat, niſi ut revera eum ſanctorum locorum praefectura donatum, doceamus. Id vero ſubobſcure Baſilii Menologium innuit ad hunc diem. *Quum vero fieri non poſſet, ut tanta virtus lateret, vi adactus ab eo, qui tum Hieroſolymorum Archiepiſcopus erat, Presbyter ordinatus eſt: πρὸς προσμένων τῷ τοῦ Κυρίου σπηλαίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις τόποις, ἐν οἷς τὰ ὑπὲρ ἡμῶν ἅγια πάθη ὑπέμεινεν ὁ Κύριος . . . πάντων πηγὰς γνώσεως καὶ σοφίας: in Domini autem ſepulcro, aliiſque locis in quibus pro nobis Dominus . . . Sanctam paſſionem ſuſtinuit, permanens, emanavit fontes ſcientiae & ſapientiae.* Nam qui Presbyter ordinatus fuerat, cur extra urbem in Sanctis loeis ageret, niſi forte ut eorum curam gereret, eorumdem ſcil. Chorepiſcopus poſt Paſſarionem factus? idque ab anno 529. ad 534. quo diem ſuum obiit. Atque ea eſt prior conjectura. Sequitur altera.

Nam fieri potuit, ut nono ſaeculo (quo & hi Faſti ſcalpti fuerunt, & Gloſſa Ordinaria prodiit) Heſychius Presb. Hieroſolymitanus cum altero Heſychio, ſive potius *Iſychio*, qui revera Patriarcha Hieroſolymit. fuit confunderetur. Summa eo redit. Qui hodie in his Faſtis ſignatur, non alius revera fuit, quam Heſychius Presb. Hieroſ. tot operum ſcriptor clariſſimus; quippe is hoc die obiit, quo & in Baſilii Menologio colitur. At vero quod idem in his Faſtis *EPIſcopus* inſcribatur, id ſumptum eſt ex Iſychio Epiſcopo Hieroſ. qui ſexto ineunte ſaeculo Amoſo ſucceſſit, atq. (ut in Chronico Alex. ſcribitur) an. 609. mortuus, ſucceſſorem habuit Zachariam. Ut hic quidem in Chronico Alex. & Nicephoro *Iſacius* vocatur, quod verum ei nomen fuit. At idem in occidente vulgo *Iſychius* corrupto nomine appellabatur, uti conſtat ex Epiſtola S. Greg. Papae IX. 40. ad eum ſcripta, ubi is in omnib. MSS. *Iſychius* nuncupatur. Itaq. hinc fortaſſis factum, ut Iſychii Epiſcopatus Hieroſolymitanus S. Heſychio Presb. hoc die depoſito affictus fuerit: praeſertim quum Gloſſa Ordinaria & Biſtonus Burienſis *Iſychium*, non *Heſychium* nuncupaverint eū, cui *Explanationes in Leviticum* tribuerunt.

§. V. *De Heſychii ſcriptis.*

Primus qui de Heſychi Hieroſolymitani eruditione magnifice ſcripſerit eſt Theophanes pag. 71. Ἦν θεῖος διδάσκαλος Ἡσύχιος ὁ πρεσβύτερος τῶν Ἱεροσολύμων, *Heſychius Presbyter Hieroſolymitanus litterarum doctrina florebat*: ſi modo ea verba ex Theophanis manu ſunt, de quo vide dicta ſup. in Adnot. 50. At plura affert Baſilii Menologium in haec verba. *Sanctus Pater noſter Heſychius, Hieroſolymis & natus & educatus, Sacram Scripturam omnem* (εἰς ἄκρον ἐκμελετήσας) *commentando perfecte aſſecutus, divina ſcientia dives fuit.* Poſt pauca: Ex locis, in-

inquit, ſanctis, quibus diu haeſit, *Fontes hauſit ſcientiae ac ſapientiae: unde & omnem ſcripturam interpretationibus dilucidis explanavit, quas & ad multorum utilitatem edidit. Quamobrem celeberrimus apud omnes, atque admirabilis effectus, ubi per omnia Deo ſerviiſſet, laetus ad eum convolavit.* Jam vero Photius duo ejus opuſcula recenſet in Cod. 269. & 275. quae §. tertio indicavimus. Walafridus Strabo, uti jam diximus, commentariorum ejus in Leviticum meminit: meminit & Rabanus. Atq. ea ex antiquis teſtimonia habeo.

At Trithemius de eo ſic ſcriptum reliquit. *Eſychius* (ſic) *Presbyter &* (54) *Monachus, beati Gregorii Nanzianzeni Epiſcopi quondam auditor, &* (55) *diſcipulus, vir in Divinis Scripturis eruditiſſimus; exemplo ſui praeceptoris admonitus fertur in Divinos libros multa explanationum ſcripſiſſe opuſcula, & tam in Novum, quam in Vetus Teſtamentum varia lucubraſſe volumina, quae necdum ad manus noſtras pervenerunt. Legi tantum opus illud inſigne & magnae quaeſtionis, quod ſcripſit ad Eutychianum Venerabilem Diaconum in Leviticum. De ceteris nihil vidi.*

Adhaec Xyſtus Senenſis, ubi ex Gloſſa ordinaria de Heſychii Epiſcopatu (vide §. IV.) docuiſſet, & mox ea exſcripſiſſet quae Trithemius de ejuſdem ſub Nanzianzeno diſcipulatu affert, addit: *De quibus* (operibus) *exſtant in totum* (56) *Leviticum ad Eutychianum Diaconum libri ſeptem, in quibus myſticam Moſis intentionem ſpiritualiter interpretatur, ſecutus editionem ita temperatam, ut cum LXX. conveniat, & a noſtra Vulgata non diſcrepet. Habet genus quoddam dictionis inſuetum* (57) *atque affectatius, & a communi dicendi conſuetudine abhorrens. Opus incipit:* Venerabili diacono Eutychiano peccator Chriſti ſervus Iſychius (58) presbyter in Chriſto ſalutem. *Scripſit etiam conſimile opus.*

[54] Monachum aliquamdiu fuiſſe Heſychium Baſilii Menologium aperte tradidit: Καὶ μοναχὸς γενόμενος &c. *Et monachus effectus, vitam in eremo duxit, accedens ad ſanctos Patres ibi commorantes, & ab unoquoque inſtar apis flores virtutum colligens.* Quae de ejus in S. Euthymii Laura commoratione ſunt capienda, uti ex S. Euthymii vita ſup. vidimus.

(55) De Heſychii ſub Nanzianzeno praeceptore inſtitutione, nihil eſt cur Trithemio affirmate id narranti fidem derogemus. At ubi id legerat? An in Heſychii Commentario in Leviticum quod unum Heſychii opus ſe legiſſe fatetur Trithemius? Alicubi certe id reperit.

(56) Guil. Cavius ad an. 601. pag. 372. praefatus, de hoc opere exſtare quot homines, tot ſententias, & in nonnullis Mss. id *Heſychio Salonitano* tribui, demum eo labitur, ut putet, fuiſſe quidem ab Heſychio Hieroſolymitano [quem perperam cum *Iſacio* ſeu *Iſychio* Patriarcha, ad quem ſcripſit S. Gregorius, confundit] Graece initio conſcriptum, ſed poſtea ab Heſychio Salonitano Latine redditum: a quo Salonitano interprete profectum putat, ut Latini ſcriptoris perſonam induens, non tantum Hieronymi verſionem his Commentariis aptaret, ſed & de LXX virali, tamquam de extera ac peregrina loqueretur in iis locis, quae ab Huſterio excerpta in cod. Cavio videre potes. In quo quidem ut cetera ei largiar; at illud non poſſum, quod quae in Heſychium Presb. Hieroſolymitanum, qui hoc die colitur, conveniunt, ea omnia in *Iſychium*, ſeu verius *Iſacium* Patriarcham duobus ſaeculis recentiorem confert: deinde quod hoc opus, ſi eidem credimus, Salonitanus Heſychius Latine verterit. Nam Salonitanus ille Auguſtino amicus, aequalis Hieroſolymitani Heſychii fuit, niſi etiam aetate provectior. Adde quod Heſychius Salonitanus Hieronymi Translatione (vix dum edita, nec niſi diu poſtea in uſum recepta) uti non potuiſſet. Sed ſcio quid Cavius & alii reponant, nimirum recentiorem alterum Heſychium Salonitanum id opus vertiſſe ac variis interpolationibus incruſtaſſe. Ecquem? Nam alium Salonitanum Heſychium ab illo Auguſtini familiari nondum ſcio.

(57) Haec quae de ſtylo habet, in Latinam interpretationem, quam ſolam Xyſtus vidit, conveniunt, non ſecus ac ſuperiora illa cum Vulgato interprete convenientia.

(58) *Presbyterum* ſe in operibus inſcribit, quippe ante Chorepiſcopatum (ſi modo Chorepiſcopus aliquando fuit) ſcriptis. Atque hae operum inſcriptiones fecerunt, ut ſolus ejus presbyteratus tandem innotuerit. Verum non obſtantibus his inſcriptionibus, adhuc nono ſaeculo Heſychii Epiſcopatus tum auctori Faſtorum marmoreorum, tum longe, ut illis temporibus, eruditiſſimo VValafrido Straboni exploratus fuit. Niſi vero, ut ante dixi, confuſus cum *Iſychio* Patriarcha recentiore fuerit.

Digitized by Google

explanationis studio in Ezechielem commentarios, quorum in Praefatione primi libri in Leviticum mentionem facit : item in Epistolam ad Hebraeos.

Sed & Bollandus ad supra recitatum de Hesychio testimonium ex vita S. Euthymii quaedam ejus opuscula affert. At eadem & alia plura a Bollandistis recensentur ad hunc diem pag. 713. num. 3. „ Exstant, inquiunt, ejusdem *S. Hesychii presb. Hierosolymor.* varia encomia seu „ vitae Sanctor. & ex his recensentur a „ Leone Allatio in lib. de Simeonum scriptis, quae composuit *εἰς τὴν ὑπαπαντὴν* .. „ *In Occursum Domini, de S. Michaele, de SS. Petro & Paulo Apost; de S. Andrea Apost; de Quatriduano Lazaro, & S. Procopio Mart.* eorumque exordia Graeca „ indicat. Franc. Combefis in sua Biblioth. „ concionatoria edidit *Hom. duas in Annuntiationem Deiparae*, aliam *in Resurrectionem Domini :* item *de Jacobo Fratre „ Domini*, & *de S. Andrea Apost.*, quae „ apud Photium in laudem S. Thomae „ perperam scripta dicitur. Edidimus & „ nos tom. 2. (Martii) ad diem XV. *Encomion S. Longini Centurionis, duorumque „ socior.* ab eod. S. Hesychio scriptum .... „ Ejusdem est sermo compendiosus ani„ mae perutilis ad Theodulum de tempe„ rantia & virtute h. e. *ἀναῤῥητικὸς καὶ „ ἀσκητικὸς*, sive *de ratione luctandi atque o„ randi*, continens capita ascetica in duas „ centurias distributa : exstatque seorsum, „ & insertus Bibliothecae Patrum. Demum aliqua Historia Ecclesiastica a S. „ Hesychio conscripta est : cujus illustre „ fragmentum exstat in Concil. Oecum. „ CPolitano II. (an. 553. habito) in quo „ Theod. Mopsuesteni, Nestorianae haereseos primi inventoris, blasphemiae „ rejiciuntur.

Postremo an. 1686. Parisiis prodiit e Cotelerii manu Tomus tertius *Monumentor. Ecclesiae Graecae :* cujus tomi statim initio (a pag. 1. ad 52.) Graece & Latine exstat *Συναγωγὴ* &c. *Collectio difficultatum & solutionum, excerpta per compendium (ἐκ τῆς Εὐαγγελικῆς συμφωνίας) ex Evangelica Consonantia Sancti Hesychii Presbyteri Hierosolymorum.* Ex Regio Cod. MS. 2452. Ad id vero opusculum initio haec de Hesychii operibus editor eruditissimus adnotat. „ Plurima scripsit, Exe„ getica, Homiliatica, Moralia, & Asce„ tica, necnon Historiam Ecclesiasticam, „ quae citatur Collat. V. Synodi quintae; „ Pelagii II. Epist. VII. num. 13. & in „ Edicto Justiniani de Fide Orthodoxa, „ sub finem. Ex illius operibus multa edita sunt, etiam in Catenis, multa inedita, inter quae memorantur ab Hussterio „ *Hypotheses in Libros Sacros*, a Possino „ *Commentarius in XII. Prophetas*, ab aliis „ alia. Nos quoque non pauca e variis „ Manuscriptis collegimus, eaque in lucem emissuros polliceremur, nisi jam „ longioris vitae spes decollasset. Quare „ volentibus lampada tradere cogimur. „ Ceterum Hesychianae Evangelicae „ Consonantiae (cujus haec est epitome) „ Fragmentum habes Tom. I. Auctarii „ Combefisiani col. 773. & alterum infe„ rius. „ Intelligit fragmentum, seu *Quaestionem*, quam Cotelerius exhibet pag. 52.

Sed & post Cotelerium & alios a Cotelerio laudatos, non contemnendum spicilegium reperire licebit ap. Guil. Cavium loco sup. cit. Ex quo quae restant opuscula, decerpere supersedeo ; quia is liber est ad omnium manus. Sed lector caveat, ne imponi sibi a Cavio patiatur, dum quae opera Hesychio nostro Theodosii Junioris aequali sunt tribuenda, ea omnia ad *Isychium* Patriarcham ducentis annis recentiorem transfert, qui revera non *Isychius*, sed *Isacius* vocabatur. Ac de S. Hesychio, qui hodie colitur, plura sane, quam pro consueta nostra brevitate. Verum sic sumus. Quaecumque nondum satis illustrata nanciscimur, in eam provinciam quasi vacuam irrumpimus. Qua de causa in *Reduce*, qui sequitur, multo adhuc longiores erimus.

Digitized by Google

XXVIIII DP REDVCIS EPI

NEminem hujus nominis ad hunc diem reperire mihi licuit sive inter Caelicolis adscriptos, sive inter (59) Episcopos, aut omnino inter mortales, nec in scriptis libris, nec in litteratis saxis, praeter unum Neapolitanũ Episcopum sexti saeculi. Quocirca scirpeus sit oportet, qui adhuc dubitet, utrum revera de Neapolitano Reduce agatur hodie. Nec quemquam id turbet, quod in marmore deest consuetum illud NOSTRI; quum alibi saepissime idem pronomen desit in iis, qui sine controversia nostri sunt. At ex hoc Kalendarii loco hunc fructum capimus, quod de *Reducis* cultu ejusdemque die Depositionis (quorum utrumque antea ignorabatur) certiores evadimus: deinde & rectam ejus nominis scripturam assequimur, alicubi (60) depravatam. Et hactenus quidem ad institutum nostrum satis esse poterat. Verum quum *Reducis* hujus simulque *Eugipii* Abbatis (quos ferme aequales fuisse reperio) aetas multis sit obstructa difficultatibus; non committam ut hoc loco quidquam eorum, quae criticae tractationis sunt, per me negligatur.

DISQVISITIO
De REDVCIS Neapolitani, deque Eugipii Lucullanensis aetate.
§. I.
Reducis aevum ex Joanne Diacono.

Joannes Diaconus in Chronico Episcopor. Neap. sic scriptum reliquit: *REDVX Episcopus sedit annos III. Dies XXIIII. Fuit autem temporibus jam dicti Benedicti Papae usque ad exordium Pelagii Papae, & temporibus Tiberii Constantini* Has temporum notas si sequimur, Noster mori omnino debuit anno 578. die 29. Martii. De die certos nos reddit hoc Kalendarium, in quo eo ipso die *Depositio Reducis* consignatur. Annum autem ex eo elicimus, quia teste Jo: Diacono vixit Redux *usque ad EXORDIVM Pelagii Papae*. Quia vero hic Pontifex secundum Anastasii Bibliothecarii rationes videtur mense Novembri creatus, & quidem anno 577. (sive 578. si pro more tunc usitato annum a Septembri ordiaris) ex his sequitur, annum Reducis emortualem fuisse 578. quum quatuor paullo plus menses a Pelagii ordinatione numerarentur: eumdem vero Reducem, (cujus cathedrae annos III. dies 24. Joannes imputat) anno 575. Martio ineunte ordinatum fuisse Episcopum.

Verum in eo, quod addit Diaconus, *Temporibus Tiberii Constantini*, nae is aliquantulum in eo rationes conturbare videbitur. Cur enim sicuti is sub Benedicto & Pelagii exordio Reducis episcopatum posuit, non eundem etiam sub Justino Juniore (quem turpiter praeterit) & exordio Tiberii constituit? Nam moriente Reduce (si quidem is Praesul, uti praediximus, exeunte Martio anni 578. obierit) non amplius quam quinque menses, & quod excurrit, ab obitu Justini numerabantur: quum Justinus die V. Octo-

(59) Non defuere quidem viri eruditi, qui praeter nostrum hunc Reducem, alterum adstruxerint Neapoli in Africa Episcopum. Ac primus quod sciam Chiocarellus noster id affirmavit in Catal. Episc. Neap. pag. 50. ubi de *Reduce* Chiocarellum sunt & alii postea secuti. At valde infeliciter Reducem istum toti antiquitati inauditum ac mere commentitium induxerunt; nec nisi tamquam deum aliquem demissum de machina ad solvendum nodum petitum ab auctoritate Sigeberti Gemblacensis: cujus modi solutiones infra in subjecta *Disquisitione* asserimus in medium.

(60) In pluribus Joannis chronographi Episcoporum Neapolitanorum apographis Noster hic uno elemento fit auctior, ac RENDVX pro REDVX scribitur. Eademque γραφὴ in Sigeberti codices manavit. Sed etsi non erat mihi dubium, quin ea scribendi ratio ex ea librariorum consuetudine fluxerit, qua VICENSIMVS pro *Vicesimus*, & sexcenta ejusdem modi alia scribebant; tamen percommode cecidit, quod recta ejus nominis scriptio sine liquida confirmatur ab hoc marmore. Ceteroqui *Rendus* nihil est; at *Reducis* vocabulum sua se significatione erudito lectori commendat.

Digitized by Google

Octobris anni 577. ſive (auſpicando annum a Septembri more CPolitano) ejuſdem anni 578. mortuus fuerit.

Atqui non modo non accuſanda eſt Joannis Diac. negligentia, verum etiam accuratio laudanda. Quid enim? jam ante annos quatuor Juſtinus in phreneſim tantam (aut quidquid aliud id fuit) inciderat, ut ob eam cauſam Tiberium non tantum ut Caeſarem adoptaverit, ſed ei etiam ferme regni gubernacula concrediderit. Quo fit ut Evagrius V. 23. ſic Juſtini annos diſpertiat, ut dicat eum imperaſſe ſolum an. XII. menſ. X. & ſemis; cum Tiberio autem annos III. menſes XI. Quae quidem Evagrii ſupputatio vera eſſe non poteſt, niſi ſimul fateamur, his fere quatuor Juſtini poſterioribus annis Tiberium, etſi Caeſar tantum erat, at ingraveſcente quotidie magis Juſtini morbo, ſummam ferme auctoritatem ſolum obtinuiſſe. En cur Reducem Joannes noſter temporibus Tiberii dumtaxat ſediſſe dicat, quia jam tum propter Juſtini amentiam is & auctoritatem ſummam adeptus erat, & unus in imperiali culmine agnoſcebatur.

Cum hactenus dictis congruit & Eugipii Ab. aetas, quem hortatu noſtri *Reducis* Florilegium ex operibus S. Auguſtini concinnaſſe, auctor eſt Sigebertus Gemblacenſis: quem Eugipium idem auctor (niſi vero falſus ipſe nos etiam tranſverſos agit) vixiſſe itidem ait ſub Pelagio II. & imp. Tiberio. Verba Sigeberti quia ita poſitam Reducis aetatem confirmant, ut tamen pluribus alia omnia ſentiendi occaſionem obtulerint, haud gravabor huc afferre ex lib. de Script. Eccleſ. cujus caput XXXIX. ſic habet: *Eugippius Abbas hortatu Renducis* (h.e. *Reducis*) *Neapolitani Epiſcopi, deflorans libros Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis, dedit codicem magnae utilitatis ad Probam Virginem; & per manus ejuſdem Renducis Epiſcopi obtulit Eccleſiae Neapolitanae. Fuit tempore ſecundi Pelagii, & imperatoris Tiberii Conſtantini.* Vides ut Sigeberto cum Joanne Neapolitano optime conveniat. Et tamen hic ipſe Sigeberti locus viros eruditos inter ſeſe commiſit, eoſque in plures ſententias ſcidit; quas jam operae fuerit ſingulatim exponere ac ſimul expendere.

§. II.

De Eugipio Ab. Lucullanenſi, & quo pacto ejus aetas cum Reducis aevo componi debeat.

Hunc *Eugipium* (cujus nomen non uno modo (61) ſcriptum reperitur) omnium primus Iſidorus Hiſpal. cap. 13. inter Eccleſiae ſcriptores retulit his verbis: *Eugipius Abbas Lucullanenſis, oppidi Neapolis Campaniae* (62) *ad quemdam Paſchaſium diaconum libellum de vita ſancti monachi*

(61) Abbatis Lucullanenſis nomen varie admodum in antiquioribus Caſſiodori, aliorumq. ejus mentionem injicientiū libris ſcribitur: ſaepius quidem *Eugipius*, alibi *Eugypius*, *Eugippius*, *Eugrpius*, *Egipius*, *Evipius*. Verum, ſi etymologiā & Graecanicam analogiam in conſiliū adhibemus, videtur verū ei nomen fuiſſe *Eugypius* cum Pythagorica littera a γὺψ *vultur*, & praep. εὖ compoſitum. Aut vero potius AEGYPIVS ſcribendum fuerit, quae vox *vulturem* notat, qui Graecis non tantum γὺψ, ſed etiam αἴγυπιὸς nuncupatur. Atque haec vera nominis hujus orthographia proxime abeſt ab EGIPIVS, uno ſcil. ex ſcribendi modis, quos affert Dupinus, & quo modo in optimo codice infra producendo pluries reperitur. Ac ne *Evipius* quidem [modo P duplicetur] diſpliceret: ſed ſemel tantum in quodam codice ea γραφὴ deprehenditur. Itaq. AEGYPIVS [vulgo *Egipius*] veram ſcriptionem complectitur. Ceterum aliae ſcribendi rationes nullam prorſus ſignificationem Graece aut Latine praeſeferunt. Nos tamen veram ſcripturam adnotaſſe contenti, nemini ob hoc bellum inferemus, imo cum aliis *Eugipium* uſitato more ſcribemus.

(62) Si me audis, aufer diſtinctionem, quam editi poſt *Lucullanenſis* adpinxerunt, atque uno ſpiritu lege *Lucullanenſis oppidi*; ut *Lucullanenſis* cū *Oppidi*, non cum *Abbas* jungatur. Nam Iſidorus ſi iis, quae de *Oppidi* notione in XV. Orig. 2. inhaerere voluit, potuit optime Lucullanum vocare *oppidum*, quippe muro ſeptum, quod unice ad *oppidi* conſtitutionem ibi requirit Hiſpalenſis. At miror, ſi idem Neapolim clari nominis tunc rempublicam nuncupaverit *oppidum*. Quia tamen Lucullanenſe oppidum ad Neapolitanam

Severini tranſmiſſum brevi ſtylo compoſuit. Scripſit etiam regulam monachis conſiſtentibus in monaſterio(63) *Sancti Severini, quam eiſdem moriens quaſi teſtamentario jure reliquit. Claruit poſt Conſulatum Importunii* (64) *junioris, Anaſtaſio Imp. regnante.* Iſidoriana iſta ſic breviter contraxit Honorius Auguſtodunenſis III. 15. *Eugipius Abbas compoſuit vitam S. Severini monachi, & regulam monachis. Iſidorus cap.* 13. Ex his vides nec Iſidorum, ejuſque defloratorem Honorium, de Excerptis operum Auguſtini ab Eugipio elucubratis inaudiſſe (quorum Sigebertus meminit verbis ad finem §. ſuperioris recitatis) nec contra Sigebertum aliud vidiſſe ex operibus Abbatis Luculanenſis quam unum illud Florilegium. Atque id quidem nihil magnopere abſurdi complectitur: nam quia ſcriptorum librorum maxima tunc erat ubique inopia; Iſidorus unum alterumve ex Eugipii operibus vidiſſe potuit, Sigebertus aliud

tanam remp. pertinebat; idcirco ait, *Luculanenſis oppidi Neapolis Campaniae*, ita ut Luculanenſe oppidum Neapoli tribuatur. Qui ſi ſcripſiſſet, *Abbas in Luculanenſi oppido Neapolis Campaniae*; omnem prave diſtinguendi anſam poſteris praecidiſſet. Dices, *Lucullanum* inſulae exiguae impoſitum longe minus fuiſſe, quam pro juſti oppidi modulo. Equidem non repugno: nam in medii aevi monumentis non aliter ferme quam *Caſtrum Lucullanum* id nuncupatur. At ignoſcendum eſt Iſidoro in Hiſpaniis ſcribenti; cui parvitas Lucullani ignota erat: ſed qui ſciret, illud muro ſeptum, hoc ſatis habuit, ut *oppidum* appellaret. Quamquam nolim lectorem ex hodierna Lucullani parvitate quid olim fuerit aeſtimare. Nam olim aliquanto explicatior, opinor, ea inſula fuit. Mox ſenſim promotis proximae continentis littoribus, ac pontum recedere cogentibus (quod alibi paſſim contigit) mariq. proinde aſſurgente, etiam, quod conſequens fuit, exteriora eademq. humiliora inſulae quaquaverſum ſub undis delituerunt. Quod & alibi factum ſcio. Certe Lucullanum medii aevi ſcriptores *inſulam* appellant, non *ſcopulum*, cui nunc ſimilior eſt.

(63) Cave intelligas illud nobiliſſimum *S. Severini* Monaſterium, quod hodiedum Neapoli floret, a Monachis S. Benedicti Congr. Caſinenſis frequentatum. Hoc enim Iſidoro ſcribente vel nondum erat, vel certe (ſiquod ibi ſive oratorium, ſive coenobium fuit) nondum *S. Severini* nomen adeptum fuerat: quod tum demum ſibi peperit, quando in id anno 910. *S. Severini* Noricorum Apoſtoli reliquiae e Lucullanenſi Monaſterio translatae fuerunt. Etſi ſatis ſcio, non deeſſe qui ibi *S. Severini* Eccleſiam antiquiorem agnoſcunt, a *S. Severino* Epiſcopo Neap. appellatam. Fabulae. Quos ergo heic vocat Hiſpalenſis *Monachos conſiſtentes in Monaſterio S. Severini*? Sine ulla controverſia Monaſterium Lucullanenſe intelligit quod ab aliis paſſim *Monaſterium S. Salvatoris* vocatur (ſicuti & alicubi *S. Salvatoris inſulam* nuncupatam reperi) cui Monaſterio Eugipius praefuit. At hoc idem etiam *Monaſterium S. Severini* vocatum fuiſſe, ex hoc S. Iſidori loco diſcimus, utique ob recondita ibi S. Severini Norici pignora. Atque hinc profecto luculentius liquet, unde hodiernum *S. Severini* coenobium id nomen ſibi tandem quaeſierit, tum ſcil. ab illato S. Severini corpore, tum etiam quia ſimul tota Monaſterii S. Severini Luculanenſis familia in alterum hoc urbanum decimo ineunte ſaeculo immigravit.

(64) Non *Importunius* ſed *Importunus* (nonnullis *Opportunus*) dicebatur is qui anno 509. ſolus conſul proceſſit. Is autem nuſquam *Junioris* agnomento notus eſt, quum nemo ſit alius ejus nominis *ſenior*. Omnino ſcripſerat Iſidorus P. C. IMPORTVNI II. h. e. *poſt conſulatum Importuni* (anno) *ſecundo*, qui eſt annus DXI. (quo anno & poſtconſulatu conſignatur epiſtola Eugipii ad Paſchaſium praefixa Vitae S. Severini, quantum meminiſſe poſſum; nam ea nunc quidem ad manus non eſt) at poſteriores librarii ex duabus notis numericis (II) priorem *Importuni* nomini ad finem importune prorſus admoverunt, ex quo factum eſt *Importunii*; poſteriorem autem notam I ita ſunt interpretati, quaſi *Juniorem* ſignificaret. Hinc natum eſt monſtrum lectionis illud, *Importunii Junioris*. Et hoc omnino verum arbitror; non quod ex Garſia Loaiſa affertur, legendum eſſe *Importunii & Decii Junioris*. Iſtum quidem Garſiam ad manus non habeo; ſed nec ullum Decium Importuni collegam novi. Niſi quod poſt annos viginti quidam *Decius Junior* ſolus Conſul proceſſit: & quod hic Importunus a Panvinio junctis nominib. dicitur *Importunus Decius* ex Paulo Diac. & Caſſiod. Sane in optima, quam habeo, operum Iſidori editione Pariſina an. 1601. pro *Importuni* eſt *Mavortii Junioris*: ad quae Grialus in adnotatis nihil affert. Sed, uti dixi, Eugipii ad Paſchaſium epiſtola docet, legendum eſſe *Importuni*.

Digitized by Google

aliud ab illis diverſum. Verum illud eſt maxime arduum, quod tempora ab utroque deſignata difficile eſt poſſe in unum eumdemque Eugipium congruere. Nam qui Eugipius anno 511. vitam Severini ſcripſerat, quo pacto anno circiter 576. per manus Reducis Epiſcopi Florilegium ſaepe laudatum Eccleſiae Neapolitanae obtulerit? imo quo pacto ipſe vitam uſq. ad Pelagii II. pontificatum produxerit? Ad hunc vero nodum ſolvendum tres ab eruditis rationes excogitatas reperio.

Ac Roſweidus quidem (quem deinde Aub. Miraeus, Jo: Bollandus, Guiliel., Cavius, & plerique alii ſecuti ſunt) *Proleg.* ad Vitas Patrum duos uno eodemque ſexto ſaeculo Eugipios, quorum unus alterius aetati ſuccreverit, floruiſſe putavit: eorum priorem Monaſterii Lucullanenſis prope Neapolim Abbatem fuiſſe, ac vitam S. Severini ineunte VI. ſaeculo a ſe ſcriptam reliquiſſe; alterum, vero Africanum Abbatem, & Reducis alterius (h. e. non Neapolis Campaniae, ſed Neapolis in Africa Epiſcopum, ut quidam ſomniarunt) aequalem, qui demum *S. Auguſtini Theſaurum* ſive Florilegium, ejuſdem Africani Reducis hortatu, vergente eodem ſaeculo conſarcinaverit. Et hoc commentum diu ſe viris doctis *probavit*. Atqui mitto quod ridiculum eſt, ubi nodus aliquis exſiſtit, non eum aliter expediri poſſe, quam cognominibus ſcriptoribus atque Epiſcopis per ſummam licentiam multiplicatis. Verum, ut cetera miſſa faciam, Eugipium hunc Auguſtini defloratorem & vidiſſe ſe teſtatur Caſſiodorus, & eo familialiter uſum, quandoquidem eumdem *non uſque adeo ſaecularibus litteris eruditum, ſed Scripturarum Divinarum lectione pleniſſimum fuiſſe ſcribit*. Quo ſatis oſtendit, defloratorem illum in Italia potius, quam in Africa fuiſſe verſatum. Iniquus ſane ſim, niſi Senatoris locum huc integrum afferam. Cujus caput 23. Divinarum Lectionum in hunc modum habet: *Convenit etiam, ac presbyteri Eugipii opera neceſſario legere cubeatis, quem NOS quoque VIDIMVS, virum quidem non uſque adeo ſaecularibus litteris eruditum, ſed Scripturarum Divinarum lectione pleniſſimum. Hic ad parentem noſtrae Probam Virginem ſacram, ex operibus S. Auguſtini altiſſimas quaeſtiones ac ſententias ac diverſas res deflorans, in uno corpore neceſſaria nimis diſpenſatione collegit, & in CCCXXXVIII. capitulis collocavit. Qui codex, ut arbitror, utiliter legitur, quando in uno corpore diligentia ſtudioſi viri potuit recondi, quae in magna bibliotheca vix praevalet inveniri.*

Nec commodior eſt altera illa ratio, quam primus omnium, quod ſciam, ſecutus eſt noſter Bartol. Chioccarellus in Antiſtitum Neap. Catalogo; cui mox & Ferd. Vghellus, & Cl. Muratorius in Adnot. ad Jo: Diaconi Chronicon Epiſcopor. Neap. adhaeſerunt. Hi nimirum *Reducis* hujus epiſcopatum ſic inſigniter anteverterunt, ut a temporibus Pelagii II. ad initia ſexti ſaeculi retracto locum inter Stephanum & Pomponium aſſignaverint. Sane vero ſi iſtos deſignatores ſequimur, & Joannem Diaconum & Sigebertum erraſſe oportebit, quorum ille Reducem ſub Pelagio II. & Tiberio Conſtantino poſuit, hic Eugipium (quem ſub eiſdem conſtituit: recte an ſecus, poſtea videbitur) Reduci aequalem facit. At illud gravius, quod etiam neceſſe erit, ab eodem illo chronographo Joanne ſeriem Neapolitanorum Antiſtitum fuiſſe turpiter perturbatam, idque in iis maxime epiſcopis, qui propius ab Joannis aetate aberant. Porro ſi ita ſe res habeat, quae mora eſt, quin caelum terrae permiſceatur? quandoquidem tantū ſibi Chioccarellus & ex eo Vghellus tribuerunt, ut levi tantum conjectura ducti, ordinem Antiſtitum, qui ante mille & ducentos annos floruerunt, ſperent ſe verius recenſituros, quam Joan. ille, qui antiquiores Neapolitanorū Praeſulum catalogos videtur ob oculos habuiſſe, trecentis ipſe annis Reduce poſterior.

Tertia eſt illorum ratio, qui culpam omnem in Sigebertum conferunt; quem apparet deceptum eſſe, quum Eugipii acta-

Digitized by Google

aetatem ad tempora usque Pelagii II. prorogavit, eumdemque Reducis Episcopi hortatu defloraſſe Augustinum dixit. Hujus opinionis fundamenta primus, opinor, jecit Elias Dupinus, opportune simul admonens, Eugipium antiquiorem videri Cassiodoro, quippe qui in lib. Divin. Lectionum fecerit Excerptarum ab Eugipio Augustini sententiarum mentionem.

Sed excipere quis posset, incertum esse, quo anno Cassiodorus Divinas Lectiones conscripserit. Hujus vivacitas mira prorsus fuit; nam annos tres & nonaginta natus librum de Orthographia elucubravit. Divinas autem Lectiones post librum de Orthographia fuisse conscriptas, infra ostendam. Et Cassiodori quidem dies natalis juxta atq. emortualis ignoratur: sed tamen qui ei plurimum vitae tribuunt; ad ann. usq. 575. ejus vitam promovent, quem & prope centenarium obiisse volunt. Quod siquis paullo ulterius laxare ejus vitae terminos animum induxerit, jam argumentum, quod ex Cassiodoro (Eugipii Florilegium laudante) petitur, fortassis evanescet. Fateor quidem, hanc exceptionem haud videri satis firmam. Sed talis certe erit, quae nondum Sigebertum falsi coargui posse ostendat; maxime si longaeva Senatoris aetate haud multo inferior Eugipii vivacitas fuerit. Etenim fingamus animo, Eugipium tum, quum anno 511. vitam S. Severini, Presbyter jam ipse, conscripsit, annos non plus triginta natum: cur non idem usq. ad annum 578. h.e. usque ad Pelagii pontificatum, prope centenarius quivisset advivere? Rara haec quidem vitae diuturnitas: sed quam in monachis non inusitatam fuisse, vel συγχρόνῳ Cassiodori exemplo docemur.

Verum age, erraverit Sigebertus: nec mirum, qui nimium sane ab sexto saeculo abfuit. Sed ejus tamen erratū mollius evadet, si statuerimus, Gemblacensem reperisse alicubi scriptum, *Reducis* Neapolit. hortatu Eugipium excerpsisse ex Augustino sententias. Hoc vero sic acceperit Sigebertus, quasi Redux jam episcopus ad id Eugipium impulerit, quum contra ante episcopatum hortari pro amicitia illum monachum potuisset. Id ubi semel imbiberat Sigebertus; reliquum illi fuit, ut Eugipii aetatem figeret. Hanc vero ex eo quod ante statuerat, (de Reducis nimirum jam episcopi hortatu ad scribendum) facile collegit. Nam quia Gemblacensis ille in nostro Joanne Diacono legerat, Reducem sub Pelagio II. & Tiberio Constantino vixisse, eam ipsam temporum notationem in Eugipium suum transtulit. Nam totū illud de Pelagio & Tiberio, sub quibus Eugipium posuit, ex nostro Chronographo Joanne hausit; sicuti & Isidorus ejusdem Eugipii aetatem ex Eugipii ad Paschasium epistola, quae Vitae S. Severini praeit, desumpserat. Sic erant tunc homines (65) uno ex monumento aliquo, in quod forte fortuna incidissent, de hominum aetate universa decernebant.

Vt rem in pauca contraham: Reduce hortante fortassis Lucullanensis monachus Augustinum sublegit: verum id ante Reducis episcopatum contigerat, pro mutua inter utrumque familiaritate. Quocirca non sequitur, ut si Redux ad usque Pelagium II. pervenerit, idem sit de Eugipio statuendum; quem necesse est diu ante episcopalem Reducis cathedram diem suum obiisse.

Ita equidem augurabar. Sed jam reperta fruge, glandem relinquamus necesse est. His enim jam scriptis, pervenerunt ad manus meas Mabillonii *Analecta*: in quibus sic demum lis ista dirimitur, ut plura praeterea ad antiquitates patrias pertinentia inde doceamur. Quae nihil est cauſſae, quin cum nostris hominibus communia faciam: praesertim quum *Analectorum* illius opus Neapoli sit raro obvium.

§. III.

[65] Etiam a nostro Jo: Diacono sic saepe factum in notandis Imperatoribus aut Pontificibus Rom. sub quibus Episcopos Neapolitatus statuit, aut in cathedrae annis, licet animadvertere.

Digitized by Google

§. III.

Joannis Mabillonii veriſſima de Eugipii & Reducis aetate ſententia, ex ſubſcriptione Collectanei Eugipiani manu exarati eruta.

In Joan. Mabillonii initio tom. 2. Analectorum exſtat quaedam Dionyſii Exigui Epiſtola ad hunc *Eugipium Presbyterum* ſcripta, quae interpretationi cujuſdam Greg. Nyſſeni opuſculi *de Opificio hominis* per Dionyſium elaboratae praeit. *Ibi* ex occaſione vir doctiſſimus omnem de Eugipii & Reducis aetate dubitationē eximit, idque ex quadā veteris codicis Clauſula. Miſſis igitur iis, quae de Dionyſio praefatur, ad rem noſtram haec habet.

, Haec Dionyſii verſio primum typis , vulgata eſt Colon. an. 1538. tum Baſil. , an. 1562. At utrobique abſque Epiſtola , translatoris Eugipio Presb. inſcripta, , imo etiam abſque verſione praefationis , Greg. Nyſſeni. Vtrumque, ideſt Dionyſii epiſtolam nuncupatoriam & Gregorii praefationem Latinam ex veterrimo Cod. Corbejenſi litteris Langobardicis ante annos octingentos ſcripto eruit noſter Mich. Germanus, ſtudiorum meorum ſocius & adjutor .... Quo anno condita ſit haec verſio, non facile definierim ..... Certe Eugipius Presb. cui Dionyſius opus ſuum inſcripſit, vix ad annum DXXX. (66) pervenit, uti inferius demonſtrabo.

, Ad Eugipium revertor, cui Dionyſiana verſio praemiſsâ Epiſtolâ nuncupata , eſt. Fuit is Presbyter, & Abbas Luculanenſis, qui librum de geſtis S. Severini Noricorum Apoſtoli compoſuit, , idemque qui Collectaneum ex libris S. Auguſtini defloravit. Huic rei probandae affero Clauſulam, ſeu ſubſcriptionem, quae dicto Collectaneo juſſu Reducis Epiſcopi Neapolitani ſubjecta , eſt.

, Et (67) orationibus beatae & glorioſae ſemper Virginis Mariae hunc codicem Excerptorum, , quae ex opuſculis S. Auguſtini beatae (68) recordationis Egipius (69) Presbyter & Abba (70) , fecit, & eum codicem Dei aſpiratione pro amore Divinarum Scripturarum adhuc in laica vita conſtitutus Redux miſericordia Dei Epiſcopus (71) conſcribi fecit, & privatus 5 (lege (72) praefatus) Redux Dei gratia (73) faciente in eadem Neapolitana civitate a viro, beata-

[66] Imo multo ulterius vitam prorogare potuit, ut oſtendunt rationes §. ſuperiore initae, modo fingamus an. 511. (quando is vitam S. Severini ſcripſit) fuiſſe circiter tricenarium.

(67) Nec Mabillonius, nec Marca quidquam abeſſe initio monuit. At quo, inquies, pertinet abruptum iſtud initium? An Notarius aliud periodi initium, quam μόριον ET, prorſus neſciebat? Hoc veriſſimum eſt: nam in ſequentibus comprehenſiones ferme omnes ab ET ordiuntur. Ex Biblico ſtylo adoptavit hoc aevi ſimplicitas.

[68] Iſtud *beatae recordationis* non ad Auguſtinum refertur, ſed ad Egipium, jam diu mortuum, quum haec ſcripſit notarius.

[69] Haud aliter quam *Egipius* ſemper in hac ſubnotatione is ſcribitur; prorſus ut verum ſit, quod ante dicebam, legitimam ejus nominis orthographiam fuiſſe *Aegypius* h. e. *vulturius*. At aevo poſteriore E ſimplex pro diphthongo, & I pro littera Pythagorica ponebatur.

(70) *Abba* ſine terminali ſibilo uſurpabatur jam tum ſexto ſaeculo, quando haec adnotatio ſcripta fuit. In Facundo Hermianenſi occurrit quidam *Abba Felix*. Poſteriorum ſcriptorum exempla vide in Cangii Gloſſario. Huc etiam pertinet *Abba Cyrus*, de quo ad XXXI. Januar.

[71] Legerat hanc Notarii ſubnotationem procul dubio Sigebertus. Quumq. ibi reperiſſet, *Redux ... conſcribi fecit*, putavit, id opus *hortatu Reducis* initio ſcriptum fuiſſe, ſicq. in Eugipii elogio poſuit. Sed magis eſt ut *conſcribendi* verbum heic pro *deſcribo* uſurpetur.

[72] Mabillonius, uti vides, pro PRIVATV jubet legi *praefatus*. Cave credas. PRIVATVS tantumdem heic eſt quod *In laica vita conſtitutus*, quod proxime ante dixerat. Sciendū eſt autem ab Eccleſiae ſcriptoribus locutiones complures fuiſſe ex laica politia arceſſitas. Eo pertinet quod ſicuti in coloniis & municipiis ſumma eſset civium diviſio in *Ordinem* i. e. curiam, atque *plebem*, ſic & apud Tertullianum ſexcenties *Ordo* & *plebs* tantumdem eſt, quod Clerici & laici. Sicuti ergo *Privati* opponuntur *Senatoribus* in l. 4. utroq. Cod. *de Naufrag.* & in Leg. VViſigotorum [l. 5. tit. 4. §. 19.] *Curialibus* opponuntur *privati*, qui ſcil. nullum in civitate munus obeunt; ſic ex hierarchica loquendi conſuetudine *ordo*, *curia*, *ſenatores* ſunt Eccleſiae mini-

, *beatissimo Pelagio* [74] *Sedis Romanae Pontifice est Episcopus ordinatus: & eo jubente*, , ego

ministri; laici autem, quantumvis saeculi dignitatibus insigniti, *privati* vocantur. Sane doctissimus Marca, qui hanc eamdem clausulam non tantum ex Germanensi, sed & ex Rivipullensi codice eruit, tamen PRIVATV edidit, nulla adjecta nota, per quam de eo vocabulo dubitationem ingereret.

Hinc autem rem scitu pulchram de Reduce nostro discimus; eum scil. adhuc *in laica vita constitutum*, seu *privatum*, electum fuisse Episcopum & a Pelagio Pont. ordinatum: id quod etiam de S. Paulo Jun. (cujus in his Fastis notatur depositio die XVII. Febr.) refert noster Jo: Diaconus. Ac Petrus notarius putavit hoc ad Reducis laudem pertinere, quod adhuc *privatus* sive laicus, talis sit habitus, ut Episcopus a Pelagio ordinari meruerit.

Sane vero tum ante istud *& privatu*, tum superius ante *& eum codicem*, & infra ante *Et eo jubente*, ubique *αλείαν στιγμὴν, majorem distinctionem* adpingi jubeo (& itaut monosyllabum ET tantumdem sit sermone *διωνυμῷ*, quod *Et postea* seu *mox*) in hunc modum .... *hunc codicem* ... *Egipius* ... *fecit*. *Et* (postea) *hunc codicem* ... *adhuc in laica vita constitutus Redux misericordia Dei Episcopus conscribi fecit*. *Et* [mox] *privatu Redux* ... *a viro beatiss. Pelagio* .. *est Episcopus ordinatus*. *Et* (postea) *eo jubente &c. emendavi*. Ergo per hos gradus Collectaneum illud in Neapolitanae Ecclesiae forulos illatum fuit. Principio id Lucullanensis Abbas elucubraverat, & ad Probam miserat. Postea Redux laicus illud *conscribi* h. e. describi fecit. Deinde factus Episcopus id a notario emendari jussit. Postremo emendatum Ecclesiae suae obtulit.

(73) Videtur non vox *Faciente* prodiisse e Notarii manu, sed *Favente*: deinde ubi minusculi characteris usus invaluit, facile librario fuit evanidum (u) perinde accipere, ac si esset (ci). Simile certe quiddam in Tertulliano lib. *de patientia* cap. V. accidit in illis verbis: *Porro quum Deus optimus, diabolus e contrario pessimus; ipsa sui diversitate testantur, neutrum alteri facere*. Vbi in Vrsini codice legi *Favere*, monet Rigaltius. Aut certe utrobiq. *Facere* idem est quod *συνεργεῖν cooperari*: nam Tertulliani argumentum niti videtur illo, *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur*. Ad summam aut *Favente* fuerat e prima manu: aut vero *Faciente* idem quod *Favente*, sive *opitulante*.

[74] *De Reducis anno & die ordinationis, & quamdiu sederit.*

Pelagius II. ann. 577. exeunte (sive ineunte 588. more CPolitano) factus est Pontifex. Quare non ante id tempus ponenda est laici Reducis ordinatio. Ex eo vero quod praecedit, *Dei gratia faciente, IN eadem Neapolitana civitate a ... Pelagio ... est Episcopus ordinatus*, fortassis colligi possit, Pelagium tunc temporis forte fortuna Neapoli commorantem, ibidem Reducem ordinasse. Hanc enim intelligentiam ingerit praepositio IN. Quamquam ne id quidem necesse est. Nam illud *IN Neap. civitate* referri fortassis possit non tam ad *Ordinatus*, quam ad *Episcopus*. Itaq. *Ordinatus est Episcopus IN Neap. civitate* tantumdem erit, quod *Episcopus Neapolitanae civitatis*, vel *pro Neap. civitate*. Sicuti quando in Pontificum vitis dicitur, *Episcopos per diversa loca* ordinavit tot; non necesse est, illa loca omnia circumvisse Pontifices; sed idem est atq. Episcopos diversorum locorum tot ordinavit. Accedit, quod in hujus Clausulae exemplo, quod edidit Marca, scribitur accusandi casu, *In eamdem Neapolitanam Civitatem*; sed tamen etiam aevo politiore *esse in potestatem* pro *potestate*, & ejusmodi sexcenta usurpabantur. Omnino prior interpretatio (de Reduce *in eadem* [h. e. *ipsa ἐμφανῶς*] *Neap. Civitate* ordinato) multo proniore alveo fluit: quae utinam & ab historia fulciri posset. Nam in Anastasio nihil aliud legitur, quod eo trahi utcumq. possit, praeter istud: *Hic ordinatur absque jussione Principis, eo quod Langobardi obsiderent civitatem Romanam*. An ea obsidio Pelagium compulit, ut sive suppetias a viciuis petiturus, sive qua alia gratia, Neapolim digrederetur? Haec quidem merae sunt ariolationes. Quae tamen si verae essent, Pelagii Neapolim adventus una cū Reducis ordinatione referendus esset ad an. 578.

Ex his autem discis, errasse Jo: Diaconum, qui Reducis Episcopatum sub Benedicto & exordio Pelagii posuit; quum is non nisi a Pelagio ordinatus fuerit; nam sub Benedicto laicus erat.

Superest expendendum, utrum in colligendis annis Episcopatus Reducis Jo: Diaconus erraverit. *Sedit*, inquit, *annos III. dies XXIIII.* Ista *ἀπολογία*, qua etiam dies in numerato habet, plane persuadet, patuisse Chronographo antiquiores memorias, proinde haud temere ei fidem esse derogandam. Ordiar a diebus, mox de annis dicam. Ex nostro hoc marmore discimus DEPositionem Reducis in XXIX. Martii incidisse; a quo die si detrahas dies XXIIII. [qui numerus supra annos episcopatus excurrit] jam constabit, Reducis ordinationem in V. ejusdem Martii incurrisse. Quod si

anno

;ego Petrus (75) Notarius S. Ecclesiae Catholicae [76] Neapolitanae, ut potui, emendavi
R
, sub

anno 578. (uti mox conjiciebam) die V. Martii ordinatus fuit, nec plus quam an. III. dies XXIV. sedit; sit ut idem Redux decesserit anno 581. die XXIX. Martii. At Clausula ista, in quam eandiu commentamur, scripta fuit [uti ostenderur] eod. anno 581 exeunte, h. e. Id. Decemb., dum adhuc viveret Redux. Quo circa aut dicendum erit, eumdem serius sacratum fuisse [nim. die V. Martii an. 579.] aut, quod magis credo, deesse in annis Reducis primam arithmeticam notam (antiquitate scil. in autographo delctam) sive I. fuerit, sive V. sive X. itaut Redux in universum sederit annos sive IIII. sive VIII. sive XIII. & quod excurrit. Ac sane *Demetrii*, qui Reduci successit, notitia non ante S. Gregorii pontificatum, h. e. non ante an. 590. [non 580. quo anno Vghellus exordia Demetrii ponit] occurrit. Quo fit, nihil impedimento esse, quominus Redux totos annos XIII. dies 24. in Episcopatu transegerit; modo ostendi possit, denarii notam potius quam quinarii, aut μοναδος, in Jo: Chronographo desiderari.

[75] Quo sensu heic *Notarii* vox usurpetur, non est aestimatu difficile Gregorium legentibus, apud quem II. Ep. 54. occurrunt *Ecclesiae Romanae Notarii*: qui quidem ex IV. Ep. 25. Epistolas Pontificum Rom. subscribebant [ut heic Petrus jussu Reducis huic codici a se emendato subscribit] fortassis ad αυθεντιαν conciliandam. Hinc qui Latinis Ecclesiae scriptoribus *Notarii*, ii Graecis ὑπογραφεις aut ὑπογραμματεις vocantur, quasi si *subscriptores* aut *subscribas* dixeris; quod & *exceptoris* notionem habere possit. Nam id quoq. unum fuit ex notariorum officiis, quod & *Notarii* nomen ipsum declarat, a *notis*, per quas excipiebant, dictum. Vnde in gestis Collationis inter Catholicos & Donatistas legitur: *Excipientibus quoq. Januario et Vitale Notariis Ecclesiae Catholicae, Victore & Crescentio Notariis Ecclesiae Donatistar.* His notariis praerat Primicerius notariorum, iisq. ferme Presbyteri quum ceteri notarii solerent simul lectores esse, uti censet Valesius ad Socratem V. 22. ubi plura hùc pertinentia reperies. Praeterea ad eosdem pertinebat (saltem apud Latinos) virgam seu baculum ante Episcopum portare: quod *Notariorum officium* fuisse, diserte legitur lib. 2. de Vita B. Caesarii Arelatensis. Postremo eorumdem munus erat libros a librariis exscriptos emendare, & emendationis ejus sua subscriptione fidem facere; ut ex hac pulcherrima Cod. Eugipiani subscriptione discimus. Quod quia singularem eruditionem requirebat; ex eo factum ut Episcopi doctissimum quemq. ex Clericis ad id munus deligerent. Sic Athanasius Alexandri [apud Sozom. lib. 2.] Proclus Attici (apud Socr. lib. 7.) notarii fuerunt. Vide apud Reinesium Cl. XX. n. 62. epitaphium EVGENII NOTarii, cujus doctrina districho 2. & 4. extollitur, & ita ut hymnographus fuisse mihi videatur. Sed & eadem Cl. n. 57. legitur: LOCVS DVLCITI ET EVTICHITIS NOTariorum ECCL. ROM.

(76) Notanda est haec inscriptio, *Notarius Sanctae Ecclesiae CATHOLICAE Neapolitanae*: ubi videbitur *Catholicae* tantumdem esse quod *orthodoxae*, ut opponatur *haereticae*. Nam ea notione quaevis particularis *paroecia* (quam nunc *dioecesim* vocamus) *Catholica* dici poterat. Idque usurpavit Athanasius to. 1. pag. 779. ubi Constantinus scribit τῳ λαῳ τῳ κατα Αλεξανδρειαν καθολικης Εκκλησιας, *populo Catholicae Ecclesiae Alexandrinae*. Eod. tom. pag. 797. Episcopi Aegyptii Tyri congregati scribunt: *Animadvertimus namque multa in gratiam Meletianorum, multa rursus ad insidias* [τῆς καθολικης εκκλησιας της εν Αιγυπτῳ] *Catholicae in Aegypto Ecclesiae, sub nostris nominibus agitari*. Vide & August. *contra epist.* Manich. cap. 4. ubi *Quaerenti peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum Basilicam suam, vel domum* audet *ostendere*. Vbi *Catholica* est orthodoxorum conventus. Et ea quidem notione Clerus & populus Neapolitanus dici *Ecclesia Catholica* poterat.

Sed magis est, ut *Catholica* hoc loco idem sit quod *Cathedralis*, cujus tantum Petrus iste, non vero universae Neapolitanae paroeciae, dicebatur *Notarius*. Et exempla quidem notionis hujus plura apud Cangium reperies: ut quod Majorem Alexandrinam Ecclesiam Epiphanius in Haer. Arian. καθολικην vocet. Sic etiam Damascena major a Theophane; Sophiana Ancyrae ab Eleusio; Magna CPolitana Ecclesia a Nicephoro XV. 22. nuncupantur *Catholicae*. Sed & in hodiernis Athenis Cathedralem vulgo appellant *Catholicon*. Et in vita S. Nili Jun. καθολικην εκκλησιαν Matth. Caryophilus p. 72. reddidit *Episcopalem*, & p. 123. *Cathedralem*.

At diu post VI. saeculum, quando haec Petrus Notarius exaravit, etiam baptismales Ecclesiae vulgo *Catholicae* dicebantur. In Trullana Synodo [septimo exeunte saeculo habita] hac primum notione vox ea reperitur, cujus Canon LIX. vetans *in oratorio domestico* celebrari baptisma, simul praecipit, ut baptizandi (τους καθολικαις προσεχεσθωσαν εκκλησιαις) *ad*

ca-

Digitized by Google

, *sub die Iduum Decembrium* , *Imperatore Domino nostro* TIBERIO *Constantinopolis Augusti* [77] *anno septimo* , *post consulatum ejusdem Augusti anno tertio* , *Indictione quinta* , 10 *decima, obsidentibus Langobardis* [78] *Neapolitanam civitatem. Quem codicem pro memoria recordationis nominis sui praedictus Episcopus devote Sanctae Ecclesiae Neapolitanae cui praeest, pro aedificatione populi Christiani noscitur* [79] *obtinuisse. Et obtestor*

, *vos*

catholicas accedant Ecclesias: ubi vides, non aliter sic appellatas, quam ut *privatis oratoriis* opponantur. Haec vera est hujus notionis origo, non quam tradit Cangius in Glossario, nimirum quod quum olim ab Ecclesiis Monachorum feminae, a Monialium viri arcerentur, solae parochiales dictae sint *Catholicae* h. e. generales. Atqui quod dixi verum est. Nam quum Trullano canone *Catholicae* (in quibus baptizare liceret) opponerentur *privatis* (ἰδιωτικοῖς) *oratoriis*; ejus canonis celebritas, praesertim apud Graecos, fecit, ut omnes *Baptismales* [sive Parochiales] Ecclesiae deinceps *Catholicae* dicerentur. Primus hoc significatu post Synodum Quinisextam hanc vocem usurpasse reperitur noster Jo: Diaconus, qui de Sotere (quinti saec. Neapolitano Episcopo) sic scripsit: *Hic Ecclesiam CATHOLICAM beatorum Apostolorum in Civitate constituit, & Plevem* [h. e. *Plebem* sive parochiam, Italis *Pieve*: cujus vocabuli cum ea notione vide plura exempla in Cangii Glossario in PLEBES] *post S. Severum secundus instituit. Qui* (cor. *Quae* cum Muratorio) *usque nunc, Domino propitio, sedulo laudes Christo referre non cessat*. Vult chronographus a Sotere exstructam fuisse *Ecclesiam Apostolorum* [non a Constantino, quod quidam ab Ant. Caracciolo citati commenti fuerunt, tacente Anastasio] sicuti a Severo *Severianam*. Porro sicuti Severus in sua Severiana *Plebem* i. e. plebis conventum sub suo Curione primus instituerat; ita & Soter hoc idem in Ecclesia Apostolorum fecit, post Severum scil. secundus. Hinc Jo: Diaconus illam Apostolorum Ecclesiam vocat *Catholicam*, i. e. baptismalem, non quod jam inde a Soteris aevo *Catholica* vocaretur, sed quod ipsius Johannis aetate eam appellationem jam vulgo obtineret. Atque hinc discis, primam omnium Neapoli *Plebem* [i. e. Parochiam] fuisse *Severianam* (hodie *S. Giorgio*) a Severo constitutam IV. saec., mox alteram *SS. Apostolorum* a Sotere V. saeculo factam.

(77) Istud quidem *Augusti* [gignendi casu] facile quivis intelliget vertendum esse in ablativum AVGVSTO. At illud quis concoxerit, quod is Princeps heic nuncupetur *Constantinopolis Augustus*? Quis umquam in nummis, in marmoribus, in libris, sive hunc, sive alios imperatores sic vocatos reperit? Atqui scio Tiberium hunc in nummis sic plerumque inscribi: D.N. TIB. CONSTANT. P.P. AVG. (interdum tamen una labiali littera P. AVG.) h. e. *Dominus noster Tiberius Constantinus Perpetuus Augustus*. Nec aliter noster Notarius heic debuit scribere, quam auferendi casu in hunc modum: IMP. D. N. TIBERIO CONSTANTINO PP (aut cum simplici P) AVG. At vero postquam posterior aliquis librarius ὁλογραμμικῶς [*integris omnibus litteris*] haec scribere pensi sui duxit; ratus illud CONSTANTINO P non aliud significare quam *Constantinopolis* (quis id non credidisset? nam & olim & nunc ea civitas sic etiam solet per compendium notari) iturum sese a lectore gratiam existimavit, si plena scriptura exhiberet CONSTANTINOPOLIS. Itaq. id lectionis portentum semel admissum, in omnia deinceps apographa ex illo scioli exemplo propagata profeminatum fuit. Nec enim aliter Marca exhibuit: quod argumento est, & in Germanensi & Rivipullensi sic repertum. Ceterum vera loci hujus lectio ea est, quam indicavi, *Imperatore Domino nostro Tiberio Constantino Perpetuo Augusto*. De quo nemo nisi stipes dubitaverit.

(78) Si non aliud ex hoc monumento commodi consequeremur, at hoc certe pulchrum est, quod inde discimus, an. 581. Langobardos Neapolim obsedisse. Et quidem tertius decimus is numerabatur annus ab ingressu Langobardicae gentis in Italiam, regnoq. Alboini: at vero idem obsidionis Neapolitanae annus in decimum incidit Zottonis primi Beneventanorum Ducis, cujus primus annus a Camillo Peregrinio [cui Langobardica historia debet plurimum] componitur cum ineunte anno 571.

(79) Scripserat Notarius *Obtulisse*, pro quo mox librarii supinitas substituit *Obtinuisse*. Huc pertinet, quod infra legitur, *Sic haec OBLATIO codicis*, quod manifeste refertur ad praecedens *Obtulisse*. Imo non aliter, quam *obtulisse*, Sigebertus in suo Eugipiano Codice legerat. Nā sicuti is hanc Clausulam prae oculis habuit, quum *Hortatu Reducis* Eugipium defloraſſe Augustinum scripsit, ut ante animadvertimus sic indidem illud transtulit, *Et per manus Reducis*.. *OBTVLIT Ecclesiae Neap.* Ac sero tandem animadverti, hanc mendam [*obtinuisse* pro *obtulisse*] peculiarem Germanensis Cod. fuisse, non item Rivipullensis. Nam Marca qui utrumque vidit, edidit *Obtulisse*.

Digitized by Google

, vos ſanctos ſucceſſores(80) *Eccleſiae ſuprāſcriptae, Dei gratia ſuccedentes, in diverſis ordinibus conſtitutos, per Dei noſtri omnipotentis adventum, ut hic codex in Eccleſia Dei ſem-, 15 per valeat permanere, ut quomodo fides aeterna eſt Chriſtiana, ſic haec oblatio codicis in , Eccleſia* (81) *jure Deo cuſtodienda, & .. vobiſq. ſervientibus ibidem ſemper ſervetur. Teſtes , ſitis etiam vos per confeſſionem meritaq. beati* [82] *Januarii Martyris, ut ſub nullo* (83) *ar-, gumento, nulla alienatione, nulla commutatione de archibo Eccleſiae* (84) *vel jure aliquo mo-, do diſcedat, ut cum praedicto Pontifice Reduce in divino judicio cauſas reddere videamini.*

FINIT. AMEN.

, Caſſiodorus Senator in lib. de Div. , Lectionib. cap. 23. commendat opera , Eugipii Presbyteri, quem ſibi viſum te-, ſtatur. *Hic ad parentem*, inquit, *noſtram , Probam virginem ſacram ex operibus S. , Auguſtini valde beatiſſimi quaeſtiones ac , ſententias, ac diverſas res defloranſ, in , uno corpore neceſſaria nimis diſpenſatione , collegit, & in trecentis triginta octo capi-, tulis collocavit.* Eugipii librum excerpto-, rū continet bibliothecae noſtrae Germa-, nenſis vetus codex, ab annis fere octin-, gentis exaratus: in cujus fine legitur , ſubſcriptio praemiſſa, quam *Redux* , Neapolitanus Epiſcopus exemplari ſe , jubente deſcripto apponi curavit. Hinc , intelligimus, codicem Germanenſem , exemplum eſſe [85] Neapolitani. Porro , ad hanc clauſulam reſpexiſſe videtur Si-, gebertus Gemblacenſis Monachus, cujus , haec verba ſunt in lib. de ſcript. Eccleſ. , cap. 39. *Eugipius Abbas hortatu Reducis* , &c.„ Quae verba heic praetermittimus, quia ſupra §. 1. ex Sigeberto attulimus.

, Hic duo peccat Sigebertus, & quod , Eugipii excerpta Renducis ſeu Reducis , hortatu defiorata ſcribit, & quod Eugipiū , ait vixiſſe tempore Pelagii II. & Tiberii , Imp. Et quidem Reducem tranſcribendi , Collectanei Eugipiani auctorem fuiſſe, , demonſtrat ſuperius fragmentum: at , vero exemplum Reducis longe poſt con-, ditum ab Eugipio librum prodiit, immo , poſt Eugipii obitum, quippe qui in ea , clauſula *beatae recordationis Presbyter* , appellatur. Certe Eugipius ipſe in ope-, ris ſui Praefatione ad Probam, ait ſe ad , id impulſum fuiſſe hortatu non Redu-, cis, ſed Marini [86] Abbatis, ejuſq. , Monachorum. Sic enim praefatur: *Do-*

(80) Quos *ſucceſſores* intelligat, patet ex eo quod ſequitur, *in diverſis ordinibus conſtitutos*. Omnes Clericorum ſucceſſores alloquitur, quibus eum codicem contrectare permiſsum erat.

(81) Pro *In Eccleſia jure* [quo modo etiam Marca exhibet] legendum cenſeo, *In Eccleſiae jure*. At quae ſequuntur, nec Oedipus expediverit. Verum reſtituenda ſunt in hunc modum: *In Eccleſiae jure, Deo cuſtodiente, vobiſque ſervantibus, perſeveret*. Hanc veriſſimam lectionem magna ex parte Marcae debeo (quam credo in Rivipullenſi deprehendit) niſi quod pro *cuſtodiente* [quod unum ſententia requirit] in ſuo exemplo edidit *Cuſtodiend...* & pro *Eccleſiae jure* poluerat *Eccleſia jure*.

[82] Quod ſupra innuimus, Petrum fuiſſe notarium *Catholicae* h. e. Cathedralis Eccleſiae, confirmatur ex mentione *B. Januarii Martyris*, in cujus Eccleſiae tabularium inferebatur codex. Ac volupe eſt antiquam ejus tutelā hinc diſcere.

(83) Ideſt aſtu, vel artificio. S. Greg. V. 31. eiſdem verbis utitur: *Sub quolibet ingenio vel argumento*. Paſſio SS. Perpetuae & Felic. *Eſt victus argumentis Diaboli*. Ac vide porro Salmaſium ad Tertulliani Palſium p. 79.

[84] Poſt *Jure* eſt leviter diſtinguendum, ut ea vox referatur, non ad *Aliquo*, ſed ad *Eccleſiae*. *De archivo Eccleſiae vel jure, aliquo modo* &c. Atque hactenus in monumentum, quod quantalibet gaza Neapolitanis carius eſſe jubeo. A quo ſicuti plurima in rem noſtram commoda conſecuti ſumus, ſic ei viciſſim decuit quam potui parem commentando gratiam referre.

[85] Hoc vult: Germanenſem, cui ea clauſula ſubnectitur, olim ex Neapolitano propagatum.

[86] De *Marino* hoc Ab. memini me alicubi apud antiquos reperiſſe mentionem: ſed fruſtra id nunc quaero. Sed & *Marinus* ille nobiliſſimus philoſophus & geometra, qui Proclo in cathedra Athenienſi ſucceſſit, *Neapolitanus* inſcribitur, verum ex Flavia Neapoli Samariae. At *Marinus Neapolitanus* ex genere magiſtrorum militum ſub Alexio Comneno, is vere ad noſtram Neapolim pertinet. Hunc Anna in Alexiade pag. 400. vocat τὸν Νεαπολίτην Μαρῖνον *Marinum Neapolitanum*; quem & ſupe-

Digitized by Google

, *minae merito venerabili & fructu sacrae* , *Virginitatis in Christi gratia semper inlu-* , *stri PROBAE EVGIPIVS omnium ser-* , *vorum Dei famulus in Domino salutem di-* , *cit. Excerptorum codicem, quem de non-* , *nullis operibus S. Augustini, cohortante* , *Domno meo Marino Abbate, vel ceteris* , *ejus sanctis Fratribus, quomodocumque* , *compegeram, continuo transferri vobis san-* , *cto, quo polletis, studio voluistis* &c. Ex , quibus verbis corrigitur Sigeberti pri- , mum erratum, quod alteri mendae , occasionem dedit. Cum enim Reducem , Eugipio scribendi Collectanei auctorem ; existimaret Sigebertus, consequens fuit, , ut Eugipium Reducis [87] aequalem , fuisse putaverit. At sicuti falsum est Si- , geberti fundamentum, ita etiam con- , secutio falsa.

, Eodem affectus praejudicio Roswei- , dus in Prolegomenis ad vitas Patrum, , duos distinxit Eugipios, unum Lucullа- , nensem in Italia Abbatem, qui teste , Isidoro Hispalensi Episcopo *libellum de* , *vita sancti Monachi Severini composuit*, , & post consulatum Importuni seu Op- , portuni, h. e. post an. Christi 509. cla- , ruit; alterum Abbatem Africanum ab , Sigeberto laudatum, qui temporibus Pe- , lagii Papae secundi, & Tiberii Augusti, , i. e. sub annum 580. librum Excerpto- , rum ex Augustino conflaverit. Roswei- , dum secuti sunt Jo: Bollandus tom. 2. , Januarii ad vitam S. Severini Presb. & , Aub. Miraeus in notis ad cap. 39. Sige- , berti. Hanc duorum Eugipiorum distin- , ctionem, & Sigeberti cui innititur fun- , damentum paucis refellere juvat.

, Vnum & eumdem fuisse Eugipium & , qui librum de gestis S. Severini edidit, , & qui Collectaneum Augustinianum fe- , cit, arguunt patria, dignitas, atque , aetas utrique Auctori communis. Eugi- , pius quippe Severini laudator Italus , fuit, deguitque apud Lucullanum in , Campania: ubi sine dubio etiam vixit , Excerptor Augustinianus, unde tamquam , ex vicino (88) loco Redux Neapolita- , nus Episcopus exemplar Excerptoris ac- , cepit. Presbyter & Abbas fuit Eugipius , Severini Encomiastes: Abbas quidem , testante Isidoro in lib. de Scriptorib. Ec- , clesi. cap. XIII; Presbyter vero, ut te- , statur Paschasii Diaconi epistola, quae , vitae S. Severini praemissa est, *Domino* , *sancto semperque carissimo Eugipio* inscri- , pta. Vtrumque nomen Presbyteri & , Abbatis Excerptori asserit fragmentum , nostrum. Denique Eugipio utrique (sic , interim loqui liceat) eadem aetas con- , venit. Eugipius enim vitam S. Severini , scripsit biennio post consulatum Impor- , tuni h. e. anno DXI. ut ipse testatur in , Epistola ad Paschasium Diaconum. Eo- , dem tempore Augustiniana excerpta , condidit Eugipius: siquidem opus suum , inscribit Probae virgini, quae ineunte , saeculo sexto florebat. Hujus rei cer- , tum nobis argumentum suppeditat Ful- , gentius Ruspensis Episcopus, qui Tra- , ctatus duos de Jejunio & Oratione , eidem Probae nuncupavit sub annum , Christi quingentesimum quintum. Cer- , te Cassiodorus Senator quum librum In- , stitu-

superius appellaverat τὸν ἐκ Νεαπόλεως Μαγίστρον τῶν Σεβαστῶν. τῶν Μαϊστρομιλίτων [sive potius Μαϊστρομίλτων] ἔτος ὑπῆρχε τῷ γένος. h. e. *Marinum* (dignitate) *Sebastum, domo Neapolitanum, ex genere Magistror. militum*. De his Μαϊστρομίλτοις, *Magistris militum* nostris pulchra ibi affert Cangius; ubi & hoc monet, tunc temporis Sergium genere Graecum fuisse Neapoli Magistrum militum, ex cujus domo videtur fuisse *Marinus*. Qui i dem fuerit necesse est, atque is qui subscripsit Diplomati Rogerii Ducis Apuliae Calabriae & Siciliae an. 1093. pro Ecclesia Cosentina apud Vghellum tom. IX. his verbis: *Ego Marinus Imperialis* [hoc respondet voci *Sebastus*] *Magister atque Stratigo*. Ac mansit hodiedum in quibusdam procerum domibus *Marini* nomen: quod originae Syriacum est; qua lingua *Mar* (unde *Maris* & *Marinus*) significat *dominum*.

(87) At si Redux ante Episcopatum, adhuc juvenis, senem Eugipium ad id impulisset; non continuo sequebatur, aequalem, sed supparem Monacho fuisse.

(88) Lucullanum vix uno milliario ab ve- tere Neapoli aberat: nunc, prolatis pomoeriis, urbis pars est, *Castrum Ovi* impositum habens

Digitized by Google

, ſtitutionum ſcriberet (ſcribebat autem , ante ann. DLX. (89)) de Eugipio Excer- , ptore non ſecus, quam de mortuo agit , his verbis: *Convenit, ut Presbyteri Eu- , gipii opera neceſſario legere debeatis, quem , nos quoq. vidimus* &c. Quum ait *Vidimus*, , (90) ſatis indicat, Eugipium hunc jam , vivere deſiiſſe eo tempore, ac proinde , longe ante pontificatum Pelagii II. qui , ſedem Rom. iniit ab an. 577. uno anno , [91] ante Tiberii principatum. Ex his , omnibus certo, ni fallor, conficitur, non , duos, ſed unicum fuiſſe Eugipium, cui , liber de vita S. Severini cum Regula , Monaſtica ab Iſidoro memorata, atque , Excerpta Auguſtiniana tribuenda ſunt.

, Jam vero ex ſuperiore fragmento , diſcimus, Reducem Epiſcopum, qui , exſcribendi Auguſtiniani Collectanei , auctor fuit, non Neapolis in Africa, ut , ſuſpicatus eſt Chioccarellus, ſed Nea- , polis in Campania Epiſcopum fuiſſe: ut , qui in praemiſſa Clauſula oblationem , ſuam commendat Eccleſiae Neapolita- , nae *ſub obteſtatione beati Januarii Mar- , tyris*, quem Neapolis Campaniae pa- , tronum agnoſcit.

, Poſtremo ex praemiſſis conſtituitur , tempus, quo Redux Eccleſiam Neapo- , litanam rexit, nim. Pelagio II. Ponti- , fice, imperante Tiberio Auguſto: & , quidem mandante Reduce, librum Ex- , cerptorum Eugipii ſcriptū (92) fuiſſe Ti- , berii Auguſti *anno ſeptimo, poſt Conſula- , tum ejuſdem anno tertio, Indictione quin- , tadecima, obſidentibus Langobardis Nea- , politanam Civitatem*: qui characteres , conveniunt in annum Chriſti (93) , DLXXXII. Ergo in ſerie Neapolitanor. , Antiſtitum collocandus eſt Redux, non , inter Stephanum & Pomponium, ut , apud Ferd. Vghellum [94] in Italiae , Sacrae

(89) Numquam hoc aſſentiar, Divinas Lectiones a Senatore ſcriptas ante an. 560. Sic enim rationes ineo. Liber de Orthographia a Caſſiodoro ſcriptus eſt annos nato tres & nonaginta, ut ipſe in Praefat. teſtatur. Atqui poſt id tempus *Divinar. Litterar.* ſive *Lectionum* librum fuiſſe exaratum neceſſe eſt; quippe quum in Divin. Lect. cap. XV. & XXX. mentionem libri de Orthographia fecerit. Ergo prope centenarius *Divinas Lectiones* ſcripſerit oportet, & ſub ipſum obitum. Sane qui ſerius Caſſiodori obitum protrahunt, ad an. uſq. 575. eum vixiſſe putant.

(90) Nunc quidem, poſt Clauſulam Petri Notarii deteſtam [ex qua caligo omnis depulſa fuit] facile poſſumus intelligere, Caſſiodori illud *Vidimus* de vita functo uſurpari. At antea quis praeſtare potuiſſet, an non idem *Vidimus* ad vivum, etſi longe abſentem, referretur?

[91] Hoc dupliciter falſum eſt: nam eo ipſo anno, quo Pelagius pontificatum iniit, Tiberius ſolus regnare coepit; & quadriennio ante cum Juſtino regnaverat. Vide ſup. §. 1.

[92] Non *ſcriptum*, ſed *emendatum* voluit dicere. Nam is liber jam antea juſſu Reducis adhuc laici exſcriptus fuerat.

[93] Pagius ad an. 581. nu. XVI. hujus Clauſulae, cui tamdiu immoror, parte hac, quae temporum notas continet, recitata, haec ſubjicit. , Arbitratur Mabillonius, hos characteres in an- , num 582. convenire. Verum Indictio XV. Ka- , lendas Septembris hujus anni Chriſti (581) , coepta, eā Clauſulam praeſenti anno die XIII. , menſis Decembris ſcriptam eſſe, & Petrum , notarium in numerandis Poſtconſulatibus mo- , do loquendi Victoriano uſum eſſe, certo nos , edocet. „ Modum numerandi Poſtconſulatus *Victorianum* quemnam intelligat Pagius, petē poteſt ex iis quae idem monet ad annum 542. num. 1. qui annus vulgo ſignatur, *Poſt conſulatum Baſilii V. C.* ſine ullius notae numericae additamento: at a Victore Tununenſi ſic: *Poſt Conſul. Baſilii V. C. anno II.* Ex quo vides Victorianos Poſtconſulatus anno uno ſemper auctiores procedere. Sequuntur porro ibidem apud Pagium conſectaria quaedam Chronologica & hiſtorica ex Clauſula illa Petri Notarii fluentia; quae cupidi apud eumdem legere poterunt. Eccui enim Pagii opus ad manus non eſt?

Ceterum non intelligo, eccur Pagius Mabillonium in eo reprehenderit, quod hunc annum per notas Chronologicas a Petro Notario deſignatum pro 582. habuerit. More quidem vulgato quo annus uſque ad prid. Kal. Jan. decurrit, is erit annus 581. At vero quia Indictio XV. a Kal. Septembr. ejuſd. anni 581. procedit; more CPolitano a dictis Kal. Septembr. novus annus 582. auſpicabitur. Proinde Idus Decembres (quibus eam Clauſulam exaravit Notarius) incident in annum 582. more CPolitano.

(94) Vghello ducem ſe antea praebuerat Chioccarellus noſter, qui in Catalogo Epiſc. Neap. primus Reducis Epiſcopatum antevertit

, Sacrae tom. VI., ſed inter Vincentium , & Demetrium. Ceterum obſervatu dignae ſunt praemiſſae chronologicae notae; ex quibus intelligimus, Tiberium dictum fuiſſe Auguſtum triennio (95) ante initum a Juſtini morte imperium, & Neapolim a Langobardis obſeſſam fuiſſe anno DLXXXII. (96) qui Indictione XV. praeditus erat.

, In fine neſcio, an operae ſit pretium monere, Eugipii Excerpta typis edita prodiiſſe Baſileae ann. 1542. & Venetiis anno ſequenti cum hac inſcriptione: D. (97) EVGIPII ABBATIS AFRICANI *theſaurorum Tomus primus*. Nam diviſus eſt liber in tomos duos, qui in ſcriptis codicibus una ſerie procedit a capite ad calcem, *in trecentis triginta octo Capitulis*, ut obſervavit Caſſiodorus Senator. Fallit etiam inſcriptio, ubi Eugipium Abbatem vocat *Africanum*: quum dicendus ſit Abbas Italus Monaſterii Lucullani (98) prope Neapolim Campaniae, non Africae, ex dictis.

, Poſtea quam haec ſcripſeram, obſervavi ſuperiorem Clauſulam a Philippo Labbeo in Addendis ad Diſſert. Hiſtoricam de Scriptorib. Eccleſ. editam fuiſſe cum Epiſtola Illuſtriſſ. Petri de Marca tum Archiepiſcopi Toloſani, qui fragmentum iſtud ex noſtro Germanenſi Codice deſcriptum Labbeo ſubmiſit; erratum inde emendans Sigeberti, Eugipium ad Pelagii Papae & Tiberii Imperatoris tempus referentis. Quo perlecto gaviſus ſum, me nec opinantem in Viri Cl. ſententiam ac mentem conveniſſe: nec mihi viſum eſt ſupprimendum, quod ea de re ante animadverteram.

§. IV.

De eadem Reducis & Eugipii aetate & ſubſcriptione Codicis Germanenſis Petri de Marca judicium.

Verum in publica commoda peccaverim, niſi & Illuſtriſſ. Petri de Marca Archiep. Toloſani modo indicatam a Mabillonio epiſtolam de ea re ad Philippum Labbeum cum ſubjecta codicis Germanenſis Clauſula (quam Marca primus omnium evulgaverat) & ejuſdem ad eam ſubnotatis deprompſero. Exſtant ea quae dixi apud Labbeum in Addendis ad Diſſert. Hiſtoricam de Script. Eccleſ. to. 1. pag. 775. edit. Pariſ. Ibi Epiſtola talis eſt.

, Ex adnotatione, quam ex Cod. S. , Germani Pariſienſis & Monaſterii Rivipullenſis in Catalonia deſcriptam ad te , tranſmiſi, poteſt error Sigeberti & e- , mendari, & unde ortus fuerit, perſpici, , quum Eugipium ad tempora Pelagii , Pontif. & Tiberii Imp. refert. Confun- , dit quippe tempus exſcriptionis, vel po- , tius emendationis codicis Eugipiani cum , Auctoris Eugipii temporibus. Redux , quippe adhuc laicus volumen illud ex- , ſcribi procuravit; deinde Neapolitanae , Eccleſiae a Pelagio Epiſcopus ordinatus , idem volumen corrigi & emendari juſſit , a Petro Notario Eccleſiae Neapolita- , nae, qui diem ſuae emendationis adno- , tavit, nempe Idus Decembris, & an- , num VII. Tiberii, adjecta quoque Lan- , gobardorum obſidione, cujus tempus , hoc teſtimonio evidenter oſtenditur. , Quanti autem Redux faceret hunc co- , dicem, colligi poteſt ex eo, quod tam- , quam munus pretioſiſſimum Eccleſiae , ſuae illum contulit, in ejus archivis per- , petuo cuſtodiendum, adjecta gravium , poenarum comminatione, ſiquo prae- , textu aut colore alienaretur. Ceterum , ex iſta Petri Notarii obſervatione tem- , pus Eugipii anterius quidem Tiberio , eſſe demonſtratur, una cum Sigeberti , lapſu. Sed vera Eugipii epocha aliunde , colligenda eſt. Pronus ſum in eam ſen- , tentiam, ut hunc putem eumdem cum , Eugipio a Caſſiodoro commemorato.

, Vale

(95) Imo ſolido ferme quadriennio, uti §. 2. ex Evagrio oſtendimus.

[96] Anno, inquam, 582. ſed more CPolitano, ut ante dictum in Adnot. 93.

(97) Ideſt DOMNI. Regula S. Benedicti cap. 63. *Abbas autem, qui vicem Chriſti creditur agere, DOMNVS & Abbas vocetur.* Odilo in vita S. Majoli: *Et ab omnibus DOMNVS & Abba honoratur.*

[98] Sive potius *Lucullanenſis*: nam *Caſtrum Lucullanum* inſulae nomen erat, cui Monaſterium *Lucullanenſe* inerat.

Digitized by Google

, Vale V. C. & amicissime.

, Marca Archiepiscopus Tolosanus.

Hactenus epistola. Mox statim subnectitur tota illa codicis Germanensis subscriptio quam §. superiore ex Mabillonio recitavimus. Sed ex Marcae exemplo variantes lectiones excerpsi, quas lector in ima (99) cera reperiet, praesertim quum Marca etiam Rivipullensem codicem viderit. Post eam Clausulam, & quasdam Marcae adnotatiunculas, sequuntur ex Labbei calamo ista.

, Duo quoque hic adjungere non gravabor. I. Editionem Basil. apud Rob. , Winder duob. tomis studio Jo: Heroldi , fuisse procuratam. II. extare inter opera S. Fulgentii Ruspensis Episc. ad Egippium Epistolam de charitate & ejus dilectione: unde etiam argumentum duci , possit de aetate nostri Eugippii, quem , anno Christianae erae praeter propter , DXXX. floruisse arbitror; non vero anno circ. 580. quo nos pertraxerat Sigeberti allucinatio ab eruditissimo atque humanissimo Praesule deprehensa & emendata. Hactenus Labbeus.

XXX NS MENANDRI

Non est Menander ille Martyr Afer, qui cum pluribus sociis die XXIII. Febr. in Fastis Latinis colitur: nec qui inter Martyres Romanos Kal. Augusti in eisdem Latinis refertur. Nec aliud profecto restat, nisi ut sit ille Menander, qui cras i. e. die XXXI. hujus mensis memoratur in Synaxario Parisiensis Collegii Claromontani S. J. & alio MS. Cryptae ferratae apud Bollandistas ad 31. Mart. pag. 906. Vtrum autem Menander iste, idem sit ac ille socius S. Patricii Martyris, de quo die XIX. Maii agit Basilii Menologium, Menaea, & laudatum Synaxarium, incertum est. Patricium istum Menandri & aliorum signiferum Fasti Marmorei infra eid. diei XIX. Maii juxta cum Graecis inseruerunt, omissis de more commilitonibus.

XXXI NT S ILVCERII

ET heic I pro G positum fuit, secundum eam dialectum, quam ad V. Martii explicuimus, ubi *Ieraſimi* pro *Gerasimi* scalptum fuit. Vide ibi dicta. Ecquis autem hic *Glycerius* fuerit, haud facile praestiterim. Atqui inter duos potissimum lis tota vertitur. Quorum prior est *Glycerius* Georgii socius in Basilii Menologio ad diem XXIII. April. De hoc ibi Menaea distichon adscribunt: quod quia mendosum ibi legitur, hunc in modum restitui poterit.

Aut-

[99] Non piguit in nostrorum hominum gratiam cum Mabilloniano exemplo, quod supra adscripsimus, alterum a Marca editum conferre, & lectionum variantias ad numeros versuum exempli Mabilloniani recensitas heic subjicere.

Ac primum omnium in titulo Codicis fuisse scriptum *Evipii* pro eo, quod nunc vulgo dicimus *Eugipii*, admonet. Mox sequitur ipsa subscriptio. In qua versu 2. *Quae opuscula S. Augustini*. Ibid. *Egippius*. v. 3. *Et eumdem codicem*. v. 5. *In eamdem Neapolitanam civitatem*. v. 6. *Sedis Romae*. v. 9. *Augusti*: et sic mox [illegible]m. v. 11. *Dictus Episcopus*. v. 12. *Proaedificatione & populi*. Ibid. *Obtuliſſe*. v. 13. *Deeſt Vos*. v. 15. *Christi una*. Pulchre. v. 16. *Custodiend... vobisque servantibus ibidem perseveret*. v. 18. *archivo*. v. 19. *discedere debeat, nec cum*.

Ad eam subscriptionem haec subnotat Marca. Eadem *verba habentur in codice MS. B. Mariae Rivipullensis in Dioecesi Vicensi, ubi etiam nominatur Evipius, sic*: Hic est liber Sancti Evipii de diversis Doctoribus.

Idem & Egipius ni fallor scribitur in libro MS. Bibl. Casinensis 232. in quo reperitur liber S. Greg. Nysseni de conditione hominis ex versione Dionysii Abb. cum ejusdem epistola ad Egipium presbyterum. Hactenus Marca.

Digitized by Google

Λαιμόν σου ὡς γῆν, ὡς σύριγγα τὴν σπάθην, Γεώργε Γλυκέριε (penult. producta, non praeter Graecor. morem) προσφόρως κρίνω.

Guttur tuum arvo ſimile, vomeri ſpatham, Glyceri colone, haud abſone putaverim.

Ex quibus ſenariolis eum & profeſſione fuiſſe agricolam, & gladio jugulatum oppetiiſſe, diſcimus. Eumdem a S. Georgio ad Chriſti fidem fuiſſe converſum, omnia S. Georgii Acta, & S. Andreas Cretenſis (apud Henſchen. ad 23. April. p. 164.) teſtantur. Glycerio in Menaeis *Donatus*, & *Therinus* ſocii adjunguntur. De hoc vero Glycerio ſiquis Faſtos noſtros hoc die loqui contendet, non vetabo: nam & *Natalis* nota, adſciſcendi ex diebus aliis Sanctos poteſtatem facit.

Atqui ſi quidem veriſimiliora ſectandi ſit voluntas, potius eſt, ut *Glycerium* Mart. Neapolitanum hoc die coli exiſtimem; qui in Hieronymi Mrologio diei XIII. Januar. cum aliis adſcribitur, qui Martyr a Neapolitanis ob aliquam credo Translationem in hodiernum diem prolatus fuit. Et Epternacenſe quidem ſeu Antuerpienſe Hieronymiani apographum, ceteris antiquius, die XIII. Jan. in hunc modum habet. *In Campania Neapolim, Zotici, Heriſt, Gliceri, Felicis, Januarii.* Sic etiam in Corbejenſi, niſi quod pro *Gliceri* corrupte legitur *Clereri*; ut & in Florentiniano edito pro eod. *Gliceri* exhibetur *Claſceri*. Sed hoc viciſſim ex Florentiniano commodi conſequimur, quod duo plus Martyres numerantur his verbis: *In Campania Neapoli, Cyriaci, Cimini, Zotici* &c. ut VII. viri pro quinqueviris ſint habendi. Ex quorum numero *Glycerius* hoc die in his Faſtis extra ordinem colitur, ob aliquam credo Translationem aut Eccleſiae ei dicatae Dedicationem. De his ſeptemviris videantur adnotata ibi a (100) Florentinio viro in his ſtudiis verſatiſſimo.

[100] Florentinius ad XIII. Jan. ubi expoſtulaſſet, abeſſe hos Martyres a Neapolitanorum Faſtis, & ab Ant. Caraccioli *Sacris Monumentis*, haec inſuper addit. *Narrant ſane S. Sebaſtiani M. Acta, multa Chriſtianorum millia B. Caii Papae monitu, duce Chromatio, ad Campaniae littora ſeceſſiſſe. Bis mille quingentos nonaginta ſeptem necatos per diverſa loca Campaniae ex MS. Cod. Fundanae Eccleſiae elicit, qui ſupra Caracciolus. Sed hos Neapoli praeciſe Martyres fuiſſe non conſtat, quamquam civitas illa inter littorales Campaniae urbes numeretur. Triginta & ſex SS. Martyrum ſine nomine corpora in Monaſterio S. Gaudioſi Neap. requieſcunt: in S. Pauli Majoris LII. In Eccleſia S. Mariae de Salute extra urbem antiquiſſima & olim S. Gaudioſo dicata corpus adhuc S. Cyriaci M. colitur, ut in Neap. Sacra Caeſaris Engenii video obſervatum; ſed hunc Roma allatum habet inſcriptio an. 1656. relata a Car. de Lellis par. 2. Sac. Neap.* Haec ibi vir doctus; minus expoſtulaturus, ſi in hoc marmor incidiſſet, in quo feſtum *Glycerii* notatur.

M. APRI-

M APRILIS D XXX

IPS CALLINICI

DVbium eſt, utrum ſit *Callinicus* Martyr Apolloniae [quem Rom. Martyrologium, non ſecus ac Latinorum ceteri, cum *Thyrſo* & *Leucio* jungit die 28. Januar., at Hieronymi Martyrologium pridie ejus diei, & rurſus die 31. Jan. poſtremo Sirleti Menologium die XIV. Decembr. teſte Baronio] an vero ſit is *Callinicus* Galatiae Martyr, alibi (1) *Callinica* dictus, ſub Decio cum Baſiliſſa paſſus [de quo Baſilii Menologium die 26. Martii] an vero ſit *Callinicus* magus, Sarapionis epiſcopi commilito [de quorum martyrio idem Menologium die 24. Maii] an poſtremo ſit *Callinicus* Martyr Gangrenſis, cujus paſſionem idem Baſilii Menologium die XXIX. Julii deſcribit. Mihi ſane nullum adhuc argumentum ſuppetit, quo ad unum aliquem recenſitorum pugilum prae aliis inclinatior fiam: etſi apud Latinos ille primus Apolloniates eſt ſane quam celeberrimus. Quamquam & illud fieri poteſt, ut is qui hodie in noſtris faſtis ſignatur, novus ſit aliquis *Callinicus*, adhuc ignotus. Quid ita? quia hujus non *Natale* [quod poteſt feſtum quodvis deſignare] ſed ipſa *Paſſio* Kalendis Aprilis imputatur: quum interim nemo ex illis ſuperioribus eo die paſſus prodatur.

Hoc ultimum mihi proximum vero videtur; maxime quum in Campaniae littus olim ſub S. Caio Pont. innumeri ſancti athletae, duce Chromatio, feceſſerint, ut in Actis S. Sebaſtiani legitur: quos ad mille & quadringentos fuiſſe Petrus de Natalibus, neſcio ex quibus monumentis, prodidit. At innumerabiles certe fuerunt; qui tandem martyrium conſecuti, nomina etſi obſcura nobis, in caelo tamen deſcripta habent. Quod ſi *Callinicus* hodiernus unus ex eorū numero fuerit; non eſt mirandum, ejus diem paſſionis Neapolitanos compertum habuiſſe.

II N S POLICARPI

NOn eſt ille Smyrnenſis epiſcopus aevi Apoſtolici, de quo egimus die XXIII. Febr., ſed alius quidam Alexandriae ſub Maximiano paſſus: de quo, Latinis tacentibus, agitur hoc ipſo die apud Graecos in Baſilii Menologio, [in quo & acta (2) recitantur] Menaeis, & Maximo Cytheraeo. Eidem Synaxarium

S MS.

(1) Baſiliſſae ſocius, qui in Baſilii Menologio *Callinicus* vocatur, in ceteris Graecor. monumentis ſexus ſequioris nomen habet. Sic in Sirletiano Menologio ad diem XXI. Mart. legitur: *Certamen SS. MM. Callinicae, & Baſiliſſae, & Sacroſanctī Mart. Birilli Epiſcopi Catanae.* At in ceteris Graecor. libris de *Callinica* & *Baſiliſſa* die XXII. agitur. Sic in Menaeis tum excuſis, tum MSS. Mazarinianis, & Ambroſianis eo die Callinica & Baſiliſſa gladio interimuntur: ut & in Synaxario Collegii Claromont. Soc. Jeſu, itemque in Rom. Mrologio & Galeſinio. In hac vero ſexus controverſia [nam cetera conveniunt] pluſne dandum Baſiliano Menologio ſit, an ceteris Graecorum libris, non definio.

(2) Ex quibus conſtat, eum ſponte ſe praeſidi obtuliſſe, & poſt cruciatus capite obtruncatum fuiſſe. Hinc eidem Polycarpo in Menaeis hoc diſtichon accinitur.

Τμηθεὶς ὡς κλῆμα Πολύκαρπος Κυρίῳ,
Πλείονα καρπὸν ἀυτῷ πολύχυτον φέρει.
Polycarpus amputatus, inſtar palmitis,
Cum foenore fructum vinitori fert Deo.

Alluditur ad *Polycarpi* nomen, quod *multiplicem fructum* ſignificat, & ad genus martyrii. Cur in hiſce ſenariolis vocalis *Omicron* ter producatur, rejici poteſt cauſa in ſequentem liquidam, ſive Λ, ſive Ν: in quo mire licentioſa eſt recens Graecia.

Digitized by Google

MS. Collegii Parisiensis S. J., quod Claromontanum dicitur, συνοδίαν h. e. socios adjungit (3) ut & in aliis Graecor. libris ecclesiasticis manu exaratis apud Bollandianos ad hunc diem pag. 58. At Fasti nostri *Natalis* non *Passionis* notam huic posuerunt, quod diem Martyrii compertum minime haberent.

III DP S IOHANNIS EPI NRI

NOn est Joannes IV. qui vulgo *Aquarolius* cognominatur, sed ejus nominis primus, S. Paulini Nolani aequalis, & ab eo ad Paradisum evocatus. Quod quia a nonnullis in controversiam vocatur; sequentem Dissertationem huic inserendam putavi.

DISSERTATIO

De duplici Neapolitano Joanne, I. & IV.

Antequam de hujus diei festo disputationem instituo; quia quatuor Joannes mihi assidue nominandos esse video (quorum duo Episcopi Neapolitani fuere, duo alii scriptores) ne eadem semper nomina inculcando tenebras lectori offundam, sic rem trasigam, ut Episcopos quidem suo appellem nomine, puta *Joannem I.* & *Joannem IV.*, aut brevius illum *Primum*, hunc vero *Quartum*. At vero in duobus illis scriptoribus laudandis gradum, quem in Ecclesia Neapolitana tenuerunt, usurpabo. Itaque Joannes ille Diaconus, qui IX. saeculo Neapolitanor. Antistitum Chronicon contexuit, ἁπλῶς *Diaconus* huic a me appellabitur: at vero ille alter multo recentior Joannes, qui saec. XIV. S. Joannis IV. vitam a se scriptam reliquit, a me posthac *Cimeliarcha* vocabitur; hoc enim honore in Capitulo Neapolitano potiebatur. Nunc ad festum diei hujus propero.

§. I.

Joannem I. non IV. hoc die in Fastis signari.

Quatuor in serie Neapolitanor. Antistitum a *Diacono* Episcopi nomine *Joannes* referuntur, quorum primus inter Vrsum & Nostrianum medius, S. Paulini Nolani aequalis fuit, provecto jam saeculo V. mortuus. Mox duo alii Joannes, ambo saec. VI. decurrente hanc cathedram tenuerunt. Postremo Joannes IV. inter Tiberium & Athanasium medius sedit, medio IX. saec. mortuus, qui olim cognomento *ad Aquarolam* dicebatur, nunc vulgo *Aquarolius*, qui hodie a nobis die XXII. Junii colitur. Sed & ille Joan. I. haud dubie olim inter Sanctos numerabatur, quandoquidem (testibus Vranio presb. aequali scriptore, & *Diacono* chronographo) a Paulino Nolano ad Paradisi gaudia secundum quietem evocatus fuit. Vter porro ex his duobus in nostro marmore hoc die consignetur, id vero est quod nunc quaerimus.

Equidem citra omnem dubitationem affirmo, agi hodie de Joanne illo primo, cui Paulinus apparuit. Etenim nostrum hoc Monumentum in Sanctis episcopis consignandis non ultra S. Paulum Junio-rem qui IX. ineunte saeculo emigravit, progreditur; ut ad diem XVII. Februarii demonstravimus. Hinc de B. Tiberio Joannis IV. decessore, & de S. Athanasio ejusdem Joannis IV. successore, (qui quidem Athanasius, ut ibidem ostendimus, quinquennio saltem post mortem coli coepit) in his Fastis sile-tur. Deinde etiamsi Kalendarii hujus Auctor post Joannem IV. incidi hoc marmor fecisset; non continuo tamen eum Fastis inscribere debuisset, quem non est verisimile tam cito fuisse Ecclesiae judicio inter Sanctos relatum. Contra vero idem Kalendarii auctor Joannem illum primum non debuit praetermitte-

(3) In Clarom. Synaxario: Καὶ ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων Πολυκάρπου, καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ. Quid sit συνοδία i. e. *comitatus*, diximus ad Luc. II. 44. Idem porro *comitatus* [nusquam tamen enuntiatis comitum nominibus] additur in MS. Mazariniano, Ambrosiano, & Arabo-Aegyptio apud Bollandianos hoc die.

Digitized by Google

mittere, cujus ſanctiſſimus exitus B. Paulini apparitione teſtatus, & minime inficiandis monumentis conſignatus reperiretur. Poſtremo, ut cetera nunc taceam, de Joanne IV. ſicuti nunc feſtum die XXII. Junii agitur; ſic eumdem olim ſi minus eodem die cultum oportuit, at certe (ſi Chioccarello credimus) die I. Aprilis, aut ejuſdem die II. aut Martii XXXI: de quo infra diſputabimus. At vero qui in his Faſtis hoc die occurrit, ejus *Depoſitio* die III. Aprilis ſignatur: quocirca non alius eſſe potuit ab Joanne I., ut qui ab Vranio & a *Diacono* Sabbato Sancto mortuus, die vero Sancti Paſchae ſepultus refertur. Et recte calculi procedunt. Nam anno CCCCXXXII. (qui fuit alter a S. Paulini morte) Paſcha in diem (4) tertium Aprilis incidit: quo die ſanctus epiſcopus traditus eſt ſepulturae, eoque recte in his faſtis ejus *Depoſitio* (quae vox modo diem emortualem, modo ſepulturae notat) die III. Aprilis ſignatur. Ceterum cur Cl. Papebrochius audiendus non ſit, qui hujus Joannis I. obitum ad uſque annum 440. diſtulit, infra videbimus.

§. II.

Diluuntur objectiones.

Et hactenus quidem dicta aequis rerum aeſtimatoribus ſatis eſſe poterant, niſi narrationi Vranianae de apparitione S. Paulini Joannem ad Caelum evocantis, dicam impegiſſent primum Chioccarellus, atque Caracciolus, deinde hos ſecuti Vghellus, aliique. Putat igitur Chioccarellus, narrationem de S. Joanne Neapolitano per Paulinum ad caelum evocato, quae paſſim Vranii epiſtolae de Paulini obitu adtexitur, eſſe alienum pannum purpurae adſutum. Quid enim? ſe aliquot vidiſſe vetuſtos codices, in quibus ab Vranii epiſtola ea narratio abeſt: adhaec Gregorium Turonenſem, quum exeunte VI. ſaeculo Vranianae epiſtolae narrationes, & quidem iiſdem ferme verbis, intexuiſſet ſuae hiſtoriae, de Joanne Neapolitano per Paulinum ad Caelum arceſſito verbum feciſſe nullum. Addunt alii, ei narrationi tempora non cohaerere; quippe quum Joannes I. Neapolitanus ſub Damaſo & Siricio ſediſſe a *Diacono* dicatur, h. e. non ultra annum 398. proceſſiſſe, quo uſque Siricii pontificatus extenditur. Quî igitur fieri poteſt, ut eum ad caelum invitaverit Paulinus, qui nonniſi an. 431. caeleſti curiae adſcriptus fuit?

Quibus per ſingula reſpondeo. Ac primum ſciendum eſt, ad exitum vergente ſaeculo XIV. exſtitiſſe Joannem Cimeliarcham Neapolitanum (quem deinceps *Cimeliarcham* vocabimus) qui S. Joannis IV. Neapolitani epiſcopi vitam ſcriptam reliquit; quam Henſchenius diei I. Aprilis pag. 32. inſeruit. Is ut eam vitam opimiorem faceret, totum id, quod ab Vranio ac poſtea a *Diacono*, de Joanne I. ad caelum Paulini voce invitato ſcriptum fuerat, id (fortaſſis vulgi permiſcentis omnia traditione fretus: hoc enim credibilius puto, quam ut Cimeliarcham malae fidei accuſem) Joanni IV. attribuit, ac totidem fere verbis Vranianam narrationem illam Joannis IV. vitae intexuit. Id vero poſtquam factum fuit, quum inſuper circiter ea tempora, oblitterato Joannis I. cultu, tantum de IV. officium fieret; ex eo inquam tempore ab Vranianae epiſtolae deſcriptoribus omitti ea narratio coepit, tamquam abſurda ſcilicet, quippe quū Vranius, plus quatuor ſaeculis Joannem IV. antegreſſus, id narrare de Joanne IV. nequiviſſet. Valde igitur vereor, ne codices a Chioccarello producti recentiores Joanne Cimeliarcha fuerint: quorum deſcriptores non abſimili paralogiſmo uſos, ac

(4) Annus 432. biſſextilis erat: proinde ab ineunte Februario coepit decurrere littera Dominicalis B. Numerus porro aureus fuit XV. Luna vero quartadecima Paſchalis incidit in Kalendas Apriles. Quumque in eas Kalendas inciderit eo anno Feria VI; ſequitur, eodem anno Dominicam Paſchalem incurriſſe in III. Aprilis.

Digitized by Google

quo postea Chioccarellus (5) atq. Caracciolus usi sunt, eã narrationem resecuisse censeo: maxime quum Neapoli tantum eos codices mancos Chioccarellus homo Neapolitanus viderit; exterorum autem nemo, quod sciam, Vranianam epistolam ea narratione defectam se reperisse conqueratur, non Mombritius, non Surius, non Chiffletius, non Papebrochius, qui omnium ultimus Vranii epistolam cum MSS. contulit. Imo, in quo caput est, Petrus Franc. Chiffletius in Paulino illustrato laudat Trecensem codicem (quem putat Joanne IV. Neapolitano antiquiorem) in quo Vranianae epistolae narratio illa controversa (de Joanne Neapolitano Paulini apparitione invitato) integra reperiebatur. Ex Gregorii autem Turonensis silentio nihil colligitur: nec enim omnia in rem suam vertere Turonensis satagebat. Age vero: demus tantisper, hanc Joannis a Paulino arcessiti historiam ab Vranio aequali scriptore non fuisse scriptam (de quo nolo heic Caracciolli (6) conjecturam infarciendo, morari lectorem) at certe satis antiquum additamentum fuerit, & quidem *Diacono* nostro multo antiquius, qui quae de Joanne I. Paulini apparitione dignato paucis verbis attigit, ea sine controversia ex longiore illa narratione hausit, quae nunc in Vranii epistola legitur. Adde quod idem *Diaconus* aequalis sine dubio S. Joannis IV. fuit, aut ejus certe aetati succrevit: & tamen apparitionem illam non Joanni IV. sed primo factam esse, narravit. An ullum argumentum aeque palmarium excogitari potest? Estne enim credibile, *Diaconum* qui Joannis IV. laudibus supra ceteros velificatur, aut voluisse Paulinianae apparitionis decus *Quarto* eripere, atque in *Primum* transfundere; aut vero in Vranii epistola recens additamentum non animadvertisse? Quid nunc Cimeliarcham istum audimus, qui episcoporum chronographo totis quinque saeculis recentior fuit? qui duos Joannes in unum conflavit, aut certe jampridem ab vulgo conflatos ineptissime in suam vitam admisit? Qua quidem aetate pessimo publico ubique gentium grassabatur id vitium, dum quae uni vitae, minus quam vellent copiosae, deerant, ex Sancto alio cognomine arcesserent, atque isto modo terrae caelum permiscerent: in quo sua morosa diligentia id postremo sunt assecuti, ut nostra haec aetas de sexcentis historiis dubitare maluerit, quam illudi sibi ab impostoribus pati.

Venio nunc ad gravem illam objectio-

(5) Ant. Caracciolus scriptor eruditus, sed parum acutae naris pag. 354. ubi narrasset, Joannem IV a S. Paulino ad caelestia regna fuisse evocatum, haec subjecit: *Idem legitur in Appendice vitae S. Paulini ab Vranio scriptae: quae certe* (appendix) *Vranii ipsius esse non potest, quum ejus* (Vranii, tamquam sui aequalis) *meminerit Paulinus epist. XVII; sed recentioris auctoris comperitur esse, quum obitum Joannis* [IV. seu Aquarolii] *nostri narret, qui vixit multo* [i.e. quadringentis annis] *post Paulini tempora.* Et huc usque docti scriptoris miserebar: at quae sequuntur, multo sunt deteriora. Ait eamdem appendicem, etsi Vranio recentiorem, *Diacono* tamen antiquiorem fuisse [quem *Diaconum* alibi Caracciolus recentiorem aliquanto, quam revera fuit, sine ulla ratione facit] *quippe quum,* [inquit] *Diaconus, quae de Joanne hoc* [IV. seu *Aquarolio*] *dicuntur* (in illa Vranii appendice) *perperam Joanni primo Episcopo contigisse dicat.* At Caracciolo praeiverat Chioccarellus; qui ratus narrationem Vranianam de Joanne IV. (nam de Primo hi nostri ne cogitabant quidem) loqui, ob hoc ipsum illam *vo9ias* damnavit. En ejus verba pag. 85. *Non enim Vranii est vel esse potest id, quod ibi de Joanne episcopo* (per Paulinum invitato) *habetur, quum Vranius per multa saecula Joannem hunc* (Quartum) *praecesserit.* At quanti laboris erat ad alium antiquiorem Joannem cogitationem convertere? Tantum praejudicata opinio apud hos aeque, ac apud librarios illos a Chioccarello memoratos Vranianae epistolae mutilatores, valuit.

(6) Conjicit ibid. Caracciolus, in antiquis Lectionariis (quae solebant ex pluribus auctoribus, tacitis nominibus, consarcinari) cum Vraniana epistola coaluisse alterius auctoris supplementum: eoque factum ut narratio de Joanne per Paulinum vocato Vranianae postmodum epistolae tamquam serruminata adhaeserit.

Digitized by Google

ctionem, quae ex perverſa temporum ἀνωχρία petitur. Equidem ultro fateor, Joannis I. aetatem male a *Diacono* fuiſſe conſignatam ſub Damaſo atque Siricio. Nec melius ab eodem chronographo in ceteris priorum quinque ſaeculorum epiſcopis tempora ordinantur. Culpa vero omnis in eo reſidet, quod chronographus iſte trium priorum ſaeculorum epiſcopos paucos admodum tenuerit, ſed & quarti nonnullos ignoraverit (ignoravit certe, ut alios taceam, Calepodium, unum ex patribus Sardicenſibus) & tamen ſeriem ita perpetuam recenſuit, nemo ut deeſſe videatur. Id autem ut faceret, nonnullorum quarti ſaeculi antiſtitum tum epiſcopatum (Severi prae ceteris, de quo vide dicta ad XXIX. Aprilis in fine) longiorem fecit, tum etiam, ne lacunae intercederent, eorum tempora antevertit. Ita factum, ut Joannes primus ſub Damaſo & Siricio poſitus fuerit, qui revera ſub Innocentio, Zoſimo, Bonifacio Coeleſtino (7) ponendus erat, idque juxta ejuſdem chronographi Joannis calculos, qui eum annos 27. ſediſſe vult, & a S. Paulino recens mortuo ad caeli gaudia arceſſitum. At in VI. ſaeculi ac deinceps Praeſulibus hujus Chronographi calculi rectius aliquanto procedunt, etſi *nondum plane* recte: vel vide quae ad diem 29. Martii de Reducis (8) epiſcopi notatione temporum obſervavimus. Itaque in (9) Demetrio demum Reducis ſucceſſore aetas incipit recte habere.

§. III.

Vraniana narratio obſervationibus illuſtratur, & cum Cimeliarcha conſertur.

Quando autem epiſtolae Vranii presb. quam de obitu S. Paulini ſcripſit ad Pacatum, ſaepe mentionem injecimus; non ab re erit ex ea partem illam heic recitare, quae ad obitum noſtri Joannis I. pertinet; quam deinde Cimeliarcha ſublegit, eamque hiſtoriam ſuo Joanni IV. attribuit. Ita facile & de ſtylo (Vranio ne an Cimeliarchae, qui eam eiſdem verbis compilavit, ſit convenientior) dijudicabitur; & quaedam obſervabuntur alia ad hanc cauſam facientia. Et jam quidem de Paulini obitu finierat Vranius; quum tamquam reſumpto in manus calamo (non enim negarim, quum novem amplius menſes inter Paulini & Joannis I. obitum interceſſerint, fortaſſis Vranium ea, quae de Joanne ſequuntur, poſt aliquod temporis intervallum epiſtolae jamdiu abſolutae adtexuiſſe) ſic praefatur.

Verumtamen & hoc quod ad meritum Sancti Paulini pertinet, Veneratio tua debet agnoſcere, quod etiam Sanctus Joannes Neapolitanae urbis epiſcopus a Domno Paulino de hac vita ad Chriſtum accerſitus atq. evocatus agnoſcitur. Hactenus prooemium eſt, quod cum praecedentibus probe ſuaviterque cohaeret: in quo quod Paulinum *Domnum* appellat; ſciendum eſt, & ipſum S. Paulinum *Domni* praenomen epiſcopis tribuiſſe; quod mox & Gregorius M. & alii paſſim de epiſcopis uſurparunt. Atqui id prooemium Cimeliarcha ineptiſſime refinxit: nam ubi proxime ante dixiſſet, Joannem IV. *ſenſiſſe ſibi diem adeſſe extremum*, ſic pergit: *Verumtamen & haec quae ante finem ſuum de Beato Paulino Nolano viderat, duxi neceſſario adnectenda*. Atqui iſto prooemio Vranius opus habuit, ne ad aliena digredi videretur: at Cimeliarcha (qui hoc ipſum agebat) nullo modo: ac multo minus ab adverſativo μοχθ. *Verumtamen* incipere debuit. Pergit autem Vranius.

Nam

(7) Joannes I. anno 432. mortuus, Caeleſtinum ultimum Pontificum Rom. vidit. At ſi Papebrochii rationibus ſtemus, (qui vult Joannem I. anno 440. obiiſſe) eum oportebit ad ann. uſque Leonis M. adviviſſe. Quod cur minime ſequar, infra exponetur. Ceterum paria ſunt Diaconi peccata in Imperatoribus adnotandis, ſub quibus Joannes I. ſedit: de quo minime neceſſe eſt heic plura dicere.

[8] Vide ſupra ad XXIX. Martii; ubi oſtendimus, male a Diacono Reducis epiſcopatum ſub Benedicto & Pelagio poni; quum revera S. Redux a Pelagio II. ordinatus fuerit, uti ex ſubſcriptione Petri notarii ad calcem Eugippiani codicis luculenter conſtat.

(9) Qui revera ſub S. Gregorio I. ſedit (a quo & depoſitus fuit). Sub quo Pontifice etiam a Diacono ponitur.

Digitized by Google

Nam ante diem tertium, quam de hoc mundo Sanctus Joannes ad Dominum migraret, retulit (addit heic Cimeliarcha, *omnibus suis Clericis*) *se vidisse Sanctum Paulinum, angelica dignitate vestitum atq. ornatum, totum niveum, totum sidereum, atque odore ambrosio renidentem: favum etiam candidissimum mellis in manu tenentem, ac dicentem sibi, Frater Joannes quid heic facis? solve vincula taediorum tuorum, & jam ad nos veni* (Cimeliarcha, *ac veni ad nos*) *haec enim esca, quam in manu teneo, apud nos satis abundat.* Haec quidem verbo tenus Cimeliarches descripsit, nisi quod illud *odore ambrosio renidentem*, quod prae saeculi barbarie non intelligebat, corrupit, substituens, *odore roseo renitentem*: quo uno indicio, vel si cetera desint, agnoscitur, quid distent aera lupinis. Sequitur.

Et quum haec dixisset, complexus est eum, & immisit in os ejus partem favi illius: cujus dulcedinem atq. odorem ita sanctus Joannes concupisse se dixit, ut si sibi in ipsa revelatione potestas fuisset (Cimeliarcha *si potestas fuisset*, & quidquid Latinum est, non intelligens, substituit *possibile fuisset*) *ab ejus vestigiis nullo modo* (Cimel. *nullatenus*) *recessisset. Et tamen non diu dissimulavit* (deest hoc membrum in Cimeliarcha) *nam excitatus a somno, eadem die ideſt Quinta feria, juxta consuetudinem suam remunerans*(10) *omnes Clericos atq. pauperes* (Cimeliarches, *remuneratis omnibus clericis atque pauperib.*) *sanus Dominicam cenam celebravit: Sexta vero Feria orationi vacavit* (hoc de Sextae Feriae oratione abest a Cimeliarcha) *Sabbato autem secunda* (Cimeliar. *sexta*) *hora diei ad Ecclesiam lactus processit; & ascenso tribunali, ex more populum salutavit: resalutatusque* (abest a Cimeliar. enclitica: salutabatur autem populus consueta formula *Dominus vobiscum*, aut *Pax vobis*; qui resalutans respondebat, *Et cum spir.*) *a populo, orationem dedit, & collecta oratione, spiritum exhalavit.* Hoc ultimum Cimeliarcha sic refinxit, *Super altare spiritum exhalavit*: imperitissime: quia praecesserat *ascenso tribunali*: nisi forte *tribunal* & *altare* duo ejusdem rei synonyma esse putavit. Atqui sicuti apud gentiles *tribunal* fundum basilicae obsidebat, & in medio hemicycli; ad quod magistratus per plures gradus conscendebat: idem prorsus locus, forma, usus tribunalis erat in Christianorum basilicis. Episcopus autem non de Altari, sed de tribunali (ut hodiedum fit) populum *salutabat*, & *orationem dabat*, & *colligebat* (11). Jam vero sequitur.

Ea tamen nocte in Ecclesia vigilatum est.] Recte:

(10) *Remuneror* aut *Remunero* aevo Th. Codicis, quo haec scripsit Vranius, non est referre gratiam, sed simpliciter *Largiri*, ut & hodie apud Italos *Rimunerare*. Hinc *Sacrae Largitiones* in l. 20. *de Palatinis*, & l. 41. *de Appellat.* Cod. Theod. vocantur *Remunerationes sacrae*. Occurrunt & *Comites privatar. remunerationum* in l. 2. eod. Cod. *de Commeatu*. Apud Grut. 449. 7. Petronius Maximus fuisse dicitur SACRARVM REMVNERATIONVM COMES, & imperatores ibidem vocantur REMVNERATORES VIRTVTVM. In episcopali autem aula ferme eadem vocabula, quae in imperiali, usurpabantur. Ex hoc porro Vranii loco discimus veterem consuetudinem, qua episcopi Feria V. majoris Hebdomadae in Clericos itemq. pauperes largitiones (quas *remunerationes* vocabant) effunderent.

(11) Quid apud Vranium sit *Orationem dare* & *colligere*, non dicerem, nisi doctissimus Papebrochius parum heic vidisset. Qui in adnotatis ad Vranium (ad 22. Jun. p. 201.) *orationem colligere* interpretatur, *pluribus precibus recitatis demum subjungere PER DNVM NOSTRVM* &c. atque hinc *Collectas* esse dictas, *quia post* (orationem) *principalem sic COLLECTIM leguntur sub uno PER DOMINVM* &c. Atqui sic se res habet. *Orationem dare* est praefatione uti per quam argumentum oratoris suggeritur (ut Fer. VI. Majoris Hebd. *Oremus & pro beatissimo Papa nostro N. ut Deus & Dominus noster... salvum atque incolumem custodiat* &c.) quod totum tono Praefationis canitur. At vero oratio COLLIGITVR (unde *collecta* nomen invenit) ubi post operam tacitae orationi a fidelibus impensam, pontifex sic colligebat orationem: *Omnipotens sempiterne*

Digitized by Google

Recte: nam ea nocte tota, quae Sabbatum Sanctum & diem Paschae intercedebat, vigilabatur: imo ea nox tota in officio Sabbati Sancti impendebatur. At Cimeliarches, cujus aetate jam Sabbati Sancti cursus ex nocturno diurnus evaserat, haec non intelligens, sic interpolavit: *Et tandem per totam noctem in Ecclesia [illegible] est*, ipse scil. defunctus Joannes IV. Porro autem apud Vranium sequitur.

Postero autem die, ideſt Paschae, illuminatis lampadibus] Hoc quidem pertinet ex mente Vranii ad eam nocturni officii Sabbati Sancti partem, qua sub diem Paschae triduum lampades accendebantur: at Cimeliarcha ad exsequiarum lumina id pertinere ratus, majoris spiritalis gratia de suo addidit: *ac cereis, inquit, ornatissime*.

Cum ingenti Neophytorum pompa, (jam ante me vidit Chiffletius, istam neophytorum multitudinem aetati Joannis I. optime convenire, non item Joannis IV. quando rarissimus erat adultorum baptismus, nec ferme nisi unius interdum aut alterius Judaei aut Musulmanni; nec enim gentiles jam ulli supererant) *prosequente etiam multitudine populorum usq. ad sepulcrum* (addit Cimeliarcha *deductus*, quod fort. est Vranio restituendum, ex cujus textu exciderat) *gloriosam atq. laudabilem sepulturam adeptus est*.

Hactenus Vranius, ejusque corruptor Cimeliarcha. Atqui ea narratio in Vranio quidem optime cum praecedentibus committitur, imo & cum sequentibus: addit enim, & in exposita narratione posse Pacatum *meritum Paulini agnoscere*; eumque postremo iterum adhortatur, ut a se scripta ipse *versibus*, uti promiserat, illustret. Quae Vranii ἐπάνοδος (*regressio*) quum ex praecedente narratione nascatur, eam a *vobiis* suspicione tutam praestat. At in Cimeliarcha eadem narratio si cum praecedentibus comparetur, luxaturae indicia manifesta prodit. Mitto de stylo dicere, qui ceterae Vranianae epistolae tam similis est, ut non ovum ovo magis: at eadem narratio in Cimeliarcha tam a reliqua vita ac praesertim a Praefatione (in qua depositis mutatitiis pennis, risum profecto cornicula infelix ciet) dissentit, quam a caelo terra. Mitto quae cum Joannis IV. aetate non consentiunt, quae bonus Cimeliarches interpolare debuerat, si mens non laeva fuisset: at idem quae pro suo captu interpolavit, ea pessime corrupit. Non est ergo amplius dubitandum, quin ea tota narratio ex Vranii manu fuerit: quam ille alienorum laborum fucus, Cimeliarcha (ratus scil. obsequium se praestare Deo in eo, in quo revera nec Deum nec homines reverebatur) surripuit, tantum ut suam Joannis IV. vitam opimiorem efficeret. Id vero postquam aggressus est; etiam majus flagitium admissum sive ab ipso sive ab aliis fuit. Nam quaecumque tum temporis Vranianae epistolae exempla in Neapolitanis forulis delitebant, *sive flamma, sive mari*

[illegible], cujus judicio universa fundantur &c. Exemplum ex Fer. VI. majoris Hebd. desumpsi; qui in ea verus mos *orationem dandi* & *colligendi* adhuc tupereſt. Et *orationem* quidem *dare* usurpavit Diurnus Rom. cap. VII. tit. 8. *Deinde Episcopus Portuensis dat orationem secundam*. At *orationem colligere* saepius legitur in Concil. Agathensi can. 30. *Plebs collecta orationes, ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur*. Sed & Cassianus lib. 2. de vet. nocturna cap. 7. sic posuit: *Quum autem is qui orationem collecturus est, e terra surrexerit, omnes pariter erigantur*. In eum finem Fer. VI. in Paraſc. finita Praefatione Diaconus monet, *Flectamus genua*; deinde ubi oratum fuit, Subdiaconus submonet, *Levate*; atque omnibus erectis, oratio colligitur. Quod dixi, eam orationem, qua praecedens precatio tacita colligebatur, hinc dictam fuisse *Collectam* (quasi *collectionem* scil. sicut *Missa* pro *missione*, *Ascensa* pro *Ascensione*, & millena plura in hunc modum) id optime Micrologus explicat *de Observat. Eccles.* cap. 3. *Collectam* sic appellatam dicens, *Eo quod Sacerdos qui legationem fungitur pro populo, ad Dominum omnium petitiones* (nempe quas proxime pro se quisque apud se fuderat) *ea oratione COLLIGAT atque concludat*.

Digitized by Google

mari libet Adriano perdiderunt, quorum loco nova exempla ſubſtituta fuerunt, a quibus illa de Joanne I. per Paulinum arceſſito narratio abeſſet: nimirum ne apud ſuos cives tam gravis impoſturae biographus ille manifeſtus evaderet. Eoque factum, ut ab iis Mss., quae Chioccarellus vidit, ea exſularet hiſtoria. Quamvis ſiquis ab omni (12) flagitio immunem Cimeliarcham praeſtare ſe poſſe confidat, non repugnabo.

At eam Vranii narrationem & ſe legiſſe *Diaconus* Neapolitanorum epiſcoporum chronographus innuit; & quum Joannis IV. aequalis eſſet, aut certe ſuppar, tamen, ut ſupra monuimus, S. Paulini apparitionem non Joanni IV (cujus vitam & obitum ignorare nequibat, & in quo exornando multus eſt) non, inquam, Joanni IV, ſed Primo diſerte tribuit. *Diaconi* vita Johannis I. ſic habet. *Johannes epiſcopus ſedit annos XXVII. Hic tantae ſeveritatis* (in ſe, non in alios, id intelligit: nam aevo ſequiore vitae auſteritatem appellabant *ſeveritatem*: in Gloſſis Cyrilli *ſeveritas* tantumdem eſt quod σεμνότης, αὐστηρότης &c.) *plenus fuit, ut etiam S. Paulinus Nolanae ſedis epiſcopus, ſicut in vita ſua legitur* (ea eſt Vranii epiſtola) *eum accerſiret atque vocaret ad Chriſti gloriam intuendam. Poſt triduum autem DEPOSITO corpore* (ea eſt *Depoſitio* noſtri marmoris, die Paſchali facta) *Neophytorum pompa proſequente* (verba Vranii uſurpat) *in eo Oratorio, ubi manu ſua dicitur condidiſſe beatiſſimum Martyrem Januarium a Marciano ſublatum* (ea eſt Eccleſia S. Januarii extra moenia, ſive prope *Coniclos*, vulgo la *Conocchia*: haec Translatio, quae alibi Severo tribuitur, quo ſenſu heic Joanni adſcribatur, expoſuit Caracciolus pag. 243.) *& ipſe parte dextra humatus quievit. Nunc in Eccleſia Stephania* (transferente S. Joanne IV. ut auctor eſt in hujus vita hic idem *Diaconus*) *ubi Beatus Fortunatus, ſimiliter parti dextrae quieſcit*. Deinde pontifices Rom. atque imperatores, ſub quibus vixerit, notat: quae notatio ἀναχρονισμῷ laborat, uti ſupra obſervatum fuit. Poſtremo more ſuo ad externa digreditur.

Et tamen Cimeliarcha (qui Diaconi, etſi

(12) *Cimeliarchae defenſio.*

Quem a plagii crimine (ex compilato nim. Vranio, cujus nullam mentionem feciſſet; ſicut Diaconi Chronographi fecit) nemo facile abſolverit, hunc eumdem a falſi ſaltem accuſatione (nim. quod geſta Primi in Quartum transfuderit) pro Chriſtiana caritate purgare, qua poſſum, adnitar. Etenim ſic componi res poteſt. Veriſimile eſt, jam ab eo tempore, quo primum coepit Quarti cultus increbeſcere, ejuſdem cultum Primi offeciſſe luminibus. Sic enim ſumus. In novellos Sanctos multo, quam in antiquos, ſumus propenſiores. Tandem gliſcente in dies barbarie eo ventum arbitror, ut, quia Diaconi Chronicon (quod jam aetate ſua rariſſimum fuiſſe, attentioribus ſaltem lectoribus Cimeliarcha ſubindicat) nemo in manus ſumeret; ex illis duobus Sanctis unus conflaretur, transfuſa in Quartum Paulini apparitione. Et jam ſaeculo XIV. in eo errore Neapolitani verſabantur; quum Bernardi Archiep. hortatu Quarti Legendam Cimeliarcha aggreditur. Tum hic ſi criticum profeſſus eſſet, nae is ex Diaconi Chronico, quod non obſcure citat, animadvertiſſet, ὅρασιν (*apparitionem*) illam non Quarto, ſed Primo convenire. Verum vulgi opinione abreptus ipſe, etiam poſteros abripuit, & in iis Chioccarellum & Caracciolum, haud ſpernendos ſcriptores. Itaq. quae in Vranio [quem ſive bonus Cimeliarcha Quarto poſteriorem, ſive illam narrationem Vranio aſſutam credidit] de quodam Joanne per Paulinum invitato legebantur, vulgi opinione occupatus, ea ad Quartum eiſdem verbis tranſtulit: idque is adeo non illibenter: nempe ut Quarti Legendam ſpiſſiorem ac ſimul venuſtiorem efficeret.

Quae ſi ita ſe habent; tum etiam gravius illud de mutilata Vranii epiſtola crimen non ad ipſum Cimeliarcham, ſed ad alios rejici poteſt. Poſtremo cujuslibet ea culpa fuerit, at innocens culpa fuerit, nec tam falſi crimini, quam inſcitiae adſcribenda. Nam ſi Chioccarellus & Caracciolus, qui in litterarum tanta luce vixerunt, eam narrationem [quam putarunt de Quarto loqui] Vranio utpote antiquiori abjudicarunt; cur non potuerunt & illi in tanta ſaeculi caligine errare; ac etiam citra falſi crimen Epiſtolam Vranii mutilam repraeſentare ea parte, quam aſſutam putarent? Et hactenus Cimeliarchae defenſio eſt.

Digitized by Google

etsi tacito nomine, CHRONICAM secutum se ab initio profitetur, cujus & verba plerumque usurpat) celebrem S. Paulini apparitionem a Primo in Quartum mira hallucinatione (nequid gravius suspicer) transfudit.

§. IV.

De diebus olim festivis utriusque Joannis.

Nunc ad Joannis tum I. tum IV. festivitatum dies progredior. Hic autem & sequens §. tuto praeteriri ab incuriosis rerum nostrarum possunt, quum sint spinosiores.

Ac Joannem I. Scriptores nostri, ut quibus Cimeliarchae Legenda imposuerat, ne suspicati quidem sunt, fuisse aliquando inter Sanctos numeratum; tantum abest, ut de antiquo ejus die festo investigando laborarint. Ac Papebrochius (ad 22. Jun. p. 201. E) conjicit, *vetustiorem cultum Primi obliteratum fuisse cultu Quarti, cujus notior erat, quam Primi vita ... sed aetate Cimeliarchae fuisse institutam venerationem annuam Quarti* [imo Cimeliarcha in Praefat. (13) diserte supponit festum Quarti jam ante statutum] *& quidem cum praejudicio Primi*.

Adhaec Chioccarellus Joannis IV. (quem unum scil. venerationem adeptum putavit) festum varie notatum reperiri observavit. Qui ubi de die XXII. Jun., quo nunc colitur, suam conjecturam aperuisset, haec subjicit pag. 86. *At vero vetera Ecclesiastica officia ejus diem varie indicant. Comperimus enim, priscis temporibus a Neap. Ecclesia, & finitimar. quarumdam urbium Ecclesiis, S. Joannis Neapol. Episcopi festum celebrari solitum die I. Aprilis, ut ex complurib. antiquis Mss. breviariis & Eccles. officiis* [14] *deprehendimus: etsi in uno ex eis die II.* (15) *Aprilis celebrari comperiatur, in alio vero die ultimo Martii*. Eadem ferme in aliis ex Chioccarelli fonte potantibus reperies. Quae Papebrochius loco cit. sic accipit, quasi id festum, quod Chioccarellus sic varie notatum reperit, non ad Quartum sed ad Primum Joannem sit referendum: quem quidem Joannem I. idem Bollandista vult mortuum non anno CCCCXXXII. (ut supra posuimus) sed CCCCXL. die XXXI. Martii [nam hoc posteriore anno Pascha in Apriles Kalendas incidit, Sabbatū autem Sanctum in XXXI. Martii] *unde etiam*, ait ibi Papebr., *Kalendarium unum quod vidit Chiocc. ipsum ponit die ult. Martii, licet alii maluerint diem sollemnis Depositionis tenere*, h.e. Kalendas April. Atq. ea est Papebrochii sententia, qui etiam, ut ante vidimus, Quarti festū sub Cimeliarcha primum institutū credidit: in utroq. (siquid video) falsus.

Etenim jam proxime animadvertimus, Quarti festivitatem tamquam jam statutam supponi a Cimeliarcha. Ceterum nec dies ultimus Martii nec primus Aprilis ad Primum pertinere potest. Nec enim is anno 440. [quo Pascha in Kalendas

(13) Cimeliarcha in Praefatione ait: *Et quam vita ejus ... in Chronica haberetur antiqua* (intelligit Diaconi Chronicon) *nec tamen Legenda, quae ad honorem ejus in FESTIVITATE SVA* (quam his verbis ante se factam innuit) *legeretur, scripta aliquatenus appareret; dixit dictus Bernardus Archiep.* (quem jam antea mortuum significavit: fuisse autem ille Bernardus a Chioccarello creditur, qui ab an. 1368. ad 1378. sedit) *se pro bono habere, si Legenda ... scriberetur*.

[14] Quin & in Ms. Kalendario, quod Rinaldi Neapolitano praevium exhibet Tutinus in suis chartis Brancatianis, Kalendis Aprilis legitur festum *Joannis Neap. Epi Confess.* & eadem litteris rubricatis. In eod. Kalendario sequenti sit de S. Maria Aegyptiaca.

[15] Huic, quod citat Chioccarellus, monumento addi potest Kalendarium membranaceum olim in cella Gabrielis Lotterii Cler. Reg. repertum, in quo Tutinus [in Brancatiana Biblioth. manu exaratus pag. 113.] die 2. April. sic scriptum reperit: *S. Joannis Neap. Epi.* Etsi, fateor, festum quod in his duobus monumentis die 2. April. signatur, dubitari potest, ad Quartum ne an ad Primum pertineat. Nam Aprilis secundus dies *Primo* emortualis revera fuit; qui die 2. mortuus, die 3. sepultus fuit. Sed potuit etiam ad Quartum referri; quem quum ex errore credidissent Sabbato Sancto emigrasse, & seq. die sepultum [quod tamen Primi peculiare fuit] hinc quia an. 853. Pascha incidit in 2. Aprilis; non immerito Quarti festum eo die aliquando fortassis affixerunt. De quo infra.

Digitized by Google

Apr. incidit] emigravit; ne, quem Diaconus ſub Damaſo & Siricio ſediſſe tradit, ejus obitus plus nimio differatur uſque ad Leonis M. pontificatum h.e. poſt annos amplius XL. ab eo tempore, quo eum poſuerat Diaconus. Quo poſito Papebrochii ratiocinatio concidit. Quamquã quid opus eſt argumentis, ubi marmor hoc noſtrum diſerte loquitur? In quo Joannis I. *Depoſitio* die III. Aprilis ſignatur: ex quo fit, eo die aut mortuum aut ſepultum. Atqui eo die non obiit; quia nullus eſt circiter Joannis I. tempora annus, quo Sabbatum Sanctum (quod ei ἄγνωστον fuit) in III. Aprilis incurrerit. Ergo relinquitur, ut die III. ſepultus fuerit: quod & veriſſimum eſt. Nam anno 432. [qui alter ab exceſſu S. Paulini fuit] ſanctum Paſcha die III. Aprilis celebratum fuit; eoque die Joannes I. [qui pridie obdormiverat] ſollemni pompa depoſitus Vranio dicitur: eoque manſit, ut die III. Aprilis ejus *Depoſitio* celebraretur; quae vox modo emortualem, modo ſepulturae diem notat, ut alibi oſtendemus.

Jam evicimus, recte in his Faſtis Primi depoſitionem die III. ſignari; Kalendas vero, aut praecedentem Kalendis diem nihil habere cum feſto Primi commune. Relinquitur ergo, ut hi dies [ultimus ſcil. Martii & primus Aprilis] ad Quartum ſint referendi. Ac ſi verum amamus; res ita ſe habuit. Quum vulgo jam ante Cimeliarchae aetatem h.e. ante ſaeculum XIV. crederetur Quartus Sabbato Sancto ad caelum evocatus; nullo modo is poterat die XXII. Junii [quo die cur hodie ejus feſtum fiat, infra dicetur] coli, ne ἀσύστατα admitterentur. Ergo quaerendus ei fuit dies aliquis, qui potuerit emortualis eſſe, in quem ſcil. Sabbatum Sanctum aliquando per id tempus incurrerit. Ac pulchre ſe res habuit. Nam anno 853. [quo anno Quartum ſive revera mortuum, ſive obiiſſe creditum (16) oportuit] Paſcha celebratum fuit poſtridie Kal. Aprilis, Kalendis vero Sabbatum Sanctum fuit: quo proinde die Quarti feſtum conſignarunt, ne fabella de Joanne IV. per Paulinum arceſſito ſua veriſimilitudine careret. Nam olim Eccleſiaſtici viri cyclos Paſchales apprime callebant; erantq. praeterea in rudiorum commodũ tabulae expanſae compoſitae, ex quibus poterat quivis ſtans pede in uno animadvertere, quo die Paſcha hoc aut illo anno fieret.

§. V.

(16) Quis Joanni Quarto dies lethalis fuerit, inter eruditos non convenit. Annos VII. ejus Cathedrae attribuit Diaconus: ſed hos numeros mendoſos eſſe, ac notam quinarii refingendam eſſe in X. (ut omnino is annos XII. & quod excurrit, ſederit) alibi oſtendimus. Eumdem ſanctiſſimum Epiſcopum *Indictione decima* (idque non arithmeticis notis, ſed integris litteris in MS. Vaticano perſcriptum fuit) mortuum Diaconus tradidit. Atqui Indictio decima in annum 847. nos ducit, quo obiiſſe Quartum oportebit. Nec video cur Vghellus ex eadem Indictione annum 848. aut Chioccarellus ann. 849. elicuerint. At Cl. Muratorius ad Diaconi Chronicon mavult annum 850. ἄγνωστον lethalem Quarto fuiſſe; id quod ex ſucceſſoris Athanaſii annorum ſupputatione colligit. Quod ſi verum fuerit, in Diaconi textu pro *Decima* legendum fuerit *Tertia decima*.

Verum quocumque ex dictis annis obierit Quartus, Paſchale feſtum longe abfuit ab iis diebus, quibus olim S. Joannis feſtum celebrabatur. Nec niſi anno 453. Paſcha in diem II. Aprilis incurrit: qui dies pulchre conciliatur cum feſto S. Johannis IV. ſive die 2. Aprilis, ſive Kalendis ejuſdem: nam putabatur Quartus [ut ſaepe diximus] Sabbato Sancto defunctus, Paſchali vero feſto ſepultus, quorum dierum alterutri feſtivitati Quarti aſſignari potuit. Atque ob eam cauſam Henſchenius (tom. I. April. pag. 31.) Quarti mortem in eũ annum conjecit.

Verum huic Henſchenii opinioni refragatur ſupputatio annorum S. Athanaſii, ac multo magis Indictio *Decima*; quae integris litteris in Diacono ſcripta reperitur. Nam anno 853. decurrebat Indictio *prima*. Atqui ſive per numeros, ſive per litteras ſcripſeris, non video quomodo ex *Prima* fieri *Decima* potuerit.

Id tamen ultro aſſentior, circiter Cimeliarchae aetatem (quando Vraniana narratio ad Joannem Quartum trahi coepit, hujus autem feſtum ſive Kalendis Aprilis, ſive poſtridie celebratur) vulgo a Neapolitanis creditum fuiſſe, Quartum anno 853. obiiſſe; nempe ut videri poſſet Quartus Sabbato Sancto mortuus, ſequenti vero die ſepultus fuiſſe.

Digitized by Google

§. V.

Varia diversis temporibus utriusque festi fortuna.

JAm ut ex dictis aliquid explorati colligatur: quatuor sunt contigui dies (nim. XXXI. Martii, & I. II. & III. Aprilis) quorum dierum alius alibi festo alicujus *S. Joannis Episc. Neap.* notatur. Ex his autem diebus tertius Aprilis (qui in his Fastis eo festo insignitur) non nisi in Primum convenire potest: sicuti contra ultimus Martii & Kalendae Aprilis (qui dies alibi cum hoc festo notantur) nonnisi in Quartum congruent. Postremo dies secundus Aprilis (in duob. scriptis eo festo insignitus) in utrumque Joannem quadrare potuit: in Primum, si ejus diem mortis pro die depositionis colere voluerint: in Quartum vero, si hunc anno 853. denatum statuerint, ac proinde die II. Aprilis (in quem diem eo anno Pascha incurrebat) sepultum.

Ex omnibus autem monumentis (in quibus, uti diximus, festa S. Joannis sive primi sive quarti per quatuor dies illos vagantia reperiuntur) omnium antiquissimum est hoc marmoreum Kalendarium: pone succedunt membranae Lotterianae a Tutino laudatae, ut ego existimo: mox cetera monumenta, in quibus passim S. Joannis festum Kalendis April. assignatur. Nam illud singulare MS. in quo, teste Chioccarello, die 31. Martii *S. Joannes* signabatur, quam antiquitatem praeferuerit, ignoro. Sed facile ceteris recentius crediderim.

His animadversis, per hos maximè gradus utriusque festum decurrisse mihi videtur. Nono saeculo, uti ex his Fastis constat, Primi tantum festum agitabatur, & quidem die III. April. quo die is an. 432. sepultus fuit: idque diutissime, ante & post hoc marmor, observatum fuisse, reor. At postea (quo tempore, incertum: sed certe ante Cimeliarcham; sub quo jam abolito Primi cultu, de solo Quarto agebatur, & in eum Vraniana narratio transfundebatur) *S. Joannis Neap. Episc.* festum in II. April. aliquando transiit, testibus membranis Lotterianis, & altero apud Chioccarellum monumento. Ecqua causa ejus mutationis fuerit, non habeo dicere. Sed quaecumque ea fuerit; certe is dies utrique S. Episcopo communis esse poterat: Quarto quidem, si is poneretur an. 853. mortuus, ac proinde postrid. Kal. April. in festo Paschali sepultus: Primo vero, si pro die sepulturae (quem ante coluerant) dies mortis (qui an. 432. in II. April. incurrit) coli aliqua de causa coepisset. Atque is primus gradus ad confusionem fuit. Jamtum enim Vranianam historiam Quarto (quippe cujus recens vigebat memoria, dum interim Primi evanuerat) assignare coeperunt, quem finxerunt anno 853. mortuum, ac proinde die Paschali postrid. Kal. April. sepultum. Et haec quidem Quarti cum Primo confusio videtur Cimeliarcha (ut antea in Adnot. 12. diximus) aliquanto antiquior: verum utrum eadem confusio praecesserit festi ex die III. in II. transpositionem, an subsecuta fuerit, haud satis queo [17] decernere.

Atqui non diu S. Joannis festum in ea sta-

(17) Vtrumvis potuit accidere. Nam si confusio antiquior transpositione fuit; tum eadem confusio suasisse videbitur, ut festum S. Joannis (qui Quartus habebatur) in II. Aprilis transponeretur: quia Quartus non nisi postrid. Kal. April. sepeliri potuit, anno scil. 853. in festo Paschali. Quod si transpositio festi antiquior confusione fuit, tum vero sic res transigetur. Aliqua prius debuit incidere causa, quae festum Primi ex III. Aprilis in praecedentem eum trajiceret. Id ubi factum, quum postea jam illum Primi memoria evanida fieret, Quarti vero utpote recentioris virescceret; eo tandem ventum videtur, ut is festi dies non Primo, sed Quarto tribueretur. Eique errori velificabatur annus 853. quo anno fingebatur (etsi falso) Quartus obiisse. Nam quum eo anno Pascha in II. Aprilis inciderit; facile inde errandi ansam arripuerunt, ut Vranianam Paulini apparitionem S. Joanni factam in Quartum traducerent, quem unice nossent, & in quem videbatur dies festus cum die sepulturae (quem sibi finxerant) optime congruere.

Digitized by Google

ſtatione diei II. Aprilis conſiſtere potuit. Nam poſteaquam feſtum S. Mariae Aegyptiacae (quod antea tum Neapoli ac Romae, tum in cetero occidente die IX. Aprilis agitabatur) in II. ejuſdem menſis retroceſſit; ſane id feſtum, Neapoli cum primis celeberrimum, coegit *S. Joannem* eo die cultum [quem jam pro Quarto omnes agnoſcebant] inde dimotum in Kalendas recedere. Idque in pleriſque monumentis reperitur, quae videntur Cimeliarchae aut ferme *σύγχρονα*, aut etiam poſteriora fuiſſe. Nam jam ante Cimeliarchen, ut ſaepe monui, ex omnium memoria Primus exciderat.

Poſtremo aliquid inciderit neceſſe eſt, quod S. Joannem Quartum, tunc unice cognitum, ex Kalendarum April. ſtatione dimoverit: quod cujuſmodi fuerit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Sed aliquid certe fuit, quod ad id impulerit. Etenim in uno apud Chioccarellum monumento reperitur id feſtum die Martii ultimo conſignatum. Verum nec diu id ſtetit. Nam poſtea convenientius viſum fuit ſi Quarti feſtum in XXII. Junii rejiceretur ob eam congruentiam, quod eo die de S. Paulino feſtum fieret, a quo Paulino Quartum evocatum errore populari ſtatuerant.

Ac ne illud quidem, quo primum tempore Quarti feſtum diei XXII. Junii affigi coeperit, compertum habeo: nec initia tranſpoſitionis hujus ſive Caeſar de Engenio, ſive Chioccarellus, ſive Ant. Caracciolus perſpecta habuerunt. Sed jam ante prope ducentos annos Surius [in indice mens. Junii] Quarti feſtum diei XXII. Junii affixum agnoverat [qui Surius an. 1572. Junio menſi inſudabat] poſt quem Baronius eodem illum die Mrologio Romano inſeruit. Ac videtur intra XV. ſaeculi ambitum aut ineunte XVI. ea trajectio feſtivitatis facta fuiſſe.

Quid quod ne id quidem perpetuum fuit? Nam ſub Archiep. Decio Caraſa, & mox ſub Franciſco Boncompagno ante hos CXX. annos Quarti feſtum Kalendis Aprilis principio reſtitutum, mox in XXII. Aprilis ut antea, revocatum (18) reperio. Atque ea eſt, niſi vehementer fallor, feſtivitatum utriuſque Joannis fortuna.

§. VI.

De Joannis I. cultu reſtituendo.

Nunc quando Divini Numinis bonitate praeclare nobiſcum agitur, qui non jam per ambages Joannis Primi cultum extundimus, ſed ejus feſtivum diem ex minime inficiando Faſtorum marmoreorum teſtimonio [praeſertim cui cyclus Paſchalis & cetera mire conſentiant] jam certo tenemus; quid aliud reſtat, niſi ut hoc bono divinitus oblato fruamur? Nam equidem auctor fuerim, Joanni I. priſtinum cultum die III. Aprilis eſſe reſtituendum, cum bona Eminentiſſ. Archiepiſcopi, aut etiam, ſi ſit opus, Sedis Apoſtolicae venia: in cujus Officio ea Vranianae epiſtolae pars, qua Paulini appa-

(18) Decius Card. Caraſa an. 1619. edidit Catalogum Sanctor. Neapoli celebrandorum. In quo die 1. April. notatur *S. Joannes Epiſc. Neap. Duplex ... ſine Credo*. Quibus haec ſubnotantur. *Hac die celebrabatur olim .. ut patet ex Kalendario Ms. Eccleſiae Neap. De eo Mrologium Rom. & Baronius in notationibus. Vitam ejus ſcripſit Jo: Cimeliarcha juſſu Bernardi Archiep.* Sequitur narratio de S. Paulini apparitione ex Cimeliarche deſumpta. Ad extremum ſic ſcribitur. *Sacra ejus oſſa ſunt in Aede S. Reſtitutae ſub Ara maxima*. Quae adnotationes in Quartum certe conveniunt. Eum Catalogum mihi nuper commodavit vir pererudituſ Carolus Blaſchius.

Sed & vir ſacrae antiquitatis ſtudioſiſſimus Cyrus de Alteriis in *Ordine Divini Officii* anno 1627. juſſu Boncompagni Archiep. edito reperit feſtum *S. Joannis Epiſc. Neap.* ritu duplici ſignatum Kalendis Aprilis, idem vero feſtum ex XII. Junii ejectum. At idem vir amiciſſimus in Ordine annor. 1633. & 1634. in neutro eorum dierum *S. Joannis* feſtum invenit: qui tandem in Ordine anni 1635. diei XXII. Junii idem feſtum reſtitutum obſervavit his verbis: *Fer. VI. Joann. Epiſc. Neap. Dupl. Cujus ſacrum corpus eſt in Eccleſia S. Reſtitutae*. Eidemque porro diei in ſequentibus Ordinibus haeſiſſe eam feſtivitatem comperit. Haec mecum vir eruditus communicavit.

Digitized by Google

apparitio describitur, lectiones secundi Nocturni αὐτολεξεὶ suppeditabit. Ceterum a Quarti lectionibus eamdem narrationem, quam ei Cimeliarcha attribuit, prorsus detrahendam esse judico. Nec enim falsis laudibus Sancti indigent. Imo Quarti lectiones, quas nunc ex Cimeliarchae Legenda decerptas esse constat, ita refingendas esse censuerim, ut potius ad eam Quarti vitam, quam Diaconus longe integrioris fidei scriptor in suo Chronico pertexuit, conformentur.

§ VII.

De hujus S. Joannis Ecclesiis.

Baronius ad XXII. Junii de eo S. Joanne agens, qui a S. Paulino ad caeli gaudia evocatus fuit (qui, uti vidimus, primus esse debet, non quartus) haec subnicit: *Scimus, Neapoli nobilissimas Ecclesias S. Joannis nomine Deo dicatas esse* (etsi revera una tantum *nobilissima* exstat, quae nunc *S. Joannis Majoris* nomen praefert) *quod autem nulla illarum Joannis Episcopi, sed Joannis Baptistae nomine nuncupetur; id injuria temporum factum puto, & veterum monimentorum inopia, ut hujus Ecclesia dicta* S. Joannis (omnino celebrem Basilicam *S. Joannis Majoris* intelligit) *transierit in nomen S. Jo: Baptistae: cujus quidem rei & in aliis locis alia invenimus exempla.* Hactenus eruditissimus Caesar (19) Baronius. Ac fateor mihi quoq. jam antea venisse in mentem, Collegialem nobilissimam S. Joannis Ecclesiam olim S. Joanni primo fuisse dicatam, & ob id *S. Joannis Majoris* appellatam, quod quum duo essent Joannes sanctitate conspicui, eorum antiquior diceretur fort. *Major*, alter vero *Minor*: id quod & in duobus Paulis usurpatum vidimus, ut ad XVII. Febr. dictum fuit. Quocirca & idem prorsus de *S. Pauli Majoris* Ecclesia judicium tuleram, forsan ad Episcopum Paulum referenda, dictum *Majorem* comparate ad *Minorem* alterum, ut is in hoc Marmore nuncupatur. Verum quidquid de S. Paulo Majore sit: *S. Joannis* certe *Majoris* Basilica jam inde a saeculo X. ad Jo: Baptistam referebatur: quod postea didici ex *Eufimiae* epitaphii (quod refert Chioccarellus in Stephano III. pag. 107.) districho octavo: *Inclyte Praecursor Domini & Baptista Johannes.* Illa autem *Eufimia* (sic in illo marmore scribitur pro *Euphemia*; sicuti & alibi passim) quippe Stephani III. ante episcopatum uxor, jam ipso exeunte IX. saeculo, aut ineunte X. mori debuit. Accedit, quod discrimen *Majoris* & *Minoris* in duob. Paulis, utpote fere συγχρόνοις, usurpatum fuit, non item in duplici Joanne.

Interim tamen non negaverim, fuisse olim sine dubio unam aliquam aut plures Ecclesias sub hujus S. Joannis primi celeberrimi nomine. Praeter autem plures, quae nunc *S. Joannis* nomen praeferunt, partim antiquas partim novas, in Tutini chartis Brancatianis vetus Oratorium reperi [quod nunc non exstat] *Sancti Joannis ad Calcariam*: nisi potius vetus nomen fuerit *ad Caldariam*, nomen scil. ex re balneari petitum, & in nostris memoriis alibi usurpatum. Quaenam autem ex Ecclesiis *S. Joannis* nomen gerentibus ad Joannem primum sit referenda, ex monumentorum inopia definire non possumus.

(19) Non possum heic nec debeo dissimulare, ea quae sup. in Adnot. XI. de oratione *data* & oratione *collecta* animadvertimus, fuisse a doctissimo Baronio multo antea indicata ad 22. Junii, ubi de Joanne Neap. Quae si antea legissem, quum ea scribebam; aut ea adnotare supersedissem, contentus tantum citasse Baronium; aut ejus saltem commeminissem. Interim gaudeo, easdem ac mihi, viro magno cogitationes tanto ante occurrisse;

Digitized by Google

IIII P S THEODVLV MĀR

DVx, pro more horum Faſtorum, ſolus adſcribitur: ſocius *Agathopus* ſupplendus relinquitur. De his duobus hoc eodem die in omnibus Faſtis Latinis, Graeciſque agitur: ex quibus appareret, Theodulum lectorem fuiſſe, Agathopodem autem Diaconum, Theſſalonicae ſub Maximiano Galerio ob Chriſti fidem in mare demerſos. Hoc tantum intereſt, quod in Baſilii Menologio, in Martyrologio Romano & in aliis quibuſdam, Agathopus Theodulo praeponitur: at vero quod ad S. Hieronymi antiquiſſimum Martyrologium attinet, variant circa ordinem manu exarata exemplaria, ſed ita tamen ut in longe plurima ſcriptorum codicum parte Theodulus alteri (cujus nomen varie corruptum reperitur) praeeat. Poſtremo ſi Actorum ſane optimorum (quae antea Lipomanus Suriuſque, mox Graece & Latine Papebrochius edidit ad hodiernum diem) ratio habeatur, Theodulus (20) per omnes partes Agathopodi praeponendus eſt. Niſi quod qui hunc alteri praetulerunt, ii longe provectioris aetatis & diaconatus rationem ſibi habendam cenſuerunt. Jam vero in eiſdem Actis diſerte conſummati dicuntur (ex fide Veneti M. S.) πρὸ τῶν Νονῶν Ἀπριλίων (21) i.e. *pridie Non. Aprilis*. Qui paſſionis certus dies quia hujus Kalendarii auctori exploratus erat; ideo notam *Paſſionis* non vero *Natalis* heic praeſcripſit, pro conſueta ſcil. hujus monumenti accuratione, mihi paſſim alias experta. Poſtremo tum Actis, tum compertae toties noſtri marmoris fidei adſtipulantur Metricae Ephemerides, quae hoc die eos demerſos affirmant.

Ἀγαθόπους Θεοδούλῳ συνέδυσέν γε τῷ πέμπτῳ.

Mergitur Agathopus quartâ, ſimul & Theodulus.

Ceterum horum Martyrum Acta equidem ſatis bona & antiqua reor. De quibus Animadverſionum Syllogen heic ſubjicere operae pretium duxi.

SYLLOGE ANIMADVERSIONVM

In Graeca SS. Theoduli & Agathopi Acta.

HAec Acta ex Veneto reor aliquo MS. jampridem verterat Zinus. At Bollandiani eadem in Vaticano Codice Graece deſcripta nacti, novam interpretationem huic diei inſeruerunt, non ſatis accuratam illam quidem, quantum ex nonnullis locis deprehendere licuit. Nec enim, fateor, Latina Bollandiana, ſed Graeca ad calcem ejuſd. tomi edita legere mihi penſi fuit: nec niſi paucis in locis paullo difficilioribus, infra a me adnotatis, ad interpretem recurri. Ceterum quum Latina translatio a Graeco textu diſtracta apud Bollandiſtas reperiatur (quod inſtitutum nemo, opinor, probaverit) quis hunc laborem ſuſtinere poterat, ut inter codicis ſatis ad tractandum ponderoſi initium atque finem, diſpertitas manus, oculos, atque curas haberet?

Ac de his quidem Actis (ſive potius Elogio: nam ad elogii imaginem ſtylus ambitioſior conformatus cernitur potius, quam ad Actorum ſimplicitatem) nec prorſus abjecte, nec nimis magnifice ſentit Tillemontius: cujus difficultatibus, uti

[20] Non eſt dubium, quin Actorum auctor Theodulo priores detulerit, Agathopodi ſecundas. in iis certe Theodulus utramque paginam facit: de Agathopode ſermo rarus. Sed & num. 2. Agathopodem γενναῖον συνομίλιτην *generoſum commilitonem* diſerte vocat.

[21] Illud πρὸ τῶν Νονῶν Ἀπριλίων in MS. Vaticano, ex quo Graeca Acta erui curarunt Bollandiſtae, deerat: at in Veneto tale aliquid fuiſſe oſtendit Zini interpretatio. Sed & ex Vaticani exemplaris fide hunc titulum Papebrochius exibuit, Μαρτύριον τῶν ἁγίων Θεοδούλου &c. πρὸ μιᾶς Νονῶν Ἀπριλίων. *Martyrium SS. Theoduli &c. prid. Non. Aprilis*. Vbi notandus eſt inſolitus numerandi modus πρὸ μιᾶς pro eo quod paſſim alibi uſurpatur πρὸ δύο. Nam ceteroqui in his uterque terminus numerabatur.

Digitized by Google

uti res feret, respondebitur. Interim huic monumento non aliud mihi deesse videtur praeter simplicitatem. At, siquid video, stylus ipse cultior & elaboratior eidem scripto antiquitatem non mediocrem conciliat. Nam quarti aut summum quinti ineuntis saeculi mihi videtur opus. Quis enim post ea tempora tantum ubique dictionis antiquae, imo retrusioris saepe Atticismi, haud facile apud Christianos obvii, studium adhiberet? Omitto argumenta cetera, quae ex subjectis animadversionibus sponte fluent. Ex scriptionis vero antiquitate sequitur, facta esse vera (sive saltem scriptoris aevo pro veris habita) non item conciones plane omnes; quarum saltem longiores scriptoris ingenium sive protulit, sive verius rhetoricis pigmentis ornavit. Verum de his Actis tum credo, judicium a me incorruptius ferri posse, ubi ea ab initio ad calcem commentando percurrero.

§. I.

Ad Actorum Sectiones primas duas. Tillemontii criminatio diffiatur. Equites qui? Textus παρόρθωσις tollitur. Quid sit ἐπὶ aut ἐκ μέρους.

Jam primum omnium illud de Actorum prooemio conqueritur Tillemontius, quod de *gloria* pugnantium pro patria magnifice loquatur Auctor (quod Christianis sensibus adversari, quos ab humana gloria alienos esse oportet, criticus putat) id nihil est: nam tantum ibi comparatio instituitur defendentis patriam, ἵνα τὸν τῆς εὐδοξίας ἀναδήσωμαι στέφανον, *ut gloriae corona redimiri possit*, cum eo qui pro Fide Christi decertat. An non pares sunt Apostoli comparationes petitae a palaestritis, qui ab omnibus se abstinent, ut corruptibilem coronam accipiant?

Num. 2. dicuntur ἱππεῖς, *equites* ultro citroque discurrere, ut aut ad desertionem Christianos compellerent, aut abducerent. Quos non diversos accipio ab iis, quos illa tunc aetas modo *Frumentarios*, modo *Curiosos*, alibi *Curagentes*, *Agentes in rebus*, *Exploratores*, aliisve pro tempore nominibus nuncupabant. Per hos discursatores omnia ad Principem deferebantur: per eosdem rei conquirebantur. Chrysostomus apud Suidam dicitur *Tractus a Curioso in mediam civitatem*. At Noster ἱππεῖς *equites* appellavit: sane proprie & antique, & ut scriptorem decebat, qui barbara verba aspernaretur. Qui sic etiam in Actis S. Polycarpi vocantur num. 7. ἐξῆλθον διωγμῖται καὶ ἱππεῖς μετὰ τῶν συνήθων αὐτοῖς ὅπλων. *Egressi sunt Diogmitae* (ea vox *persecutores* sonat) & (pro *sive*: nam *diogmitae* iidem, qui *equites*) *equites* cum *consuetis armis* &c. qui tandem S. Martyrem abduxerunt.

Ibid. in fine. οἱ δὲ τὸν λογισμὸν ἐπὶ μέρους ὑγιαίνοντες, ὑπὸ βασάνοις καὶ αὐτοὶ διηλέγχοντο, τὸν ὄντως Θεὸν (μὴ) ἀρνούμενοι. Bollandistae addiderunt initio οὐκ ante ἐπὶ μέρους, ac reddiderunt. *Isti vero, quibus sanior omnino firmiorque in recta fide sensus erat, nequaquam induci poterant verum ejurare Deum, sed ipsos se probabant cruciatibus sustinendis.* Verum tantum abest, ut initio οὐκ addendum fuerit, ut potius in fine μὴ (quod intra parenthesim coercui) induci debuerit, si umquam in MS. fuit. Certe neutrum σεμνικὸν μόριον in suo reperit Zinus, sic interpretatus: *Qui autem parum erant in fide salubri confirmati, cruciatibus victi, verum Deum negabant.* Vbi illud *parum* optime respondet Graeco ἐπὶ μέρους, quod significat *ex parte tantum* h. e. *imperfecte*; sicuti 1. ad Cor. XIII. 9. *Ex parte* [ἐκ μέρους; quod significat *imperfecte*, nam sequitur *Quum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*] *credimus*, & *ex parte prophetamus*. Accedit, quod διελέγχω nusquam significat *probare*, sed *reprobare, redarguere, convincere*; ut omnino utraque negatio abesse debeat. Postremo Auctor hoc loco non aliud, quam Christianorum ferme communem desertionem notat, dum alii nullis tormentis tentati, ultro a fide deficerent, alii vero tormentis succumberent: unde & statim diabolum laetantem inducit, quod ἀσθενεστέρων *infirmio-*

mioribus (hi ſunt illi poſteriores *parum in fide confirmati*) ſuperior evaſerit. His opponuntur hi SS. Martyres, qui ob eam cauſam infra num. 18. τελειωμένοι h. e. *perfecti* vocantur; unde nullis tormentis vinci potuerunt. His intellectis, locum, in quo verſamur, totidem his verbis reddes, ſi voles: *Qui vero mente ex parte* (tantum) *ſani erant, ſub tormentis & ipſi reprobi evadebant, verum Deum negantes.*

§. II.

Ad Sectionem tertiam. Διὰ πείρας *(quod heic vertitur* FIDENTER) *quid ſit. De urbicis Theſſalonic. magiſtratibus, de Strategis duobus, unoque Logiſte. Locus difficillimus Actorum enucleatur. Quid ibidem ſit* ἐπὶ κεφαλῆς. *Plurativum* πατέρες *non utrumque parentem, ſed majores ſeu aſcendentes notat.*

Num. 3. Tillemontius difficultatem objicit de his Martyribus in Domo Dei verſantibus (quum tamen claudi ab initio Eccleſias ex Edicto oportuerit) & Dei verbum praedicantibus; ſed eam ipſemet V. Cl. ſolvit exemplo S. Philippi Heraclienſis. Quamquam illud *hautement* (quod expreſſit Tillemontius ex interpretis voce illa *fidenter*: *Quod Dei verbum* FIDENTER *praedicarent*) abeſt a Graeco textu; imo ejus loco, ponitur διὰ πείρας, quod contrarium prorſus ſignificat. In Axiocho (qui Platonis ſcriptis inſeritur) reperitur διὰ πείρας ἰόντες (ad verbum, *per experientiam euntes*) de iis uſurpatum, qui locum difficilem ingreſſuri, ſuſpenſo ambulantes gradu, pertentant prius, ubi veſtigia ponant. Sic & hi SS. Martyres διὰ πείρας ἐκήρυττον, i.e. *tentabundi praedicabant*: tantum abeſt *ut* fidenter, ſive *hautement* id fecerint.

Ibid. dicuntur Martyrum horum libertatem admirati οἱ περὶ τὸν στρατηγὸν καὶ τὸν ἐφεσῶτα Λογιστήν: quod interpres Bollandianus reddidit, *Milites eorumque duces atque aerarii praefectus.* Verum nullum heic militare nomen eſt, ſed utraque vox urbicum magiſtratum Theſſalonicenſium notat. Ac ſicuti στρατηγὸς τῶ ἱερῶ in N. Teſtamento *Magiſtratus Templi* redditur; ſic στρατηγοὶ τῶν Θεσσαλονικέων erunt *Magiſtratus Theſſalonicenſium*. Quod ſi peculiari vocabulo eam vocem reddere velis, non dubitabo *Praetores* interpretari. Romanos praetores a Graecis στρατηγὸς dictos vel pueri ſciunt. Quemadmodum ergo qui in ceteris coloniis *duoviri* vocabantur, ii Capuae teſte Cicerone *praetores* nuncupabantur; ita eoſdem a Theſſalonicenſibus στρατηγὸς fuiſſe appellatos, certiſſimum eſt. *Strategos* hujuſmodi in Graecarum urbium marmoribus atque nummis paſſim animadvertere licet. Vaillantius porro ad CCL. ſtrategos, qui in nummis Graecis occurrunt, recenſuit. Fuerint ergo Theſſalonicae *Strategi* ſeu praetores duo; ſicuti & duos fuiſſe Templi Hieroſolymitani *Strategos* crediderim, ut in loco oſtendemus.

Sequitur ut & de *Logiſte* dicam, qui major *Strategis* erat, ut ex horum Actorum ejuſmodi verbis intelligitur, καὶ τὸν ἐφεσῶτα Λογιστήν, h. e. *& [eis] praefectum Logiſten*; & infra num. 10. *Urbanus tunc* λογιστεύων (i. e. *temporis illius Logiſtas*) cum praeſide Rom. pro patriis inſtitutis ſtrenue agit. Et Athenis quidem λογισταὶ dicebantur ii, apud quos rationes reddebantur adminiſtrationis magiſtratuum; id quod diſcere licet ex Harpocratione, Polluce, Suida, Etymologico. Nec tantum Athenis, ſed ubilibet id genus magiſtratus erat, ſed alio atque alio nomine. Ariſtoteles in VI. Polit. cap. ult. praefatus, eſſe oportere in qualibet civitate magiſtratum, apud quem ratio adminiſtratae reip. redderetur, ſubdit, *Hos autem alii* εὐθύνους *vocant*, alii λογιστὰς *logiſtas*, hi rurſum ἐξετασὰς, illi συνηγόρους.

Ibid. Theodulus vix pubertatem ingreſſus dicitur; & tamen eum Lectorem fuiſſe ex n. 4. diſcimus: id quod animadvertiſſe proderit, nequis putet, eo tempore majorem quam nunc aetatem ad Lectoratum fuiſſe neceſſariam. Verum huic loco retruſior quidam ſenſus ineſt. ἦν γὰρ ὁ Θεόδουλος ἀνὴρ, ἀρτι μὲν τὸν ἥλικον ἐπανθῶν καὶ τὰς γενειάδος [cor. γενειά-

Digitized by Google

φρενῶδες] ἦχαν ὃ ἄλλως δὲ παῖς ἐκ τῶν σώματος ἀδεκάσου ταπεινοφροσύνης. Tres in Theodulo aetatis gradus admiratur: virilem enim is aetatem moribus, primam adoleſcentiam recenti adhuc lanugine, ac poſtremo pueritiam ſui demiſſione praeſeferebat. Hoc ultimum ſumptum eſt ex Matt. XVIII. 4. *Qui humiliaverit ſemetipſum, ſicut parvulus iſte* &c. His praemiſſis, locus modo recitatus ad verbum ſic ſonat. *VIR* (ἐμφατικῶς) *quippe erat Theodulus, recentem quidem lanuginem efflorescentem per genas habens, ceterum adhuc puer, quod attinet ad corporis incorrupti demiſſionem*, ſeu humilitatem. At haeret adhuc in ultimis verbis nodus. Cur enim ταπεινοφροσύνην *animi demiſſionem* corpori tribuit? quum contra eamdem menti adſcribendam eſſe ex ipſo nomine fidem faciat Chryſoſtomus Hom. VI. in Ep. Ad Philip. dicens: ταπεινοφροσύνη *ſic dicitur, διὰ τὸ φρονήματός ἐστι ταπείνωσις, quia mentis eſt* (non corporis) *demiſſio*. Sed manifeſtum eſt alludi ad σῶμα ταπεινώσεως, i.e. *corpus humilitatis*, quod legitur III. ad Philip. 21. Quamquam ne ſic quidem nodus expeditus eſt. Sed piget heic immorari diutius. Quae reſtant vide ad paginae (22) calcem: ex quibus intelliges, quam non pronum ſit Auctoris hujus ſenſus alicubi abſtruſos pervadere.

Statim ſequitur: πάτερ πατέρες ἦσαν ἐπὶ τῶν Θεσσαλονικέων κεφαλῆς. Haec apud Bollandianos ſic redduntur: *Erantque ei in Theſſalonicenſium urbe genitores*. Ad calcem vero adnotat vir eruditus, illud ἐπὶ κεφαλῆς diverſis conjecturis anſam praebere, ſed ſenſum nullum ſuggerere; quocirca in interpretatione a ſe omiſſum fuiſſe. At ibid. adnotatur, Zinum haec ita vertiſſe, *Huic parentes Theſſalonicenſes erant, viri illuſtres*. Nam quia *caput* eſt membrum princeps, idcirco Zinus putavit, quod Graece dicitur, *hujus parentes erant in Theſſalonicenſium capite*, tantūdem eſſe ac ſi diceretur, erant viri primarii, & quaſi Theſſalonicenſium vertex. Sed longe aliud ſecutus eſt Graecus Auctor. Sciendum eſt, apud Graecos κεφαλὴν *caput* pro eo, quod eſt cariſſimum, poni; ſicuti & *Oculi* eodem ſenſu apud Latinos uſurpantur. Itaq. Homerus Iliad. Σ. *Quem ego τὸν ἴσον ἐμῇ κεφαλῇ, honoravi aeque ac caput meum*: pro quo Latinus poeta, *Ni te plus oculis meis amarem*. Hinc Plato in I. de rep. ſcripſit, *Ob hanc ſapientiam tanto eos amore proſequuntur, ut tantum non* (ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρουσιν αὐτούς) *in capitibus eos ferant amici*: pro quo Latini uſurpant *In oculis ferre*. Eadem prorſus in his Actis locutio, ἦσαν ἐπὶ τῶν Θεσσαλονικέων κεφαλῆς: ad verbum, *Erant in capite* (i.e. magno in pretio) *apud Theſſalonicenſes*, h. e. *in oculis*, uti Latini loquuntur. At hodiedum vulgo τὸ *Supra caput*, veluti proverbiale, uſurpamus de iis, quae magni nos facere ſignificamus. Ac ne illud quidem eſt omittendum, quod πατέρες hoc loco non ſignificat *genitores* aut *utrumque parentem*, (nuſquam enim, quod ſciam, una haec vox *patrem* ſimul ac *matrem* notat) ſed προγόνους i. e. *majores*, ſive agnatos in gradu aſcendentium: qua notione ea vox plurative uſurpatur. Hinc diſce, Theodulo non tantum patrem, ſed & avum paternum fuiſſe ſuperſtitem.

§. III.

Ad ſectionem quartam. De S. Theoduli annulo morbis auxiliante. Loci Actorum obſcuri emendatio atque expoſitio. Evolvuntur

V

[22] Ac primum illud ἀδεκάσου cum ταπεινοφροσύνης ne (quod fecit interpres, ſcribens, *inſemeratae modeſtiae*) an cum σώματος eſt jungendum? Non eſt dubium, quin ad *corpus* ſit referendum: nam id epitheton a *demiſſione* eſt alieniſſimum. Cur autem Theoduli corpus *incorruptum* vocat? primum quia nulla labis ſpurcitia contaminaverat, quae puerorum propria laus eſt ante pubertatem, unde & Martyrem hac parte *puerum* appellavit: deinde ut antitheſis ſit cum Apoſtoli indicato loco. Nam Chryſoſtomus in eum Pauli locum *corpus humilitatis* idem eſſe putat ac *corruptionis*; & *corpus humile* dici ait, quia τῇ φθορᾷ ἐστιν ὑπεύθυνον, *corruptioni eſt obnoxium*. At contra Nolter, in omnibus rhetoricans, corpus ἀδέκαστον *incorruptum* Theodulo tribuit, ut id opponat *corpori humilitatis* h. e. corruptionis.

Digitized by Google

tur Auctoris hujus ambages circa Dei nomen quadrilitterum annulo inscriptum : deque eo nomine Christianorum silentium . De paganis ac Basilidianis eodem nomine abutentibus . De anno passionis horum Martyrum.

Num. 4. Narratur Theodulus annulum, in cujus pala quaedam signa insculpta essent, per quietem divinitus digito insertum adeptus fuisse, per quē mox curationes plures perfectae fuerint. Hoc totum Tillemontio fabulam subolet. Esto. Sed tamen quarto saeculo, quando hoc Elogium perscriptum oportuit, id pro vero habebatur . Quamquam non video, quid in ea narratione fidem superet; quum sciamus per sudaria & semicinctia Pauli aegrotantibus admota, plures, vel absente Apostolo, convaluisse . Nam & tale quiddam in eo annulo eveniebat; quod nondum intellectum fuit . Scribitur enim de hoc annulo : *εἰ γὰρ , σὺν αὐτῷ μόνον , ἦν ἐπιφανεῖ ἀνδρὶ πάθος ἀνίκητον ἀποδυρόμενον , μὴ τῇ παρουσίᾳ πρὸς ἀπαλλαγὴν ἤρκει τῆς νόσου* . Bollandiani correxerunt, *μόνῃ τῇ παρουσίᾳ*, ac verterunt : *Si enim hunc* (annulum) *solum habenti illustri viro gravis ac desperatus morbus obvenisset , solae ejus praesentia sufficiebat ad morbi depulsionem*. Sed quanto facilius fuit pro *μὴ τῇ παρουσίᾳ*, levissima mutatione scribere *μὴ α* (quod *Nedum* significat) *παρουσίᾳ*, recto casu, & adjecta *ὑποστιγμῇ*. Deinde sic totus locus verti ad verbum potest: *Vel enim cum hoc* (annulo) *tantum , si cui illustri viro morbus insuperabilis ac deploratus incidisset , nedum* [Theoduli] *praesentia , ad morbi depulsionem id satis erat* . Illud *σὺν αὐτῷ μόνον* est quasi *παρενθέμενον* , ac valet , *annuli tantum auxilio* [sicuti *σὺν Θεῷ* est *cum Dei auxilio* , Deo bene juvante] ac sine Theoduli praesentia .

Atqui hoc loco etiam de signis in pala annuli scalptis est aliquid mihi dicendum, in quibus retrusius certe aliquid latet . Ante modo recitata verba descriptio annuli talis est : *Annulus quidam ex insolita materia, habens in pala* (*σφραγῖδας*) *signa* h.e. scalpturas seu characteres . Cujusmodi autem hi characteres fuerint, non dicit , quia arcani religione prohibebatur auctor . Sed ex sequentibus id augurari licet : *δι' ὧν , οἶμαι , κατεμήνυσεν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς , ὅτι παρ' αὐτὸ τὸ δῶρον , τὰ τέτταρα στοιχεῖα διοικοῦντος* . h.e. *Per quos characteres hujus universitatis Deus , ut opinor , significavit , ab eo munus esse profectum , qui quatuor elementa administrat* . Aut ego fallor, aut his verborum involucris datur intelligi, nomen Dei ineffabile quadrilitterum in annuli gemma scalptum fuisse : de quo videbis inferne (23) adnotata. Ad finem autem sectionis hujus dicitur Theodulus verbo tan-

[23] *De* יהוה *Dei nomine quadrilittero in Theoduli annuli gemma inciso .*

Vt *σφραγῖδας* sive caelaturas , quas Auctor in annulo fuisse dicit , de Dei Hebraico nomine quadrilittero interpreter , facit I. Christiani hujus scriptoris silentium , cum quadam suboscura tamen mussitatione conjunctum . Nam nominis hujus mysterium ad arcani disciplinam pertinuisse , tum supra ad XI. Martii in animadversis ad S. Pionii Acta opportune docuimus [vide ibi dicta] tum id vero ex hoc loco magis confirmatur . Id autem arcanum necessarium fuit , quippe tum Paganis , tum etiam Basilidianis haereticis eo nomine sive pronuntiato , sive in gemmis insculpto, ad superstitionem & amuleta abutentibus , ut infra dicemus .

II. Tametsi vero Auctor , cujusmodi characteres illi fuerint , non ediserit , id tamen attendenti satis per aenigmata adumbrat in eo , quod sequitur : *Per quos* , inquit , *characteres hujus universitatis Deus , ut ego interpretor , significavit , ab eo munus esse profectum , qui elementa quatuor administrat* . Nam ea scriptoris interpretatio non nisi in nomen tetragrammaton quadrat . Putavit enim, quia id nomen per quatuor *elementa* h. e. litteras perscribebatur , ea scalptura significari verum Deum , cui quatuor *elementa* sive ipse mundus famulatur . Huc mirandus ille Pythagoreorum *Quaternio* [*τετρακτύς*] per quem illi sanctissime jurabant , pertinet : & quae plura huc afferri possent .

III. Et quidem Origenes in I. contra Celsum testatur , ethnicos eo nomine abusos fuisse tum ad immundos spiritus ab infestis corporibus depellendos , tum etiam pro amuleto mor-

Digitized by Google

tantum (καὶ σφραγῖδι τῷ Παντοκράτορος) *& signo Omnipotentis*, jussisse Daemones ab obsessis abscedere. Ibi σφραγῖδα *signum Crucis* interpres reddidit. Et id quidem pluries significat: at heic additum Παντοκράτορος *Omnipotentis*, (non vero *Christi*) & superior de annulo narratio suadet, ut de annuli scalptura nomen Dei quadrilitterum exhibente, vocem Graecam illam intelligamus: quam ne Tillemontius quidem est assecutus, qui reddidit: *par le signe du Sauveur*.

Ibidem v. 12. ὁ δὲ τοῦτον (syntaxis jubet scribi τούτῳ) συμπνέων, *huic conspirans* Agathopus.

Heic vero praeterire non possum, hujus sectionis initio Martyrum horum passionis tempus non obscure designari. Est enim hoc in Martyrum historiis tritissimum, consueviſse eis Deum futuri certaminis significationes dare, easque non diu ante, sed sub ipsum pugnae tempus. Et Theodulus quidem datum sibi divinitus annulum in arrham accepit, fore se *sponsum sanguinum*. Atqui hoc praesagium ei oblatum dicitur πρὸ πάθους *ante passionem*, sive *sub ipsam passionem*: statim vero subjicitur, ὅτω γὰρ &c. *Nondum enim impio Edicto peragante*, eam praesagitionem Theodulo divinitus obvenisse. Ex quo *licet* colligere horum Martyrum passionem statim Edicta consecutam fuisse, propterea quod heic *passio* cum *Edicto* componitur. Atque id etiam ex eo intelligi potest, quod quo tempore passi sunt hi Martyres, adhuc Ecclesiae patebant (uti colligitur ex initio num. 3. vide ibi dicta) utique quia recenti adhuc Edicto nondum ad eas evertendas ventum fuerat. Quorsum haec inquies? Nempe ut appareat non esse dubium, quin horum Martyrum triumphus anno 303. sit consignandus, quo & Edicta proposita fuerunt: cui anno etiam Tillemontius recte hos Martyres assignaverat, sed tantum ex conjectura quadam. Qui etiam Not. XII. recte eas diluit difficultates, quae adversus hanc temporis consignationem objici possent.

Porro autem Terminalibus h.e. exeunte Februario Diocletianeae persecutionis (quae & Maximiano ut praecipuo incentori tribuitur) edictum propositum Nicomediae fuit: at Thessalonicae & in aliis provinciis aliquantulo serius: ita ut horum Martyrum certamen, quod die 3. Aprilis contigit, recte cum initiis persecutionis Macedonicae componendum sit.

§. IV.

Ad sectionem quintam. Faustinus Praeses fortassis idem ac Dulcicius, qui anno seq. Thessalonicae praesidebat. Aliquot loci illustrantur aut sanantur.

Num. 5. de *Fausto* praeside nihil habeo explorati. Anno Christi 210. Manius Acilius Faustinus cum Triario Rufino consul processit. Verum hic noster prope centum annis consule illo recentior, utrum ejusdem gentis fuerit, quis divinando assequetur? Atqui equidem eo sum inclinatior, ut existimem, hunc praesidem cognomine quidem *Faustinum*, gentili-

morbos persanandos. Mitto heic quaerere, unde gentiles id arripuerint, a Christianis ne, qui ad talia eo nomine sancte uterentur, an a Judaeis, an postremo a Basilidianis. Nam undecunque id gentiles imitati fuerint; satis id erat, ut Christiani id nomen celandum esse docerent. Sed eo sum inclinatior, ut nec a Christianis, nec ab Judaeis (utrisque in eo nomine celando religiosis) didicisse id gentiles putem, sed a Basilidianis; qui certe ad edendum id nomen duces se praebuerunt. Hodiedum teruntur omnium manibus innumerabiles Basilidianorum gemmae id nomen celatum gerentes, sed tamen cum *portentosis* imaginibus, cumque aliis ignorabilis significationis nominibus conjunctum: quorum nominum est illud celeberrimum ΑΒΡΑΧΑΣ. Atque ea heic attigisse tantum satis fuerit.

Interim ex hoc loco scriptoris nulla, ut satis patet, labe infecti intelligimus, sanationes admirandi illius Nominis ope perfectas, non fuisse a Christianis damnatas (modo abesset superstitio) alioqui numquam hoc Theoduli factum a scriptore orthodoxo laudes extorsisset; in elogio praesertim, quod publice in coetu fidelium in festo horum Martyrum fuisse lectum, ex fine hujus scripti colligitur.

Digitized by Google

tilicio autem nomine *Dulcicium* fuisse appellatum: itaut idem plane fuerit ac qui anno sequenti in eadem Thessalonicensi metropoli praeses erat, uti constat ex Actis *SS. Agapes, Chioniae, & Irenes* Thessalonicae anno 304. crematarum sub *Dulcetio* praeside, uti is appellatur in Actis sincerioribus a Ruinarto exhibitis. At in Actis earumdem Henschenianis (ad 3. Aprilis) idem *Dulcicius* nuncupatur: quam rectam esse scripturam, suadere poterit marmor Lugdunense apud Reinesium Cl. XVI. 6. in quo occurrit quidam DVLCICIVS CLAVDIANVS. Sed quidquid de orthographia sit; fuerit hic praeses (gentilicio nomine *Dulcicius* sive *Dulcitius*, cognomine autē *Faustinus*) idē qui legitur in Actis SS. Agapes & Soc.

Timuisse autem praeses dicitur, quum in SS. Martyribus miram oris mentisque consensionem animadvertisset. Ea consensio Graece sic exprimitur, ὥσπερ ἐξ ἑνὸς σώματος ἢ μιᾶς γνώμης εἰς ἴδιά διάφορα μεμορφωμένους: quod interpres reddidit, *propter idem animi propositum facie lucenti transformatos*; pro eo quod verti multo aliter debuit, nim. illos Martyres *quasi ex uno ore* (ut qui unam ambo hanc vocem emitterent, *Christiani sumus*) *& mente una in formas diversas* (duas) *figuratos* fuisse. Id nempe est, quod de amicorum biga usurpamus, *Una sol'anima in due corpi*. Versu hinc altero addenda est copula Καὶ ante illud γενναίῳ λογισμῷ. Porro ea quae in hac sectione tota criminatur Tillemontius, ea nauci non sunt, nec refutatione indigent. Jam vero illud Ξένος malim appellative sumi, alioqui sequens vox ἀνὴρ quid heic faciet? τὶς ξένος ἀνὴρ, *vir quidam peregrinus*. Versu tertio ante finem Theodulus ait, ἀλλ' ὁ ποσῶν δονήσεται φόβος. Quam lectionem ratam habuit interpres, vertens, *Non usque adeo formido commovet.* Sed nemo non videt, scribendum esse δυνήσεται, i. e. *valebit*. Nam illud δονήσεται i. e. *agitabit* aut *agitabitur* hic locum nullum habet: nec hujus verbi forma media in usu esse cernitur.

§. V.

Ad sectionem sextam. Adverbium πειθοῖ *& διαλλάττει pro satius est, & μεμελικώς notione activa.* Κρείττων *pro* Deus Σφραγὶς *baptismus, qui & σφραγὶς πίστεως. Quid ἐξίσαμαι, & διασύρω, & σιφνία, & ἐπικείμενος. Inhonestioris cavilli explicatio.* Διάκονος *generaliter pro* Clericus. *Locorum plurium enucleatio & emendatio. Tillemontii criminatio diluitur.*

Num. 6. Statim initio. Πειθοῖ δὲ πάλιν εἰ τόνος τῷ Φαυστίνῳ, Ἀλλ' ὅσον διαλλάττει λόγισαι, τὸ ζῆν μετὰ λαμπρότητος, ἢ πεθνάναι μετὰ κολάσεως. In his πειθοῖ est dativus adverbiascens, & διαλλάττει ponitur pro *praestat* (sicut & διαφέρει idem saepe significat) uti constat ex sequenti ἢ: quae Graecae linguae studiosi haud facile alibi reperient: sicuti nec illud obvium est, quod in fine sectionis hujus μεμελικώς activo significatu ponitur; nisi quod tantum medium μεμελῶς & passivum μεμελημένος perraro active ponitur pro *sollicitus*. Ergo autem superior locus verbo sic redditur: *Porro appositе ad suadendum rursus dicente Faustino, Reputa quanto sit praestabilius cum dignitate vivere, quam in supplicio mori.* Mox Theodulus ait: *Igne corpus meum probato, statim enim animadvertes, ὡς ἐκεῖνο μὲν ἐνδύσει, φθαρτὸν ὄν, ὑφ' ὁμοίων καταλισκόμενον, illud quidem* (corpus) *succumbere quum sit corruptibile, a sui similibus* (corruptibilibus) *consumptum.* Quae in interprete nō belle habeant.

Ibid. Faustinus ait: Καὶ τὶς ἴσως, εἰ τὸ πρὸς τῷ κρείττονος &c. Vbi interpres adnotat, id *sensum integrum non facere*: unde & correxit πρόξενος τῷ κρείττονος; & hac scriptura in textum recepta, locum interpretatur, *Ecquis, obsecro, ille tanto majoris boni conciliator?* Verum si nusquam ei vox κρείττων (24) pro *Deus* occurre-

(24) At Κρείττων ea notione usurpatur a Plutarcho in Pyrrho, ὡς ἂν τῶν κρειττόνων θαυμάσαντες, *ut unum aliquem ex deorum numero admirati*. Heliodorus dixit Ni-

lum

currerat; at in hoc saltem elogio pluries usurpatam reperisset. Sic enim n. 4. initio Theodulus *arrham futuri certaminis a Deo* (Gr. παρὰ κρείττονος) *accepit*. Sic etiam num. 7. & 8. quibus in locis peculiarem ejus vocis usum adnotabimus. Itaque heic πρὸς τῶ Κρείττονος est jurandi formula (nam πρὸς cum gignendi casu passim jurijurando servit) i. e. *Per Deum*.

Ibid. σφραγῖδα, *signaculum*, quo se a teneris unguiculis signatum Theodulus dicit, non aliud quam Baptismum (qui passim trito significatu σφραγὶς vocabatur: imo & ad finem sectionis hujus eadem σφραγὶς usurpatur cum additamento τῆς πίστεως, *signaculum fidei* h. e. ipse baptismus, qui *Fides* ab antiquissimis Patribus vocabatur) intellige; & hinc discе illis temporibus usitatum fuisse infantium baptismum. Mox idem Martyr Praesidi dicit: θᾶττον γὰρ καὶ τῶ σώματος, ὃν σὺ νῦν σοι καὶ τῶ τυράννῳ τῆς θεοσεβείας ἐκστήσομαι. Quae in interpretatione Latina non recte habent in hunc modum: *Citius enim per te omnis religionis inimicum tyrannum ab hoc corpore, quam ab illa* (signatura, de qua prius) *dejiciar*. Putavit, οὗτος referri ad σφραγῖδα ante positum, quum referatur ad sequens θεοσεβείας; deinde hunc genitivum regi a τυράννῳ credidit. Adde quod ἐξίσταμαι cum genitivo rei & dativo personae est *Cedere* alicui re aliqua, ut via aut provincia alicui cedere. Exempla apud meliores Graecos haud rara sunt. Verti ergo debuit: *Nam corpore citius, quam hac Divina religione, tibi & Tyranno cedam*. At Tillemontius nollet, a Martyre imperatorem *Tyrannus* vocatum. Potuit quidem haec vox a scriptore proficisci. Verum ne a Martyris quidem libertate id alienum erat, ut Galerium impietatis monstrum eo nomine appellaret: sicuti & diserte num. 12. Theodulus *Maximianum TYRANNVM saepius inclamabat*. Exempla similis παῤῥησίας & ex Sacra historia, & ex Scripturis plura suppetunt.

Versu seq. διασῦραι non est *confutare* (quod serietatem complectitur) sed cavillari, traducere, elevare, calumniari, nec sine amarulentia aut sarcasmo; qui certe sarcasmus Faustini praesidis dicto inest, si recte intelligatur, quod tale est. Καλὸς ἡμῖν, ὦ νεανία, πίφυνας, ὁ καὶ τὰ κλεῖσθρα καὶ τὰς τῶ Θεῶ σφραγῖδας ἐπιμέμνος. Interpres: *Pulchre, inquit, o adolescens, & clausтra & signacula Dei tui commentus es*. Sed nec verba [25] nec sensus hanc interpretationem ferunt. Puto igitur Καλὸς recto casu esse legendum, ac porro sic esse reddendum locum: *Speciosus nobis, o adolescens, videris, ut qui & clausтra & sigilla Dei imposita habeas*, sive *praedices*. Dixerat Martyr Deum omnia naturae lege *concluisse*; ac mox *sigilli* (h. e. Baptismi) a Christo accepti meminerat. Hinc occasionem capit non satis honesta in Martyris formam cavillatione utendi. Gentilium diis fuisse amasios suos, nemo ignorat. Vel quod sequitur Martyris responsum positae interpretationi velificatur. Καὶ μάλα γε, ἀξιόπιστος τῆς θεοσεβείας διάκονος &c. *Ita sane, utpote fidelis Religionis minister* ... Negat se talem Dei *ministrum* esse, qualis Ganymedes Jovi praesto erat, ejus pincerna factus; sed se Divinae Religionis ministrum in Ecclesia ordinatum praedicat. In hoc vero responso vox Διάκονος *diaconus* notione generali sumitur, quatenus

---

...ωι κρειττόνων τὸν μέγιστον, *deorum maximum*, ab Aegyptiis habitum. Athanasius Orat. contra gentes (tom. 1. p. 31.) συγγνώμην δὲ ἴσχειν παρ' αὐτῶ τῶ κρειττόνος. ...pace *Num.nis* fit venia dictis.

25) Praeteritum med. πίφυνα, ubi rectum illum post se gerit, eleganter significat *apparere* aut *videri*. Sic apud Nazianzenum πεφυκότες κρείττους visi sunt meliores. Ex Plutarcho affertur πεφυκὼς πολέμιος, i. e. *hostis manifestus*, vulgo *Nemico dichiarato*. Jam vero κλεῖθρα (quo Lucianus utitur pro κλεῖθρα) sunt *clausтra* sive *serae*, & quidquid ad claudendum valet, sicuti & σφραγῖδες, sunt *sigilla*, quibus clausa signabantur. Postremo ἐπικείμενος cum accusandi post se casu est aliquid impositum habere. Sic Pausan. Eliac. prior. de Oenomao: ἐπικείμενος κράνος τῆ κεφαλῆ, *galeam habens impositam capiti*.

Digitized by Google

tenus omnes *miniſtros* (hoc enim ea vox notat) ſive Clericos deſignat (nec aliam ob cauſam ea voce utitur, niſi ut Fauſtini convicium retunderet) quum ceteroqui non *Diaconus* ordine eſſet Theodulus, ſed tantum Lector.

§. VI.

Ad ſectiones 7. & 8. *Qui dii duodecim? Cur Deus* Κρειττων *ſit appellatus, quaeque ſit plena locutio. Neutrum* Κρειττον *eodem ſignificatu. Chriſtianis pro confeſſo habebatur, nullam ſimulacris ineſſe vim mentis internam. Manuum lotio ante precationem.*

Num. 7. verſu 8. τὴν διὰ λόγων θυσίαν intellige quod alicubi in Scripturis vocatur *Sacrificium laudis*, non quod in interprete legitur. Mox v. 12. praeſes ait, τοῖς δώδεκα θεοῖς ἀνάξει θυσίαν, *diis duodecim* (Theodulus) *offeret ſacrificium*. Heic Tillemontius ſcire ſe negat, quoſnam *deos duodecim* praeſes intelligat. At Romanus praeſes non niſi Romanis diis cultum impendi jubet, qui duodecim numero erant, *Dii Conſentes* vocati, *Quorum* [inquit Varro de R. R. I. 1.] *imagines ad forum auratae ſtant, ſex mares & ſex feminae*. Eos Ennius apud Appuleium & Martianum Cap. hoc diſticho complexus fuit.

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana,
Venus: Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus,
Apollo.

De quibus nihil attinet plura dicere.

Ibid. verſ. 17. Agathopus ait: *Hos ne deos appelles, quos homines ſuis manibus a ſe formatos, mox* (οἷς χρείττονας ἑαυτῶν θεραπεύουσιν;) *ut ſeipſis praeſtantiores colunt*. Hinc plane intelligi datur quare ſup. num. 4. & 6. χρείττων ſit *Deus*; ſic enim vocatur cum homine comparatus. Deus igitur *homine praeſtantior* aut ἑλλιπαικῶς *Praeſtantior* a Graecis elegantiſſime dicitur. Plena autem locutio, quae heic occurrit, etiam apud Xenophontem reperitur in Cyri Paedia lib. VIII. χρείττων ἢ κατὰ ἄνθρωπον, *homine melior, ſupra hominem*. Sicuti & in homine *pars melior* intelligitur animus. Poſt tres verſus idem Martyr Agathopus ait: *Tunc deos appelles* οἷς ... πᾶν αἰσθητήριον ὄντως ἔχῃ καὶ τὸ σῶμα πανταχόθεν; Interpres: *Nec ullo ſenſuum munere ſunt praediti*. Ad ſententiam ſi ſpectes, non male: ſed verba ipſa ſic ſonant. *Qui quidem ſenſus omnes per corpus* (diffuſos) *habent, ſed plane fruſtra*, ac temere, & ſine interno animi judicio. Vbi praepoſitio κατὰ cum gen. pro *per* uſurpatur, ſicuti etiam ſup. num. 2. v. 5. Statim ſequitur: *Quos* (deos) *antiqui* (Gr. οἱ παλαιοὶ, quibus mox opponuntur οἱ νῦν) *antiqui quidem gentilium animatos ſibi viſos* (Graece eſt ἐμψύχους εἶναι δόξαντας; quod ſi legas δόξαντες, tunc erit, *animatos eſſe arbitrati*) *moechorum & paediconum crimine obſtrictos pronuntiarunt: at qui nunc ſunt* (gentiles) *qui quidem has artes in manibus habent, pecunia illos quatuorque obolis diſtrahunt*. Ex his intelligitur, aevo horum Martyrum deſiiſſe paganos docere, ſimulacra ſenſu animaque eſſe praedita: maxime quum ab oraculis edendis jam ferme idola ceſſaſſent. At olim ſimulacra, ſimul ac conſecrata fuiſſent, animari ab ipſo numine, perſuadere volebant. Primi vero gentilium non tantum animatos deos ſuos crediderunt, verum etiam probris ac turpitudinibus humanis obnoxios.

Num. 8. v. 1. οἱ περὶ τὸν ἡγεμόνα non ſunt *qui praeſidi aſſiſtebant* (quod praefert interpretatio) ſed ſimpliciter *Praeſes*. Nota eſt locutio; eaque ſignificatio confirmatur ex ἐκέλευσαν *juſſerunt*, quod ſolius eſt praeſidis, non autem aſſeſſorum. Paullo poſt medium dicuntur hi duo Martyres εἰς μόνην τὴν εἰς τὸ κρεῖττον εὐσέβειαν ἀφορῶντες. Vbi τὸ κρεῖττον eſt *Numen* ſive *Deus*, uti conſtat ex ſequenti voce εὐσέβειαν; nam *pietas* in Deum fertur. Hinc ergo diſce, *Deum* non tantum maſculino genere τὸν κρείττονα, (de quo vidimus ad num. 6.) ſed etiam neutraliter τὸ κρεῖττον huic ſcriptori appellari: quod non alibi credo reperies.

Ibid. v. 12. gentiles Agathopodem alloquentes ajunt: *Numquid tu quoque*

Aga-

Digitized by Google

Agathope, adoleſcens es (καὶ τὸ συμφέρον &c. ſcribe ὃς καὶ τῷ .. *qui* .. aut ὡς καὶ τῷ .. ω ..) *qui vel quid expediat, ignores?*

Ad ejuſdem ſectionis finem Martyres ante orationem lavant manus: quod non video cur Tillemontium offenderit. Id apud gentiles in uſu erat. Horatius II. Serm. 3. v. 282. *Lautis mane ſenex manibus .... orabat.* Vbi vetus interpres: *Solebant deos precaturi manus & pedes abluere.* Sed apud Chriſtianos ea conſuetudo ſancte obſervata ab omnibus fuit. Chryſoſtomus Homil. 43. ad 1. ad Cor. ἐκ ἂν ἄλλο χερσὶν ἀνίπτοις ἔνξαιθαι. *Illotis manibus orare non ſuſtineres.* Hunc in finem fontes & labra in Eccleſiarum atriis proſtabant. Ac vide plura Chryſoſtomi & aliorum loca de hoc more apud Suicerum in Λαπὶς. Hinc Clemens Rom. ad Cor. ἁγνὰς καὶ ἀμιάντους χεῖρας πρὸς αὐτὸν αἴροντες, *puras & immaculatas manus ad eum* (Deum) *tollentes.* Clemens alter Strom. VI. *Manus in caelum* (καθαρὰς) *puras extendere* dixit. Quo & illud pertinet quod 1. ad Tim. II. 8. χεῖρας ὁσίας ἐπαίρειν, *manus puras levare* oraturi jubentur. At miratur Tillemontius, unde Martyribus in cuſtodia poſitis aqua ſuppeteret. Quaſi vero Equotutici morarentur, ubi *Viliſſima rerum* (ut ille ait I. Serm. 5.) *aqua* venalis erat.

§. VII.

Ad Sectionem 9. Opificii ſex dierum deſcriptio. Motus diurnus primi mobilis. Quid καμμιξας: γενιὰς: καθαρὸς: ξυνωρὶς &c. *Emendationes & interpretationes aliquot.*

Num. 9. ſatis longa & erudita Martyrum oratio continetur. Haec autem ſectio locis partim corruptis, partim alioqui difficilibus ſcatet. Statim initio: ὁ Θεὸς τῆς πάντων γενέσεως καὶ ὄψεως. Deeſt, opinor, δημιουργὸς aut tale aliquid. *Deus univerſorum generationis & aſpectus artifex* h. e. *qui omnia a te creata colluſtraſti luce, ut ſub aſpectum venirent*; idque primo die. Aut ſi vero nihil in Graeco deeſt; tum erit locutio Eccleſiaſtica ex Scripturis petita; ſicuti dicimus, *Deus totius bonitatis, miſericordiae &c.* Sequitur: *Naturae diſcretor.* Opus id alterius eſt diei. Deinde de tertio die addit, καὶ χάος ἀφανίσας, *qui abyſſum diſſipaſti.* At in quarto eſt obſcurior, niſi addatur δρόμον aut tale aliud: ὁ τάξας ἑαυτῷ μὲν πόλον ὑπὲρ τῶν ὅλων διανύειν ἑκάστοτε (τὸν δρόμον). Sermo eſt de primo mobili, ſic enim verba ſonant: *Qui mundi* (nam ἑαυτὸς *mundum* ſignificabat olim, teſte auctore libri de Mundo) *polum pro univerſis ſibi ſubjectis curſum indeſinenter perficere conſtituiſti.* Mox aliorum dierum opera ita percurruntur, ut tamen pennati generis ortus videatur ex aere magis, quam ex aquis, repeti. V. 16. καπνιμένον cor. κατηλιμμένον.

Ibidem pag. XLIV. v. 2. τὴν ἀθάνατον λῆξιν *Divinam conditionem* (id enim λῆξις ſignificat) ſive *ſubſtantiam* intellige. Ibidem illud καπνίζας *miſcens* non de Eutychiano dogmate (quo hic auctor multo ſane antiquior) fluxit, ſed incaute ſimulque innocentiſſime ac μεταφορικῶς uſurpatum fuit: quod ipſum declarat, haec ante *Eutychianas* turbas conſcripta fuiſſe. V. 4. Λόγος ... δι' ὃν ἔπραττεν: cor. ἔπραττες, & adde ἀνὴς, aut τὰ πάντα aut quid tale. V. 8. μεθιέμωσας, cor. μεθήμοσας *tranſtuliſti.* Hoc leve: at in Lazaro aqua haeret interpreti, de quo Lazaro dicitur τὰ δεσμὰ τῆς γενιάδος ἀπορρίξας [cor. γενιάδος ἀπορρήξας] ἐξ ἀδύτων ἀνέβαινεν. Interpres ad calcem adnotat, Γενιὰς *quid ſit, nuſquam reperiens,* ſuſpicor *ſcribendum* γενικὰς, *ut ſit .. a γενναῖος robuſtus ... Ita ſignificaretur mors omnibus praevalens.* Eique fundamento interpretatio nititur. At γενικὰς tum heic, tum ſupra num. 3. [vide ibi adnotata] eſt *facies*, ac reſpondet Latinorum GENIS. Verte igitur: *Diſruptis faciei vincalis, ex ſepulcri penetralibus prodiit. Faciei vincula* eſt *ſudarium*, quo Jo. XI. 44. *facies illius .. erat ligata.* Heic quidem ab Evangelii littera paullum aberrat ſive Martyrum ſive ſcriptoris concio: nam Lazarus ligatus prodiit, mox aliorum miniſterio ſolutus. Statim de eodem ſequitur, γελάσας διὰ σε καὶ φύσεως νόμῳ ... corr. διὰ σὲ νόμον.

Et

Et naturae lege [neceſſitate] *& mortis poteſtate per te ridiculo habitis*. Poſt tres verſus pro καθαρῶς cor. καθαρός: hoc autem cum caſu patrio idem eſt quod *vacuus*. Ariſtidi in Panath. dicuntur, ni fallor, Athenienſes καθαροὶ ξένων, *vacui peregrinis*. Plutarchus in Numa dixit καθαρὰς ψόφων ὁδούς, *vacuas ſtrepitu vias*. Nec Latini aliter interdum uſurpant nomen *Purus*, quod reſpondet Graeco καθαρός. Horatio *Sceleris purus* eſt *vacuus*. Idem: *Purae* (i. e. *vacuae*) *ſunt plateae, nihil ut meditantibus obſtet*. Sic etiam hoc loco caecus ille luto a Domino illuminatus, ᾧ πάθος ἐκεῖνο καθαρὸς ἀπαλλάττεται h. e. *morbo illo vacuus dimittitur*. Ἀπαλλάττω heic eſt *dimittere*, non *liberare*. Verſu tertio ante finem: ὄφελε καὶ νῦν ἐπαρκέσαι τῇ καθ' ἡμᾶς ξυνωρίδι μὴ μελλήσας. Interpres: *Nunc igitur complaceat etiam tibi, Deus, in hac noſtra ſocietate*. Verum ξυνωρὶς eſt *biga*, quae vox etiam de hominibus eleganter uſurpatur, tum alibi, tum ſaepe in hoc ſcripto, ac *Par* ſignificat, *Vna coppia*. At ἐπαρκέσαι cum dandi caſu eſt *auxiliari*. Pro μελλήσας ſcribendum eſt μελλήσῃς; ac reddendus eſt locus: *Ita nunc quoque auxiliari utrique noſtrum ne morare*. Illud διωγκόωντες, quod ſtatim ſequitur, eſt *perſerentes*, non autem *ſuperantes*.

§. VIII.

Ad ſection. 10. *&* 11. *Multiplex Tillemontii reprehenſio refellitur. Emendationes aliquot. Quid ſit* αὐτῷ ὄϊκων: *quid* ὁ καὶ *in binominibus uſurpatum: quid* columbae inſtar *&* ſpiritu *caelum penetrare. Perſonalis Hebraici vis. Plurium ab his Martyribus ad Chriſtum converſorum nomina & paſſio ex Mrologiis Hieron. deteguntur.*

Num. 10. Subita vinctorum converſio & accurrens extrinſecus multitudo negotium Tillemontio faceſſivit. Ac fieri forſitan poſſit, ut ſcriptor aliquid amplificationi dederit. Quid ſi vero Auctor nihil de ſuo addidit? Nam is tantum aliquot una cum Martyribus tentos ad poenitentiam ſe convertiſſe, dicit, non item externam multitudinem: quae quidem audita ſubita converſione accurrit, & perfracto carcere, rei admiratione perculſa ſtetit: in quorum utroque nihil eſt, quod fidem ſuperet. Quid ſi vero eorum, qui hac occaſione Chriſto nomen dederunt, imo & martyrium ſubierunt, nomina ex antiquiſſimis Mrologiis dedero? An non ſic ſaltem criticis os obſtruetur? Verum de his praeſtabit ad finem §. hujus differere.

Nunc Graecae dictioni, qua poſſumus, medicinam faciamus. Verſu 1. ἴσω: & ſic pluries in his Actis ſcribitur pro ἴσως. V. 3. τῶν κακῶν αὐτῶν ὄϊκων. Poterat corrigi, αὐτῷ (aut αὐτόθι) οἰκείων; ſed hoc nimis a ſcripti veſtigiis recedit. Quocirca leviſſima mutatione tantum pro αὐτῶν ſcribe αὐτοῦ. Sicuti autem *Ibi locorum* Latine dicimus; ſic Graecus auctor αὐτῷ οἴκων uſurpavit, tamquam ſi *Ibi domorum* dicas: *Maleficorum ibi domorum morantium*. V. 11. Οὐρβανός τις, ὁ καὶ Εὐψήφιος, τῶν λογιστῶν &c. Interpres: *Vrbanus quidam, cognomento Eupſephius, tum temporis Quaeſtor*. De *Logiſtae* Theſſalonicenſis magiſtratu vide dicta ſup. ad num. 3. Ceterum Logiſtes iſte binominis erat, non vero nomini cognomen (ut apud Romanos) ſuperinductum gerebat. Vertendum ergo eſt, *Vrbanus quidam, qui & Eupſephius*. Plures collegit alicubi inſcriptiones binominum Fabrettus pag. 145. & ſequ. in quibus eſt illud ſollemne QVI ET: ſicuti in Graecis marmoribus hoc idem dicitur, O KAI. At etiam Tillemontius (quem vide Artic. XI.) ſic ea duo nomina recenſuit, *Eupſephius Vrbanus*, quaſi vero *Vrbanus* fuerit ei cognomen, at *Eupſephius* (quippe deſinens in IVS) gentis Romanae nomen. Atqui gentilicia nomina nihil ſolent Graece ſignificare. Verum quid moror? Vrbanus a geſto recte magiſtratu hoc alterum ſibi nomen Graecum quaeſivit. Nam Εὐψήφιος reddi poteſt *bonus calculator*: quod muneris ejus laudem complectitur.

Num. 11. v. 2. ὡς λέγω, corr. λέγῃς: *quis diceris?* Debuiſſe Praeſidem in prima in-

Digitized by Google

interrogatione percontari nomen, expostulat Tillemontius. At prior interrogatio non ad juris tramites exacta fuit; sed ibi judex ἀπαθὴς (vide ad num. 6. initio) animum juvenis pertentabat. Quare nunc primum illum legitime interrogat. V. 9. Τίς γὰρ ὁ τὸν οὐρανὸν ποιήσας, *Quis ille est qui caelum fecit?* Intempestiva haec scisitatio Tillemontio visa fuit. Atqui nectitur cum superioribus: nam professentem Theodulum, se tantum *CAELI Domino* parere per omnia, Caesari autem ita, si justa praecipiat; opportune praeses interrogat, *Ecquis caelum fecerit*. In Actis S. Pionii num. 19. Proconsul ait: *Quid autem aera aspicis? Sacrifica. Ille respondit: Non aspicio aera, sed Deum qui aera fecit. Rursus Proconsul: Dic, quis fecit* (aerem scil.) &c. Vide quae ad hunc locum die suo adnotavimus.

Ibidem versu 17. scribitur Christus *columbae instar* in caelum ascendisse: quod non probat Tillemontius. Verum hoc sumptum est ex Ps. LIV. 7. & LXVII. 14: quae loca de Christi ascensu capi solent. At quid illud est, quod ibi Christus *instar columbae* (τῷ πνεύματι) *SPIRITV in caelum ascendisse* narratur? nonne & cum corpore ascendit? Plane quidem. Verum τῷ πνεύματι *SPIRITV* in hac locutione tantumdem est, quod *virtute Divina*.

Atqui praestabit heic totum hunc locum describere, qui verbo tenus talis est: *Quem* [inquit Theodulus] *cruci affixerunt illi* (Judaei) *& mox VIDERVNT ex vita cassо corpore in viventem naturam traductum, deinde instar columbae spiritu in ipsum caelum ascendentem.* At enim horum neutrum [urget heic Tillemontius] viderunt Judaei, sed dumtaxat discipuli. Cui respondeo illud VIDERVNT non ad Judaeos referri, sed ad eos qui viderunt, atque omnino imperfonalis Hebraici vim habere, cujusmodi illud est, *Neque accendunt lucernam & ponunt sub modio* i. e. *accenditur*, & alia plura in N. T. Ergo illud *Viderunt* tantumdem est, quod *visus fuit*, aut viderunt, quibus hoc datum fuit.

Nunc utriusque sectionis explicatione expedita, fidem meam liberare cogor, ac de SS. Theoduli & Agathopi sociis dicere, quorum notitiam Mrologiis Hieronymianis acceptam refero: in quibus tum II. tum IV. die Aprilis de SS. Theodulo & Agath. agitur. Sed huic quidem quarto diei duo hi tantum, de quibus tamdiu loquimur, Martyres inferuntur, & ita ut *Agathopus* (qui in *Agathonem* refingitur) praeeat hoc modo: *In Thessalonica natalis sanctorum Agathonis diaconi. Theodoli*; &c. In Epternacensi tamen antiquiore *Theodolus* prior ponitur.

At vero postrid. Kalendas constantet *Theodulus* praeit, quem mox *Agathopus* ac plures alii sequuntur distributi in turmas octonarias duas, quarum prior in exemplari Lucensi sic habet: *In Thessalonica Macedoniae Theudoli* (at in Epternac. & Chorbejen. *Theodoli*) *Agathopi* (in Epternac. *Agathopidiae*) *Mastisi* (in Eptern. *Mastesi*, in Corb. *Martis*) *Publi* (in Ept. *Puplii*) *Valeri cum aliis III.* (in Eptern. *& aliorum iii*). Heic desinit turma prior octonaria Martyrum, ex quibus sex posteriores puto ex iis vinctis fuisse, qui audita Martyrum oratione, ad Christum se converterant. Cur sic existimem, primum illud facit, quod nusquam alibi horum vinctorum exstat mentio, quibus non est verisimile, apud Praesidem impune fuisse. Deinde suadet me turma altera sub *Vrbano* signifero: quem Vrbanum non alium fuisse suspicor, quam illum qui alio nomine *Eupsephius* dicebatur, ac Logistes Thessalonicae erat.

Sed jam praestabit hunc alterum manipulum cognoscere, qui in Lucensi sic recensetur: *Vrbani* (Eptern. *Orbani*) *Juliani, Proculi, Gagi, Agapitis* (in Eptern. *Agapetis*, ut feminae nomen sit, cujus rectus *Agape*: at in Corb. *Agapiti*, ut mas fuisse videatur) *Dionysi, Cyriaci, Zonisi*. Et in hisce octo desinunt Lucense, & Epternacense; nam sequitur *& ALIBI Gordiani* aut *Gortoniani*. At in Corbejensi pro *& alibi* legitur, *& aliorum. Gordonioni., Magni, Julii, Donati*; ut dubium

Digitized by Google

relinquat, an illis octo quatuor alios ibidem passos admetiatur. Haec autem turma altera videtur ex iis constare, qui effracto carcere ad rei miraculum procurrerunt.

Dixerit aliquis, si ita uti conjicio se res habeat, scriptorem nostrũ vinctorum praeclaros exitus non fuisse indictos relicturum. Respondeo me in scriptore hoc silentium rerum plurium, quas ornare magnifice potuisset, magis exosculari, quam illa ipsa quae artificiose amplificat. Deinde sicuti in Hieronymiano Mrologio bis de his agitur, semel die IV. (quo hi duo tantum duces coluntur) iterum die secundo, cui tota cohors inseritur; sic & Thessalonicae totidem paria festa fuisse credo. Nunc Noster in eo elogio, quod die quarto legendum in Ecclesia erat, non nisi de duobus agendum sibi putavit. Vtinam vero exstaret ejusdem aut alterius elogium alterum in universam simul Martyrum phalangem: non in incerto sane conjecturarum luderemus.

§. IX.

Ad section. 12. *&* 13. *Tillemontii difficultatibus occurritur. Quid* βασανιζόμενοι· ἀνάγκας· ὅσον· ἰσορεῖν· σφαγίς *&c. plura loca illustrantur, corriguntur, aut falso suspecta vindicantur.*

Num. 12. v. 11. displicet Tillemontio, quum jubente Faustino plures Christianorum tormentis coacti in conspectu Martyrum immolatis vescerentur, Sanctos Martyres nihil de tanto facinore interloquentes a Scriptore induci. Atqui non omnia Martyrum dicta Noster intexere historiae suae voluit: ac solent critici magis redundantiam concionum, quam taciturnitatem pugilum suspectam habere. Deinde siquid eis eloquendum fuit, magis id in detectores Christianos metu perculsos, quam in praesidem, intorquendum fuit. Cujus ingenium mitius, quam pro more ceterorum, fuisse reperio; non enim Christianos illos cruciaverat, (quod putat Tillemontius) sed minarum tenus iteterat. Locus sic reddi verbo potest: *Jussit* (Faustinus) *alios quosdam in conspectu ipsius* (Theoduli) *examinatos* (Graece βασανιζομένους) *immolatis vesci, sustinere necessitates* (Gr. ἀνάγκας i. e. *metum intentatae calamitatis*) *non valentes*. Illud Tillemontio fraudi fuit, quod vocem βασανιζομένους reddidit interpres *victi tormentis*. At βασανίζειν apud Atticos non est *cruciare* aut *flagris caedere, sed sine verberibus ac plagis inquirere, & verum per verba elicere*, teste Suida, & Aristophanis Scholiaste in Ranis. Nec aliud apud antiquos Latinorum erat *torquere*. Quare heic βασανιζόμενοι non aliud sunt, quam qui *in judicio interrogantur*. Ceterum his intentatos fuisse cruciatus, ni parerent, colligitur ex eo quod sequitur, eos sustinere ἀνάγκας h. e. metum cruciatuum non valuisse.

Ibidem v. 14. εἴθε τι καὶ μεῖζον κατ' ἡμῶν ἐφεύρῃς, *Vtinam majus aliquid in nos excogites* &c. Interpres longius recessit. Versu tertio ante finem: Τὸ μὲν σώματος ... ἔξεστιν. Mira syntaxis: quo enim casus hic patrius? Sed refertur ad superiora. Judex dixerat, ὑ φείσομαί σου τοῦ σώματος, *non parcam tuo corpori*, sive [ut maneat casus patrius] *nulla per me habebitur tui corporis ratio*. Respondet Martyr, eamdem dictionem eodem casu repetens, τοῦ μὲν σώματος ... ἔξεστιν, *Corporis, sane quidem: .. age, licebit*. Pergit Martyr: τῶν δὲ [ἀδίκων] οὐκ αἰσθήσομαι, κἂν πικρόταρα ... ποιητέον. Illud ἀδίκων addidit Interpres, qui & vertit in hunc modum: *Iis, quae INIVSTA sunt, numquam assentiar* &c. insuper ad calcem adnotans, se id addere coactum *ad explendum sensum, alias hiantem*, & quod ex Zini priore translatione, aliquid deesse colligeretur. Zini interpretationem ad manus non habeo. Sed nihil certe deest; nam τῶν δὲ est Atticismus (quo scatet hoc scriptum) pro τούτων δὲ. Verte igitur: *Haec autem* [tormenta quae minaris] *non sentiam, vel si acerbiora ... pro tua petulantia moliaris*. Id fraudi fuit Interpreti, quod αἰσθήσομαι putavit esse *assentiar*.

Num. 13. Interpres: *Tunc Faustinus, si-*

lato

Digitized by Google

lato ad terrorem quantū potuit nutu, ſignum dans lictoribus, Theodulum capitali juſſit puniri SENTENTIA: qui Martyr, oſtentato ſibi tantum ad terrorem ictu, mox incolumis reductus fuit. Hoc non concoquit Tillemontius: nec enim Romana gravitas finit, ferri a Praeſide ſimulate ſententiam. Sane quidem Judicis gravitatem tum heic, tū alibi ſaepe multis modis deſidero. Poterat is quidem heic prorſus a ſimulatione abſtinere: at levitas non eo uſque proceſſit, ut ſententiam ſimulatam ferret; qui quidem SENTENTIAM heic nullam tulit [tulit autem ad finem num. 17.] ſed tantum voce ad furorem compoſita, Martyrem obtruncari juſſit, interim percuſſori innuens, quid facto opus eſſet. Totum eum locum ἀνωλιξεῖ ſic reddito: *Tunc Fauſtinus obſcuriore nutu carnificibus ſignificans, ſe ad metum duntaxat* [incutiendum] *id facere* [Graece id ſic ponitur, ὅσον ἐπὶ φόβῳ τῶν ποιεῖν: ubi ὅσον idem eſt quod *tantum*, ut ὅσον *tantum non*, quae ſunt plena elegantiae] *Theodulum gladio puniri juſſit*. Juſſit autem verbis, non ſcripta ſententia. Verſu 12. τῷ corr. τὸν. V. 13. Theodulus dicitur ἰσορρόπας ἐπὶ σφαγῇ τὸν αὐχένα. Vbi ἰσορρόπας eſt *animadvertens*. Ad verbum ſic redde, *Cernens in jugulatione* [h. e. *ſub ictu*] *collum*. Quamquam videtur pro σφαγῇ legendum prorſus eſſe σφαγίδι, quod *cultrum* deſignat: *Noſcens*, inquit, *in cultro* [ſive *juxta cultrum*; ut ἐπὶ στόματι pro παρά] *cervicem*. At Interpres pro ἰσορρόπας [quod in MS. ſe reperiſſe fatetur] repoſuit ſορρόπας, quod nihili eſt: nam *ſternere collum* pro *porrigere* nemo opinor Graece aut Latine dixerit. Et hanc quidem cervicis inflexionem non omiſit Auctor ſtatim initio num. 14. ſed propria locutione uſus, dixit τῷ ξίφει τὴν κεφαλὴν ἐπέκλινεν, *gladio inclinavit caput*. Ad finem ſectionis illud τελέσαντος convenit cum praecedente παθόντος, atque intermedia interim παρεντιθέμενα [*interpoſita*] intelliguntur in hunc modum: *Gloria tibi Pater ejus, qui paſſus eſt pro nobis* (*esse enim & ipſe terram ero*) *ejus qui conculcavit mortem* &c. Qua doxologia pium latronem, qui Deum glorificabat, imitatur; interpoſita autem ſententia alludit ad illud, *Hodie mecum eris in Paradiſo*. At in Interprete haec non belle habent.

§. X.

Ad ſection. 14. 15. *Locus falſo ſuſpectus defenditur. Μάτην ſine verbo ſubſtantivo. Rectus & accuſativus abſoluti promiſcue uſurpantur. Idotiſmus difficilis enodatur.*

Num. 14. v. 8. ἵ καὶ γένος καὶ φύσις ἓν καὶ τὸ αὐτὸ (cor. εἰς ἓν καὶ τὸ αὐτὸ) ὑμᾶς συνήγαγεν. Συνάγειν heic eſt *conciliare, & conjungere*. V. 14. ὑφ' ἓνὶ συνθήματι (uſitatius συνθήματα) & mox ὑφ' ἓνὶ νεύματι ſunt *ſub uno ſigno*, & *ſub uno nutu*: quae duo aliorſum accepit Interpres, reddens *eodē modo*. Verſ. 5. ante finem Agathopus dixit: ἵ μάτην ἐπὶ χρισῷ προσδοκίαν. Interpres autem locum mancum eſſe cauſatus, correxit, ἵ μάτην, ἔχων τὴν ἐπὶ χρισῷ &c. ac porro tranſtulit, *Nequaquam decipior, meam in Chriſto exſpectationem fruſtra ponens*. Sed μάτην nihil eſt [niſi quod ſolum μάτην apud Homerum reperitur, quaſi a μάτην derivatum; quod huc nihil attinet] & locus erat ſaniſſimus. Tantum fortaſſe inducta ultima litterula lege προσδοκία. Tum vero ſubaudito verbo ſubſtantivo, valebit, *Haud fruſtra* (eſt) *in Chriſto ſpes*: ſicuti Plato de leg. μάτην ἐπὶ πόνος, *fruſtra eſt labor*. Quamquam, quia verbum ſubſtantivum abeſt, retinendus videtur accuſandi caſus, qui abſolute poſitus ſexcenties tantumdem quod rectus valet. In auctionibus apud ſcriptores Hiſtoriae Aug. res venales modo recto, modo quarto caſu permixtim efferuntur. Cicero in II. de Divin. 40. *Quum M. Craſſus exercitum Brunduſii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, CAVNEAS* (quarto caſu) *clamitabat, qua voce putabatur admonere voluiſſe, ne iret: quaſi diceret CAVE NE EAS*. Quod & pro laevo auſpicio habitum fuit. Verſu ſeq. προκυλισθέντα cor. προκύλισθα.

Num. 15. v. 5. locus eſt difficilis, ſi mo-

Digitized by Google

do ſanus. Praeſes Theodulum monet, ne ſe Agathopodis aetate provecti exemplo abduci ſinat. Quid enim mirum, inquit, ſi canus ad finem (ἐπήγεται cor. ἐπείγεται) properat? Ac ſtatim addit: Σὺ δὲ μή τι τῶν μηθ' ἑπερόν τι σαυτῷ προκείμενον ἀφαιρεθῇς. Mira ſane locutio. Atqui μή τι τῶν μηθ' ἑπερόν τι videtur idem eſſe ac *Nec hoc nec illud*, idque omnibus caſibus, ut *triſtis eſt aliquid* apud Terentium. Deinde ἀφαιρεῖσθαι eſt *auferri* ſive *abduci ab re quapiam*. Poſtremo vox προκείμενον ſi cum antecedentibus nectitur, erit haec ſententia, *Nec hoc nec illud tibi* (ab Agathopo) *propoſitum*, abſoluta ſyntaxi ſcil. apud Graecos non inuſitata, ſicuti etiam ex Terentio proxime monebam. Quod ſi προκειμένῳ legas, commodior erit conſtructio. Quare is locus ſic reddi poteſt verbo tenus: *Tu vero nec hujus nec illius rei cauſa a propoſito abducaris.* Propoſitum autem illi a Praeſide fuerat ſacrificare. At Interpres heic quod voluit, chartae illevit. Verſu penult. πῖτος corr. αὐτοῖς. Niſi malis πῖτος, ut jungatur cum ſeq. τῶν λογισμῶν.

§. XI.

Ad ſect. 16. & 17. Textus pluries corrigitur, ulicubi a prava emendatione vindicatur. Procellae deſcriptio explicatur. Τῦπος de proſaico carmine. Φόσω τῶ χρόνῳ. Chriſti λόγος φοφορικός. Sententiae judicialis formula.

Num. 16. initio pulcherrimus locus eſt, ſed foediſſime inquinatus. Narratur enim utrique Martyrum unum idemque viſum Dominus exhibuiſſe. Si quaeras, qua de cauſa; reſpondebit Scriptor v. 2. εἰς ἱκεσίαν τῶ μέλλοντος h. e. (ad verbum) *ad ſupplicationem futurorum*. Hoc autem nihil eſt. Et tamen eam lectionem ratam habuit Interpres, qui ſic reddidit, *De eo, quod ſecundum ipſorum PRECES futurum erat*. Mira interpretatio. Verum ne dubita pro ἱκεσίαν ſcribere εἰκασίαν: tum ſententia recte fluet. Nimirum εἰκασία eſt *conjectio*, uſurpaturque de ſomniis & oſtentis. Verte igitur, *Ad conjectionem futuri eventus*. Eſt hoc in Martyrum hiſtoriis tritiſſimum, ut martyrii genus eis paullo ante ex viſu ſignificetur. Mox v. 3. pro καὶ τῶν ſcribes καὶ τωυτῶν, i. e. *pariter*.

Ibid. ſequitur procellae ſecundum quietem Martyribus oblatae deſcriptio miſere tum in Graeco tū in Latino contextu corrupta. V. 7. λύεσθαι τὴν τρόπιν, cor. τρόπιν i. e. *ſolvi carinam*. At interpres, *Remorum ordinibus .. confractis*. V. 8. ἄλλον δὲ ἀλλαχόσε προσηγνύμενον. At ultima vox (ſtatim etiam ante uſurpata) heic locum non habet. Scribe ſis προσπηγνύμενον. Vult enim, vectores *alium alio impactos*: quod praeterivit Interpres. Sequentia reddes: *Et illos quidem fluctibus demergi, alios piſcium inſtar ſcopulis transfigi*. Vult enim ſcopulis, quaſi verubus trajectos. Sequitur, ſolos Martyres viſos fuiſſe ſervari candida veſte indutos, & montem conſcendere quemdam. De eo monte ſic in MS. legebatur, προσβαίνοντας ὄρει καθῶ τι καὶ πρὸς αὐτῶν τὸν ἱμάτιον ἀνατεινομένους. Ibi Interpres voces duas in textu ipſo refinxit, pro καθῶ ſcripſit καλῷ, & in ultima voce mutato caſu exhibuit ἀνατεινομένῳ, ut ad montem referatur. Sed neutrum neceſſe erat, niſi tantum pro καθῶ τι, (cognatis litteris invicem permutatis,) ſcribendum eſt καπῶλον. Sic vero totidem verbis traduces eum locum, viſos *montem conſcendere, ab imo uſque ad ipſum caelum ſeſe attollentes*. Huic interpretationi adſtipulatur Baſilii Menologium, in quo hoc die hoc viſum breviſſime exponitur, ſed ita ut Martyres ipſi in caelum aſcendere, non mons, viſo ſignificentur. Vide ſis locum.

Mox verſu 20. experrecti Martyres carmen euchariſticum decantaverunt. Hoc vero, quod dixi, Graece ſic concipitur: ἐκαὶ τὸ φόσω, ὕμνον τινὰ τῷ χρόνῳ τὸν ὀφθέντα εἶπον. Si verbum verbo appenderis, Graeca ſic reddes, *Poſtea hymnum quemdam tempori viſionis dixerunt*. Nec enim *Tempore viſionis* verti poteſt, quia dicendum erat διὰ χρόνου: nec tempore oſtenti, ſed poſt ipſum, laudes ſunt decantatae. Quid ergo eſt? Le-

vi-

Digitized by Google

vicula mutatione locus ſanabitur, ſi ſcribas τῷ χρόνῳ, hoc vero regi ſinas a φοάσω, ut φοάσω τῆς νυκτὸς, ἡλικίας &c. Nec trajectio verborum talis, qualis heic, quarti ſaeculi ſcriptoribus (Euſebio prae ceteris) inſolens eſt. Ea eſt ergo hujus loci ſententia, *Quod reliquum fuit poſt oblatam viſionem noctis* (ſive temporis) *hymnum talem pronuntiarunt*. Sicuti autem *Carmen* Latinis etiam de proſa uſurpatur, ſic & *Hymnus* hoc loco. Quamquam vero apud Graecos non memini nomen ὕμνος de laudatione proſaica uſurpari; at verbum ὑμνέω millies de exornatione numerorum lege ſoluta intelligitur. Ejus carminis initio illud ἐὰν eſt δυνατὸν; in cujus ſententiae fine illud ἀναπαύεται eſt *refrigeratur* h. e. recreatur. *Refrigerandi* verbum ea notione & in Actis SS. Perpetuae & Felicit. & Tertulliano, & Hiſtoriae Ang. ſcriptorib. aliquoties reperiſſe memini, ac requiem a laboribus aut doloribus notat. In altera carminis periodo φοὸς loco τῷ φοὸ, ſive mendum typographicum eſt, ſive ipſius MS. In tertia ejuſdem carminis comprehenſione ὁ λόγος Ἰησοῦ χριστοῦ *Verbum Jeſu Chriſti*, non eſt Λόγος ἐνυπόστατος, *Verbum perſonale* (nam ea notione dicitur Λόγος τοῦ Πατρὸς, *Verbum Patris*, non *Jeſu Chriſti*) ſed eſt προφορικὸς i. e. *prolatum* ſive *externum* verbum, quo Chriſtus coronam hiſce Martyribus oſtentavit.

Num. 17. v. 12. illud ἀποδύρασθε non abſolvere debet ſententiam (quod fecit Interpres) ſed ſuſpenſam relinquere. *Sin autem invidia moti de aliorum proſpere factis conquerimini, communem pietatis ſtadium* (omnibus) *proponitur*. In fine ſectionis formula ſententiae latae a Praeſide non abludit ab aliis quibuſdam Graecis Actis fide dignis.

§. XII.

Ad ſection. 18. 19. 20. *Loca plura explicantur, emaculantur, vindicantur. Quid* καλὸς, *quidve* κάλον. Ἀνάγω, & ἀναπλέω. *Gens* Futia & Fuficia. *Duplici Tillemontii criminationi reſpondetur. vixit pro corona victoriae. Peculia filiorum familias damnatorum legibus Romanis non publicabantur. Invocatio vita functorum Martyrum. De uſu verbi* ἀναπαύομαι.

Num. 18. v. 3. ſatellites utrique Martyri ſaxum ingens alligarunt, ἀνὰ αὐχένος καὶ νώτου τὴν τῶν καλῶν συνοχὴν ἀπαρτήσαντες &c. Hoc ultimum Interpres ſic reddit, *Cervicibus dorſiſque eorum appenſa lignorum commiſſura*, ſimul in ſubjecta adnotatione expoſtulans, hoc in Zini interpretatione deeſſe. Et certe deeſſe debuit; nec enim ligna (ipſa naturae ſuae impulſu ſupernatantia) valent ad demergendum cetera; & in Graeco textu κάλων non eſt a recto κάλον i. e. *lignum*, ſed a κάλος, quod *rudentem* ſive *funem nauticum* deſignat. Ergo is rudentium nexus ad ſuſpendendum de cervice ſaxum neceſſarius fuit. Eod. v. pro βάθη legendum eſt βάρη. V. 6. Ὀλκάδες ὑπὸ παντοίων ἀναπλεόντων ἐμπορίων &c. Vox penultima in duas, quae male coaluerant, ſcindenda eſt hoc modo, ἀνέπλεον τῶν &c. Id ni facias, non eſt ut ſententia abſolvi aliter queat. V. 10. Ἀναχθέντος ὑπὸ τὸ σκάφος &c. Haec ſententia male in Latino ſe habebat. At refinxit eam periodum interpres ipſe ad calcem Graeci textus. Sed ne ſic quidē Auctoris mentem expreſſit. Reficta ſic incipiunt: *Reducta autem ſcapha ad mortis ſupplicium deſtinata*. At contrarium prorſus eſt ἀναχθῆναι, quod (non ſecus ac ἀναπλέω quod ſequitur) eſt *ſurſum* h. e. e portu in altum *provehi*, uſurpaturque de ſolventibus, non de redeuntibus. At Interpres putavit, ſicuti ἄγω eſt *duco*, ſic ἀνάγω eſſe *reduco*. Redde, ſi lubet, *Progrediente autem navigio ſub comminatione mortis, rurſus gentilium quidam adnavigarunt, Fauſtini juſſu ſubdole quaedam excogitantes adverſus* (ſive *ad expugnandum*: Graece eſt φὸς) *inconcuſſum cordis propoſitum*, ſive conſilium. Quod ſtatim ſequitur, ἐκπέμπει, id verbum referri debet ad Fauſtinum: at verſu antepen. lege προτρεπόμενον quarto caſu, quum referendum ſit ad *Phucium*. Gens *Fucia* in marmoribus haud uſquam occurrit. Nec Φούκιος Graecum eſt, aut quidquam Grae-

ce

ce significat. Quare videndum est an non scribendum sit Φούσιον *Futium* [nam gens *Futia* reperitur apud Fabrettum pag. 221. num. 587. & pag. 485. num. 161. ac postremo pag. 623. num. 204.] aut vero Φουφίκιον *Fuficium*: gens enim *Fuficia* in Gruterianis est passim obvia, derivaturque a *Fufia* gente notissima.

Atque heic gravem Tillemontii criminationem eluere necesse habeo, ex eo petitam, quod hoc loco narrantur quidam hos Martyres praedicasse beatos, quod pro pietate mortem obirent. Id quum reprehendit vir doctus, de gentilibus id narrari existimasse putandus est: nam Christianos [aut ceteroqui alios ea occasione de Christianismo amplectendo cogitantes, aut postremo Christianis faventes] ita secum reputasse, aut etiam id mussitasse, quis incredibile dixerit? Atqui Auctor hos Martyrum admiratores gentiles esse nusquam dixit, sed tantum ἐπιτηδείους φίλους i. e. non tantum *amicos* sed & *necessarios*, quod plus est. Nam Cicero haec duo distinxit, ubi in ea pro Cluentio ait *Amicum necessariumque communem*, itemque pro Sylla initio, *Familiaris ac necessarius meus*. Fortassis & in his Actis copula [καὶ] eas duas voces media interceserit. Verum quid moror? Non videtur mihi dubium, quin hi Martyrum adprobatores aliquatenus diversi a gentilibus fuerint. Nam eos, qui ad martyrii spectaculum adnavigarunt, Auctor in duas classes dispescuit. Prior amicorum & admiratorum fuit, altera gentilium eos abducere a proposito conantium. Locus sic habet. Ὀλκάδες ἐν παντὶ χθὲς ἀναπλεόντων [dixi jam scribendum esse ἀνέπλεον τῶν] ἐπιτηδείων φίλων &c. *Itaque amicorum necessariorum undiq. actuariae adnavigabant, qui humanitate quidem naturae collacrymare cogebantur, at iidem generosos athletas contra draconem decertantes ob mortem pro pietate obitam beatos praedicabant.* Huic priori classi statim adnectit alteram dicens: *Quumque navigium proveheretur*, πάλιν ἕτεροι πλοῖα τῶν ἑλλήνων ἀνέπλεον &c. *RVRSVS* [sive potius *ex diverso*, nam hoc quoque πάλιν significat] *alii GENTILIVM adnavigabant*, quibus scil. Praeses id negotii dederat, ut in Martyribus de sententia deducendis operam suam ponerent. Ex his intelligis, illos priores aut non fuisse gentiles, aut saltem Christianis aequos exstitisse.

Num. 19. v. 6. ante ἀποθέσθαι praestabit reponere articulum τό, qui in talibus gerundii circumlocutionibus raro omittitur: *Ad deponenda &c.* V. 8. ἐπιγόμεθα, corr. ἐπιγόμεθα. V. 10. ἀπὸ θεοσέβειαν corr. θεοσεβείας. Ibid. νίκην i. e. *victoriam* pro *corona victoriae* posuit; non secus ac Nanz. dixit τὸν ἀσεβείας κράνος [i. e. *victoria ab impietate parta*] *coronari* Maximinum: nam κράνος est ubi pro *victoria* sumitur. Versu 5. ante finem τοῖς ὀρφανίαν δυσχωσίν ita dictum est, ut δυσχωσὶν ἀπαιδίαν.

Postremo in fine sectionis hujus merito videbatur illud Tillemontium offendere, quod Theodulus domesticis suis post martyrium apparens substantias suas viduis & orphanis distribui jussit: id quod Romanorum legibus contrarium est. Lege sis Pandectarum & Codicis titulum *De bonis damnatorum*: plane comperies horum bona publicari debuisse. Quare nullum in ea jus Theodulo fuerat. Sed respondeo, Theodulum fuisse filium familias, uti diximus ad num. 3. Eo fit, alias Theoduli substantias intelligi non posse praeter cujusvis generis peculia. Atqui filiorum damnatorum peculia non publicabantur, sed in ejusmodi pater damnato filio, in sua potestate posito, succedebat: id quod elicio ex l. 4. Cod. *de bonis damn.* Quare quas Theodulus post suum obitum *substantias suas* vocat, eae revera in patris aut potius avi [nam uterque advivebat] dominium jam transierant. Verum beatissimus Martyr ex parentum explorata jam apud se indulgentia de eo peculio, tamquam si sui adhuc dominii in morte fuisset, disponit. Quid plura? ἑαυτοῦ οὐσίαν i. e. *suam substantiam* vocat, quae olim sua fuerat. Distribui vero non juris rigore jubet, sed oraculo monet.

Num.

Digitized by Google

Num. 20. initio : *Horum igitur merito quotannis convenientes* (*τὴν μνήμην ἀναπεμπόμενα*) *memoriam renovamus.* Vltima locutio de festo anniversario usurpari solet. Hic vero locus ostendit, non alia de causa hoc scriptum prodiisse, quam ut quotannis die suo in conventu fidelium legeretur. Quocirca persecutione finita hoc elogium ad actorum originalium fidem fuisse elucubratum oportet.

Post recitata verba statim sequitur praeclarus de Sanctorum invocatione locus : *Justum est enim illis* (SS. Martyrib.) *ὐχὰς μετὰ τὸν θάνατον ἀναπέμπειν, preces post mortem fundere*, sive (si vocis ultimae proprietatem sequimur) *sursum mittere*. Nam id proprie esse *ἀναπέμπειν*, declarant Luciani *ἀναπόμπιμοι*, h.e. qui ab inferis sursum ad vitam evocantur, & quae plura afferre ex antiquis possem. Atqui id verbum apud vetustissimos Patres peculiare *precum, hymnorum, laudum, gratiarum actionis*, & quaecumque talia labiorum sacrificia ad Deum sursum versus diriguntur, evasit. Exempla plura ex S. Justino M. ex Clem. Alex., Basilio, Chrysostomo Suiceri Thesaurus suppeditabit, sed de votis non nisi Deo fusis usurpata. At hic locus docet, etiam Sanctis, tamquam Dei amicis nostrisque interventoribus, talia *ἀναπέμπεσθαι*.

Atque haec in pulcherrima bigae Martyrum Acta animadvertisse sufficiat. Nec me qualiscumque hujus laboris poenitet. Nam siquando sive mihi sive aliis ea Acta recudendi cupido incesserit, facile erit has quascumque animadversiones subnotare locis suis.

§. XIII.

De Actis hisce judicium accuratius.

Ex huc usque dictis dignitas ac pretium scripti hujus facile potest intelligi. Nec enim solum Tillemontii difficultates facile expedivimus, verū etiam praeclaros veritatis characteres in hoc monumento mihi videor deprehendisse. Nulla in his Actis miracula : lux nulla in carcere oboritur : nulla ex tormentis ope Divina evasio : nulla *παμπληθεὶ* (*universae multitudinis*) conversio : praesidis aut gentilium punitio nulla divinitus : non idola eversa, non templa nutu diruta : nihil adeo prorsus eorum legitur, quae ad ciendam admirationem in spuriis historiolis decantari solent. Num. 13. narratur Judex composito ad terrorem vultu, obtruncari Theodulum simulate jussisse. Quis non heic exspectasset, hanc simulationem Martyri fuisse divinitus patefactam? Atqui nihil tale Auctor comminiscitur. Postremo ne tormentorum quidem atrocitas (26) ulla ad excitandas tragoedias describitur. Adde, quod pulchre huic monumento cum Actis SS. Agapes, Chioniae, & Irenes in eadem Thessalonicensi persecutione anno sequenti

[26] Abest ab hoc scripto feralis ille sexcentorum cruciatuum, sibi invicem succedentium, apparatus. Sane quum initio num. 12. Faustinus nudari Theodulum jussisset, putares veretum iri ad cruciatus. Ac fortassis illud, *περιστῶν οἱ δορυφόροι τὸν ταινίαν ἀπὸ χρῶτος*, de membrorum *distractione* capiendum videbatur. Verum *spoliatione* tenus ac minis fuisse processum, nec ulla lanienae instrumenta adnota fuisse, demonstrat S. Martyris responsio ejusmodi : *A corpore quidem detrahere tuniam potes, at vero menti fidem in Deum meum eripies in aeternum.* Ex quibus verbis colligitur, verbum *περιστῶν* non *distrahendi* nec ullo modo cruciandi notionem heic obtinere, sed tantum *spoliandi* : quo significatu in optimis scriptoribus usurpatur, praesertim cum vi & amaritudine (*ἀπὸ χρῶτος*) denudatio conjungitur. Confer & adnotata de *βασανιζομένοις* ad num. 12.

Ad haec num. 15. v. 10. Sanctos Martyres non cessantes Christum confiteri, satellites *τραβῶσιν* inducuntur. An non hoc saltem verbum de cruciatibus capiendum erit? Minime vero. Nam etsi *τραβῶν* saepe est *crucio*; at nonnumquam est *obtorto collo* [uti Romani loquebantur] *trahere*, sive ut Pacuvius apud Nonium loquitur, *Torto distrahere*. Eaque significatio heic locum habet. Nam totus is locus sic verti potest : *Haec illos dicentes & Christum inclamantes ministri obtorto collo trahentes* [sive, ut optime reddidit interpres Bollandianus, *corripientes*] *rursus in custodiam abduxerunt*. Itaque hi SS. Martyres non alio, quam solo ultimo supplicio affecti fuerunt.

Digitized by Google

quenti (h. e. 304.) combuſtarum convenit. Vtrobique Chriſtiani Scripturas tradere, & μακροφαγεῖν i. e. *immolatis veſci* jubentur: utrobique ea perſecutio Maximiano Galerio imputatur: utrobique Chriſtianorum plurimi ex metu tormentorum a Fide Chriſti deficiunt. Confer ſi lubet Acta SS. Agapes & ſoc. apud Ruinartum. Vt & quae de urbicis Theſſalonicenſium magiſtratibus, quae de diis Conſentibus duodecim, quae de *equitibus* diſcurſantibus, quae de precaturis manus abluentibus dicuntur, ea cum antiquitate ſatis apte cohaerent. Tametſi in lucubrationibus elegantiore ſtylo conſcriptis pauca ceteroqui deprehendi ſolent veſtigia priſci moris; quae in ſcriptis ſimplicioribus ſunt confertiſſima. Adde & ſtyli antiquitatem tantam, quae non niſi ab aequali ſcriptore, aut certe ſuppare proficiſci potuit: de quo viri Graece doctiſſimi facile ex ipſius ſcripti lectione judicabunt.

Quamquam in ſtylo diſcrimen quoddam animadvertere mihi videor. Etenim, ſi quid recte judico, concionum dictio ab narrationum ſolita elegantia aliquantulum diſſidet. Quorſum hoc? Nimirum quia in narrationibus Auctor ornatum, quem voluit, adhibuit, modo ne quidquam de veritate decederet: at in allocutionibus aut reſponſionibus veſtigia eorum, quae a Praeſide aut Martyribus pronuntiata fuerunt, ſequi debuit. Simile quiddam in S. Lucae Actis Apoſtolicis poſſe animadverti, in loco oſtendimus. In quem autem finem haec Auctor ſcripſerit, ex ultima ſectione intelligitur, nim. ut in Natali horum Martyrum haec hiſtoria legeretur.

Atq. initio quidem hujus *Sylloges* dixi, hanc lucubrationem IV. ſaeculo ſcriptam videri: ſed ut ad initia potiſſimum IV. ſaeculi referatur, illud ſuadere forſitan poteſt, quod quum Auctor pluries de Divino Verbo magnifice loquatur; nulla tamen ὁμοουσίου mentio, nulla ad Nicena dogmata alluſio reperiatur: ut fortaſſis conjici poſſit ante-Nicenis temporibus hanc ſcriptionem, & ab aequali ſcriptore, prodiiſſe.

Quae quum ita ſint; parum huic ſcripto aequi mihi videntur Ruinartus ac Bailletus fuiſſe; quorum ille id inter Acta Martyrum non recepit, quum potuiſſet eo ſaltem jure admittere, quo aliquot elogia ab non aequalibus Eccleſiae ſcriptoribus compoſita ſuo Syntagmati inſeruit; alter vero horum Martyrum ne meminit quidem. Verum hi ſilentio ſuo tantum huic monumento nocuerunt. At Tillemontius (ceteroqui de hoc ſtudio optime meritus) paullo inclementiorem (27) ſententiam de eo tulit: quam juſte, ex hactenus dictis lector dijudicabit.

V P S THERMI MĀR

HEic etiam noſtri Kalendarii auctor habuiſſe Acta aut memorias *S. Thermi* Mart. deprehenditur, ex quibus conſtaret, eum Nonis paſſum fuiſſe, eamque ob cauſam τὸ P, h.e. *Paſſionis* notam hoc die praeſcripſiſſe. At hodie nulla hujus Martyris acta ſuperſunt; ac ne nomen quidem apud Latinos ſupereſt: niſi quod tantum in Graecorum Menaeis tam excuſis quam Divionenſibus MS. de eo agitur hoc die, tamquam per ignem martyrium paſſo. Eumdem exhibet & Maximus Cytheraeus. Aliud vero eſt Sancta *Therme* cum ſorore & ancilla, de quibus Vſuardi Solleriani auctaria hoc die; etſi earum Acta Bollandiſtae exhibent die XXII. Aprilis. VI

[27] Tillemontius in Perſecut. Dioclet. Artic. IX. de hic Actis ſic judicat: *L'air eſt elevè, & le ſtyle grave & majeſtueux: il y a meſme de beaux endroits. Mais il y a auſſi diverſes choſes qui donnent lieu de douter, s'ils ſont tout à fait fideles.* Et ad finem Not. XII. ſuſpicatur, *que ces actes n'ont pas toute l'autorité, que l'on pourroit deſirer; ce qui fait qu'on y peut preſumer des fautes, & qu'on n'y ſauroit rien fonder de bien certain.*

Digitized by Google

VI N S EVTICHII PATR

HIc eſt Eutychius Patriarcha CPolitanus; qui heic κατ' ἐξοχὴν *Patriarcha* ſimpliciter dicitur: non quod ſedes Neapolitana Patriarchae CPolitano ſubjaceret, ſed quod quum ſaecularis tunc Neapolitanor. reſpublica ſaltem honore tenus principi CPolitano ſubeſſet; eo fiebat ut Regiae urbis Antiſtes a noſtris ἐνλὸς *Patriarcha* vocaretur: quod etiam ſup. die XXII. Martii in S. Thoma animadvertimus. Eutychius iſte ab an. 552. ad 582. ſedit. De eo Graeci in Menaeis editis & manu exaratis officium hoc die maxime ſollemne celebrant. Eod. die de eo legitur in Baſilii Menologio, in Kalendario Moſcovitico effigiato, in Anthologio. At abeſt a Sirleti Menologio, & Latinorum Martyrologiis uſq. ad Molanum, qui primus omnium eum Vſuardi auctario inſeruit eodem die.

Illud vero miror, quod quum Eutychius hoc ipſo die migraſſe dicatur, tamen hujus marmoris auctor non *Depoſitionis* notam ſed *Natalis* γενεθλίαν heic praefixerit. Nec aliud reſpondere poſſum, niſi quod auctori aut ſcalptori, quod ſaepe fit, una nota pro altera excideritit; aut vero auctori dies emortualis nondum plane exploratus fuerit: nec enim legerat Theophanis chronographiam, (ineunte IX. ſaeculo ſcriptam, h.e. eod. tempore, quo hoc marmor ſcalptum fuit) in qua ad an. Tiberii quartum & ultimum ſcribitur: *Die VI. Aprilis, Ind. XV. Eutychius Patr. diem extremum clauſit.* Is dies an. 582. (qui S. Eutychio ultimus vitae fuit) incidiſſe dicitur in Fer. II. poſt Octavam Paſchae. Haec inquam monumenta auctori noſtro obſcura opinor fuerunt, eoque contentus *Natalis* nota, in tutum ſe recepit. At vero metricarum Ephemeridum [quas habes apud Papebr. tom. 1. Maii] auctor, utpote Theophane poſterior; non ignoravit, Eutychium hoc die emigraſſe, eoque hunc hexametrum de eo poſuit:

Ψυχὴν Εὐτυχίου σύλη γε σὺν ἕκτῃ ἄγειν ἕκτῃ.

Lux ſexta Eutychium bipatenti inducit Olympo.

Quamquam ſi quod res eſt fateri volumus, Eutychius non VI. Aprilis die, ſed pridie obdormivit: quod quale ſit, videbis inferne (28) adnotatum. Vel ſic tamen

Y

(28) Exſtat Euſtathii cujuſdam [qui S. Eutychii *μαθητὴς diſcipulus* inſcribitur] vita hujus S. Patriarchae ſatis longa, quam Graece & Latine Bollandiſtae hoc die dederunt. Hanc uti legere non ſuſtinui [quippe non magno cum judicio ſcriptam, quantum ex paucis hinc atque inde delibatis potui intelligere] tamen ejus aetatis hiſtoriam illuſtraturis uſui permagno fore non dubito. Is num. 95. de Patriarchae obitu ſic ſcribit: *Permanſit .... mente firma uſque ad horam ſeptimam* [εἰς δευτεροπρώτης Κυριακῆς] *Dominicae ſecundoprimae* (eam eſſe Dominicam octavam Paſchae, ex toto morbi decurſu intelligitur: ceterum alluſio eſt ad Judaeorum *Sabbatum ſecundoprimum*; qua alluſione Dominica quae poſt *primam*, i. e. Paſchalem, *ſecunda* eſt, *Secundoprimam* vocavit hic auctor) *omnibus benedicens ... pedeſque extendens ... circa nonam aut decimam horam in manibus Dei ſpiritum ſuum commendavit.* Idq. accidit, qui eod. ferme tempore in Eccleſia Lucernarium officium perſolveretur. Ex his vides S. Eutychium ipſo die octavo Paſchae circa horam nonam aut decimam obiiſſe. At anno 582. quo is obiit, quia Paſcha incidit in XXIX. Martii, ejus Octava in V. Aprilis incurrerit oportet: qui revera dies obitus S. Eutychii fuit. Nec video quid venerit in mentem Henſchenio [ad hunc diem pag. 548. ad finem col. 1.] Auctorem vitae ſic loquentem inducere, *Circa nonam aut decimam NOCTIS horam* (quam jam ſpectaſſe ad ... VI. Aprilis, adnotat) .. *ex hac vita diſceſſit.* Atqui illud NOCTIS Bollandiſta de ſuo addidit: & ceteroqui Euſtathius non NOCTIS ſed diei horam nonam aut decimam intellexit; id quod ex officio Lucernario per id tempus perſoluto, dat intelligere: quod officium ſub diei, non vero noctis, finem canebatur. Et Euſtathio quidem aequali ſcriptori unice credendum eſt. At Theophanes, trecentis annis poſterior, diem ſepulturae & feſtivitatis cum die emortuali confudit.

Digitized by Google

men poterat in noſtro marmore *Depoſitio* ſignari; nam qui V. Aprilis obierat, is die VI. aut VII. ſepultus fuit. Totum autem id tempus, quod ab obitu ad ſepulturam intercedit, vocabuli *Depoſitionis* ambitu contineri ſolet: id quod alibi animadvertiſſe memini.

VII P S RVFINI MAR

PRaeter *Rufinum* Mart. cum ſociis quem profert Henſchenius die IX. April. pag. 821. qui parum aut nihil huc attinet: duos hoc ipſo die *Rufinos* martyres reperio, Afrum unum & hunc Epiphanio epiſcopo cum Donato, & aliis XIII. ſuccenturiatum [de quibus hodiernum Romanum Mrologium, Vſuardus aliique: etſi Hieronymiana Mrologia de eiſdem heri] alterum vero *Rufinum* cognomento *Thaumaturgum* ac Diaconum, Sinope ad Pontum Euxinum cum Aquilina & CC militibus martyrio coronatum ſub Gal. Maximino; de quibus hoc ipſo die Baſilii Menologium, Menaea tum edita, tum etiam MS. Mediolanenſia, Synaxarium Colleg. Claromontani Pariſienſis, Maximus Cytheraeus. Plane vix eſt dubium, quin in hoc marmore poſterior Rufinus ſit intelligendus, non tantum quia celebrior, verum etiam quia maximum apud Graecos cultum habet, quibus Neapolitani in ſuis officiis plerumque concinunt. Adhaec ille alter Rufinus in Hieronymi Martyrologiis heri colitur, & quidem ut commilito, non ut dux: at vero Sinopenſis ut anteſignanus & dux ducenarius (ſi ſic licet appellare, qui ducentis militibus ad agonem praeivit) & Thaumaturgus, praecipuo in honore habetur. In noſtris hiſce faſtis ſollemne eſt, ut ſaepe vidimus, ducis tantum nomine ſignato, reliquum agmen ſociale tacite intelligendum relinqui.

Ceteroqui dici & illud poſſit, hodiernum hujus monumenti *Rufinum* eſſe illum Epiſcopum & Martyrem, qui circiter an. 359. ob fidem Nicenam, quam Arimini conſtanter defenderat, martyrium ſubiit: de quo paucis meminit epiſtola Marcellini & Fauſtini ſcripta ad Auguſtos de ſchiſmate Vrſicini. Ibi legitur, furentiſſimus quidam Arianus nomine *Epictetus*, epiſcopus Centumcellenſis hunc ſive *Rufinum* [29] ſive *Rufinianum*, quod Arianorum formulae ſubſcribere recu-

[29] *Rufinum* ſcripſit Antonius Caracciolus [quem vide in Monum. Eccl. Neap. pag. 304.] quia ſic credo in ſuis libris, undeunde id hauſit, repererat. Ceterum in ejus Libelli editione Sirmondiana is non *Rufinus*, ſed *Rufinianus* vocatur. Verum jam ſupra ad XVII. Januar. & alibi paſſim animadverti, nomina derivativa inter ſe impune permutari. Ita *Rufus*, *Rufinus*, *Rufinianus* unum & idem erant.

Ceterum in noſtrorum hominum gratiam totum eum locum ex editione Sirmondi Pariſienſi (to. 1. col. 235.) heic adſcribere non pigebit; maxime quum ibidem etiam de S. Maximo Mart. Epiſcopo Neapolitano legatur; de quo ſic incipit. „ Maximus quoque de Neapoli Campaniae, eo quod eſſet inhabili ſtomacho & corpore delicatior, primum quidem ut caderet, diu afflictus injuriis, deinde ubi ob animi conſtantiam fideique virtutem, carnis infirmitate non vincitur, ductus eſt in exſilium, atque illic Martyr in Domini pace requievit. Sed & RVFINIANVS, mirae quidem ſimplicitatis, ſed admirabilior in tuenda fide, effuſione ſui ſanguinis praevenit exſilium. Denique quum pro fidei integritate perſiſtit, hunc Epictetus atrox ille & dirus de Centumcellis Epiſcopus, ante rhedam ſuam currere coegit, & quum diu currit, ſic in via ruptis vitalibus ſanguinem fundens exſpiravit. Sciunt hoc Neapolitani in Campania, ubi reliquiae cruoris ejus in obſeſſis corporibus daemonia arguunt. Pro gratia utique fidei illius, pro qua ſanguinem fudit. Fuerunt & alii Epiſcopi &c. *Rufinianum* aut *Rufinum* iſtum, Centumcellenſem fuiſſe prius epiſcopum, ex intruſi Epicteti in eum ſaevitia ſuſpicatur Caracciolus. Verum non tantum de Epicteti intruſione in locum Rufiniani non conſtat, ſed contrarium videtur ex libello Marcellini & Fauſtini demonſtrari, in quo ille diſerte vocatur *De Centumcellis Epiſcopus*. Ceterum Rufinianum fuiſſe alicubi epiſcopum, ex toto contextu declaratur, in quo epiſcoporum fidei cauſa aerumnae referuntur.

Digitized by Google

cuſſet, ante ſuam rhedam tamdiu currere coegiſſe, donec diſruptis praecordiis, & affatim effuſo ſanguine exſpiraret. Vbi haec tandem ſubjiciuntur: *Sciunt hoc NEAPOLITANI in Campania, ubi reliquiae cruoris ejus in obſeſſis corporibus daemonia affligunt.* Ex his vides, quarto ſaeculo hujus *Rufini* cruorem Neapoli maximo in honore fuiſſe; ac proinde debuiſſe Neapolitanos anniverſarium ejuſdem feſtum colere. Fuit autem ſemper uſitatum, ut cujus paſſionis aut depoſitionis dies ignoraretur, is in eum diem rejiceretur, in quem alius cognominis ſanctus concurreret, uti ex omnibus Martyrologiis conſtat. Quare valde credibile eſt, Rufinum hodie in hiſce Faſtis ſignatum eſſe fidei Nicenae Martyrem glorioſiſſimum, cujus Neapoli ſanguis θαυμαστῶς erat quarto ſaeculo: quem apud Neapolitanos anniverſario feſto caruiſſe non puto. Nec mirum, ſi ejus Epiſcopatus in marmore reticetur: nam & alibi id nonnumquam obſervatur. Atque haec in gratiam *Rufini* ſeu *Rufiniani* noſtri: qui ſi revera is eſt, qui hoc die ſignatur; neceſſe erit, Neapolitanis notum fuiſſe diem Paſſionis ejus in hodiernum diem incurrentis, eoque notam P. heic ſcalpi voluiſſe. Etſi eodem plane die duos diverſos Rufinos pro fide occubuiſſe, non eſt factu facillimum.

Quare ut ingenue fatear, qui hodie in hoc Kalendario ſignatur, eum multo eſt veriſimilius eſſe Sinopenſem *Rufinum* Mart. clariſſimum in Graecor. Liturgicis libris hoc ipſo die. Nam illum ſive *Rufinum*, ſive *Rufinianum*, cujus olim cruor Neapoli venerationi erat, nono ſaeculo, quo hi faſti conſtructi fuerunt, ex fidelium memoria excidiſſe, perquam credibile videtur, praeſertim poſt immane annorum quingentorum intervallum.

VIII DP CEESTINI PP ROM

IN ejus nomine errore ſcalptoris triplicatum E cernitur, quorum alterum litterae L vicem gerit. At conquerentur alii, ejus feſtum male diei VIII. affixum fuiſſe, quod in Rom. Mrol. & alibi (30) VI. die notatur. Verum ſciendum eſt, hujus feſtum varie omnino notatum reperiri. Nam praeter ea Martyrologia, quae diei ſexto illud inſcripſerunt; in nonnullis Adonis & Vſuardi MSS. Martyrologiis, in Bedae auctariis, Greveno ad Vſuardum, & Martyrologio Coloniae & Lubecae an. 1490. edito, de S. Caeleſtino fit die VII. Adhaec autem in Baſilii Menologio diei VIII. ejuſdem ſatis copioſum elogium adtexitur, eodemque die in aliquibus Vſuardi auctariis, & alibi. Poitremo & in MS. Vaticano Eccleſiae S. Petri & Vſuardo Reginae Sueciae [utroque apud Bollandiſtas ad IX. April. p. 809. in praetermiſſis] & in aliquibus Vſuardi auctariis eid. pontifici dies IX. aſſignatur. Quum per hoſce quatuor dies hujus Papae feſtum veluti erraticum divagetur; nemo mirabitur ſi in hiſce faſtis die VIII. ſignetur, quia non alio die de eo, uti vidimus, Graeci agebant. Accedit quod inſcriptio eiſdem plane verbis atque heic, in Baſilii Menologio concipitur: Κελεστίνου (ſic ſine diphthongo, ut etiam in hoc monumento) Πάπα Ρώμης. Sic etiam in his Faſtis: *S. Celeſtini Papae Romis.* Nam ſic ὁλογραμμάτως [*integre*] *ROMIS* Graeco more pro *ROMAE* & alibi ſignatur, & hoc menſe die XXII.

Verum illud gravius, quod hujus Papae nomini, heic praefigitur *Depoſitionis* nota; quam tamen Anaſtaſius (cui Luitprandus, Abbo Floriac; Geſta MS. pontificum aliique adhaerent) die VI. Aprilis contigiſſe ſcribit; quod etiam ſcribitur in antiquiore Catalogo Rom. Pontificum apud Bollandiſtas ante tom. 1. Aprilis pag. XXXIII. his verbis: *Sepultus eſt in coe-*

(30) Sic etiam VI. die in antiquo Miſſalis & Breviarii Mediolanenſis Kalendario, & in Martyrol. Bellini, Maurolyci, Felicii, Galeſinii, Caniſii, & in aliis MSS.

Digitized by Google

meterio Priſcillae via Salaria VIII. Idus (31) Aprilis. h. e. die ſexto ejus menſis. Huic objectioni non aliud habeo quod reſpondeam, niſi Graecos aliter in ſuis chronicis ſcriptum reperiſſe, eoque hujus Papae depoſitionem in VI. Idus rejeciſſe h. e. Octavum Aprilis diem.

VIIII DP MARIAE AEGVPTIAE

QVi plura de Maria Aegyptiaca noſſe cupit, adeat Theophili Raynaudi ſpiſſum opus *De Maria peccante ac poenitente*, quod tom. IX. operum ejus exſtare ajunt: tum qui ſelectioribus rerum capitibus gaudet, legat cenſeo Danielis Papebrochii *commentarium* (32) *praevium* hujus Sanctae Actis ad diem II. Aprilis pag. 67. non ſine fructu ab ejus lectione diſceſſurus. Niſi quod ab eodem in pleriſque critices capitibus diſſentio: quae bona cum venia tanti viri, in ſequenti Diſſertatione proponere eſt animus.

DISSERTATIO
De S. Maria Aegyptiaca.
CAP. I.
De die emortuali.

A die θανασίμῳ ordior tum in noſtri marmoris gratiam, tum quod huic fundamento, quae de Mariae aetate dicemus, non male ſuperſtruentur. Res autem in hunc modum habet. Graeci in Baſilii Menologio, Menaeis, Synaxario, & aliis officiorum libris, de hac Maria Kalendis Aprilis agunt. Graecos proxime videntur ſecuti Vſuardus (33) hodiernus, & Rom. Mrologium, in quibus poſtridie Kal. Mariae feſtum conſignatur. At olim in omnibus Latinorum Kalendariis & Breviariis die IX. (34) Aprilis de ea fiebat. Heic dubitari poſſit, Graecine, an Latini veteres rectius hoc feſtum ſignaverint: quiſve revera dies θανάσιμος [*letalis*] fuerit, primus an nonus. Atque heic Papebrochius hunc canonem ſtatuit, quoties Sanctus aliquis Latinus eſt, a Latinis petendum eſſe verum depoſitionis diem [quem ipſe *Natalem* appellat] ubi

(31) Et tamen Henſchenius [in de Caeleſtino ad VI. April. p. 546. n. 15.] memoria lapſus affirmat, in eo antiquiore Catalogo ſcriptum eſſe VII.

(32) Hic primus ex Papebrochii ingenio fetus in opere Bollandiano prodiiſſe Bailleto dicitur: quod de longioribus commentariis poteſt intelligi; nam ceteroqui in eod. tomo Kalendis April. exſtant tres quatuorve ſcriptiones Papebrochio inſcriptae.

(33) Vide ſequentem Adnotationem.

(34) Videatur de iis Papebrochius in cit. Comm. praevio ad finem n. 16. ubi fatetur, *die nono in pluribus, & antiquioribus variarum Eccleſiarum Breviariis notatum officium* hujus inveniri. His adde quod non certum ſit, utrum Vſuardus Aegyptiacam die II. Aprilis conſignaverit: nam etſi in plurimis manu exaratis ejus Mrologiis eo die poſita reperiatur; tamen in Vſuardi codice Herinienſi, Roſvveidano, Antuerp. Max. in Aquicinctenſi & aliis Maria a ſecunda die Aprilis abeſt, & die IX. refertur. Vide Sollerii obſervationes ad Vſuardum; nec non & Auctaria ad diem IX. Aprilis: nam in Centulenſi & Bruxellenſi die IX. ſic legitur: *Tranſitus beatiſſ. Mariae Aegyptiacae* &c. At in Grevenenſi eodem die: *Depoſitio B. Mariae Aegyptiacae, quam Vſuardus IV. Non. Apr. ponit.* Molanus eodem die: *Apud Palaeſtinam, ſecundum hiſtoriam, Depoſitio S. Mariae Aegyptiacae, quae a nonnullis, hoc die recolitur, ab aliis IV. Non. April. ubi ab Vſuardo eſt adnotata.* Sane quum ſciam ab omnibus antiquioribus & aequalibus Vſuardi Martyrologis omiſſam fuiſſe Aegyptiacam [etſi in Adone Moſandri, teſte Sollerio, ea reperitur IX. die] ſuſpicari quis poſſit, eam & ab Vſuardo omiſſam: deinde, uti fit, a poſterioribus additam, ab aliis quidem ſecunda, ab aliis IX. die.

Nolo heic praetermittere, in MS. Kalendario Neap. quod Rituali praeit, Mariae feſtum poſtrid. Kal. notari, itemque in quibuſdam Siculis monumentis relatis a Johanne de Johanne ad 2. April., ac poſtremo in Capuanis Kalendariis & Mrologio apud Monachum in Sanctuar. Capuano id feſtum partim Kalendis, partim poſtrid. ſignari. Ex quibus conjicio antiquitus id feſtum a Latinis die IX. celebratum, mox ab eo die in Kalendas immigraſſe, poſtremo in ſequentem diem ab eiſdem ex aliqua obſcuriore cauſa fuiſſe conjectum.

Digitized by Google

ubi vero Graecus, a Graecis. Itaque in hujus Graecae Sanctae die emortuali assignando praeferendos esse Graecorum fastos, in quibus Kalendis Aprilis ea Sancta affigitur: quum ceteroqui Latinis aliqua reliquiarum Translatio causa esse potuerit, ut IX. die ejus festum peragerent. Haec Papebrochius.

At majoris forsan momenti videri debeat marmoris hujus auctoritas, quam quantum est recentiorum Graeciae librorum. Nam primum si Graeca auctoritate stamus; Ecclesiam Neapolitanam *Greco-Latinam* h. e. ex utroque temperatam, licebit nuncupare. Deinde si antiquitate certamus; nostrum hoc marmor nono medio saeculo scalptum fuit: quum interim Basilii Menologium decimo exeunte aut potius ineunte undecimo compositū fuerit, ceteri vero Graecorum officiorum libri(saltem in quam formam nunc reficti cernuntur) ferme sint recentiores. Neque vero in his Ecclesiasticis libris Mariae *depositio*, *obdormitio*, aut quid simile adnotatur, sed Μνήμη i. e. *memoria* [vide Menologium die I. Aprilis] quod genus festorum sic praenotatorum saepissime in his libris a vero die emortuali aberrat, ut ferme est vox *Natalis* in hisce Fastis. At vero in hoc Kalendario *diserte ejus* DEPOSITIO diei IX. affigitur: neque id temere, arbitror; nam magno cum judicio *depositionis* vox heic usurpatur, nec nisi diebus iis quibus revera convenit, quum alias *Natalis* vox passim praescribatur: quod centies animadvertimus.

Fortassis quis objiciat, in binis manu exaratis Actis diem mortis diserte notari *in hunc modum*, ὃ ἐστι κατὰ Ρωμαίους Ἀπριλίου πρώτη, *Ideſt secundum Romanos Aprilis prima*. Verum hoc additamentum ineptum esse, recte ipse Papebrochius ostendit num. 5. quod & ab exemplaribus antiquissimis abest, in quibus mensis Aprilis [respondens scil. Pharmuthi Aegyptio] tantum ponitur, sine die mensis. Ac mihi certum videtur, id non antea in quosdam codices irrepsisse, quam id festum jam in Ecclesiasticis Graecorum libris affixum Kalendis esset: quod additamentum margini principio illitum, postea textum invasit. Deinde si pergat aliquis huic additamento inniti; ei a me opponetur alterum, quod in Actis antiquitus de Graeco translatis reperitur, ex quo intelligas, Mariam emigrasse *Tranſeunte menſe Pharmuthi ſecundum Aegyptios*; *Quod eſt ſecundum Romanos Aprilis dies nona*, *ideſt V. Idus Aprilis nocte ſalutiferae Paſſionis* &c. h. e. ea nocte, quae diem Sanctum Parasceves antecessit. Haec vero verba in Latinis Actis non heri aut nudius tertius addita fuere, sed interpretem ipsum auctorem agnoscunt, Paulum scil. Diaconum Neapolitanum, (qui, ut dicemus, nono saeculo, sed ante hoc Kalendarium floruit) aut etiam siquis forte alius jam ante hunc Paulum haec Acta traduxerat. Etenim praeter Acta Latina quae passim in MS. codicibus Paulo Neapolitano tribuuntur; in S. Maximini Treverensis vidit Acta fortasse antiquiora Papebrochius [quem v. num. 35.] ac simpliciore stylo decurrentia. Atqui in his ipsis antiquioribus Latinis [si recte capio Papebrochii verba initio num. 6. collata cum num. 35.] legitur illud de Maria mortua die nona Aprilis. Sed facile est, haec ipsa quae antiquiora vocat Papebrochius, ex ejusdem Pauli manu prodiisse; quem labente IX. saec. interpretationem hanc procudisse, Cap. V. ostendam.

Ex huc usque dictis colligendum videtur, diem Mariae emortualem fuisse revera nonum Aprilis; sic enim in antiquioribus illis Latinis Actis a Papebrochio memoratis reperitur: sic in illis alteris, quae Paulo Neapolitano interpreti adscribuntur: sic in hisce marmoreis Fastis: sic in veteribus Breviariis & Kalendariis ante & post Vsuardum. Ceterum cur postea apud Graecos saltem a Basilii Porphyrogennetae aevo Kalendae Apriles potissimum hujus Mariae commemorationi sint assignatae, hanc suspicabar causam esse potuisse, quod Aegyptiacae

offi-

Digitized by Google

officium longissimum esset [de quo officio vide scripta a Papebrochio num. 12. 13. 14.] quocirca vacuum ei diem assignari decuisse [nam dies nonus Sanctis pluribus in Basilii Menologio, & aliis liturgicis libris occupatur] nec alium quam primum Aprilis, quem in eodem Menologio sola Aegyptiaca implet. Atqui haec vera ratio non est, cur Graeci maluerint Kalendas festo Aegyptiae addicere; ac tentabimus cap. sequenti causam alteram multo probabiliorem; ex qua constabit, nec Graecis, nec Latinis hanc litem abjudicari posse.

At apud Latinos non idem dies ubique & semper observatus fuit. Olim, uti vidimus, nonus dies Mariae dicatus erat. At postea nonnulli cū recentioribus Graecorum Kalendis Aprilis de ea fecerunt [uti reperio in Kalendario I. II. & III. ex iis quae Michael Monachus in Sanctuario Capuano edidit] alii plures cum hodierno Vsuardo & recentiori Rom. Mrologio die sequenti, ut & in Capuano Martyrol. & aliis duobus Kalendariis [de quibus vide Monachum pag.481.] & alibi passim. Cur, inquis, Latini posteriores a Kalendis ad diem sequentem fecere gradum? Dierum luxaturae istae a Kalendariis in Martyrologia redundarunt. In Kalendariis autem non semper dies θανάσιμος observabatur, sed is dies cui officium Sancti affixum erat. Sane quia apud Latinos posteriores Kalendis Aprilis celebrabatur Theodorae Mart. officium; hinc forsan in quibusdam Kalendariis Aegyptiacae festū diei sequenti addictum fuit: id quod postea ex Kalendariis in Martyrologia transiit. Simile quiddam Neapoli accidit: nam Decius Card. Carafa quum Monasterium S. M. Aegyptiacae hujus urbis an. 1622. visitasset; mox in sua Synodo officiū de ea Sancta die tertio April. per totam hanc Dioecesim celebrari jussit, propterea quod dies secundus officio S. Francisci de Paula impediretur: de quo vide nostrum Caesarem de Engenio pag.426. Post hanc Decii sanctionem siquis porro Martyrologium in usum Ecclesiae Neapolitanae scribere [ut olim fiebat] instituisset, haud dubie Aegyptiacam diei tertio Aprilis inseruisset.

Atque ea, quae de Aegyptiacae letali die diximus, luculentiora fient ex ejusdem emortuali anno: de quo quidem sic disputabimus, ut appareat, tum Graecos tum Latinos probabilem sui facti causam habuisse, ut illi in Kalendas, hi olim in IX. Aprilis Mariae depositionem conferrent: ac postremo liberum esse utramvis opinionem sequi cum minimo anni tantum unius aetatis Mariae discrimine.

CAP. II.

De temporibus & anno emortuali Mariae Aegyptiae.

Nemini ad hunc diem venerat in mentem dubitare, quin obitus Mariae Aegyptiae in regnum Justini Senioris ac circ. an. 520. incidisset; praeeunte Nicephoro Callisto (35) non antiquissimo illo quidem scriptore, sed qui tamen eam tem-

(35) Nicephorus lib. XVII. [non VII. uti quidam citant] sic caput quintum orditur. *Alter vero* (diversus a superiore Zosima solitario) *tunc quoque* (i. e. sub Justino seniore, in quo versatur historicus) *enituit Zosimas... quem sacerdotio fungentem, Aegyptiacae illi Divina mysteria perfecisse ajunt. Illi inquam Aegyptiacae* &c. Mox pergit. *Sed enim ut illa... divino nutu ad sacrosanctum lignum venerandum excita, in viam se dederit, atque inde divertens Jordanis quoque flumen transierit, & in interiorem solitudinem se abdiderit, neque cum quoquam homine praeterquam uno isto Zosima collocuta sit; ciboque simul & vestitu abstinuerit: denique ut inter precandum in sublime sublata, cum Zosima hoc verba contulerit, vitamque hanc finierit; & de Divina communione participaverit, necnon ut illi leo sepulcrum effossum a se paraverit, & vitae ipsa exemplum poenitentiam agere volentibus commodissimum reliquerit: Sophronio, qui olim Hierosolymitanam sedem antistes exornavit, memorandum relinquemus; mihi namque ad alia properanti his immorari non licet.* Ex his vides non aliam Nicephoro causam fuisse de Zosima hoc altero mentionis injiciendae, cum-

Digitized by Google

temporis notationem ex antiquioribus hausisse putandus sit. Tandem sub finem saeculi superioris inventus est Daniel Papebrochius V.Cl. qui ea tempora insigniter turbaret: quumque critici in eam potius partem peccare soleant ut in posteriora ferme tempora Sanctos eorumque res gestas promoveant; is contrario instituto Mariam Aegyptiacam totis centum annis antiquiorem fecit, quam antea fiebat; fassus non levibus de causis adactum id se feciſſe. Papebrochio Bailletus per omnia, Pagius aliquatenus, adhaeserunt. Ac de Papebrochii rationibus postea viderimus: nunc ad annum ejus emortualem expiscandum progredior.

Reperiendus est enim in toto Justini Senioris regno annus, in quem characteres ii conveniant, qui Mariae obitum comitati fuerunt. Obiit enim Ascetria in nocte quae salutiferam Passionem sive Feriam VI. majoris Hebdomadae praecessit, idq. die IX. Aprilis ex cap. sup. Atqui in toto Justini imperio non alium quam an. 521. reperire licebit, quo anno Pascha in diem XI. Aprilis incidit, sancta vero Paraſceve in IX. ejusd. mensis. Is ergo Aegyptiacae annus emortualis fuerit oportet, si quidem vera sunt, quae cap. superiore de die letali Mariae disseruimus. Quod si cum Graecis eamdem Kalendis Aprilis obiisse malis; tum minimo unius anni intervallo ejus obitum in an. 522. promoveas oportet: quo anno Pascha in diem Aprilis tertium, Sancta vero Paraſceve in Kalendas incurrit.

Atque ex mihi videtur vera causa fuisse discidii inter Graecos Latinosque circa diem Aegyptiae festum. Res enim, nisi fallor, sic se habuit. A vita primitus scripta diem mensis, in quem obitus Mariae inciderat, abfuisse, recte ostendit (36) Papebrochius: qui tamen dies, quamdiu sciebatur annus Justini in quem incidisset obitus, nullo negotio ex ejus anni Paschali die colligebatur. At ubi demum post ducentos amplius ab obitu Mariae annos de die ejusdem festo assignando cura subiit; non inter omnes opinor conveniebat, quoto Justini anno Ascetria decessisset. Latinis jam inde ab IX. saeculo visum fuit, eam tertio Justini anno emigrasse: eoque ejus depositionem IX. Aprilis die consignarunt, quia anno 521. (qui Justini tertius fuit) Pascha in XI. Aprilis incidit, Sancta vero Paraſceve in IX. ejusdem mensis. At contra Graeci ejusdem transitum in quartum Justini annum h. e. Christi 522. conjiciebant: eoque quum eo anno Pascha in III. April. Sancta vero Paraſceve in Kalendas incurrisset; hunc diem ejus festo assignarunt. Vtri rectius annum emortualem statuerint, & ex anno diem depositionis collegerint, non interpretor. Sed tamen antiquum id festorum discidium fuit; nec nisi ab eo inducta fuit etiam in Vitae exemplaria variatio. Nam quum primum id scriptum ab auctore suo prodiit, aberat mensis dies, quo illa oppetierat: qui dies si ab auctore scriptus fuisset, numquam in assignando die festo (imo & anno Justini, in quem obitus Mariae inciderat) variatum fuisset. At postea ubi aliter Latini, Graeci aliter diem festivitatis statuissent; ea diversitas etiam in vitae codices redundavit. Nam quae exemplaria in CPolitano imperio describebantur, in eorum aliquib. assutum fuit glossema illud, ὃ ἐστι κατὰ Ῥωμαίους Ἀπριλίου ἐνάτῃ, de quo Papebr. n. 5. At vero in Latinis Pauli Neap. exemplaribus idem addi-

eamque in Justini aetatem conjiciendi, nisi ut de Aegyptiaca loqueretur, ejusque exitum (ad quem usque ejus res gestas compendio perexit) sub eodem imperatore contigisse ostenderet. Adde quod idem initio non obscure innuit, Zosimae cum Aegyptia colloquium [quando cum φασὶ καὶ τὴν Αἰγυπτίαν τὰ μυστικὰ πανηγυρίζειν, Aegyptiae illi Divina Mysteria celebrare soleant] in Justini imperium incurrisse; ex quo sequitur, & Ascetriae mox beatum finem in eamdem aetatem esse conferendum.

(36) Vide Papebroch. num. 5. ubi liquido demonstrat, non potuisse ullo modo auctorem vitae diem mensis adscribere: ac sane in septem manu exaratis Graecis exemplaribus diem mensis deesse, nec nisi in duobus illud Ἀπριλίου ἐνάτῃ inventum fuisse.

Digitized by Google

additamentum ex opinione & calculis Latinorum adjunctum fuit. Atqui hoc festivitatum, imo & vitae exemplarium in assignando mortis die discidium (ex eo scil. ortum, quod hi in tertium Justini annum, illi in quartum Aegyptiae obdormitionem conferrent) hoc, inquam, siquid aliud, aperte ostendit, Aegyptiam alterutro ex iis annis contiguis obiisse (sive scilicet anno 521. sive 522.) nec licere ejus mortem citius aut serius figere; quia nusquam alibi in tota Justini annorum enneade duos contiguos annos nanciscilicet, in quorum uno Sancta Parasceve in Kalendas, in altero in IX. Aprilis (37) incurrerit. Dixerit aliquis, has esse conjecturas. Fateor quidem: sed tamen conjecturas ajo tales esse, quae apud aequos rerum aestimatores proxime ad rei evidentiam accedant.

Nunc Papebrochii rationibus est respondendum, iis maxime, quae plus aliquid speciei plausibilis habent. Ac primum omnium chronotaxis rerum Mariae ponenda ob oculos est. Si vitae auctori credimus, Maria duodennis Alexandriam venit, ubi annos septemdecim impudice transactis, ita demum annos nata XXIX. in Sanctam urbem ascendit. Quibus si addas septem & quadraginta anachoreseos annos ante colloquium cum Zosima elapsos, & unum praeterea ab eo colloquio ad ejus obitum; confient in universum anni septem ac septuaginta, quos ea numerabat, quo tempore ex hac vita discessit. Cui Zosimas annos alios ferme XXX. superstes, ita demum prope centenarius obiit. Jam vero ii anni in hunc modum a Papebrochio ordinantur. Anno 421. ea obdormivit: anno 420. cū Zosima colloquens, de statu *imperatorum* plurativo numero eum interrogat (utique quia in oriente Theodosius jun. in occidente Honorius regnabat) a quo vicissim docetur, cunctis pacem stabilem dedisse Deum: id quod de pace tum imperii, tū Ecclesiae tunc temporis contigisse ostendit Papebrochius. Adhaec vero eadem conversa fuerit oportet anno 373. (non 383. ut supine initio calculis posuit vir doctissimus) quo tempore in oriente Valens (non Theodosius) in occidente Valentinianus cum Gratiano imperabant.

At vero secundum nostros calculos Maria anno 521. obiit: an. 520. cum Zosima verba commutavit: an. 473. Sanctam civitatem adiit, ibique compuncta fuit. Nunc videamus, ecquid in hac hypothesi sit incommodi. Vt ab ultimo hoc ordiar; conqueritur Papebrochius, eo tempore, Vandalis Africam tenentibus, maria piraticis excursionibus infesta fuisse, nec licuisse tot peregrinorum turmis in Palaestinam adnavigare. At primum quid obsecro Africa cum Aegypto & Alexandria commune habuit? Deinde proxime antea (h. e. anno 469.) sub Leone imp. ita terra marique attritae ab Romanis Vandalorum vires fuerunt, ut eorum rex Genserichus pacem ab Imperatore petere coactus fuerit, obtinueritque. Videatur ea de re ad eum annum Theophanes. Quid igitur peregrinos Aegyptios in Vrbem sanctam religionis causa anno 473. trajecturos Vandali, rupta recenti pacificatione, infestarent?

At

(37) Sane quidem occurrunt in annorum suprascriptorum vicinia duo item anni contigui, in quibus Pascha in eosdem dies inciderit: ii vero sunt anni 510. 511. in quorum item priore, die XI. Aprilis, in posteriore vero, die III. ejusd. mens. Pascha celebratum fuit. Verum ii duo anni sunt extra pomoeria Justini principatus: nec tamen siquis ostendere possit, eorum alterutro Aegyptiam obiisse, reluctabor. Dici enim hoc fortassis posset, a Nicephoro Zosimae quidem tempora ad usque Justini principatum prorogata, ejus vero occasione eumdem Nicephorum & de Aegyptia locutum: quocirca fieri potuisse, ut Zosimas quidem sub Justino diem suum obierit, Maria vero sub Anastasio, & quidem sive anno 510. secundum Latinorum calculos, sive secundum Graecos anno 551. Hoc inquam dici posset. Interim nolo Mariae depositionem de antiqua possessione depellere, ut sub Justino obdormiverit, sive anno 521. sive 522.

Digitized by Google

At illud gravius, quod in vita Mariae num. 14. ea Zosimam interrogat πῶς οἱ βασιλεῖς, *quomodo se imperatores habeant*; quum tamen Justinus consortem tum imperii nullum habuerit. Sed parata est responsio, βασιλέων nomine non tantum *Augustum*, sed & *Augustam* venire. Addit Zosimas, *Deum Mariae precibus pacem omnibus fuisse largitum*. Quod non video, cur in nostra hypothesi neget verum esse Papebrochius. Quin id sub Justini maxime imperio verissimum fuit, quippe qui semper alias pacificus, vix proxime ante mortem bello Persico sese implicuit. Idem vero imperator etiam Ecclesiae pacem mirifice conciliavit, quippe Synodi Chalcedonensis strenuus vindex, cujus causa relegatos revocavit, Manichaeos & Arianos est infectatus, nec quidquam omisit quod ad Ecclesiam pacandam pertineret. Adde quod non simpliciter pacata fuisse omnia, senior dixit, sed id mollivit addito temperamento, Ἐν ὀλίγῳ i.e. *propemodum*, quo sensu utitur Plato, & Act. XXVI. 28. ubi a Vulgato redditur *In modico*, sed idem est quod *Parum abest* quin.

At in eo maxime argumento exsultat Papebrochius, quod, ut in vita auctiore S. Eleutherii Episc. Tornacensis legitur, circ. an. 518. (h. e. triennio ante eum annum, quo nos Aegyptiam obiisse statuimus) laudatus Episcopus Mariae Aegyptiacae reliquias ab Hormisda Papa obtinuit, easque Tornacum non sine pluribus languentium curationibus intulit. Hujus sane argumenti vis tanti visa est Pagio (ad an. 525. num. x. xi.) ut ob hanc unam rationem mihi videatur Aegyptiacae exitum solidis viginti annis praevertisse, & circ. an. 500. constituisse: quasi vero intra annos octodecim geri tot res confertim potuerint, ut vix hac mortua Ascetria, ejus reliquiae dispertiri coeperint, earum pars Romam usque venerit, quas Hormisdas cum Tornacensi Episcopo diviserit. Verum ejus vitae auctioris novitas pluribus jam de causis mihi suboluerat. Quid enim? *Ignis gehennae* meminit, quo qui afflictabantur, ope reliquiarum Aegyptiacae sanati fuerint. Atqui id morbi genus (alibi *ignis inferni*, aut *ignis sacer* dictus, quo qui laborabant, *Ardentes* vulgo vocabantur) multo opinor serius sexto Christi saeculo Gallias infestavit. Verum quid plura? Henschenius (ad XX. Febr. ubi de S. Eleutherio Tornacensi) vitam illam auctiorem, in qua de Reliquiis Aegyptiacae ab Hormisda dono datis Eleutherio agitur, non ante annum Christi nongentesimum scriptam censuit. Adhaec in notis textui ejus vitae substratis pag. 191. dubitat de veritate narrationis ejus; quum Aegyptiaca videatur sub Hormisda adhuc in vivis fuisse. Postremo quum plures sanctae feminae *Mariae* nomen tulerint, suspicatur, eas reliquias alterius Mariae fuisse: quam suspicionem auget, quod in tractatu Ms. *de transitu S. Eleutherii* sic scriptum reperit: *Reliquias B. Mariae* (sine *Aegyptiacae* additamento) *illi* (Eleutherio Hormisdas) *obtulit*. Ergo siquid modo ejus vitae auctioris narrationi dandum est; aliam prorsus eam Mariam fuisse oportet, cujus reliquias Eleutherius Tornacum invexit. Hactenus de Aegyptiae Mariae aetate, ejusque anno emortuali.

CAP. III.

De quatuor eodem tempore sanctis poenitentibus, quae Mariae *nomen tulerunt: tum de ea re conjectatio: deque* Metanoeis. *Ab Aegyptiaq vita apologi aut romanensis fabulae suspicio submovetur.*

Plures uno simul tempore impudicas mulieres nomine *Marias* reperio, quae postmodum resipiscentes ad sanctitatis apicem pervenerint; quas undecumque corrasas huc afferre proderit. I. Prima est omnium, tum tempore tum famae celebritate, nostra haec Aegyptiaca, de qua tamdiu agimus. II. Altera est Mariae Abramii Eremitae ex fratre neptis, cujus in vitis Patrum exstat historia a quodam Ephraemo scripta. Hanc Pagius (ad an. 525.) nostra Aegyptiaca recentiorem fuisse censet, & usque ad medium sextum

Digitized by Google

saeculum vitam prorogasse. Ab hac non videtur Pagio diversa Maria illa, de qua loquitur Jo: Moschus Prat. Spir. cap. 68. in haec verba: *Quum audisset Abramius DUX S. MARIAE NOVAE, quod* (Abbas Theodosius) *non haberet pallium, quo hieme uteretur; emit illi.* Sed Graeca Moschi conferri necesse esset. Nam si scriptum sit, ἡγούμενος τῆς ὁσίας Μαρίας τῆς νέας, potest hoc intelligi de *juniore Maria* (comparate scil. ad seniorem alteram) Abrahae hegumeni nepte; nam ascetriae praenominari ὁσίαι a Graecis solent. Quod si Graece sit τῆς ἁγίας Μαρίας, tum praestabit intelligere *hegumenum* monasterii, cui nomen *S. Mariae novae.* Sed de hoc infra accuratius. III. Fuit quoque tertia S. Maria meretrix, postmodum poenitens in monasterio prope Aegas: quam Moschus (Prat. Spir. c. 31.) se vidisse narrat, & ex ipsius ore se ejus resipiscentiam audisse testatur. Ita ex Moschi aetate facile erit hanc quoque intra sexti saeculi cancellos concludere: quae mihi videtur in ejus generis monasterio conclusa fuisse, quod Μετανοίας *Poenitentiae* vocari solebat. IV. Fuit postremo & quarta S. Maria, quam discriminis causa *Cantatricem* licebit appellare, de cujus impudica vita, ac secuta postmodum ad saniorem mentem reversione agitur in vita S. Cyriaci Anachoretae; cujus vitae compendium Bailletus affert in fine vitae S. Mariae Aegyptiae; ubi & hanc cantatricem medio sexto saeculo sub Justiniano obiisse censet. Ita his omnibus ejusdem nominis poenitentibus feminis Aegyptia Maria aetate praecesserit necesse est.

Ac Bailletus quidem (num. X. & in Tab. crit.) inter Aegyptiam Mariam & Cantatricem multa similia intercessisse animadvertens, suspicatur, non aliud Aegyptiacae vitam videri, quam longiorem (hoc est, ut satis innuit, fabulosam) verae historiae Cantatricis paraphrasin. Sed re vera ut multa utrique Mariae paria fuerint, plura sunt tamen diversissima: tempora, personae, conversionis modus, & sexcenta alia discrepant. Itaque nihil necesse est ex duabus unam facere; imo narrationem historicam in fabulosam convertere.

Non dissimile est illud, quod alii apud eumdem Bailletum (ad finem num. IX.) censent, totam hanc Aegyptiae historiam, loco parabolicae narrationis habendam esse, ad id genus mulierculas de coeno vitiorum spe veniae avellendas (ferme ut Evangelica filii prodigi parabola se habet) compositae. Quos ab hujus historiae fide convellenda tum cultus Aegyptiacae antiquus, tum etiam Damasceni, & Nicenorum Septimae Synodi Patrum eam vitam citantium auctoritas deterrere debuisset. Etsi fieri potuisse non diffiteor, ut quum Auctor res gestas ex accepta per monachorum manus traditione pleraque acceperit (de quo vide Graecam vitam num. ult.) ea res scriptori credulo interdum fraudi fuerit; quippe quum *crescat eundo* fama, ut ille ait. Sunt enim ardua nō pauca in eo opusculo. Sed tamen quod ea traditio auctore scribente recens esset, non immensum a veritate aberrari potuisse arbitror. Omnino autem Aegyptiacae historiam non esse inter romanenses fabulas amandandam, pluribus (38) ostenderem, si id agerem. Vide cap. sequ. initium ubi huic vitae auctoritas ex Damasceno & VII. Synodo conciliatur.

Nunc

[38] *Apologi calumnia ab Aegyptiacae vita submovetur.*

Hanc S. Mariae historiam scripti parabolici haberi loco Auctor ipsius vetat, qui tum in prooemio, tum num. 41. [vitae Graecae] satis est intelligere, se ad historiae veritatem [non, quod volunt, ad poenitentis imaginem adumbrandam] calamum attemperasse. Potuit quidem auctor nimium suae credulitati indulgere: at vera saltem scribere in animo habuit; idque graviter de se testatur. Nisi vero eum fallacissimi impostoris loco habere voluerimus, eoque modo injuriam irrogare Nicenis Patribus; apud quos quum satis longum vitae hujus testimonium [de quo vide cap. seq.] recitatum fuisset, nemini quidquam de scripti illius impostura suboluit: imo fuit in ead. Synodo, qui illam Deiparae imaginem, quam Aegyptia sibi opi-

Nunc illud potius, cujus gratia has omnes poenitentes Marias uno ſub aſpectu poſui, conjecturae tantū loco afferam. Suſpicor enim, has omnes ſanctas ſaeculi ſexti poenitentes, primitus quidem in ſaeculo ſuis quamque nominibus fuiſſe appellatas; poſtea vero a poenitentiae inſtituto, quod amplexae fuerunt, commune ſibi *Mariae* nomen adſciviſſe, ab illa ſcil. Evangelica Maria peccatrice, mox poenitente arceſſitum; eamque nominis permutationem ſexto maxime ſaeculo fuiſſe uſitatam, quod crebrae eo ſaeculo fuerint meretricum ad meliorem mentem reverſiones: id quod ex Juſtiniani fabricis cernitur; qui eod. VI. ſaeculo conſtruxit *Metanoeam* i. e. *Poenitentiam* (nomen id monaſterio poenitentium meretricum erat) in quo & quingenta ſcorta recluſit, teſte Procopio in L. de Aedif. 9. & in Hiſt. arcana: ut de Conſtitutione de lenonibus ab eod. Auguſto edita taceam, quam ſordium hujuſmodi everriculum licebit appellare. Reperies porro & *Metanoeas* alias a Cangio memoratas in Gloſſario Gr. in eo vocabulo. Nec aliud quam *Metanoea* fuiſſe videtur tum illud prope Aegas monaſterium, de quo ſupra ex Moſchi cap. 31; tum illud *S. Mariae novae* aſceterium, quod ab Abramio (ex eod. Moſcho cap. 68.) dirigebatur. Fortaſſis enim non tantum meretrices reſipiſcentes, ſed & earum aſceteria ſeu *Metanoeae* nomen Evangelicae *Mariae* poenitentis ferebant. Quocirca quum jam antea apud Aegas Metanoea una ſub ejus *S. Mariae* nomine exſtitiſſet; ubi altera mox aedificata fuit, eam *S. Mariam novam* vocari ad veteris diſcrimen placuit. Sicuti τῆς νέας μετανοίας i. e. *novae metanoeae* meminit Theophanes ad an. 1. Heraclii, ad diſcrimen alterius *veteris*. Verum conjectiones has omnes, donec validiore tibicine fulciantur, interim in medio relinquimus.

CAP. IV.

De pretio Vitae S. Mariae Aegyptiacae, deque aetate & auctore ſcriptionis. Eam ab Hieroſol. Sophronio potuiſſe quidem proficiſci, ſed non profectam, certis argumentis oſtenditur: auctorem vero videri S. Sophronium Monachum, qui in his Faſtis colitur.

Mariae vitam non eſſe piis romanen-

opitulantem experta fuit, adhuc in rei geſtae memoriam monſtrari, teſtificaretur.

Dixerit aliquis, hanc vitam carere paſſim temporum & aliarum circumſtantiarum adjunctis, carere hominum locorumque nominibus, quaeque alia hiſtoricam narrationem comitantur. Atqui in ipſius Mariae factis id minus mirandum; de qua nihil, niſi ex ejus una confeſſione, eaque per manus tradita, ſcivit Auctor. At credibile ne eſt, Aegyptiacam in illo colloquio ſtrictim res ſuas perſequentem de adjunctis temporum, locorum, perſonarum futuram fuiſſe ſollicitam? deinde plura circumſtantiarum adjuncta non excidiſſe narrantibus? At in Zoſimae rebus geſtis narratio ſuis non caret adjunctis.

Poſtremo illud certe, ſi non aliud, ab Auctoris animo apologi conſcribendi conſilium abfuiſſe demonſtrat. Ad finem num. XI. narratur Zoſimas dum fugientem Aegyptiam aſſequi nititur, perveniſſe in quemdam locum, qui ſicci torrentis ſpeciem praeſeferebat. Ibi ſcriptor leviter immoratur, adnotans, numquam ibi eundem torrentem ullum defluxiſſe (παρεμβάλλων hos inſuper: πῶς γὰρ ἐν ἐκείνῃ τῇ χώρᾳ φαντάσται χείμαρρος, *quomodo in illa regione torrens ullus exiſteret?*) ad extremum vero concludens, dumtaxat loci illius ſitum fuiſſe talem, ut veluti torrentis alveum oculis objiceret. Eſt heic vero quidquam, in quo ſcripti parabolici characteres agnoſcas? Mitto jam plura addere de hoc genere.

Ceterum quanto fuiſſet tolerabilius, nimiae credulitatis in aliquibus Auctorem arguere, in eoque non veracitatem, ſed judicium requirere, quam eum impoſturae damnare? Nam cereroqui qui ſe veritati litaturum in limine & fine opuſculi ſanctiſſime profitetur, quique inſuper jam ab initio objectionem ab *impoſſibili* petitam, ſedulo proviſam diluit (vide locum cap. ſeq.) interim merum apologum ſcribens, nae is turpiter impoſturam facit. Confer dicta ad Acta S. Nicephori die IV. Febr., ubi id pulcherrimum monumentum a ſimili parabolicae narrationis calumnia vindicavimus. Quae contagio utinam non hodie ſerperet, per quam quae reſtant adhuc antiquitatis laciniae, eae nec flamma abſumptae nec arroſae tineis, nunc poſtremo cum Pyrrhoniſmo luctantur.

Digitized by Google

fibus fabulis accenſendam, modo (in Adnot. 38.) demonſtratum fuit. Nunc etiam eidem ſcripto dignitas eſt aſſerenda. Ad pretium autem ejus monumenti quod attinet, id inde elucet, quod adprobatorem habuit Jo: Damaſcenum qui Orat. 3. *de Imaginibus* ex ea vita teſtimonium pro eiſdem ſatis longum affert, uti ad eum vitae locum adnotabimus. Scripſit autem has orationes Damaſcenus circ. an. 730. h. e. centum multo plus annis poſt eam vitam elucubratam. Deinde eodem vergente VIII. ſaeculo in VII. Synodo Oecumenica idem teſtimonium & multo quidem copioſius productum fuit. Poſtquam autem a Paulo Neapolitano eadem Vita Latinitate donata fuit, omnes occidentis Eccleſias ac bibliothecas pervaſit.

Sequitur interrogatio altera de tempore conſcriptae vitae. Id ſane tempus aliquatenus adumbravit ejus Auctor in prooemio hujuſcemodi verbis, ex Pauli Diac. interpretatione: *Aſſumam de cetero narrationem, ipſam vem referens, quae in hac noſtra generatione* (Gr. ἐν τῇ γενεᾷ τῇ καθ' ἡμᾶς) *facta dinoſcitur; quam ſacer vir, divina & agere & docere educatus* (Gr. ἐκπαιδόθεν μεμαθηκὼς i. e. *a pueritia edoctus*) *narravit. Sed ut ſupra dictum eſt, nullus haec ad incredulitatem trahat, conſiderans, impoſſibile fieri in hac noſtra generatione* (Graece ut ſupra) *tam grande miraculum; quia gratia Dei per omnes generationes ... amicos Dei facit &c.* Ex his verbis, & ex Aegyptiacae obitu in annum 421. a ſe conjecto, Papebrochius cenſet, ſcriptam fuiſſe vitam circ. an. 480. h. e. quinquaginta poſt Aſcetriae, triginta vero poſt Zoſimae obitum annis.

Sane vero ſi γενεᾶς *generationis* fines intra ſpatium annorum triginta cum Herodoto concludendum eſſet; darem manus, imo etiam ſcriptionem hanc paullo propius mortem ſive Mariae ſive Zoſimae admovendam eſſe dicerem. Nunc γενεᾶς *generationis* notionem praeſtabit ab Eccleſiae ſcriptoribus haurire: quos ſi ſequimur, aliud ea vox non ſignificabit, quam *noſtram patrumve noſtrorum memoriam*. Ita ſi intra annorum paullo minus centum cancellos ejus nominis ambitum coerceamus (de quo videbis Irenaei locum [39] inferne adſcriptum) potuit ea Vita (ex noſtra hypotheſi, qua Aegyptiam an. 521. aut 522. mortuam cenſemus) circiter ſexcenteſimum Chriſti annum ab auctore ſuo prodiiſſe, h. e. octoginta ferme poſt Mariae obitum annis, poſt Zoſimam autem quinquaginta, ſi quidem Zoſimam triginta tantum annis Aegyptiae ſupervixiſſe cum Papebrochio volumus. Verum ad quadraginta annos hunc Mariae fuiſſe ſuperſtitem, infra cap. VII. ad Vitae ſect. 3. docebitur. Quocirca obierit Zoſimas circ. annum 560. a quo propius aberit annus Chriſti ſexcenteſi-

[39] Quid ſit apud Eccleſiae ſcriptores Γενεὰ, oſtendit huic, in quo verſamur, ſimillimus alter Irenaei locus apud Euſebium in V. Hiſt. 8. ubi de Joannis Apocalypſi: *Nec enim ea multo ante tempore viſa fuit, ſed* [σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς] *ferme noſtra generatione* [h. e. aetate] *ſub finem imperii Domitiani*. Nec longe ab hac ſervili interpretatione abit illa Valeſii: *Neque enim dudum, ſed noſtra paene MEMORIA* [ſic γενεὰν reddidit] *ſub exitum imperii Domitiani viſa eſt Revelatio*. At vetus Irenaei interpres *paene noſtrum ſaeculum* reddiderat Γενεὰν, uti ſunt *ſaecla ferarum* [i. e. generationes] apud Lucretium.

Atqui ab ultimo Domitiani anno [qui fuit Chriſti XCV. aut XCVI.] ad annum, quo haec Irenaeus ſcribebat, nonaginta plus anni interceſſerant, ſi quidem [ex Tillemontii calculis] libros de Haereſibus Irenaeus ſcripſerit anno Chriſti 187. Adde quod idem Tillemontius duos poſteriores libros [in quinto autem ſupra ſcriptum teſtimonium occurrit] ſerius aliquanto elucubratos alicubi cenſet. Nec refert, quod γενεᾶς ſpatium laxiore ſignificatu acceptiſſe videatur Irenaeus addito σχεδὸν; nam ea particula non ſemper de ſignificatu detrahit, ſed modo redundat, modo valet *circiter*, ut & Latinum *Ferme*. Ex his vides multo longius ſpatium tribuiſſe γενεᾷ ſuae Irenaeum, quam quantum Auctor vitae Aegyptiacae eidem locutioni tribuit; quum ab exitu Mariae ad annum ſexcenteſimum anni ſint admodum octoginta. Quod ſiquis praevertere aliquantulum hanc ſcriptionem cupiat; non admittat contentioſum funem, ut Tertull. ait, in diverſa diſtendere.

Digitized by Google

teſimus, quem circiter fingimus, hanc vitam fuiſſe perſcriptam.

Nec ſi ad ultimam vitae ſectionem attenderimus, minus ſpatii inter Mariae obitum & vitae ſcriptionem decurriſſe ſuſpicari poterimus. Ibi ſic poſt narratum Zoſimae obitum ſcribitur. Ἔμειναν δὲ οἱ μοναχοὶ καὶ διαδοχὴν ἀγράφως παρὰ διδασκόντος &c. Quae praeſtabit verbo reddere: *Perſtiterunt porro monachi tranſmiſſa per manus traditione ac ſine ſcripto haec retinere infixa memoriae, ad communis utilitatis exemplum eam auſcultationem cupidis proponentes: at qui eadem litteris conſignaverit, ad hunc uſque diem neminem ne ſando quidem audiverunt. Ego vero quae tradita ſine ſcripto accepi, ea ſcripta narratione prodidi. Ac fuerint fortaſſis alii, qui magnificentius hanc vitam contexuerint: verum nihil horum ad meam notitiam pervenit.* Haec inquam non modicum ab obitu Aſcetriae intervallum effluxiſſe arguunt. At recitata verba in Pauli interpretatione non reperi, qui in Zoſimae obitu vitam concludit.

Jam vero quis tandem verus ejus vitae auctor fuit? Inſectatur Niceph. Calliſtum Papebrochius (40) quaſi qui primus omnium eam vitam a S. Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano compoſitam, ſcripſerit. At multo antiquior eſt ea opinio, quantum quidem ex manu ſcriptorum exemplarium Graecorum (41) Latinorumque inſcriptionibus licet animadvertere, in quibus ea vita eidem S. Sophronio paſſim tribuitur. Nec ejus tempora repugnant: nam qui anno 634. Patriarchatum adeptus, anno vero 637. mortuus (ex Pagii calculis) dicitur, cur nō idem circ. an. 600. quum monachus eſſet, ei vitae conſcribendae vacare potuit? Accedit, quod ſimilis argumenti opera ab eo prodierunt, quippe qui Limonarium & SS. Cyri & Joannis miracula (laudata ab VII. Synodo) & alia ejuſcemodi ſcripſerit. Potuit igitur & hanc vitam a ſe compoſitam dare: quod Papebrochius, ſuae ut hypotheſi ſerviret, vehementer negavit. Potuit, inquam, eam Hieroſolymitanus Sophronius perſcribere: at re vera ab eo profectam, praeſtare non audeo: imo contrarium mihi indicia non levia ſuadent, verum a Papebrochii argumentis diverſa.

Etenim ſi quidem Sophronius Hieroſolymitanus eam vitam elucubraſſet, nemo id melius S. Joanne Damaſceno ſcire debuiſſet; qui centum non amplius poſt illum Patriarcham annis orationes *de Imaginibus* contexuit. Et quidem tam Joannes quam Sophronius ortu Damaſceni fuerunt: uterque monachus, & opinor in ſanctae civitatis vicinia, fuit. Poſtremo ſi Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus fuerat, Damaſcenus ejuſdem Eccleſiae Presbyter ordinatus fuiſſe ſcribitur. Ob has rationes ignorare hic minime poterat S. Sophronii ſcripta, & hanc maxime celeberrimam vitam, ſi quidem ex illius calamo prodiiſſet. Et tamen, quaſi ſi ea vita ἀδέσποτος (*ignoti auctoris*) eſſet, ſic citavit, *Ex vita S. Mariae Aegyptiae*; qui tamen paullo ante S. Sophronii nomen non diſſimulavit, ſic ponens, *S. Sophronii, ex miraculis SS. Cyri & Joannis.*

Idem eſto & de Patribus VII. Synodi judicium: apud quos etiam *Ex vita S. Mariae Aegyptiae*, tamquam ſcil. ignoti auctoris, idem locus, ſed multo copioſior refertur, tantum indicato vitae initio, Μυστήριον &c. *Secretum regis abſcondere bonum eſt.* Nec ex Nicenis illis Patribus plane innumeris inventus eſt quiſquam unus, qui id opus S. Sophronio Hieroſolymitano vindicaret: quod & ad con-

(40) Quem vide num. 9 & ſeq.

(41) De Actorum Latinorum exemplaribus non eſt dubium, in quibus paſſim Hieroſolymitano Sophronio id ſcriptum vindicatur. At iam in Graeco vitae MS. Bavarico ſic reperit Papebrochius (quem vide ad tomi 1. Aprilis finem pag. XXI. not. a) Βίος .... συγγραφεὶς παρὰ τοῦ ἐν ἁγίοις Σωφρονίου Ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων, *Vita .... ſcripta a S. Sophronio Archiep. Hieroſol.* Nec dubito, quin in aliis pluribus Graecis apographis idem legatur.

Digitized by Google

conciliandam testimonio auctoritatem conducibile erat. Atqui non multo superius ead. Actione 4. nominatim ex eod. Sophronio testimonia producta fuerant, tam ex *Limonario*, quam ex *Miraculis SS. Cyri, & Joannis*. Et tamen non defuere, qui ex auctoritate hujus VII. Synodi Aegyptiae vitam Episcopo Hierosolymitano (42) adjudicaverint, lapsi memoria scil.

Ergo octavo toto saeculo, hanc vitam a celebri S. Sophronio fuisse scriptam, nemo unus sciebat. Unde ergo & in inscriptiones aliquot hujus vitae Graecas, Latinas vero ferme omnes, Hierosolymitani Sophronii nomen manavit? Unde id hausit Nicephorus, qui tam fidenter duobus (43) locis id opus eidem vindicavit?

Dicam equidem quod sentio. Non ab Hierosolymitano quidem Sophronio ea vita prodiit; sed ab aliquo certe Sophronio scriptam fuisse, & jam pridem sub Sophronii nomine ambulasse necesse est, atque in eo solum falsum esse Nicephorum (aut qui jam diu antea primus eam historiam Hierosolymitano adscripserat) quod Sophronium aliquem monachum ejus vitae auctorem cum Hierosolymitano antistite, qui & antea monachus fuerat, confuderit.

Verum quid moror? aut ego fallor, aut vitae hujus auctor ille ipse est *Sophronius MONachus*, qui in hoc Kalendario Kalendis Martii colitur. Sane quidem, quum in eum locum commentarer, aestuavi plurimum, incertus animi, quisnam esset is *Sophronius*. Ac subiit tum animum cogitatio, an non diversus a Patriarcha esset, h. e. alius re vera Sophronius, qui Aegyptiacae vitam scripsisset. Augebat eam suspicionem, quod Neapolitani consuevissent praecipuorum quorumdam Sanctorum etiam vitae scriptores colere. Sic in his Fastis non tantum Epiphanius signatur, sed & Polybius is, cui Epiphanii vita tribuebatur. Ergo in exemplari vitae Latinae, quod Paulus Diaconus suis Neapolitanis tradidit, ea vita *S. Sophronio Monacho* [diverso utique a Patriarcha] tribuebatur. Hinc Neapolitanis cupido incessit non tantum Aegyptiam, sed & vitae scriptorem, quem sanctitate floruisse scirent, suis Fastis inserendi. Ita quidem tum augurabar, easque conjecturas etiam chartae illeveram: sed tamen ne levis augur viderer, in alia tunc omnia itum a me fuit. Verum ipse me nunc saltem recipio: ac marmore nostro praeeunte ajo, Mariae vitam ab aliquo *S. Sophronio MONacho* primitus fuisse conscriptam, eique a Paulo interprete fuisse in inscriptione vitae tributam; unde & eum scriptorem apud Neapolitanos sacros honores reperisse: sed postea ejus scriptoris obscuritatem in causa fuisse, ut cum Hierosolymitano Praesule (qui & ipse monachus fuerat) confunderetur, eoque in vitae inscriptionibus additum fuisse *Hierosolymitano episcopo*; id vero tandem Nicephoro fraudi fuisse, qui tam aperte duobus locis eam lucubrationem Hierosolymitano antistiti vindicaverit. Atque haec de ejus opusculi auctore sufficiant: quem quidem aequalem Hierosolymitani Praesulis fuisse, quae modo de aetate disputabam, suadent; sanctitate vero floruisse, etiam vita illa pietatem spirans persuaserit; postremo monachum fuisse, ex Vita ostendam cap. VII. Et hujus quidem monachi memoria jam pridem evanuit. At IX. saeculo idem in ore omnium erat, maxime Neapoli ob scriptam, ut ante dixi, Mariae historiam (quam Paulus Latinitate donavit)

[42] Rosvveidus ad calcem vitae Aegyptiacae notat, eam laudari *Sophronio auctore* ab VII. Synodo, & a Damasceno. At neuter, ut vidimus, ex *Sophronio* eam citaverant, sed sine auctoris nomine. Sed imposuit Rosvveido & aliis hunc secutis locus Baronii ad 2. April. male intellectus. Nam inde etiam, opinor, citatur a Rosvveido VII. Nicephori liber, qui est XVII.

[43] Tum in Historiae scil. lib. XVII. 5. tum etiam in Synaxario. Synaxarii locum retulit Papebroch. num. 9. & eumdem Graece adscripserat Rosvveidus loco cit.

Digitized by Google

vit) unde & sacris adscribi Fastis Neapolitanorum meruit.

CAP. V.

De antiquitate Neapolitani cultus S. Mariae impensi; & de aetate nostri Pauli Diaconi & translatae ab eo vitae.

Neapolitanus Aegyptiacae cultus longe est antiquior Monasterio prope aedem Annuntiatae clarissimo sub ejus nomine, & cum ejusdem reliquiis: nec enim monasterium antiquius est saeculo XIV. medio, & Sancia regina; in quod postea reliquiae illatae fuerunt, ut infra dicetur: quum contra Aegyptiam Mariam decurrente IX. saeculo jam Neapoli annuum festum assecutam, ex his marmoreis Fastis certo constet.

Sed scire interest, quampridem ante hoc marmor ejus cultus Neapoli coeperit. Non ante opinor, quam Paulus Diaconus Neapolitanus ejus vitam de Graeco in Latinum transfudisset. Nec enim aliae cultus causa afferri potest, quam quod ejus vita a Diacono Neapolitano Latine reddita manibus omnium in hac urbe tereretur. Atque hanc alioqui verisimillimam conjecturam id plane apud me certissimam reddit, quod in his Fastis non tantum Aegyptia sed & Kal. Martii *Sophronius Monachus* colitur, is, qui ejus vitam Graece scripserat, ut superiore cap. ostendimus. Atqui monachi hujus obscurioris notitiam non aliunde haurire Neapolitani potuerunt, quam ex interpretatione Pauli, vitam illam Sophronio Monacho tribuentis.

Ac Pauli quidem hujus Sigebertus cap. 69. meminit ejusmodi verbis: *Paulus diaconus Neapolitanae Ecclesiae transtulit de Graeco in Latinum vitam S. Mariae Aegyptiacae.* Verum de ejus aetate nec ipse Gemblacensis, nec ejusdem Scholiastes Miraeus quidquam prodidit. Sed bene est, quod huic vitae in scriptis & editis epistola Pauli interpretis praefigitur *Domino Gloriosissimo ac praestantissimo regi Carolo* inscripta; ex qua saltem inscriptione aetas elici posse videatur. Estne is igitur aliquis ex Carolis Neapolitanis regibus intelligendus? Atqui eorum primus post dimidium XIII. saeculi claruit: Paulus vero antiquior fuerit necesse est Hildeberto Cenomanensi, qui XII. saeculo ineunte Aegyptiacae vitam (a Paulo utique Latine redditam) versibus illigavit. Quare nonnisi Carolo alicui Francorum regi ea vita ab interprete nostro nuncupata fuerit oportet; nec alii certe quam Carolo Calvo, sed adhuc regi, nondum imperatori electo, h. e. eo temporis spatio, quod inter annum 840. & 876. intercessit, quo anno creatus est imperator: quod sane nuncupati a Paulo operis tempus ex minime dubiis (44) indiciis compertum habeo.

Quum

[44] Quatuor sunt in Carolingorum stirpe, de quibus possit esse quaestio, qui his cognominibus distinguuntur, *Magnus*, *Calvus*, *Crassus*, *Simplex*. Ex his eximendus est ultimus, in quem Epistola Pauli Diaconi convenire nequit, quae debuit uni ex his regibus inscribi, qui litterarum & sapientiae studio teneretur: ac hic *Simplicis* cognomen ex merito stupiditatis invenit. At nec Carolo Crasso inscriptio epistolae convenire potest; qui nusquam non *Imperator* inscribitur. Jam vero Caroli Magni *formulae* initiales [quas vide apud Mabillonium in II. Rei Dipl. 3. ante imperium quidem semper adjunctum habent titulum *Regis Francorum & Langobardorum, ac Patricii Romanorum*; post imperium vero solent esse ejusmodi: *Carolus Serenissimus Augustus, a Deo coronatus Imperator ... Rex Francorum & Langobardorum*. In epistolis & Capitularibus paullo aliter, sed ut eodem res redeat. Ergo Pauli epistolae titulus nec Carolo Magno, nec Crasso convenit. At Calvo convenit; cujus formulae initiales sic concipiuntur, ut ante imperium inscribatur, *Karolus gratia Dei Rex* [neque id solum in diplomatibus, sed etiam in capitularibus & epistolis] post imperium vero *Imperator Augustus*. Ad Calvum igitur referenda est epistolae inscriptio; cujus auctor, uti par erat, illum etiam *gloriosissimi ac praestantissimi* elogio cohonestavit. Neque id vero exemplo caret; nam Capitularium hujus Regis apud Sirmondum initio to. 3. tit. 1. sic fert inscriptio: *Capitula ... Domni Karoli GLORIOSI Regis*. Tit. XI. *GLORIOSI KAROLI, filii Hludovici* &c. & alibi passim. In eumdem regem & eruditio & in litteras amor convenit, quae in Pauli epistola non obscure significantur.

Digitized by Google

Quum vero hoc marmoreum Kalendarium ab Episcopo Neapolitano Joanne IV. constructum fuisse, [h. e. intra annum 838. & 850.] alibi ostenderimus; ex eo fiet, Paulum quidem Diaconum aliquanto post annum 840. vitam Aegyptiacae Carolo Calvo dicasse : ex ejus vero vitae editione quum in Aegyptiacam studium Neapolitanorum magnopere accensum fuisset; hinc quum Fastos nostros marmoreos Joannes IV. scalpi ante annum 850. curasset; Aegyptiacae *Depositionem* diei IX. Aprilis (haud aliter atque in Vita a Paulo translata exponitur) inferi placuisse. Ex his vides, Vitae a Paulo editae & Kalendarii nostri tempora mutuam sibi lucem foenerari; atque intelligi ex his oportere, Vitam quidem sub initia Caroli Calvi [i. e. paullo post annum 840.] editam fuisse, quum ejus editio Fastis nostris praecedere debuerit; Fastorum vero marmoreorum scalpturam non ad initia episcopatus Joannis IV. sed ad finem ejusdem [h. e. sub annum 850.] esse conjiciendos, quia editionem Vitae subsequi debuerunt; quum ea vita Neapolitanos impulerit ad inserendam Fastis Aegyptiam. Et has quidem conjecturas esse dices, sed tamen sane quam probabiles: quae multo certiores evadent, si cum ceteris argumentis jungantur, quibus hujus Kalendarii aetatem in saeculum IX. & in tempora Joannis IV, episcopi contulimus.

CAP. VI.

De translatione corporis Mariae Aegyptiae in Carbonense Monasterium, deque Capite inde Neapolim avecto.

Paulus Aemilius Sanctorius Casertanus, Cardinalis Julii Antonii, fratris filius, Carbonensis monasterii Basilianorum in Brutiis Abbas commendatarius, mox ad Cosentinam, ac tandem Vrbinatem cathedram evectus, primo ipso saeculi exacti anno historiam sui illius monasterii edidit. Ibi a Luca quodam ejusdem coenobii quondam Abbate, quum is anno 1053. sacra Palaestinae loca peragraret, Aegyptiae pignora in suum monasterium translata fuisse narrat. *Avexit* inquit, *secum, in Italiam rediens, sacra pignora, corpus nim. S. Mariae Aegyptiacae, & caput magni Jo: Eleemosynarii: templumque beatissimo patri Lucae* (ejusdem monasterii fundatori, qui an. 993. mortuus, die XIII. Octob. colitur) *manibus operatus atque consilio, ibidem S. Mariae reliquias collocavit. Sed caput Sanctae quidam Presbyter furatus Neapolim detulit, acceptoque* [45] *pretio, sacratis coenobii S. Mariae Aegyptiacae mulieribus donavit. Nos* (pergit Sanctorius) *S. Mariae reliquias indecore jacentes honorificentius decoravimus, addita celebritate & pompa.*

Sed quampridem Caput Aegyptiacae Neapolim asportatum fuerit, silente Sanctorio, colligendum est ex Francisco Gonzaga in opere *De origine Seraphicae Religionis*, quod anno 1587. Romae edidit; ubi reliquias in Neapolitano Aegyptiacae monasterio asservatas recensens, Caput illud *ANTE SEPTVAGINTA ANNOS ab incognito quodam sacerdote saeculari dono datum fuisse*, tradit. Ita si ab anno hujus libri editi retro numeres annos 70, reperiemus, circ. annum 1517. nostratis coenobii monachas sacrum illud caput fuisse adeptas. Porro qui totum Gonzagae locum nosse cupit, eum inferne [46] adscriptum reperiet, ex quo intel-

[45] Laudo quod Papebrochius num. 24. hujus Presbyteri factum purgat, quasi non lucri gratia, sed religioso id animo admiserit; rem scil. indignissimam ratus, eum thesaurum a Carbonensibus vili habitum, qui apud Neapolitanas Sanctimoniales maximo in honore futurus esset. Laudo id inquam. Est hoc enim liberalium ingeniorum res omnes, qua possumus, meliorem in partem trahere. At Sanctorio alia omnia monachi Carbonenses de presbytero narrarunt.

(46) Franciscus Gonzaga de eo S. Aegyptiacae Capite sic apud Papebr. num. 23. narrat. „ Ante septuaginta annos Sororibus ab incognito quodam sacerdote saeculari dono datum, fuit; quod tamen, licet nullae existent testimoniales litterae, crebra miracula, quae per ipsum Deus Optimus Maximus operari dignatur,

intelliget, ejus capitis αὐτοψίαν (*identitatem*) olim ante ducentos annos memorabili miraculo teſtatam fuiſſe.

Ad monaſterium S. Mariae Aegyptiacae prope aedem Adnuntiatae quod attinet; ſciendum eſt, id CCCC. annis antiquius non eſſe. Fundatum enim ac dotatum fuit a Regina Sancia Aragonia Roberti regis uxore anno 1335. ad impudicas mulieres e caeno libidinis emergentes recipiendas; quum alterum ab ead. Regina ante decennium ſub nomine Magdalenae in uſus eoſdem fundatum converſis mulieribus quotidie confluentibus minime ſufficeret. Vtrumq. nunc aſceterium ab honeſtis ac nobilibus virginibus dumtaxat incolitur. Atqui in laudato Aegyptiacae coenobio non tantum caput Sanctae, ſed & digitus colebatur, ab eod. Gonzaga inter ejus reliquias recenſitus: qui digitus quum non tradatur e Carbonenſi coenobio fuiſſe ſublatus; facile conjiciemus a fundatrice Sancia huic monaſterio dono datum fuiſſe. At Caeſar de Engenio (in quo pleraque eorum, quae hoc toto capite ex Papebrochio hauſi, reperies) non tantum memoratas reliquias, ſed & duo coxarum oſſa ab eiſd. Sanctimonialibus poſſideri docet, & eas ſimul omnes reliquias e Carbonenſi coenobio arceſſit: refragante interim Papebrochio. Nec immerito: quum Gonzaga caput tantum ex Carbonenſi monaſterio adſciſcat, non digitum (quem tamen idem Gonzaga inter monaſterii lipſana recenſet) multo minus duo oſſa cetera, quorum is ne meminit quidem in reliquiarum Aegyptiacae catalogo. At hodie Monachae a me conſultae narrant paullo aliter. Caput, os unum coxae, & coſtas aliquot hujus Sanctae recenſent: ſed coſtas partim in Statua Theſauri incluſas, partim monaſterio *Aegyptiacae ad Echiam* (a ſe poſtea fundato) dono datas ajunt. De *Aegyptiaca ad Echiam* vide Carol. de Lellis in Supplem. Engen. p. 234.

CAP. VII.

Ad Graecam Aegyptiae Mariae vitam & veterem Pauli interpretationem animadverſionum manipulus.

§. 1. *De Arabica Aegyptiae vita. Deq. antiquorum ſcriptis una cum priſcis eorum interpretibus conjunctim edendis.*

Praeter hanc quam terimus vitam, ſcio inter praeclara orientis ſpolia bibliothecae Vaticanae illata & alteram Arabice ſcriptam reperiri: de qua ſic apud virum

, tur, commendatiſſimum reddunt; inſinuant-
, que, non commentitium, ſed verum glorio-
, ſae peccatricis praefatae caput eſſe: ex qui-
, bus unum tantum in hujus teſtimonium verita-
, tis adducam. Antiquiſſimi moris eſt, ut ve-
, nerabile hoc caput ſingulis annis, a primis
, veſperis diei feſti S. Mariae Aegyptiacae uſq.
, ad diei octavae ſolis occaſum, argentea the-
, ca contectum ſummo altari a fidelibus proſpi-
, ciendum venerandumque committatur; atque
, praefatis diebus elapſis, a loci Guardiano mo-
, nialibus, Sacrario reddendum, reſtituatur.
, Cumque anno a Virgineo partu MDXLII. Pa-
, ter Fr. Jacobus Matalonicus, Franciſcanus
, Conventualis, hujus tunc loci Guardianus ſa-
, cris veſtimentis indutus, incenſa huic ſacro
, capiti, de religioſiſſimo more, ipſo die octa-
, vae propinaret; intra ſe haeſitare atque dice-
re coepit: quis novit ſit ne hoc caput alicu-
jus Sanctae, vel alterius potius, cui tantus
honor minime debeatur? & ecce ex tem-
pore amiſſa loquela, adeo graviter atque
miſere agitari conflictarique coepit, ut ipſum
, quam breviſſime moriturum exiſtimaſſes.
, Commoto itaque populo, qui ad ſollemnita-
, tem convenerat, atque de tantae rei novitate
, ſtupefacto, occurrit Fr. Caeſar a Cajazo mo-
, nialium Confeſſarius, praeſagoque animo cla-
, mitare coepit: Firmiſſime credo hoc verum
, eſſe caput S. Mariae Aegyptiacae: ſumptam-
, que ex ipſo aquam, quam de induſtria effude-
, rat, patienti obtulit, qua hauſta illico conva-
, luit, ſuamq. incredulitatem publice faſſus eſt:
, a quo etiam tempore tantum hoc pignus ma-
, jori in veneratione a fidelibus haberi coepit.

Eamdem plane narrationem & in noſtro Caeſare de Engenio reperies, qui 46. poſt Gonzagam annis ſuam *Neap. ſacram* edidit. In hujus narratione incredulus ille Guardianus non *Jacobus* vocatur; ſed *il Padre Franceſco de' Madaloni*. Deinde illud Gonzagae obſcurius, *Sumptamque ex ipſo aquam, quam de induſtria effuderat &c.* ſic clarius eloquitur: *Pigliò l'acqua, con la quale induſtrioſamente haveva bagnata la teſta della Santa, e la diede all' incredulo monaco.*

Digitized by Google

rum doctissimum & amicissimum Josephum Assemanum Biblioth. Vaticanae Praefectum reperio to. 3. Biblioth. Orient. ad Catalogum Ebed Jesu pag. 286. col. 2. initio. *XXXV. Vita S. Mariae Aegyptiacae, quae scripta dicitur anno Martyrum* 1001 *h. e. Christi* 1286. *Cod. Arab. Vat.* 152. Quod sic accipio, ut eo anno transcripta ea vita fuerit: sed quampridem & a quo fuerit eadem composita, & utrum de Graeca, quam nunc legimus, transfusa in Arabicum fuerit, an vero diversa, id vero juxta cum ignarissimis scio. Vel si vero non aliud ea sit, quam Graecae sive mera interpretatio, sive epitome, non parum inde utilitatis allatum iri puto, siquando Latine reddita lucem aspiciat.

Sicuti & Latina Pauli Neapolitani interpretatio quantum lucis afferre possit ad Graecum ejus vitae textum sive corrigendum sive elucidandum, ex paucis heic ad specimen subjectis animadversionibus perspici poterit. Nec enim persequi omnia curae fuit, sed ut quidque movere salivam maxime videbatur. Quae pauca non in alium heic finem posui, nisi ut exsistat aliquis nostrorum hominum (apud quos antiqua est cultus hujus sanctiss. Ascetriae possessio) qui Graecam ejus vitam ad Mss. codices & Pauli interpretamentum emaculatam junctim cum Paulo edat. Atqui operae pretium esset, si hoc omnes institutum sequerentur, ut in iis Graecis monumentis, quae veteres nacta sunt interpretes, eas potius priscas translationes e regione auctoris sui ponerent, quam quae heri aut nudius tertius prodierunt. Quantum vero translationes veteres illae, quantavis barbarie diffluentes, in omnes partes utilitatis apportent, ii solum judicare queunt, qui ex eis proficere consueverunt. Easdem vero alieno in loco sepositas (praesertim ubi volumina sunt ad tractandum ponderosiora) facile prae taedio contemnimus. Quod & usu heic mihi venit, carptim (nec enim passim id potui) Graeca cum veteribus Pauli Latinis comparanti.

Et Pauli quidem translationem ex Rosveidi Vitis Patrum ad manus habui, ubi ea vita in XXV. capita dispescitur: Graecam vero vitam ex unica Papebrochiana editione ad calcem tom. 1. Aprilis: qua in editione eadem vita in sectiones XL. dispertitur. Haec altera divisio, utpote minutior, visa mihi fuit ad citandum commodior. Quocirca in sectionibus earumque versibus indicandis Latina Pauli ad Graeca Papebrochiana referri jubeo. Qui potuissem etiam Rosveidanae editionis numerum capitum indicare, si id initio providissem, quum ad commentandum accessi.

§. 2. *Photii locus: deq. styli diversitate inter Hierosolymit. Sophronium, & vitae hujus auctorem. De vitae hujus Graecae elocutione, & veteris interpretationis indole.*

Praeter ea argumenta, quibus sup. cap. 4. hoc scriptum Hierosolymitano antistiti Sophronio abjudicavimus, possum & hoc afferre, quod a stylo petitur. Nam de Patriarchae illius dictione haec apud non ineptum harum rerum aestimatorem Photium Cod. 231. (ubi epistolam ejus Synodicam ad Honorium Papam recenset) reperio: Ἐνασπαρίζει τοῖς ῥήμασι, καθάπερ τις πῶλος γαυριώμενος τοῖς σκιρτήμασι. *In verbis novitatis studio capitur, tamquam quis efferens sese in saltus equuleus.* Hunc, inquam, characterem quum nusquam in hac vita liceat animadvertere; ex eo etiam merito Hierosolym. Sophronium de hujus scripti possessione dejecerimus. At fortassis respondebitur, non esse certum, utrum Sophronius jam Patriarcha factus suo ipse stylo eam Epistolam exaraverit, an alieno: deinde aliud esse vitam simplici dictione atque historica scribere, aliud de Fidei controversiis cum Rom. Pontifice agere. Verum etsi Hierosolymitani Praesulis scripta nulla ad manus habeo, tamen ex duobus ejusdem fragmentis in VII. Synodo recitatis facile quivis aestimaverit, primum immane quantum horum fragmentorum dictionem a vitae Aegyptiae elocutione dissidere: deinde eorundem duo-

Digitized by Google

duorum Patriarchae illius fragmentorum dicendi genus tale ſine ulla controverſia videri, quale vivis coloribus exhibuit Photius. Quid enim aliud ſunt tot illa incisa, quibus prooemium laudationis in SS. Cyrum & Joannem contexitur, niſi totidem σκιρτήματα (*ſaltus*) quibus veluti ſaltabunda ingreditur oratio? Deinde quid hac hyperbole audacius, ubi templum quoddam τῇ ὕψει τῶν ὀρέων αὐτῶν ἐφαπτόμενον, *caelum ipſum culmine pertingens* (idque ſine conſueto ullo temperamento) dixit? Poſtremo in ead. laudatione verba nova non pauca numerare poſſim. *Itaque* talis omnino Hieroſolymitae illius character ſcribendi fuit, qualem in ea epiſtola Photius deprehendit. Nihil vero tale in hujus Aſcetriae vita uſquam *dignoſcitur*.

Nec continuo tamen vita haec genus dicendi abjectum aut plebejum complectitur, ſed mediocre tamen ac temperatum, ſuaq. ſponte fluens, & ad pietatem compoſitum. Cujus auctorem fuiſſe quemdam *S. Sophronium Monachum* in Faſtis hiſce marmoreis ſignatum, ſup. cap. IV. conjecimus. Et certe monachum fuiſſe hunc ſcriptorem, haud obſcure ex rituum (47) monaſticorum curioſa paſſim deſcriptione agnoveris; etſi non ejuſd. (quod cenſuit Papebr.) monaſterii prope Jordanem, in quod poſt annos 53. tranſmigrans Zoſimas, in eo vitam finivit, incolam; quia de eis monachis ſic (48) loquitur, quaſi non unus ex illorum numero fuerit. Sed hujus tamen auctoris monaſterium in Palaeſtina fuiſſe, non vana (49) eſt auguratio.

Neque is porro ſegnem, ut illis temporibus, interpretem nactus eſt Paulum Neapolitanum diaconum, de quo cap. V. praediximus. Is ſententiae plerumque quam verborum tenacior, auctoris ſui ſenſa non admodum infeliciter exprimit; a quibus raro admodum uſque eo aberrat, ut id imperitiae, ac non potius diverſae lectioni, ſit adſcribendum. Etſi tamen offendit interdum, quippe Graecae proprietatis haud admodum gnarus, in rarioribus vero dictionibus hoſpes, quas plerumque tentabundus cum Latinis permutat: omnino nec Gracce nec Latine ſatis doctus, ſed quales infelix illa aetas proferebat viros, non aliis ferme adjumentis ad haec ſtudia inſtructos, quam jejunis quibuſdam Gloſſariis; de quorum indole ex iis, quae adhuc reſtant, exiſtimari poteſt.

Ceterum etſi inter hunc interpretem & Graecam Papebrochii editionem non parum diſcrepat; tamen id totum, quantum eſt diſcidii, non tam pugnantes ſententias invehit, quam eo pertinet, ut modo plura in interprete ſint quam in Graeco, modo contra quaedam Graece legantur, quae interpres non attigit: a quo interprete etiam ſectio 40. ſive ultima Papebrochianae Graecae editionis abeſt.

(47) Multus eſt hic noſter in monaſticis deſcribendis moribus, ut in τῶν βαλαίων μοναστρίων, & petendae dandaeque orationis, & aliis fere quam plurimis ritibus, maxime poſterioris monaſterii Zoſimae: quae vitam legentibus paſſim occurrent.

[48] In hac vita num. 41. ſic ſcribitur: Ἐγγράφως δὲ οὐδὲν ΗΚΟΤΣΑΝ πώποτε παραδόσασθαι &c. *Neminem vero* [monachi illius monaſterii, in quo Zoſimas obiit] *ad* DIVERUNT *hanc* (vitam) *ſcripto conſignaſſe*. Vides ut ſe ab illius monaſterii monachis diſcernat: alioqui ſcripturus, ἤκουσα *Audivi*, aut ἠκούσαμεν *audivimus*.

[49] Poſſunt Hieroſolymitanae locutiones in hoc ſcriptore animadverti. Tale eſt illud ἀνιέρχεσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα, *Aſcendere in Hieroſolyma*: quod bis legitur, num. 19. & 21. Quae κυριολογία [*loquendi proprietas*] peculiaris eſt ſcriptorum Hieroſolymitanorum, etiam in N. T. uſurpata. Vrbs enim ſancta in edito eminebat, comparata cum ceteris Judaeae locis, maxime autem cum Aegypto; ad quam qui ex Aegypto pergebant, ii *deſcendere* paſſim in ſcripturis dicuntur. Poſſim & alias huc locutiones afferre, quae videntur Hieroſolymitis familiares fuiſſe. Cujuſmodi & hoc eſt quod *Zoſimus* huic *Zoſimas* vocatur [de quo ad calcem Adnot. ſeq] & quod num. 31. Judaea vocatur ἰουδαία.

Digitized by Google

§. 3. *Ad sect. 2. De duplici Zosima. De haeretico* Zosima *sive* Zosimo.

Paulus interpres num. 2. sic incipit: *In Monasterio Palaestinorum* (Gr. *ἐν τοῖς κατὰ Παλαιστίνην μοναστηρίοις, in Palaestinae monasteriis*: at fort. Paulus scripserat, *In QVODAM monasterio &c.*) *fuit vir ... nomine Zosimas. Et nullus nos aestimet dicere Zosimam illum, in praedicationis erroneae dogmatibus accusatum SECTAE ALTERIVS* [sic verbo reddidit, quod Graece est *εἰς ἑτερόδοξον*] *alius enim hic & alius ille, & multa inter utrosque distantia; licet unum utrique sortiti sint vocabuli nomen. Hic itaque Zosimas ab initio in uno Palaestinorum conversatus est monasterio* &c. Sane notandum est, auctorem heic nomen monasterii fuisse designaturum, si sciviſſet. Verum hoc fidem narrationi non derogat: nam Zosimas post elapsos annos LIII. monasterium prius reliquerat, & in aliud commeaverat, in quo ad finem usque mansit. Monachis autem posterioris monasterii, a quibus has narrationes scriptor didicit, latebat prioris monasterii nomen, quia illud patefacere Zosimas noluit. De quo vide num. 4. medio. Verum haec obiter.

In discrimine autem *Zosimae duplicis*, eâdem formula Noster utitur, atque in optimis ejusdem & superioris aetatis auctoribus usurpatam reperi (*ἄλλος γὰρ ὅσος καὶ ἄλλος ἐκεῖνος* &c. *alius hic, alius ille*) quoties unum, de quo loqui incipiunt, ab alio cognomine, sed tamen celebri, distinguere satagunt. Nunc illud est inquirendum, ecquis ille alter celebrior *Zosimas* haereticus fuerit, a quo monachum sedulo discernere Auctor pensi habuit: de quo nemo, quod sciam, se anxium praestitit. Quaerendus est autem *Zosimas* qui hos characteres habeat, ut fuerit haereticus, ut non incelebris (alioqui non necesse erat inter utrumque distinguere, nullo imminente periculo, ne monachus cum alio obscuriore Zosima confunderetur) & ut antiquior monacho fuerit. Hoc ultimum colligitur ex Gr. ΠΟΤΕ *διεβλήθη, QVONDAM accusatum ut heterodoxum*. Is autem non alius mihi videtur, quam ille *Zosimus*, haereticus Arianus, urbis hujus Neapolitanae pseudoepiscopus, in locum S. Maximi Mart. intrusus circiter an. 359. Eum celeberrimum Divini Numinis animadversio reddidit, quam ex Libello precum Marcellini & Faustini [50] lector cognoscere poterit. Ea inquam Divina punitio sacerdo-

(50) In eo libello circa medium sic legitur. „ Sanctus vir Maximus Episcopus, cujus supra „ meminimus, „ (*iis verbis, quae nos supra in Adnotatis retulimus ubi de S. Rufino ad VII. April.*) „ fidem vindicans rectam, consortium„ que reprobans haereticorum, ductus est in exi„ lium. In loco ejus praevaricatores ordinant „ nomine ZOSIMVM, qui & ipse prius quidem „ Catholica vindicabat. Res ista in Neapoli ci„ vitate Campaniae acta est. Cognoscit hoc S. „ Maximus, & de exsilio scribens dat in eum „ sententiam, non solum Episcopali auctori„ tate, sed etiam aemulatione ac virtute Mar„ tyrii ruens in gloriam Divinam. Sed post ali„ quot annos B. Lucifer de quarto exsilio Ro„ mam pergens, ingressus est Neapolim Cam„ paniae; ad quem Zosimus venire tentavit, illa „ forte fiducia, qua scil. jam de impietate cor„ rexisse videbatur. Sed hunc Lucifer confes„ sor suscipere noluit, non ignorans quae gesse„ rat. Imo & S. Spiritus fervore Episcopi & „ Martyris sententiam robustius exsequitur, di„ cens quod episcopatum ipsum, quem sibi ut „ adulter vindicat, speciali Dei judicio non ha„ bebit, & sic quoque sentiet poenam suae im„ pietatis. Sed non post multum tempus idem „ Zosimus, quum in coetu plebis vult exsequi „ sacerdotis officia, inter ipsa verba sacerdo„ talia ejus lingua protenditur, nec valet eam „ revocare intra oris meatum, eo quod contra „ modum naturae extra os penderet, ut bovi „ anhelo. Sed ut vidit, se linguae officium per„ didisse, egreditur Basilica, & res mira! so„ ris iterum in officium lingua revocata est. Et „ primum quidem non intelligitur, in eum com„ pleri sententiam Martyris & Confessoris. Sed „ quum hoc ipsum toties iterum patitur, quo„ ties in Basilicam diversis diebus intrare tenta„ vit, ipse postremo recognovit, ob hoc sibi „ linguam inter pontificii sollemnia verba dene„ gari, ut sanctorum episcoporum in eum rite „ prolatam sententiam probaret. Denique cel„ sit

cerdotem infeliciſſimum eo uſque nobilitaverat, ut ſcriptor hic neceſſarium duxerit ſuum hunc Zoſimam ab illo altero famoſo ſejungere, nequis nefarium haereticum heic laudari ſuſpicaretur.

§. 4. *Ad priores tres vitae ſectiones. Graeca ex Latino, ut & Latina ex Graeco, ſupplentur aut emendantur. Chronotaxis annorum Zoſimae.*

Num. 1. v. 22 καὶ ἀπιστῶν ... ἔμοι δοκεῖ ἔχειν τὸ εὔλογον· *Rebus talibus fidem derogare, non mihi videtur, rationi conſonum.* At Paulus: *Ejus ... qui incredulus eſt ... non mihi pertinebit periculum*: quid ſecutus, non aſſequor. An in ſuo libro legerat, εὐλόγως pro τὸ εὔλογον? Atqui ſic quoque ἔχειν εὐλόγως neutraliter erat *rationi conſentaneum eſſe*. Verum Paulus ſic verba fort. conſtruxerit, οὐκ εὐλόγως δοκεῖ ἔχειν μοι, *non jure videtur ad me pertinere*. Raro huic parem ἀσυχασίαν in hoc interprete reperies. Hinc poſt tres verſus plura in Graeco deſunt, quae in Interprete in hunc modum habent, *Faciatque capaces ſanctis verbi, ne rei exſiſtant Dei miraculorum, quae plura in ſuis fieri praedeſtinavit electis*. Et in fine ſectionis haec quoque in Graeco deficientia admetitur Noſter: *Magnum virileque certamen venerabilis Mariae Aegyptiacae, videlicet qualiter expleverit tempora vitae ſuae.* Quae ex ipſius Graeci auctoris manu profecta cenſeo; alioqui hoc totum prooemium propoſitione carebit.

Num. 2. v. 13. vetus interpres de Zoſima ſic poſuit: *Omne enim praeceptum ſibi traditum canonis* (hactenus non male: quae ſequuntur, non item) *ab his qui ab infantia educati ſunt, luctam perfectae diſciplinae monachicae irreprehenſibiliter conſervabat*. Verum haec poſteriora Graece ſic concipiuntur, ὑπὸ τῶν πρὸς τὴν παιδοτριβησαίτων ἐφύλαττεν, h. e. (ut etiam ſuperiora interpreter) *Omnem traditam Regulam ab iis, quibus ad talem ſibi peculiarem palaeſtram inſtruere curae erat, cuſtodiebat*, ille Zoſimas ſcil. At Paulus longius abiit. Verum quo propius abſit, tollenda eſt diſtinctio ante *Luctam*; quae vox regenda eſt ab *Educati ſunt*, non a *Conſervabat*. Nam huic auctori *Educari* tantumdem quod *Edoceri*. Sic num. 1. *Divina agere ... educatus* i.e. edoctus, Gr. μεμαθηκώς. Sic etiam heic, *Educati* (h. e. edocti) *ſunt luctam* &c. Sic omnia pulchre procedent: niſi quod in eo ſolum Noſter offendit, quod illud παιδοτριβησαίτων paſſive tranſtulit, quum non ſit neutrum, ſed activum; nec ſit *diſcere*, ſed ſit *docendi* verbum, idque ex palaeſtra translatum. Mox aliqua Paulus affert, quae Graece non leguntur: quae adſcribere non refert (ſicuti nec illa quae interdum pluſcula in Graeco ſunt) niſi ſicubi id magnopere intererit, cujuſmodi eſt quod ſequitur.

Nam in fine ſectionis hujus ſic Graece legitur, καθάπερ ἔφησεν ὁ Κύριος, *ſicut di-*

, ſit epiſcopatui, ut lingua, quae ceſſerat, red- , deretur. Non res antiquas referimus, quae , ſolent quadam ratione in dubium venire. Nam , & Zoſimus hodieque in corpore eſt, uſum jam , linguae non amittens, poſtquam maluit cū epi- , ſcopatus amiſſione vivere dolens ſuis impieta- , tibus.

Nec refert, quod is, de cujus fato Libellus Marcellini narrat, *Zoſimus* (Ζώσιμος) vocetur, hic vero alter, inclinatione diverſa, *Zoſimas* Ζωσιμᾶς. Nam revera *Zoſimas* & *Zoſimus* unum idemque eſt nomen, ſola dialecto variatum. Nam quae apud Graecos in ΟΣ deſinunt, ea ſolent a Syris, maxime Palaeſtinis in ας terminari, ut *Lucas* pro *Lucius*, *Theudas* pro *Theodorus*, *Epaphras* pro *Epaphroditus*. Neque ubi id accidit, ſemper pars ultima nominis abſcinditur; quod cenſuit Grotius ad initium Evangelii Lucae. Nam & ſine ullius ſyllabae detrimento ex *Ruſo* immutatur *Rufas*, & heic ex *Zoſimo Zoſimas*. Quocirca ne dubita, quin uterque *Zoſimas* (quorum heic inſtituitur comparatio) Ζώσιμος *Zoſimus* a noſtris ſit nuncupatus. Proinde nihil magnopere cauſae fuit, cur quidam Baronium reprehenderint, quod hunc *S. Zoſimam* cum Aegyptia collocutum ſub *Zoſimi* nomine Martyrologio inſeruerit; re enim vera *Zoſimas* & *Zoſimus* unum idemque eſt nomen, uti ſatis oſtendimus. Ceterum S. Zoſimas [de quo haec vita loquitur] non tantum apud Graecos, ſed etiam alicubi apud Latinos olim cultū obtinuit.

Digitized by Google

dixit Dominus, quum tamen nec superiora, nec quae sequuntur, ex Evangelio petantur. Quare deest Graece Evangelii locus, ex Paulo supplendus, qui sic posuit: *Si enim, ut ait Dominus, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; quanto magis &c.*

Num.3. initio Graece scribitur, ἐξ ... πατρικῶν ὀγκαλῶν, *ex paternis ulnis.* Sed in Bavarico legi μητρικῶν, subnotat Papebr. quod rectum esse Pauli interpretatio arguit, *Ab ipsis, ut ita dicam, maternis ulnis.* Verum quid hoc est *A maternis ulnis* Zosimam fuisse monasterio traditum? Laxe est hoc interpretandum, itaut septennis verbi causa, aut summum duodennis in coenobium intraverit. At Papebrochii rationes nimio laxiores quis admiserit, Zosimam septemdecim annos natum trudentis in monasterium? quem vide in Comm.praev.ad finem n. 8. Estne hoc, *A maternis ulnis* abstrahi quemquā? At inquit, de senio is conquerebatur in suo cum Aegyptia colloquio: quocirca necesse erit, tunc fuisse septuagenarium: totidem autem anni confient, si annis 17. addas alios 53. quos in priore coenobio vixit. Atqui nonne etiā sexagenarius, aut annos 65. natus, *senex* dici poterat, praesertim si vitam duriter h.e. ascetice transactam addas? Ex his autem intelligitur, non annos dumtaxat XXX, sed facile ad XL. aut saltem XXXV. Zosimam Aegyptiacae supervixisse (ut qui prope centenarius obiisse dicitur) proinde ab hujus morte aliquanto propius abfuisse scriptorem vitae, etiam si non ante annum Christi sexcentesimum scripserit.

In eo autem quod statim heic sequitur, Zosimam *usque ad tertium supra quinquagesimum annum* in priore monasterio in ascetican vitam incubuisse; noli id de vitae totius summa accipere, sed de annis quos in eo coenobio traduxerat. Alioqui si tantum 53. aut 54. annos suae vitae in primo suo cum Ascetria congressu numeraret (nam ex num.6. & seq. colligitur in primum incolatus in monasterio posteriore annum conferri debere iter illud Zosimae, in quo nactus est Aegyptiam) is tum dici senex minime potuisset.

§. 5. *Ad sectiones* 4. 5. 6. 8. 10. *Quid* βαλεῖν μετάνοιαν, & αἰτεῖν εὐχήν: *quid* Psallentia, Regia, Occidens. *Vterq.textus ex altero corrigitur.*

Num.4. quid sit, βαλεῖν μετάνοιαν (quod passim in hac vita legitur, & alicubi προιέναι μετάνοιαν) notum est ex libris ritualibus Graecorum, quibus adde Rosweidi Onomasticon in *Metanoeam mittere*, Suicerum, Goarum ad Eucholog. & Cangium in μετάνοια. Sed vel si nemo id antea exposuisset; id optime ex hoc interprete discerneremus, qui eam locutionem reddidit hac alia *Genu flectere* (at num.13. *prostrare se*) qua genuflexione erga Hegumenum monachi tum discessuri, tum etiam accessuri utebantur. Ex quo interprete hoc etiam discimus, fuisse hanc μετάνοιαν majorem. Nam duum generum erant, *majores* sive τρανὰι, & μικραὶ *minores*, quae capitis flexione perficiebantur. Heic etiam & in hac tota vita occurrit & alter ille ritus τὸ αἰτεῖν εὐχήν, h. e. *petendi benedictionem* ab Hegumeno, quod Paulo dicitur *petere orationem*; ut & *dare orationem* dicitur ipse Hegumenus. Nam ut Graecis in hoc ritu εὐχὴ est *benedictio* (quippe quae oratione, cujus infra specimen habes, perficiebatur) sic apud Latinos *Oratio* eo sensu usurpabatur, uti leges in Cangii Lat. Glossario in *Oratio*.

Num.5. quae Graece dicitur Ψαλμῳδία ea interpreti est *Psallentia*: quod & reperitur in Epist.3. Damasi: *Peto ... ut ... Graecorum psallentiam ad nos dirigere tua Fraternitas dignetur.* At posterioribus neutrum *psallentium* usitatius fuit.

Num.6. quam Auctor πύλην portam monasterii vocat, eam vetus interpres *Regiam* appellat, ex more scil. sui saeculi, quando *Regia* de porta primaria sive Basilicae sive monasterii usurpabatur.

Num.8. v.5. Paulus interpres ait: *Revertebantur autem, unusquisque habens proprii laboris testem propriam conscientiam.* Nam is in suo codice sic videtur legisse: ἴχνη

Digitized by Google

ἔχων δὲ ἰδίαν ἐπίσκοπον γεωργίαν [h. e. *sui speculatricem laboris*: pro quo nunc prave scribitur τῇ ἰδίᾳ σκοπῇ γεωργίαν] τὴν ἰδίαν συνείδησιν.

Num. 10. v. 9. πρὸς μεσημβρίαν βαδίζοντα, *meridiem versus euntem* personam ignotam Zosimas conspicatur. At Noster reddidit, *properantem ad partem occidentis*. Nec est verisimile in Graeco δύσεως & μεσημβρίας vocabula, satis inter se distantia, potuisse a librariis permutari. Ceteroqui re vera meridiem versus ab illa itum fuisse videtur: alioqui quid Zosimae opus fuisset eo versus currere, quam manere venientem poterat? Itaque *meridiem* versus Aegyptia properabat: ac sane videndum an non aevo Pauli *Occidentis* vocabulum etiam meridiem complecteretur; maxime quum ex Scriptura didicissent, meridiei horam dici *vesperam*, ubi de agno *inter utramque vesperam* mactando agitur. An potius ea fuit apud quosdam cardinum summa divisio, in orientem & occidentem?

Ibid. v. ult. pro θεωρὸς καὶ ἐπόπτης vetus interpres posuit *Profectus*. An scripserat *Prospectus*, sive potius *Prospector*? Ita plane.

§. 6. *Ad sectiones* 11. 12. 13. 15. 17. *Variantes utrinque lectiones illustrantur: textus utrique corrigitur: quid* Divinitas, *&* συμπάσασθαι.

Num. 11. v. 3. ἐπὶ τὸ τῆς ἐρήμου ἐνδότερον. At interpres, *Apud inferiorem solitudinem*. Cor. *Interiorem*.

Ad finem ejusdem sectionis, locum de χειμαρροώδει alveo, de quo alibi diximus, sic reddidit Paulus: *Venerunt currentes in quendam locum, in quo quasi aridus torrens designabatur* (Gr. ἐπιτύπου i. e. *signabatur* aut *speciem praeseferebat*) hactenus cum Graeco convenit, non item in iis quae sequuntur Graece in hunc modum: ὃ μὲν δοκεῖ ποτὲ γενάμενος χείμαρρος (πῶς γὰρ ἐν ἐκείνῃ τῇ γῇ φανήσεται χείμαρρος;) ἀλλὰ πάσως τοιοῦτος ἔλαχε τόπος. Quae totidem verbis hoc sibi volunt: *Non mihi videtur umquam fuisse torrens* (*quomodo enim in illa terra appareret torrens? sed locus talem sortitus est positum*. At longius abiit Paulus sic transferens: *In quo fuisse torrentem considerabit: sed locus ille talem convenit, ut haberet similitudinem, quomodo in terra illa apparebat*. Aut igitur Interpres ab auctoris mente aberravit, aut Graeca sic paullo aliter in suo legit: ὃ μὲν ἐδόκει ποτὲ γενόμενος χειμ. ὡς γὰρ εἰ ἐν ἐκ. τῇ γῇ φαν. χείμ. τοι. ὁ τοπ. ἐλ. θέσ. Quae ad verbum sic sonant: *Ubi quidem videbatur fuisse torrens: nam quasi si in illa terra appareret torrens, talem locus sortitus est positum*. Quae sensu eodem, etsi verbis paullo diversis, in Paulo sunt.

Num. 12. v. 3. pro κεκμηκὼς i. e. *lassus* legit in suo Paulus κεκραγὼς, qui vertit *clamans*. Vtrumvis autem contextus admittit: Ibid. v. 4. ante finem Zosimas ὀξὺς ... καὶ πρὸς τὰ θεῖα σοφώτατος dicitur, eoque de Aegyptiae spiritu recte judicasse. Quae Graeca ita pulchre reddidit Noster: *Strenuus ... & DIVINITATIS dono prudentissimus*. Quo loco *Divinitas* est facultas illa, quam nos *Theologiam* vocamus: sed scriptores XII. saeculi ac deinceps eamdem disciplinam *Divinitatem* vocabant (id quod & hodie sermo Etruscus usurpat) atqui jam tum IX. saeculo eamdem notionem ei voci subjectam fuisse, hinc discimus.

Num. 13. v. ult. μετάδος εὐχῆς τῷ δεομένῳ τῆς σῆς ἀγαλλιάσεως. Sed in Bavarico legi πλησιάσεως, admonet Papebr. Idque adprobat Paulus, sic transferens: *Et orationem tribue* (i. e. *benedic*: vide sup. ad num. 4.) *indulgentiae tuae perfectionis*. Nisi quod vicissim Noster ex Graeco est corrigendus, scribendumque *Indigenti* pro *Indulgentiae*, quod nunc in editis sine ullo commodo sensu legitur.

Num. 15. v. 5. Graeca sic vetus interpres transtulit: *Ad orientem conversa* (Aegyptia) ... *coepit orare motu tantum labiorum in silentio*. At Graece ὑποψιθυρίζουσα h. e. *susurrans* aut *submurmurans*: quam vocem non tenuit Paulus. Sequitur: *Vnde et Zosimas nulla potuit verba ex ipsa Oratione agnoscere*. At hoc ultimum ver-

Digitized by Google

verbum Graece erat σημειώσασθαι, quod poteſt quidem id ſignificare, quod vult Paulus: ſed tamen videndum, an non heic tantumdem ſit quod *per σημεῖα* h.e. *notas excipere*. Quod enim ex ea oratione nihil Zoſimas notis exceptum referre in adverſaria potuerit, hanc vitae ſcriptor cauſam affert, cur de ea oratione nihil in hac vita proditum fuerit. Quod ſi vera ſit haec interpretatio; tum neceſſe erit, attuliſſe ſecum pugillares Zoſimam, in eiſque res Aegyptiacae leviter adumbraſſe, quas ſuo tempore monachis ediſſereret. Ex quo ſequeretur, quod num. 41. in Graeco dicit auctor, nihil dum ſcriptum de Aſcetria fuiſſe, intelligendum eſſe de juſta hiſtoria, nec excludi commentaria, quae Zoſimas a ſe notis tachygraphicis adumbrata in monaſterium attulerit. Mox v. 7. ante finem pro σύντυχημα (quod nihil eſt) legit, opinor, Paulus σύστιχισμα; nam reddidit *Circumdata*, utique pro *circum munita*. In fine ſectionis ejuſdem notandus eſt ritus quo Aegyptia ſibi crucem ſignavit, *Signat*, inquit, *ſe ſigno crucis in fronte, oculis, labris, atque pectore*.

Num. 17. v. 10. ad illa σκεῦος ἐκλογῆς &c. mendum typographicum interpreti inſidet: *Quid enim potero gloriari, quae diabolo vas tui* (cor. *fui*) *electionis effecta?*

§. 7. *Ad ſection.* 18. & 20. *Vterque textus corrigitur & illuſtratur.* Σεμνὸς *pro* Oneroſus: *quid* ὑπόκαυμα, & σκάμμα: *novum jurisjurandi genus*: εἱρμὸς *pro* Sequentia: πληροφορία & Satisfacio: ὑλακάω *interdum eſt* Fuſus.

Num. 18. v. 7. τὸ γὰρ νῦν εἰπεῖν ὑπάρχει σεμνότερον, *hoc enim nunc grave ad dicendum* (ſeu dictu) *fuerit*. Novus eſt vocis σεμνὸς uſus, quae quidem de morum aut orationis gravitate uſurpatur: at heic eſt *gravis* h. e. φορτικὸς *oneroſus*. Vnde & Paulus reddidit, *Hoc autem NON BREVE eſt dicere*. Qui ideo ſic vertit, quia illud ſequebatur, *Illud autem citius* (imo *brevius*, Gr. συντόμως) *dicam*.

Ibid. v. 11. Aegyptia ait, *Septemdecim annos perſtiti, publicum proſtans impudicitiae* ὑπόκαυμα. Vltimam vocem videtur Paulus ſive in ſuo legiſſe ὑπόκαυμα, ſive ita legi debuiſſe arbitratus, nam reddidit: Decem & ſeptem & eo amplius *annos tranſegi publice IN INCENDIO* (quod reſpondere voluit Graeco illi vocabulo) *jacens luxuriae*. Sed verius eſt, legendum eſſe ὑπόκαυμα i. e. *fomes, ſuſcitabulum, igniculus, fax*, quidvis demum quo ignis ſuccenditur. In vetere Onomaſtico, Ὑπόκαυμα, eſt *Subuſtus* (ſubſtantive, ſcil. pro *Subuſtio*) *Incitabulum*. Ac ſuſpicabar equidem etiam ὑπόσκαμμα heic legi potuiſſe: quod quale (51) ſit, longum fuerit

[51] Videndum eſt, inquam, an non legendum ſit ὑπόσκαμμα, ac reddendum, *Publicum proſtans incontinentiae ſtadium*. Et σκάμμα *ſcamma* quidem eſt unum ex uſitatiſſimis palaeſtrae vocabulis, quo ſignificatur locus, in quo athletae decertabant; quem S. Ephrem Syrus initio lib. *de luctа ſpirituali* ſic definit: *Scamma eſt autem, fratres dilectiſſimi, medius locus, in quo athletae luctantur*. Atque ea vox Graece *foſſam* proprie deſignat. Hinc quia locus agonis in foſſae ſpeciem depreſſior erat, hinc σκάμμα pro loco ipſo certaminis uſurpabatur. Quam vocem poſteriores in Latium intulerunt; nam utitur Tertullianus, Hieronymus, & Coelius Aurelianus. Qui plura de *Scammate* ſcire cupit, adeat H. Stephani & Suiceri Thes. Fabri Agoniſt. Voſſii Etymologicon, & alios plures. Vt autem loci, in quo verſamur, elegantiam proprietatemque pernoſcas; ſciendum eſt, eam vocem etiam in agone σοφιστῶν fuiſſe uſurpatam: cujus rei fidem faeit Heſychius, apud quem & σκάμματα ſunt ἀγῶνες, ἕδρα; & σκαμμάδες ſunt πόρναι. Vnde apparet, apud Alexandrinos [unde domo Heſychius erat] meretrices dictas fuiſſe σκαμμάδας, *ſcammades*, utique a *ſcammate*, quatenus id vocabulum ad meretricia trahebatur. A σκάμμα vero non video, quin pulchre formaretur compoſitum ὑπόσκαμμα; quod eſt, ἐμφανακώτερον, & huic loco convenientius. Et id quidem vocabulum in re tali & in ore Alexandrinae olim mulieris non male heic locum habuerit; nec mirum a Paulo non fuiſſe intellectum, qui penitiora Graece linguae adyta non attigiſſet. Interim tamen hanc conjecturam abjicio: &, eodem Paulo duce, ὑπόκαυμα ſcribi malo.

Digitized by Google

fuerit dicere : sed praeferendum est tamen ὑπέκκαυμα. Post recitata verba statim subjicitur, ὁ δόσεως ψυος, μὰ (52) τὴν ἀλήθειαν, ἕνεκεν : quod totidem verbis sonat, *Non ullius mercedis gratia, non plane per* (jurantis significatu) *Veritatem*, sed quo plures amatores allicerentur. Novum plane fuerit istud jurisjurandi genus, *Per veritatem*. At Paulus pro μὰ τὴν ἀλήθειαν videtur legisse μὰ τὴν παρθενίαν, qui sic posuit *Virginitatem meam perdidi*.

Num. 20. v. 3. ait Zosimas, Ne interrumpas τὸν εἱρμὸν ... *narrationis*. Εἱρμὸς nihil est : nec dubium est, quin legendum sit τὸν εἰρμὸν i. e. *seriem*. Id vocabulum qua dixi notione apud profanos non est inusitatum : at apud liturgicos Graecorum scriptores tritissimum. Est autem εἱρμὸς hymni genus, seu Troparium dans normam cantus tropariis subsequentibus. Zonaras in prooemio commentarii in Canones Anastasimos Damasceni apud Allatium sic definivit : Εἱρμὸς (*Hirmus*) *appellatur, quod* [ἀκολουθίαν] *consequentiam quamdam & ordinem cantici & consonantiae tribuat consequentibus post se tropariis*. Ac Meursius quidem in suo Glossario *Hirmum* Latinorum *Tractui* respondere jussit : quod non admittit Allatius, quum a *Tractu* (ita dicto, quod *tractim* caneretur) nihil normam modulationis accipiat. Itaque, opinor, magis est ut Graecorum *Hirmus* Latinorum *Sequentiae* aequiparetur, tum quia in sequentiis ad primae *strophae* modulationem sequentes conformari solent, tum etiam quia in adscripto loco Zonaras *Hirmum* ἀκολουθίας *sequentiae* vocabulo declaravit, tum postremo, quia quod heic vitae Auctor εἱρμὸν i. e. *seriem* (nihil de liturgica significatione ille quidem cogitans) appellavit, id Paulus Latine *Sequentiam* (in editis est *Sequentia* neutraliter) nuncupavit, vertens, *Ne praetermittas sequentia tam salutiferae narrationis*. Insueverant enim liturgico illi nomini interpretis hujus aures; quod nomen quū *Sequentiae* apud aequales suos respondere sciret, ob eam causam heic quoque, [ubi tamen nihil liturgicae notionis inest] *sequentiae* vocem usurpavit. Sic erant tum interpretes : eas Latinas voces e Graecarum regione ponebant, quae plurimum iis respondebant. Sic quia πληροφορία in vet. Glossis est *Satisfacio*, idq. revera pluries significat; hinc ibi etiam, ubi est *Certum reddo*, Noster satisfaciendi verbo utitur. Sic supra num. 15. v. 20. illud πληροφορήθητι Paulus vertit *Satisfactus esto*, h. e. certum habeto. Sic quoque num. 24. v. 1. πληροφορίαν expositi *satisfactionem*. Ac mitto de similibus interpretamentis plura dicere.

Ibidem v. 6. τὸ αἰσχρὸν ῥημάτων idem reddidit *verborum meorum obscuritatem*. Vbi Surius & aliae tres editiones habent *Scurrilitatem*. *Sed Paulus* [ait heic Rosveidus] Obscuritatem *seu* Obscurritatem *a* Scurra *formaverit*. Verum nihil eo acumine necesse erat, quum facilius fuerit, Paulum scripsisse primitus *Obscenitatem* [maxime quum in Cyrilli Glossis αἰσχρὸς reddatur *Obscenus*] mox librarios, mutatis duabus mediis evanidis litteris, id mutasse in *Obscuritatem*, ratos id quadrare in supra positum Aegyptiae dictum, quod *subobscuram* haberet obscenitatem.

Ibid. v. 7. ὑλακάων [cum E pro A in altera syllaba, quomodo & in Hesychio reperitur] Paulus reddidit *fusum*, quum tamen Graeca illa vox *colum* designet. Et *colum* quidem huic loco convenientius erat : sed tamen est ubi ὑλακάτη *fusum* notet, unde & plurale ὑλακάτα Hesychius ἄτρακτον i. e. *fusum* exponit, nec immerito, quia apud Hom. bis illud ὑλάκατα cum *vertendi* verbo jungitur. Versu 12. vocem σφριγῶντας [h. e. *lascivientes*] non satis tenuit interpres, qui tentando exposuit *Acerrimos*. Mox statim sequitur

[52] Graecum μὰ est abnuentis cum juramento; nec solum apud antiquos, sed etiam serioribus in ore vulgi erat. In fragmento Limonarii S. Sophronii Hieros. recitato in VII. Synodo, monachus quidam sic jurat, μὰ τὸν ἐνοικοῦντα ἐν τοῖς ὑψίστοις, *Non, per eum qui in altissimis habitat*.

Digitized by Google

in Papebrochiana editione parentheſis, [mendoſa illa quidem, ſed quae facilis ad corrigendum ſit] in qua bis eadem ſententia inculcatur ineptiſſime: ſed poſterius tantum inciſum Pauli interpretatio agnoſcit.

§. 8. *Ad ſection.* 22. 23. 24. 25. Taxo *pro* τάσσω. *De Confeſſione & Communione Aegyptiae. Sanctum ſanctorum non ſemper impervium feminis. Quid* Fidedicere, Convenientia, Ducatrix. *Paulus pluries emaculatur. Nicenae Synodi ex hac vita teſtimonium.*

Num. 22. deſcriptio illa ingredi conantis in templum & ſecutae ſaepius repulſae paullo infelicius Noſtro proceſſit. Verſu 4. ante finem illud πεταγμένης vertit *Taxata*. *Quaſi*, inquit, *militaris multitudo eſſet taxata, ut mihi ingredienti aditum prohiberet*. A fut. enim τάξω ſibi formarunt verbum *Taxo* i. e. ordino. Huc pertinet, quod ſicuti τάσσεσθαι eſt haud raro *conſtitui*, *cenſeri*, ſic etiam in l. un. C. Th. *de comit. & archiatr.* ſcriptum reperitur *Taxari* (τάσσεσθαι) *inter vicarios*. Vt jam olim videatur Graeco τάσσω habitum fuiſſe ἀνάλογον Latinorum *Taxo*.

Ibid. v. 6. Paulus: *Et quum veniſſet hora Exaltationis Divinae Crucis*, Gr. ὥρα τῆς θείας ὑψώσεως, *hora Divinae exaltationis*. Hunc locum expendemus ad diem 3. Maii. Notandum eſt autem, a verſu 21. ſectionis hujus procedere initium teſtimonii illius longioris, quod ex hac vita, producitur a VII. Synodo Act. IV. quod incipit illis verbis τὰς μὲν ἄλλας, ac pertinet uſque ad finem ſect. 25. Quod ſane teſtimonium contuli cū Gr. editione Papebrochii: & quamvis tertio quoque verbo utrinque variantes lectiones occurrant; nullam reperi tamen, quae ſententiam immutet, aut ex qua pronuntiaveris, vel uno inciſo auctiorem alterutrum codicem dici poſſe. Fatendum eſt tamen, in Nicena Syn. mundiora eſſe omnia, & aptiorem Graecam ſyntaxin; ut haud dubie totus hic locus ad Nicenum exemplum tuto conformari poſſit. Niſi quod Paulus hac quoque tota parte plura interdum habet, quaedam non plane aſſequitur, aut alioqui diſconvenit: quae ſicubi uſus popoſcerit, enotabimus.

Num. 23. v. 24. inter μεσάτοιον & βοήθησον Paulus inſerit, *Percipe confeſſionem meam*. Quod a Graeco primitus non abfuiſſe, reor. Id vero ad laudis ne an ad peccatorum confeſſionem retulit? Poſterius verum eſt: nam eo tota allocutio praecedens ſpectat. Verum de Confeſſione & Communione hujus Aſcetriae videbis inferne [53] adnotata.

Num. 24. v. 15. ἐντὸς τῶν ἁγίων γεγένημαι. At in Nicena τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων: idque

[53] *De Confeſſione & momentaria Communione Mariae.*

De Confeſſione peccatorum poſt Baron. ad an. 56. praeclara habet Mabillonius in Praef. I. ad ſaec. 3. Bened. num. 80. & ſeq. Atqui in pleriſque veteribus formulis ea Confeſſio Deo & ſacerdoti fieri dicitur. Heic autem etiam Deipara, tamquam ἐγγυητὴς *fidedictor*, intervenit: unde & eam Aegyptia alloquitur, *Percipe confeſſionem meam*. Merito in hodierna formula quae incipit *Confiteor*, Deo, Deiparae, aliiſq. Sanctis, poſtremo ſacerdoti confitemur.

Quamvis autem vitae auctor de confeſſione Aegyptiae apud Sacerdotem facta nihil narret [certe quia in memoriis, quas de ea collegerat, nihil repererat, quod eo ſpectaret] fatendum eſt tamen, Aſcetriam ſive in ipſa Baſilica, ubi converſionis compos evaſit, ſive in Eccleſia Praeturſoris prope Jordanem, ubi ſanctorum myſteriorum effecta eſt particeps, ſua ante crimina ſacerdotis auribus commiſiſſe. At erunt, quibus tam praepropera communio [infra num. 26. v. 12.] praeter antiquae Eccleſiae morem videatur. Fateor. Verum in hac vita, ut plura admiranda ac ſupra fidem, ſic quaedam etiam praeter conſuetum morem. Nec mihi heic aliud dicere in mentem venit, niſi ut, ſicuti Aegyptiae converſio tota uno momento temporis ſimul incepta atque perfecta fuit, ſic ſacerdos ille, cui ſuam mulier ante actam vitam pateſecerat, interno lumine admonitus, nefas ſibi eſſe duxerit eam diutius a ſacra menſa abſtinere. Poſtremo haec ipſa ineunte VIII. ſaeculo a Damaſceno, eod. vergente a Nicenis Patribus legebantur; nec tamen, quia praeter morem facta narrarentur, quiſquam inventus eſt, qui ea ut abſurda aut incredibilia contemneret. Nec pluribus heic opus arbitror.

Digitized by Google

idque adprobat Paulus, ſic vertens, *Et ſic intra Sancta ſanctorum reperta ſum.* Sed utroque modo id efferebatur, cum geminatione ac ſine. Volunt autem, id locum fuiſſe ſanctiorem, Clericis tantum, viris laicis raro, feminis numquam adeundum. Sed id nec ſemper nec ubique obtinuit. Conc. Turon. II. vergente VI. ſaec. habitũ cap. 4. & Capit Car. M. lib. 7. c. 203. *Ad orandum vero & communicandum, laicis & FEMINIS, ſicut mos eſt, pateant Sancta Sanctorum.* Ibid. v. 6. ante finem Interpres: *Currens autem ad illam, quae me fidedixit,* Gr. ἐγγυησαμένην. Deiparam intelligit. Mox ſtatim, *Conjunxi* (54) *igitur me in illum locum, ubi* (ὡς ἐγγύης) *fide dictionis conſcriptum erat chirographum. Fidedicere* pro fidejubere non eſt uſquequaque barbarum. Appuleius de deo Socr. *Quis pro te deus fidedicet?* Apud Auguſtinum epiſt. 23. de bapt. pueris, pro his *parentes, tamquam fidedictores, reſpondent.* Quod autem Deiparam *fidedictorem* heic & infra pluries vocet, id ad ſibi datam peccatorum veniam eſt referendum.

Ad Num. 25. v. 6. Pauli locus eſt inquinatior: *Tempus eſt jam implere* (cor. *impleri*, nam Gr. eſt πληρωθῆναι) *quae fidedixi* (ſcribendum *fidedixiſti* ex Gr. ἐνεγγύησω) *fide dilectionis* (Gr. ἐγγύης i. e. *fidedictionis*) *tuae placita.* Hoc ultimum Graece eſt αἱ σύμφωνα i. e. *pacta.* Ac paſſim in juris Romani libris *Placita* ſunt conventiones; ejuſque vocis, quatenus id ſignificat, Iſidorus IV. Orig. 24. etymologiam affert. At infra num. 28. v. 15. ἀνεμίμνησκον τῶν συμφώνων, Noſter vertit, *Me ipſam ad memoriam revocabam de convenienti* (i. e. conventis) *fidedictionis, quam feceram.* Quamquam non dubito, quin Paulus ſcripſerit *de CONVENIENTIA*: quae vox paſſim in Capitularib. & alibi eſt ipſa conventio. Mox v. 9. Paulus ſic reddit: *Eſto mihi ſalutis ducatrix.* Poterat reſtitui *Educatrix*, quia Graece eſt σωτηρίας διδάσκαλος, & apud Noſtrum *Educare* idem eſſe quod *docere*, ſupra oſtenſum fuit. Tamen praeſtat retineri *Ducatrix* a *Ducator* pro *dux*: quod feminium Appuleio Scaliger ad Manil. ex vet. MS. reſtituit in de Dogm. Plat. *Illae vero vitiorum ducatrices iracundia & libido.* Maxime quum illud διδάσκαλος Noſter non neglexerit, addens, *& veritatis magiſtra.* In fine ſectionis hujus poſt δέσποινα, plura Paulus admetitur, quam quae in Niceno teſtimonio & edit. Papebr. reperiuntur: non id praeter ſolitum. Atq. heic in illis verbis συνώνως ἐβαδίζομεν deſinit teſtimonium ex hac vita depromptum in VII. Synodo: cui ſtatim hoc ibi ſubnectitur: *Joannes Reverendiſſ. monachus... Talem imaginem nos vidimus in ſancta Chriſti Dei noſtri civitate, & crebrius eam ſalutavimus.*

§. 9. *Ad ſect. 26. 27. 28. 29. De* Ammae & Nonnae *notione & origine*: Benedictio: Mi: Τριτωμία. *Uterque textus comparatur & explicatur.*

Num. 26. initio exeunti de templo Aegyptiae quidam tres folles largitur, ſic eam compellans apud Interpretem: *Accipe haec, Nonna.* Graecum ſane Ἄμμα (55) cui *Nonna* apud ſcriptores noſtros reſponder, vox honoris eſt, qua aſcetriae aut ſanctimoniales compellabantur. Vn-

(54) *Conjungere* proprie quidem videtur idem fuiſſe, quod *Reverti*; ac venit opinor ex Gr. ἀναζεύγνυμι, quod eſt *revertendi* verbum, ubi ſcil. iterum junguntur ad currum equi. Sic etiam infra ad num. 32. v. penult. idem hic noſter, *Remeans ... conjunxit in monaſterio.* Quamquam utrique loco in Graeco ſunt *perveniendi* verba: & paſſim ſcriptoribus aevi medii *Conjungo* eſt ſimpliciter *Pervenio*: unde & *Italis Giungere*.

[55] Ea vox eſt Syrae originis, apud quos אִמָּא *imma* ſive *amma* eſt *mater*, eſtque ex Hebraeo propagatum nomen. Quumque ea vox paſſim in Eccleſiae ſcriptoribus de ſanctimoniali aut aſcetria uſurpetur [quas nos etiam *matres* honoris gratia vocamus] omnino credendum eſt, in Palaeſtinae finibus primum tum virginum, tum viduarum aſcetriarum excoli inſtituta coepiſſe: quae ubi latius propagari contigit, etiam vox *Amma* ſimul inde diffuſa fuit. Apud profanos olim, teſte Etymologo, etiam Rhea dicta fuit Ἄμμα, nempe quod omnium nutrix

de possumus intelligere, sive hanc Aegyptiam statim a conversione sua se ad ascetriae cultum composuisse, ut talis jam videri illi homini potuerit; sive quod magis est [nam mora nulla ad se comparandum interposita ex narratione ipsa colligitur] id sine certo animi consilio ab homine illo dictum, acceptum fuisse in omen futurae ἀσκήσεως *exercitationis*: cog. ejus appellationis factam a scriptore mentionem. Ex iis porro tribus nummis tres sibi panes se comparasse narrat, & hos accepisse εὐλογίας ἐφόδιον h. e. *in benedictionis viaticum*. Vbi εὐλογία, sicuti & Lat. *Benedictio* est *munus*: quo sensu *benedictio* usurpatur Gen. XXXIII. 11. & passim ab Ecclesiae scriptoribus. Fortasis etiam ad *eulogias* h.e. panes benedictos alluditur. Aut postremo verius est *annona*, quam secum monachi daturi se in viam auferebant. Interpres paullo laxius: *Et hos* [panes] *accepi benedictioni mei itineris congruos*.

Num. 27. v. 6. ὦ κυρία μου, Paulus vertit, *O mi domina*. Nec alibi facile istud MI femininum reperias. Versu penult. *Semel enim in hoc* (καπηρώτησα) *interrogavi te, ut de omnibus me doceas, nulla re praetermissa*. At Paulus heic mirus est: *Semel enim in hoc te manifestam cognovimus ordine, omnia te indiminute oportet nos edocere*. Nec video, quid fuerit secutus, quidve in suo repererit. Sed inquinatum esse locum interpretis, suspicor.

Num. 28. in fine apud scriptorem Aegyptia ait: *Et exinde stabilis serenitas* [ἐκ τριτυμίας] *ex decumanis fluctibus mihi facta est*. Loco enim *decumani fluctus* [ut Latini usurpant] Graeci utuntur voce τριτυμίας, quasi si *tertianum fluctum* Latine dixeris. Atqui ad eam vocem sibi penitus ignotam, tamquam ad Maleae sinum, Paulus obstupuit, eoque vocem illam caute est praetervectus.

Num. 29. v. 8. Aegyptia loquitur *Ipsam* (Deiparam) *mihi adesse putans, quae me fidedixit*, ὥσπερ προσφώνει καὶ [istud καὶ vel est inducendum, vel est ἐμφατικὸν pro *Et quidem*, aut *Et hanc*] παραβαθεῖσαν, καὶ ποινὰς τῆς παραβάσεως ἐπισπάττουσαν, h. e. *ut patronam & quidem* (a me) *violatam, & poenas transgressionis* (a me) *exigentem*. At Paulus sive plura in suo codice legit, sive [quod propius fidem est] ea non intelligens, inepte circumlocutus est in hunc modum: *Ipsam mihi veraciter adstare sperans* [h. e. *reputans*] *quae me fidedixerat, minanti me compellatione exaggerare furentem, quasi praevaricanti, & poenas praevaricationis mihi imminentes ira mucronis contra me agentem*. Ante finem sectionis plura quaedam in Latino sunt quam in Graeco, quaedam etiam diversa.

§. 10. *Ad sect.* 30. 32. 34. 35. *Graeca pluries corriguntur & illustrantur. Quid* οἰκουμένη. *Summa Judaeae divisio in habitabilem & desertam.* Ἀπόβασα: Festinare: *Ritus Communionis*.

Num. 30. v. 3. Ascetria narrat: *Panes illos* [tres] . . . (ἀναλώσασα, καὶ δεκαεπτὰ ἔτη) *ubi consumpsissem, septemdecim annis nutrita sum herbis* &c. Verum tollendam esse importunam distinctionem post ἀναλώσασα, eamdemque post ἔτη reponendam, & ipsa narratio suadet, & Pauli interpretatio, quae talis est: *Panes quidem illos . . . decem & septem expendens annis, deinde nutricabar herbis, quae inveniebantur in solitudine*. V. 15. pro ἁμαρτωλὸν Paulus legit φιλαίτιον, quippe interpretatus: *Virtus Dei multis modis MISERAM animam meam . . . custodivit*.

Num. 32. v. 6. Aegyptia pergit alloqui senem his verbis: Τὸ δὲ νῦν ἔχων ἐν εἰρήνῃ πορεύθητι. Non est dubium, quin legendum sit ἔχον neutro genere, estque elegans locutio pro eo quod nos dixerimus,

autrix & mater esset. Quamquam & *Nonna* [qua voce Paulus heic utitur, & Hieronymus, & alii posteriori aevi; imo & Graecus scriptor Xiphilinus in Domitiano] nihilo minus indidem videtur prosectum nomen. Fortasis enim fuerit ab Heb. verbo נין *nin*, quod est *subolescere, prolificare*. Jod autem medium cum *Vau* saepissime alternat. Et *Nonnae* quidem vocabulum hodiedum Italis in usu est.

Digitized by Google

mus, *Quod nunc eſt, vade in pace*. At is error etiam Pauli codicem inſederat, reddentis, *His omnibus ACCEPTIS* (i.e. *auditis*, quod poſuit loco maſculini ἔχων) *in pace* &c. V. 20. οἰκουμένην i. e. *terram habitabilem* Paulus expoſuit *ſaeculum*. Id ex eo venit, quod apud aſceticos ſcriptores *mundus* (i. e. οἰκουμένη) & *ſaeculum* pro ſynonymis habentur, maxime quum Heb. *Olam* & mundum & ſaeculum deſignet. Verum hunc locum, quum ſit apprime notabilis, proderit adſcribere. Jubet ibi Zoſimam Mulier, anno ab hinc altero cum Sacramentis Dominicis accedere ad eumdem locum, addens, *Et exſpectato me cum his omnibus* [εἰς τὸ μέρος τοῦ Ἰορδάνου τὸ προσεγγίζον τῇ οἰκουμένῃ] *in parte Jordanis quae cum oecumene* (i.e. orbe, aut terra habitabili) *commititur, ut veniens vivificorum donorum particeps fiam*. Quid heic porro eſt οἰκουμένη? Non aliud, ſi me audis, quam Cisjordanica regio, quae a ſolitudine Jordane medio ſecernebatur. Quum autem revera cis Jordanem terra tota habitabilis eſſet, hinc dicta Palaeſtinis eſt οἰκουμένη *oecumene* i. e. *terra habitabilis*, ac diſtincta a Transjordanica, quae ἔρημος *Eremus* h.e. *terra inhabitabilis* vocabatur. Ea ergo Palaeſtinis, maxime Hieroſolymitis, erat in ore omnium ſumma regionis diviſio in *Oecumenen* h.e. Cisjordanicam frequentem habitationibus terram, & in *Eremum* (quae vox tertio quoque verbo occurrit in hac hiſtoria) ſive Transjordanicam ſolitudinem. Jam vero eas partes duas diſterminabat Jordanes, ad cujus dexteram ripam *Oecumene*, ad ſiniſtram *Eremus* diffundebatur. Jubet ergo Zoſimam Aegyptia ad dextram Jordanis ripam [cui & Zoſimae monaſterium imminebat] conſiſtere, ſe vero, quippe eremicolam, ad ſiniſtram adſtituram. Atque ea quae dixi, lucem non modicam Lucae affundent, apud quem II. 1. nondum plane conſtiterat, quid eſſet οἰκουμένη: de quo ſuo in loco videbimus. Jam vero quae v. 32. de Joanne Hegumeno narrantur, ea ab hac hiſtoria parabolicae narrationis ſuſpicionem amoliuntur.

Num. 34. v. 12. totum illud membrum [ἀρά γε &c. *An mea indignitas venire illam vetuit?*] in Paulo deeſt; ut & illud huic reſpondens in fine ſectionis [*Heu indignitatem meam!*] nihilo magis in eodem interprete reperies. Omnino videtur utrumque poſtea fuiſſe additum.

Num. 35. v. 14. Aegyptia ſuper Jordanem ingrediens, ut ad Zoſimam pervenit, ἀποβᾶσα τοῦ ὕδατος [Paulo, *deſcendens de aquis*] dicitur. Atqui aquae inferiores ripa ſunt. Sed hic ſcriptor eadem locutione uti voluit, atque ubi de appellentibus navim dicimus, eos ἀποβαίνειν, & in terram *exponi*. Quare illud ἀποβᾶσα non reddendum eſt *deſcendens*, ſed *expoſita*. Deinde illud σύντροφος, quod v. 16. legitur, Noſter vertit, *Cum magna feſtinatione*: non male: nam ſicuti *Trepidare*, ſic etiam & *Feſtinare* interdum ad *timorem* refertur. Salluſtius: *Feſtinantibus in magna inopia patribus*. Verſu 6. ante finem Aegyptia ante communionem, *Sicut mos eſt* [uti vertit Interpres] *pacis oſculum obtulit ſeniori*. In Graeco additur, εἰς τὸ στόμα, *in os*. Notandus hic ritus: ut & recitatio Symboli & Orationis Dominicae, quam ante ſuam communionem praemitti a Sacerdote voluit Mulier.

§. 11. *Ad ſect.* 36. 38. 39. 40. πατηνός. *Vetus inſcriptio exponitur*. Brachia *pro pedibus anterioribus. Dynamii teſtimonium ſpurium. Priſci interpretes interdum ſe ut primos auctores gerebant. Feſti Aegyptiae multiplex Neapoli translatio.*

Num. 36. v. 4. καὶ φθάσας ἐκεῖ συμεῖα. Videtur addenda negatio, μὴ ἐ φθάσας, quam Paulus in ſuo cod. reperit, quippe interpretatus, *Et non inveniens aliqua cupiti loci indicantia ſigna*. V. 11. Δεῖξόν μοι ... τὸν θησαυρόν &c. haec periodus ab interprete abeſt. At v. 16. Graeca [quae leguntur hodie in hanc ſententiam: *Et vidit ad eam ejus loci partem, quae ad orientem ſolem pertinet, jacentem Sanctam exanimem*] non aſſecutus eſt Noſter, qui fort.

plura

Digitized by Google

plura in suo cod. nactus, locum sic reddidit: *Et in extrema ejus* [loci χειμαρρούσης] *parte superiore* [i. e. in ripa altera] *vidit splendentem* [Gr. ἀνίσχοντα *orientem*] *solem, & aspiciens vidit Sanctae mortuum jacens corpus.*

Num. 38. v. 3. Ἆρα θάψας τὸ λείψανον; *Vtrumne Sanctae reliquias humare* convenit? Totum hoc in Interprete deest. In quo & inscriptio a Graeco aliquanto diversa est in hunc modum: *Sepeli, Abba Zosima miserae* [at Gr. πτωχῆς i. e. (56) *humilis*] *Mariae corpusculum. Redde terrae* (57) *quod suum est; & pulveri adjice pulverem. Ora tantum pro me propter* [at Gr. πρὸς i. e. *apud*] *Dominum transeunte* (quod refertur ad superius *Me*: i. e. *pro me quae transii*) *mense Pharmothi secundum Aegyptios: qui est secundum Romanos Aprilis die nona, idest V. Idus Aprilis . . . salutiferae Passionis, post Divinae & sacrae Cenae communionem.* Vbi puncta apposui, ibi ex Graeco supplendum est, *In hac ipsa nocte*, quod in Paulo deest. Quae sequuntur statim apud Interpretem, in lis intra parenthesin interposui, quae plura quam in Graeco sunt: *Has senex quum legisset litteras* [*cogitabat quidem prius, quisnam esset, qui scripsit: illa enim, ut dixerat, litteras ignorabat*] *in hoc tamen . . . gaudebat, quia ejus sanctum didicit nomen.*

Num. 39. Sectionis hujus Latina Pauli versio nullo non loco plura supra Graecum textum, qui hodie est, admetitur: itaque facile Latina heic sesquialtera parte auctiora Graecis dixeris: quod invicem comparanti constabit. Adhaec v. 17. leo coepit προσαίνειν h. e. *adulari* seniori: quod rectius est, quam προσεγγίζειν *appropinquare*, quod in Bavarico legitur; maxime quum Paulus verterit *Innuere*, adulando scil. At v. 27. ubi pedibus anterioribus leo sepulcrum effodit Sanctae, Interpres pro πόσιν non ineleganter *Brachiis* scripsit. Hoc leonis obsequium testatum reliquit sexto exeunte saec. [h. e. ante an. 596. de quo vide Papebr. heic in Comm. praevio num. 2.] Dynamius Patricius, Patrimonii Rom. Ecclesiae Rector in Galliis, in vita S. Marii Bodanensis [apud Bolland. die 27. Jan.] ubi num. 9. sic loquitur: *Si quis autem non credit quod aliquando sylvestres bestiae, feritate depositа, justorum utilitatibus noverunt famulari; audiat Paulo primo Eremitae leones sepulturam fecisse, & S. Mariae Aegyptiacae.* Ex quo colligit Papebrochius, vitam multo ante Dynamium scribi debuisse. Verum id non est necesse, quia ex fama id factum sciri in occidente potuisset ante conscriptam vitam. Tametsi quid diu dissimulo? Illud *& S. Mariae Aegyptiacae*, nemo non videt, extra locum esse positum, quia statim post *Eremitae* id scribendum fuerat. Atque omnino quovis pignore contenderim, id sero textui adsutum fuisse, h. e. post Pauli nostri translationem, aut post Hildeberti Metricam Paraphrasim editam, nec esse e Dynamii manu. Adhaec VI. saec. *Aegyptia*, non *Aegyptiaca*, ea vocabatur.

Po-

[56] Sic etiam infra num. 39. v. 2. pro πτωχῆς Paulus *Miser* reddidit. Nam etsi Ταπεινὸς idem est atque *Humilis*: at videntur Graeci nostrates id pro *Miser* accepisse: quo fit, ut hodiedum apud Italos *Tapino* & *Misero* sint plane synonyma.

[57] Totum istud, *Redde terrae, quod suum est*, a Graeco abest: nec necessarium erat, quippe satis id sequentibus verbis inculcatur. Videntur autem ex vita S. Pauli primi Eremitae haec verba huc adscita fuisse. Ceterum ea sententia etiam apud profanos tritissima fuit, cujusmodi est illud poetae apud Tullium, *Mandanda est terra terrae!* quo & vetus ἀναγραμματισμὸς inscriptio pertinet, quae Capuae in pavimento Ecclesiae S. Benedicti adhuc legitur his verbis: TE. TIBI. VNA. QVAE. ES. OMNIA. DEA. ISIS. ARRIVS. BALBINVS. V. C. Ordo est: *O dea Isis* [i. e. o Terra] *Arrius Balbinus vir clariss.* (dat.) *te tibi*, [sive terram terrae] *quae una es omnia*. Hoc ultimum utrinque verum est, tum theologice [nam ex profanorum theologorum sententia Isis, πανσύνευμος dicta, nullum non numen in se continebat] tum physice, quia ex terra communi matre cuncta gignuntur.

Digitized by Google

Postremo sectio 40. tota a Pauli interpretatione abest [58] praeter doxologiam in fine, quae & ipsa Latine multo brevior est quam Graece. V. 15. pro αὐτῶν legendum est αὐτόν. Ibidem quis ille sit, qui hanc historiam scribi jussit, cuique [κελεύσαντι] bona imprecatur auctor, non dicitur. Sed facile fuerit Hegumenus ejus Monasterii, in quo auctor degebat.

Ac de Maria Aegyptia multo jam plura attuli, quam initio praevideram: ac plura etiam attulissem, si hasce animadversiones cum metrica Hildeberti Paraphrasi conferre in mentem venisset; ex qua Pauli lectionem juvari posse, non dubito. Sed aliis trado hanc lampadam. Interim hujus me cujuscumque laboris in antiqui apud Neapolitanos Aegyptiae cultus gratiam minime poenitet.

Porro hodie Neapoli die XXVII. April. ea Ascetria colitur. Nam de die IX. April. jam olim in postrid. Kal. retracta fuerat; hinc a Decio Carafa in diem III. ejusdem mensis translata, postremo diei XXVII. [quam pridem, ignoro: sed id facile ex antiquis Ordinibus recitandi Officii colligere curiosi poterunt] affixa fuit. Eadem & inter SS. Patronos cooptata jam pridem cernitur.

X P S TERENTINI ET AFRICANI

UT die XVII. Januarii *Antoninus* ὑποθορισικῶς vocatur is qui est celeberrimus Magnus Antonius, sic etiam qui non aliter quam *Terentius* in omnibus Graecis Latinisque monumentis & Kalendario Moscovitico toties laudato vocatur, is heic *Terentinus* dicitur. Horum autem duorum primus qui mentionem junctim faciat, est Theodorus Lector ad finem lib. 2. Collectaneor. his verbis: *Ejusdem Theodosii Magni temporibus*, ἐτέθη κιβωτὸς αὐτοῦ εἰς τὸ Μαρτύριον τῆς ἁγίας Εὐφημίας ἐν τῇ Πέτρᾳ τὰ λείψανα τῶν ἁγίων μαρτύρων Τερεντίου καὶ Ἀφρικανοῦ, τῇ πρὸ δεκατῆ καλανδῶν Ὀκτωβρίων, *depositae sunt in Martyrio Sanctae Euphemiae* (59) *in Petra Reliquiae SS. MM. Terentii & Africani, ante diem X. Kal. Octobres*. Ob eam causam celebris horum duorum cum aliis 38. aut 42. sociis festivitas in Ecclesia CPolitana fuit, uti patet ex Basilii Menologio, Menaeis editis & Mss.; Menologio Sirleti, Synaxario Collegii Claromontani Parisiensis, Maximo Cytheraeo, Anthologio: ubique autem hoc ipso die. Sed & hoc eodem

[58] Ex eo quod sectio ultima ab Interprete omittitur, noli inde colligere, eam sectionem a Gr. codice illo, ex quo sua Paulus expressit, abfuisse. Nam ea pars praetermissa non alia de causa fuit, quia tota scriptorem Graecum tangit. Nunc veteres vitarum interpretes ea tantum in Latinum transfundere interdum amabant, quae unice ad historiae ὠφελίμου pertinerent: atque omnino ita suas interpretationes adornabant, ut opus, non ex aliena lingua adscitum, sed domi natum & συνηθὲς videretur.

[59] Haec Basilica per hoc cognomentum distinguebatur ab aliis S. Euphemiae Basilicis; quarum nobilissima erat, quae a Constantino M. in Hippodromo est aedificata. Fuit & illa S. Euphemiae aedes, quae vulgo τὰ Ὀλυβρίου *Olybrii*, ab auctore scil. appellabatur. At duabus his aedibus antiquitate praestabat ea quae cognomento *in Petra* seu *Petrio* vocabatur. Quam Codinus quidem ab Anastasio Dicoro & Ariadne Augustis aedificatam, in suis Originib. pag. 47. prodidit: verum non alia commode ratione id explicari potest, quam quod, uti reor, eam Anastasius restituerit, ornaverit, amplificaverit. Ceterum *S. Euphemiam in Petra* ante Anastasium stetisse, ex recitatis Theodori verbis intelligitur. Imo eadem & ante CPolim ipsam steterat, teste S. Nicephoro in Chronographia, qui eam a Castino episcopo Byzantino exstructam tradit his verbis: οὗτος ἐν Βυζαντίῳ, ἐν τόπῳ λεγομένῳ Πετρίῳ, οἰκητήριον τῆς ἁγίας Εὐφημίας ἤγειρεν τόπῳ μαρτυρικῷ, *Hic Byzantii in loco, qui Petrium dicitur, S. Euphemiae Oratorium, tunc passae martyrium, excitavit*. Eadem omnia & in Niceph. Callisto VIII. Hist. 6. reperies, nisi quod episcopum pro Castino *Constantinum* vocat.

Digitized by Google

eodem die eorum meminit Martyrolog. Romanum, Galesinius, Molanus, & quaedam Vsuardi Auctaria. Omnes hi martyres Africani fuere, sub Decio passi, quorum antesignanus ubique *Terentius* ponitur, tum in Graecorum libris Ecclesiasticis, tum etiam in Actis (60) quae ex Graeco a Petro Franc. Zino in Latinum transfusa Lipomanus dedit: ex quo Surius, ac postremo Henschenius ad X. Aprilpag.861. Postremo quod in his Fastis hoc die *Passio* consignatur, id, praeter omnium libror. Ecclesiasticorum consensum, diserte etiam confirmant metricae Ephemerides hoc hexametro:

Φασγάνῳ δεκάτῃ ὁ Τερέντιος ἴυγατο κῆρμα.

Ense cadens decimâ finem sortire, Terenti.

XI DP STEPHANI EPI NRI

HIc unus ex illis nostratibus Sanctis est, qui nunc primum ope hujus marmoris pristino cultui restituuntur. Ac nostris quidem hominibus ex quodam Menaeorum loco, quem infra excutiemus, jam olim suboluerat, Stephanum I. qui VI. ineunte saec. sedit, Sanctis esse adnumerandum: sed tamen Menaeorum locus, pluribus ipse difficultatibus impeditus, tanti visus non fuit, ut Stephano illi veteris comperti cultus possessio vindicaretur. Ex hoc autem marmore id tantum assequimur, fuisse olim Stephanum Episcopum aliquem caelitibus adscriptum: at quis is fuerit, argumentis aliunde conquisitis est colligendum. Jam vero inde ordiar.

Ex tribus Stephanis, qui in Neapolitanorum Episcoporum serie occurrunt, tertius, qui circ. an.920. adeptus est cathedram, huc non attinet, quippe centum prope annis posterior hoc marmoreo monumento, quod medio IX. saeculo scalptum fuisse, demonstravimus. Reliqui sunt Stephani duo, primus & secundus: quorum uter hoc die colatur, nondum plane certum videri possit. Nam Jo: Diaconus, qui post hoc Kalendarium ad Episcoporum Chronicon conscribendum incubuit, neutri certas sanctitatis notas attribuit; idque pro suo more, quo passim alibi Episcoporum suorum cultu ac sanctitate (quippe quae ex Ecclesiae Fastis tunc apud omnes comperta esset) supersedet. Atqui priori Stephano, uti diximus, Menaeorum locus favere videtur, posteriori vero fortassis *Stephaniae* nomenclatio. Quocirca sic equidem hanc tractationem instituam, ut ubi de *Stephania* primum, mox de loco illo Menaeorum dixero, postremo quis *ille* demum sit Stephanus qui hoc die signatur definire satagam.

§. I.

A priore ne an a posteriore Stephano Stephania nomen acceperit.

Veterem nostram Cathedralem Basilicam olim inter cetera nomina passim *Stephaniam* fuisse appellatam, praeter innumera monumenta, declarat hoc ipsum Kalendarium, in quo Kal. Decembr. legitur, DEDICatio BASILicae STEPHANiae: De qua in loco plura dicemus. At ad etymologiam nominis, quod atti-

[60] In iis Actis id bene se habet, & ad historiae veritatem, quod num.1. quum Fortunatianus praefectus Christianos ad illicitos ritus adigeret, ii magnam partem jussis obtemperarunt, praeter hos quadraginta, quorum *Terentius* ubique habetur praecipuus. Hoc inquam fidei naufragium in ceteris Christianis, optime stat cum Deciana persecutione (ad quam in Actis refertur hoc martyrium) in qua innumerabiles Christianorum turmae justo Dei judicio Fidem prodiderunt. At cetera Actorum immani παραδοξολογίᾳ laborant: nec a stylo Metaphrastae, cui (apud Baronium hoc die) vulgo tribuuntur, abhorrent. Quorum Actorum compendium Menaea, & Basilii Menologium exhibent.

Digitized by Google

attinet, missa Chioccarelli (61) opinione, certum est, ab aliquo *Stephano* (62) auctore id nomen sibi comparasse. Et quidem uterque Stephanus veteris Cathedralis sive conditor, sive potius restitutor fuit. At uter de se nomen Basilicae fecerit, non aeque certum est.

Antonius Caracciolus in Mon. Eccl. Neap. ad finem paginae 154. a Stephano I. id nomen (63) arcessit; idque sequitur Cl. Muratorius in Adnot. ad Jo: Diac. in Stephano II. Huic opinioni videtur velificari Jo:Diaconus de Stephano I. sic scribens: *Fecit Basilicam ad nomen Salvatoris ... quae usitato nomine Stephania vocatur*. Itemque in Stephano II. *Ecclesia Salvatoris, quae de nomine sui Auctoris Stephania vocitatur*.

Verum haec ipsa verba possunt sic accipi, ut id nomen non a Stephano I. sed a II. restitutore Basilicae inditum fuerit. Nempe quamdiu Ecclesia illa prior a Stephano I. facta, sive potius amplificata, stetit, ea *Basilica Salvatoris* dicebatur. At posteaquam eadem sub Stephano II. arsit, atque ab eodem restituta fuit, tum demum *de nomine sui auctoris* h. e. restitutoris Stephani II. *Stephania* vocari, non abolito tamen priore nomine, coepisse videri potest. Nec ullum vidi monumentum Stephano II. h. e. octavo saec. antiquius, in quo *Stephaniae* (64) nomen usurpatum repererim. At post Stephani hujus tempora nihil est eo nomine usitatius. Nunc operae pretium fuerit utrumque Jo: Diaconi locum huic alteri sententiae accommodare. De Stephano I. sic incipit: *Sedit annos XV. mens. II. Hic inter alia bonitatis studia* (*bonitatis* vocabulum Jo: Diacono, laudatori modico, non aliud, credo, quam sanctitatem suo tempore compertam designat) *fecit* (i. e. amplificavit ornavitque: nam, ut dicam ad Kal. Decembris, *Salvatoris* Basilica antiquior erat) *Basilicam ad nomen* (i. e. sub [65] nomine) *Salvatoris, copulatam cum Episcopio*; *quae* (supple *nunc*) *usitato nomine Stephania vocatur*. Hoc est quae prius (ante & post Stephanum I.) dicebatur *Basilica Salvatoris*, ea nunc (scribente scil. hoc chronographo) *Stephania* vocatur. Eamdemque in partem accipi non incommode ejusdem verba possunt in Stephano II. *His ita peractis*,

[61] Suavis est Chioccarelli originatio, id nomen adsciscentis a Στέφανος *Stephanos*, *corona*: nim quia in ejus Ecclesiae picturis XXIV Seniores coronas Salvatori offerrent. Eaque etymologia eo est mirabilior, quod Chioccarello obscurus non erat Jo: Diaconi locus in Stephano II. scribentis: *Ecclesia Salvatoris, quae de NOMINE SVI AVCTORIS STEPHANIA vocitatur*. Poterat id dici clarius? Et certe Στεφάνειος [unde flectitur femininum *Stephania*, supple *Basilica*] est ex eorum derivativorum genere, quae a nominibus propriis propagantur, ut Αλεξάνδρεια, Αγριππίνα &c. At a στέφανος sive στέφη, quatenus *coronam* notat, fiunt στεφανίτης, στεφανίτις (quod affert Suidas) & στεφανιαῖος. Vt omittam, quod familiare est ab auctoribus quaeri Basilicis nomina, ut Neapoli *Severianam* ab Severo Ep., Romae *Liberianam*, & alia sexcenta.

(62) Ab auctore inquam Stephano Ep. sive I. sive II. Vide locum Jo:Diaconi in Adnot. 61.

(63) Etsi mox pag. 163. eo labitur, ut simul etiam a Stephano II. & a στέφανος, quatenus *coronam* notat, id nomen derivandum putet. Mira vero etymologias tradendi methodus! quam si sequamur, necesse erit primos nominum impositores id sibi proposuisse, ut non una sed multiplici simul ab origine nomina petita rebus inderent, eoque pacto jam tum orituras de etymologiis lites ipsimet in anteceſſum componerent.

(64) Nec enim Jo: Diaconum moror, qui res narrans Stephano II. vetustiores, *Stephaniae* nomen usurpat, fort. κατὰ προλῆψιν, *per anticipationem*: veluti quum in Joanne III. ait: *Hic fecit consignatorium ablutorum inter Fontes majores ... & Ecclesiam Stephaniam*, h. e. quae suo tempore *Stephania* dicebatur, etsi forte ante Stephanum II. nondum id nomen adepta esset.

(65) Sic semper loqui amat Jo: Diaconus. In Vincentio: *Fecit praefulgidam Basilicam ad nomen beatissimi Praecursoris Jo: Bapt.* In Agnello: *Fecit Basilicam ... ad nomen S. Januarii Mart.* In Stephano II. *Tria fecit monasteria, quae ad nomen S. Festi, & S. Pantaleonis MM. Sanctiq. Gaudiosi Conf. praetitulavit*. Ac passim alibi.

Digitized by Google

actis, *Ecclesia Salvatoris*, *quae* (supple *nunc*) *de nomine sui auctoris* (h.e. si lubet, restitutoris Stephani II.) *Stephania vocitatur ... igne cremata est .... Sed ... eamdem* (Stephanus II.) *renovavit*.

Ex his Chronographi narrationibus vides jam non liquere, quid ipse senserit, utrumne *Stephaniae* appellationem ad priorem, an ad alterum Stephanum auctorem referat. Ac mihi quidem videtur ne ipse quidem Jo: Diaconus scisse, uter illorum *Stephaniae* nominis fons & origo fuerit, eamque ob causam ita ambigue locutus, ut utramvis in partem interpretari ejus verba lectori liceret. Verum si mihi detur optio, in Stephanum alterum pronior essem, non solum ea de causa, quod *Stephaniae* nomen apud nullum auctorem Stephano II. antiquiorem reperiatur; verum etiam, quod Jo: Diaconus de Stephania loquens semper praesenti tempore utitur. In Steph. I. *Fecit basilicam ad nomen Salvatoris ... quae usitato nomine Stephania vocatur*. Atqui si a primo Stephano nomen fluxisset, dicendum fuerat, *Quae de ejus nomine Stephania vocata fuit*. Sic etiam in Steph. II. (vide proxime adscriptum locum) pro *Vocitatur* scribere debuisset *Vocitata fuit*.

Ac plane quidem si certo constaret, Stephaniae nomen ab hoc secundo Stephano manasse, videbatur is apud posteros (a quibus praesertim Kal. Decembris *Dedicatio Stephaniae* celebraretur) cultu non caruisse; maxime quum Jo: chronographus plura de posteriore (66) Stephano, quam de priore prodidisse sanctitatis indicia videatur. Sed haec quam sint incerta, nemo non videt. Refero me igitur ad Menaeorum locum antiquiori alicui, quam secundus est, Stephano faventem.

§. II.

(66) *De Stephani II. rebus*.

I. Noster Joannes Diac. de Stephano I. nimis jejune narrat, ut in antiquioribus praesulibus solet: nec enim iis quae sup. recitavi aliud addit, quam temporum consignationem quam infra exponemus. At in Stephani II. laudes pleniore alveo diffunditur. Is Stephanus postquam *Parthenopensem ducatum* (uti Noster loquitur) *laudabili quiete duodecim rexit annos*; desaeviente clade *inguinaria*, adhuc laicus & Consul, unanimi omnium voto, ac (inquit) *magnis precibus* ad episcopatum tunc vacuum expetitur. Et numquam quidem hanc regulam fallere, & scimus omnes, & Stephanus Papa in primis animadvertit. Qui quum *tantam populi* (Neapolitani) *devotionem in eum* (ducem & consulem) *cerneret, tonsum atque regulari promotione* (regularem promotionem intellige, qua is per singulos gradatim ordines decurrit, antequam episcopus ordinaretur: jam enim ordinationes per saltum desueverant) *episcopum consecravit*. Papa Stephanus Stephani nostri consecrator non alius fuit, quam cui Adrianus successit, tum nostro Joanne Diac. teste, tum etiam Anastasio: nisi quod is ab Anastasio *Stephanus III.* inscribitur, qui revera *Quartus* fuit: hoc ideo, quia Stephanus II. [triduanus Papa] cui Stephano tertio coaluit. Hinc vero apud Anastasium in eod. Stephano III. ordinationem subitariam suam Constantinus Antipapa ita defendebat, *Nihil novi se fecisse dicens, quia & Sergius Archiep. Ravennatium, laicus exsistens, Archiepiscopus factus est; & Stephanus Neapolitanae civitatis & ipse laicus repente episcopus consecratus est*. Haec defensio in Romana Synodo anni 769. producta fuit. Quocirca Stephani nostri ordinatio ad initia Stephani Papae & ferme iueuntem annum 768. est referenda. A quo si numeres annos 33. cum dimidio (quot ei tribuit Jo: Diac.) recte ejus mors incidet in *Indictionem Octavam* [ut idem scribit] sed intellige finem Indictionis (quod notari volo, usui postea futurum) h. e. ante Septembrem (unde Ind. Nona currit) anni 800.

II. At noster Stephanus Neapolim rediens, a suis civibus *honorifice susceptus, sic de Divinis coepit studere rebus, ac si puerulus in eis fuisset educatus*. In quo certe Divinae vocationis gratia luculenter se prodidit.

III. Pergit chronographus: *Romam direxit tres clericos, qui in Schola cantorum optime edocti, omnique sacro Romanorum ordine* (Officiorum Divinorum ordinem intellige: unde celebris est libri inscriptio, *Ordo Romanus*) *imbuti, ad propria redierunt*. Idem postea & Franci, & Angli & aliae orbis partes factitarunt, ad Romanos plerosque ritus atque cantum se conformaturi: quod ex historiae monumentis luculenter patet. At hinc discimus, ante hunc Stephanum Ecclesiae Neap. ritum videri fuisse magna ex parte Graecanicum, etsi Latino sermone in pleriisque Ecclesiis celebratum: at post hoc tempus primarias Basilicas Romani finium-

Digitized by Google

§. II.

Menaeorum locus de S. Stephano expenditur.

Nunc illud examinabimus, quod pro Stephani I. sanctitate ex Chioccarello affertur, ex iis scil. quae de S. Patricio Prusae Episcopo & Mart. Raderus ex Menaeis in Latinum transtulit in I. parte sui Viridarii pag. 221. ubi sic Prusienses affatur Patricius: *Quare testamur apud vos, judicium per ignem a Deo olim perfectum iri. Vidi enim Neapoli montem sex millibus passuum ab urbe distantem* (is est Vesuvius) ... *ex quo divinus ille ignis erupit, &, velut saliens unda, trecentas ulnas ultra montis verticem elatus, terram exussit, & saxa decoxit, quoad Stephanus sanctissimus illa tempestate pontifex cum supplicatione sollemni egressus, numen caeleste deprecatus, flammam coercuit & extinxit.* Heic autem Stephanum I. Chioccarellus intelligit, quo sedente videtur eruptio illa Vesuviana evenisse, de qua Cassiodorus IV. Variarum 50. Atque hic demum Stephanus vocatur *Sanctissimus*. Sane ob hanc unam auctoritatem Stephanum hunc, Ant. Caracciolus, & (67) Vghellus inter sanctos retulerunt, etsi nihil de hoc marmore rescissent.

Verum plura sunt, quae parum huic auctoritati fidere forsan suadeant. I. Ac primum dici hoc possit, illud *Sanctissimus* [ἁγιώτατος] olim merum titulum episcopalem fuisse. Fateor. Verum instari contra potest, heic non tituli vi-

nissum amplexas, pluribus interim relictis Graecae nationi Ecclesiis, in quibus Graecanicus ordo una cum lingua perennavit.

IV. Porro autem ex iis tribus Romae educatis clericis *unum Leonem, cognomento Maurum* (μαῦρον Graeci nominis formam habet) *Cardinalem* (vides initia *Canonicorum Cardinalium*, ut hodie vocantur, Ecclesiae Neapolitanae) *ordinavit Presbyterum*. De ceteris duobus clericis tacet: nam ii, de quibus statim mox loquitur, alio pertinent. Pergit enim: *Alios duodecim clericos in Monasterium S. Benedicti* (Casinensis) *Paulo Levitae* [illum intelligit celeberrimum Paulum Diac. cognomine Warnefridum, qui circ. ann. 766. in Casinensi coenobio vitam monasticam est ingressus] *destinavit* (erudiendos scil.): *unus vero de istis Johannes nomine, qui post Diaconus ordinatus est, apprime eruditus effulsit.*

V. Postremo idem Stephanus tot praeclaras fabricas, tot opera reliquit, quot plures alii non modo perficere, sed ne aggredi quidem potuissent. In Episcopio quidem Apsidem cum duabus turribus, vasa, ornamenta, picturas, miri operis omnia, adhaec autem & tria in urbe monasteria constituxit. Idem Basilicam Cathedralem, ut ante dictum, in favillas redactam renovavit, non sine praesenti Dei auxilio, *qui* (ait Jo. Diac.) *triste cor TANTI PATRIS laetificare dignatus est.* In Nova Cathedrali *decorum* (h. e. altaris umbraculum quatuor columnis sustentum) *ex argento* fecit, ibique SS. M. M. Eutychetis & Acutii corpora condidit. Taceo ceteram viri hujus munificentiam. Denique sic noster Diaconus desinit. *Fuit autem temporibus Stephani & Adriani Apostolicorum.* *Qui decurso septuagesimo aetatis suae anno, pacificus migravit a saeculo. Sepultus est autem in Monasterio S. Januarii intus Absidam Ecclesiae* (h. e. aediculae, vulgo *Cappellae*: nam eo sensu Noster aliquoties *Ecclesiam* usurpat) *S. Stephani Protom. currente Ind. Octava.* Has temporum notas ad finem num. I. illustravimus. Vide quam curiose hujus Praesulis res praeclare gestas, atque tempora chronographus retulerit; praesertim qui in aliis mire se jejunum, exsuccum, oscitantem praestiterit. Quod miror, ni ejusdem non modo claritatem, sed & cultum arguat; maxime quum idem inter duos Paulos, (ambos caelicolis in hoc Kalendario adscriptos, etsi Stephano II. longe minus celebratos) medius intercedat. Atque haec pro claritate & cultu Stephani II., necui is indicta causa postponatur, dicta sunto: quae tamen quam sint dubia, nemo non videt.

[67] Chioccarellus quidem, qui primus omnium, quod sciam, eum Menaeorum locum produxit, tamen de Stephani sanctitate nihil statuit. At Ant. Caracciolus pag. 343. Stephanum I. Caelitibus inseruit his verbis: *Stephanum nisi S. Patricius Prusae episcopus & Mart. qui Neapoli fuit anno 499.* (talis ut saepe monuimus; quia is aevo persecutionum vixit) *in Menaeis a Radero translatis, Sanctissimum appellasset, nemo nostrum sanctum fuisse sciviisset.* Idque libenter secutus est Vghellus. At Tillemontius [to. V. Not. X. in S. Patricium] conqueritur, ex Menaeorum tantum loco ab Vghello inter caelicolas relatum hunc Stephanum, quem Neapolitana Ecclesia inter Sanctos non numeret. Quis hos Fastos vidisset, aliter nunc certe censeret.

Digitized by Google

ce poni illud *Sanctiſſimus*, ſed totum iſtud *Sanctiſſimus illa tempeſtate pontifex* ἀναφανδὸν (*interponi*) nec tam dicis cauſa uſurpari, quam tamquam verum elogium, ac Stephani merito privatim attributum. Deinde non titulo tenus eum appellari *Sanctiſſimum*, ſequens pacati ignis factum ſuadet.

II. At illud gravius, quod nec magna Menaeorum auctoritas apud viros eruditos habetur, & quod in Actis S. Patricii ſincerioribus (quae Bollandiſtae primum ad 28. Aprilis, mox & Ruinartus edidit) quum eadem illa, quae in Menaeis, quaeſtio de thermarum & ignearum eruptionum origine copioſe a S. Patricio pertractetur, nullum ibi tamen de Veſuvio, nullum de Stephano Epiſcopo verbum. Imo quae in Menaeis de Veſuvio afferuntur, his paria in illis Actis de Siciliae ignibus breviter attinguntur num. 5. his verbis: πεῖσθητι δὲ καὶ (ἐκ) τῶν ἐν Σικελίᾳ καιομένων πυρός. (Haec ita ſe habere) *vel ex eo, qui in Sicilia exaeſtuat igne, perſuaſum habe*. Quocirca videtur haec tota de ignibus ſubterraneis diſſertatio a Graeculo aliquo per otium pinguior, quam in Actis ſinceris eſt, effecta, corraſis undecumque ad rem facientibus documentis. Ac de hac tota S. Patricii diſputatione videbis quae ad Patricii Acta ad XIX. Maii adnotabimus.

III. Age vero demus, quae Raderus de Menaeis tranſtulit, ea in omnibus ſincera eſſe, imo etiam ſi lubet, ex aliis longioribus Patricii Actis bonae frugis hauſta. Id vero ſi dabitur, tunc neceſſe erit antiquiorem aliquem Stephanum Neapolitanum admittere, qui non ultra tertium ſaeculum, aut quarti initia proceſſerit (h.e. quouſque perſecutiones deſaevierunt) atque huic demum Stephano Menaeorum narrationem adpingere. Ceterum epiſcoporum noſtrorum chronographo Joanni plures quatuor priorum ſaeculorum antiſtites ex monumentorum inopia ignotos fuiſſe, alibi ſaepe demonſtravimus. Quod ſi Epiſcoporum veterum catalogum hoc inſuper Stephano auctiorem fecerimus, nae nos haud levem gratiam ab originum noſtrarum ſtudioſis imbimus.

IV. Nihil autem in eo ponderis eſt, quod Chioccarellus exiſtimat: qui ut Menaeorum recitata verba de Stephano illo primo, qui VI. ineunte ſaeculo ſedit, capi poſſint, S. Patricii martyrium ad eadem tempora prorogat, quem ſub Theodorico rege paſſum ſtatuit, ſub quo celebris Veſuvii eruptio contigit a Caſſiodoro memorata. Verum has meras eſſe nugas, S. Patricii Acta a Bollandiſtis & Ruinarto producta clamitant: de quibus ad XIX. Maii commentabimur.

§. III.

Quis demum omnino ſit habendus is, qui hoc die colitur, Stephanus.

Ex hactenus dictis poteſt intelligi, a Neapolitanis hodierno die noſtri alicujus antiſtitis Depoſitionem olim eſſe celebratam: verum utrum is fuerit octavi exeuntis ſaeculi praeſul, an ſexti ineuntis, an poſtremo antiquior alius, qui perſecutionum aevo vixerit, id vero eſſe incertiſſimum, ac tamdiu certe fore, donec monumentorum inopiae ſaltem accuratio judicii ſuppetias ferat.

Jam primum omnium, Stephanum hunc, qui Faſtis adſcribitur, fuiſſe aliquem priorum trium ſaeculorum antiſtitem, non mihi perſuadeo. Nam quum Joannes chronographus haud multo poſterior hiſce Faſtis fuerit, nae is non ignoraſſet, hodiernum Stephanum prioribus fodiſſe ſaeculis, proinde immanes chronici ſui per illa tempora hiatus hoc ſaltem epiſcopo farcire minime neglexiſſet. Nec enim uſquam facile in hoc marmore occurret antiſtes, qui ab Joanne praetermittatur. Deinde quae de ſupplicatione (68) ab hoc epiſcopo facta ad coercendam flammam Menaea narrant, ejuſmodi ſupplicationum vix eſt ut perſecutionum aevo veſtigia reperiantur. Primum equidem ſuppli-

(68) At Graece eſt ἐξελθὼν μετὰ λιτῶν, *egrediens* (Stephanus) *cum ſupplicatione* ſive obſecratione: quod non neceſſarium eſt de hodiernis *proceſſionibus*, uti vocant, intelligere

ſupplicationum (vulgo *Proceſſionum*) ſatis illuſtre exemplum reperiſſe memini in S. Porphyrii Gazae epiſcopi vita, qui principio ſaeculi quinti floruit; ad quam vitam commentarium non inutilem intulimus ad XXVI. Febr.

Reliqui ſunt Stephani duo (ſexti unus, alter octavi ſaeculi) quorum uter hoc die in Faſtis Neapolitanis ſignetur, id vero ſedulo examinari convenit. Et ex Joanne quidem chronographo nihil ad hanc litem dirimendam lucis affunditur; apud quem ſic juſtae utrique laudes tribuuntur (citra ullam tamen confeſſae ſanctitatis mentionem; nec enim hoc ille aſſolet) ut aut utrique aut neutri cultus ſit tribuendus.

Ergo in tanta veterum memoriarum inopia non aliud relinquitur, niſi ut ad ſupra adſcriptum Menaeorum locum tamquam ad ſacram anchoram confugiam. Quem ego locum etſi non uſquequaque inculpatum, at a fictionis certe ſuſpicione alienum cenſeo.

Res enim ſic ſe habet. Totum hoc quod in Menaeis de Stephano quodam Neapolitano Veſuviani incendii pacatore narratur, veriſſimum fuiſſe oportet. Quid enim? omnia pulchre cohaerent, atque in Stephanum I. conveniunt. Re enim vera in hujus pontificatum, & in annum circ. 512. incidit nobilis illa eruptio [69] cujus Caſſiodorus meminit. Adhaec ſupplicationum ritus, cujus heic in Menaeis fit mentio, jam poſt centum ipſos ante hunc Stephanum annos uſurpabatur. Poſtremo & Stephani hujus vitam, & incendii illius, quod ſub eodem Stephano accidit, narrationem habuiſſe prae oculis CPolitanos tum, quum haec in Menaeis ſcriberent, tum ex eo ſuadetur, quod quum Neapolis antiquitus Vrbi Regiae ſubjaceret, facile Byzantinis fuit res Neapolitanas callere; tum etiam quod in ea narratione nihil eſt quod cum temporibus hiſtoriaque non apte congruat. At vero in eo tantum Menaea (neq. id praeter ſolitum) peccant, quod humano capiti cervicem equinam, ut ille ait, copularunt: qui ut S. Patricii diſputationes ditiores facerent, eis non tantum Veſuvianae cladis narrationes adpinxerunt, verum etiam de Stephano I. flammae illius ſedatore mentionem injecerunt; idque non ſine turpi anachroniſmo, quum hic Stephanus ducentis ſaltem annis S. Patricio (cujus aetas etſi incerta, at in perſecutiones incidere debuit) recentior fuerit.

Is ergo Menaeorum locus quum non niſi de Stephano I. (qui VI. ſaec. ſedit) ſit intelligendus; tum ejus confeſſam ſanctitatem docet, tum etiam non alium quam eum ſaeculi VI. antiſtitem hoc die Faſtis inſcriptum fuiſſe, oſtendit. Atque haec dixiſſe de his ſufficiat, nempe ut appareat, eum qui hoc die colitur, non alium quam Stephanum I. fuiſſe, qui Synodis Romanis ſub Symmacho duabus, tum an. 499. tum 502. ſubſcripſit.

His autem longe plus virium accedet, ex putatione annorum atque temporum hujus Stephani I. Qui calculi quum pulchre cum die Depoſitionis, qui hoc die in his Faſtis ſignatur, cohaereant, hinc jam certo colligetur, eum qui hoc die colitur, plane non alium quam eum fuiſſe, qui ſaeculo VI. ſedit. Verum haec paulo ſpinoſiora cupidi noſtrarum originum, ſi quibus ea res tanti viſa fuerit, adumbrata in ima [70] cera reperient.

XII

(69) Videnda eſt Celebris Caſſiodori epiſtola IV. Var. 50. qua remittitur *tributaria functio* ob agrorum vaſtitatem ex Veſuviana clade quam Sigonius & alii in an. 512. conferunt.

(70) *Initium atque finis epiſcopatus Stephani primi demonſtratur, cumque depoſitionis die in biſce Faſtis ſignato, & anno Veſuvianae eruptionis apte componitur.*

Oſtenſum alibi a me fuit Jo: Diaconi calculos in quatuor aut quinque priorum ſaeculorum epiſcopis mendoſos eſſe, quippe is ut illorum ſaeculorum lacunas repleret, & praeſulum tempora ad ſuperiora retraxit, & eorum epiſcopatus plus nimio longiores effecit. A quo vitio poſteriorum antiſtitum, ac maxime Stephani hujus, notatio temporum abeſt.

Digitized by Google

XII P S GERONTII MAR

PRaeter quosdam Gerontios Mart. quos huc pertinere [71] non arbitror, ille unus heic est intelligendus *Gerontius* Mart. cujus craſtino die mentio fit apud Graecos. Nam in Mss. Menaeis [72] Mediolanenſib. biniſq. Taurinenſib. eo die ſic legitur: *Certamen S. Martyris Eleutherii* [73] *Perſae, & S. Zoili Romani, & SS. MM. Theodoſiae, Baſilidis, & GERONTII.* Sed & apud Bollandiſtas (ad XIII. Apr. pag. 102. in Praetermiſſis) allegantur praeter ſupra laudatos ſcriptos libros, tres Graeci codices Pariſini, in quibus eodem die coluntur *Theodoſia, Baſilius, & Gerontius Martyres*. Verum in his facile pro *Baſilio* legendus fuerit *Baſilides*; idque non ſolum quia in Synaxario Collegii Claromontani Pariſienſis (apud Bollandiſtas ibid.) die XIV. Aprilis *Eleutherio* & *Zoilo* adjunguntur *Theodoſius* (non *Theodoſia*) *BASILIDES* & *Gerontius*; verum etiam quia die I. Aprilis in Menaeis Venetae editionis [74] & Synaxario Chiſletiano fit de SS. Mart. *Gerontio* & *BASILIDE* gladio peremptis.

Et quidem in hoc ultimo monumento Ge-

De eo ſic incipit: *Sedit annos XV. menſes II.* Mox ejus geſtis enarratis, quae ſupra recitavi, ſic deſinit: *Fuit autem temporibus Anaſtaſii & Symmachi Romanor. antiſtitum, atq. Anaſtaſii Aug.* Et Anaſtaſii quidem principatus nihil calculos juvat, quippe per ampliora utrinque (h. e. tum ante Papam Anaſtaſium tum poſt Symmachum) ſpatia excurrens. Quare his tantum fundamentis putatio temporum niti debet: primum Anaſtaſii Symmachique pontificatibus, tum annorum numero quos ſedit Stephanus, deinde ejuſdem die emortuali, ac poſtremo Veſuvianae vaſtitatis anno.

Atque ut inde ordiar: Stephanus quum duos menſes ſupra annos XV. ſederit, depoſitus vero dicatur (nam tantiſper id mihi ſumo, de Stephani I. *Depoſitione* loqui hoc die Faſtos marmoreos) die XI. Aprilis; inire pontificatum debuit circ. diem XI. Febr. At annum ipſum initae cathedrae hac maxime ratione tenebimus. Veſuviana clades in ann. 512. confertur, hunc vero non incipientem, ſed ſive medium, ſive jam vergentem. Nam ex ea flamma tanta eſt agris illata vaſtitas, ut apud Caſſiodorum IV. 50. *tributaria* agrorum *functio*, h. e. penſitatio, remitti debuerit. Ergo non ante Aprilem ſequentis anni 513. mori Stephanus I. potuit. At idem non ante Februarium anni 498. [qui fuit Anaſtaſii Papae ſecundus atque poſtremus] conſecrari epiſcopus debuit. Nam ſi priore illius Papae anno [h. e. 497.] adeptus epiſcopatum fuiſſet, jam hujus Stephani anni XV. cum menſ. II. in Aprilem anni 512. (h. e. ante Veſuvianam flammam) deſiſſent, nec Menaeorum narratio vera exſiſteret. Proinde noſter hic Stephanus menſe Febr. anni 498. epiſcopatum aſſecutus, ubi annos XV. duoſque inſuper menſes in epiſcopatu traduxiſſet, obiiſſe reperietur menſe Aprili anni 513. qui fuit Papae Symmachi penultimus. Atque id, ſi non aliud, Chioccarellum refellet, qui Stephano huic Reducem [qui, ut ad 29. Mart. oſtendimus, vergente VI. ſaeculo poſt Vincentium ſedit] ſucceſſorem dat, idque anno 510. uſque ad 513. At hos annos certo certius eſt, Stephano eſſe imputandos. Verum id obiter.

Atque ea eſt temporum Stephani I. ratio: quae quum non tantum Jo: Diaconi numeris, ſed & Veſuvianae eruptioni an. 512. & inſuper diei emortuali in hiſce Faſtis ſignato innitatur; ex eo aequi eſtimatores colligent, hunc qui hoc die colitur, adhaec Jo: Diaconi Stephanum I., ac poſtremo Menaeorum Stephanum, qui flammas Veſuvii compeſcuit, hos inquam tres unum eumdemque fuiſſe.

Atque is quidem Depoſitionis dies in his Faſtis inſcriptus parum eſt, quod cum Stephani I. calculis aptiſſime congruit, niſi etiam ab Stephani II. (quem unum prior Stephanus competitorem habet) annis diſſideret. Atqui jam ſupra [in Adnot. 66. in fine num. I.] docuimus, hunc non incipiente, ſed vergente aut medio anno 800. ex hac vita migraſſe. Quocirca hic dies Depoſitionis, qui in XI. April. incurrit, in Stephanum II. convenire non valens, palmam Stephano priori ſine controverſia tribuet.

(71) Eos ſicui forte cupido ſit, videre licebit in Hieronymi Mrologio, in Vſuardo, in indice generali Bollandiano ad finem Junii &c.

(72) Vide apud Bollandianos ad 13. April. pag. 130.

(73) Cujus meminit eod. die Baſilii Menologium, ſed ſine ſociis.

(74) Vtrumque vide apud Bollandiſtas ad 1. April. pag. 10.

Digitized by Google

Gerontius uti dux, Baſſlides vero uti ſocius ponitur, ſi recte diſtichon [75] eorum commemorationi adjunctum capio. Quam rationem Faſti noſtri ſecuti, Gerontium pro duce habuerunt; unde pro conſueto more hunc tantum adſcripſerunt, ſuppreſſo ſocii nomine.

Illud magis miror, quod quum in Graecor. libris alibi alias, ſed plerumque die craſtino, Gerontius cum ſociis ſignetur; tamen in hoc Kalendario hoc die *Paſſionis* nota Gerontio praeſcribatur. Certe id non temere eſt: & habuiſſe olim Neapolitanos Acta, ex quibus id conſtaret, credo. Ceterum & hoc fieri poteſt, ut hic quidem dies paſſionis fuerit, ſequens vero dies (quo eum plerique Graecorum colunt) ſepulturae.

XIII TRANSLATIO BEATI IANVĀ

VIdeantur dicenda ad XIX. Septembris: in quem diem ea etiam, quae ad Translationis S. Januarii Martyris feſtum ſpectant, rejicimus.

XIIII N S TIBVRTII ET VALERIANI

IN Frontonis Kalendario, & in omnibus antiquis Martyrologiis, Hieronymiano (76) Beda genuino, Rabano, Vſuardo, Adone, Notkero, adhaec Sacramentario Gregoriano, Miſſali Ambroſiano, in officio Mozarabico, & aliis pluribus Miſſalibus, Breviariis, aliiſq. Latinorū (77) monumentis hic dies ſupraſcriptis martyribus aſſignatur. Contra Graeci in Menaeis & Menologio Sirleti de Caecilia, Valeriano, & Tiburtio die XXII. Novembris agunt, at in Baſilii Menologio de eiſd. die XXIV. Vnde, ut in die incerto (quippe variantib. Graecis) heic *Natalis* non *Paſſionis* nota praeponitur. Vna cum fratribus Valeriano & Tiburtio tum Maximus cornicularius, tum alii plures martyrium fecerunt: ſed in hiſce Faſtis perpetuum hoc eſt, ut duces tantum ſignentur.

Porro apud Graecos Valerianus Tiburtio praeit, fortaſſis quia ille a Caecilia ſibi deſponſa prior converſus ad Chriſtum fuit, ac mox baptizatus. At Latini ferme Tiburtium praeferunt, credo quia prior coram Turcio Almachio Vrbis Praefecto praeclaram confeſſionem edidit, ut ex Actis conſtat. Quae quidem Acta ex S. Ceciliae hiſtoria decerpta ita hoc die Bollandiani proferunt, ut plane pro ſinceris habeant: at contra ſtat Tillemontius, cui criticorum natio adhaeſit. Verum de his vide quae inferne (78) adnotavimus.

Poſtremo occurrit in his Faſtis die XI. Auguſti *Nat. S. Tiburtii*; ſed ab hodierno alterius, ut ibi notabitur.

XV

(75) Diſtichon in hunc modum habet:

Σὺν Βασιλίδῃ Γερόντιος ἐν ξίφει
Γερὼν μυσταγωγὸς ἀμβασιλέως Λόγου.

H. e. *Gerontius cum ſocio Baſilide gladio particeps factus eſt praemiorum Verbi omnia gubernantis*. In Graeco alluditur ad utrumque nomen: quae alluſio in Latino deperit.

(76) In quo Hieronymi Mrologio etiam die XXI. April. inſcribitur, *Via Appia Natalis SS. Valeriani, Maximi, Tiburtii*: diverſo ordine & numero; nam hodierno die in eodem Mrologio & longe plures ſunt ſocii, & omnibus praeit Tiburtius. Adhaec in eodem Hieronymiano, ipſo quoq. die 22. Novemb. Caeciliae virgini *Valerianus, Tiburtius, Maximus* ſocii adjunguntur.

(77) Notanda in primis eſt vetus inſcriptio in coemeterio reperta, & in Confeſſionem S. Caeciliae translata; quam ex Boſio Florentinius ad hunc diem refert, his maxime verbis conceptam: SANCTIS MARTYRIBVS TIBVRTIO BALERIANO ET MAXIMO QVORVM NATALE EST XVIII. KALEND MAIAS. i. e. die 14. April.

(78) *In Acta SS. Tiburtii & Valeriani Animadverſiones aliquot.*

§. I. *De eiſdem Tillemontii judicium. Eorum antiquitas ex ſtylo & quibuſdam veteribus locutionibus comprobatur.* Cognatus & Cognata *quid? Abellinas inſcriptio exponitur & ſuppletur.* Fovere latebram. Centenas exſolvere. Serta. Devotare ſe. Cornicularius.

De

De S. Caeciliae historia, ex qua excerpta quae ad hos Sanctos pertinent, in hodiernum diem Bollandistae intulerunt, Tillemontii (to. 3. in Not. IV. ad S. Vrbanum) judicium tale est, plura ibi ἀσύστατα (*sibi non constantia*) contineri, proinde nec primigenia, nec sincera haberi posse, sed eadem tamen satis antiqua videri, idq. vel ex antiquo Missali Gallicano per Eminentiss. Thomasium edito posse intelligi, in quod [pag. 297. in *Immolatione Missae*] quaedam ex hac historia illata videantur. Hoc Tillemontii judicium quum verius sit, quam ut de eo dubitari possit; potes hinc colligere, non tantum aetate media, verum etiam aevo antiquiore plures prodiisse parum fideles historias, non quidem, ut ego interpretor, mala fide, verum per homines hujusmodi scriptas, in quibus judicium magis quam ingenium desiderares; quosque ut in popularibus παραδόσεσι (*traditis*) colligendis suae credulitati nimium tribuerent, sua ipsa, uti fit, in Martyres pia animi affectio stimulabat.

Ceterum ejus monumenti antiquitas & ex styli elegantia, & ex pluribus aevi antiqui locutionibus potest intelligi: quarum proderit heic aliquas ad specimen subjicere.

Ac primum videndum quid illud sit, quod num. 5. itemque 6. Tiburtius & Caecilia invicem *cognati* dicantur, quum potius *affines* dicendi fuissent: nam revera Tiburtius Caeciliae *levir*, haec vero illius *glos* erat. Atqui affines istos primo gradu hodieque Itali *cognatos* vocamus. An haec igitur locutio ex hodierno Italico petita antiquitati hujus monumenti fraudi erit? Minime omnium. Nam jam tum aevo Caesarum *Cognati* vox idem significabat. Apud Fabrettum pag. 147. Aurel. Secundinus FRATRI (Zosimo) ET COGNATAE (Valeriae Victoriae fratris sui Zosimi conjugi) monumentum fecit. Apud Boissardum to. 2. p. 127. sub icone mariti scribitur: P. VEDIO. DIOGENI. FRATRI: sub uxoris vero: *VEDIAE. FELICVLAE.* COGNATAE. Nam Vedius aliquis Publii frater, Feliculae levir, marmor ponere debuit. Apud Grut. pag. 1052. num. 11. Christiana quaedam inscriptio sic concipitur: B. M. IN. PACE. FLANIGGO. SCVTARIVS.... COGNATVS. DVLCISSIMVS. SORORIO (i. e. sororis marito) AMANTISSIMO. Atque ex his lux accedit Abellinati sane non facili inscriptioni apud Grut. p. 434. 4. quae talis est: *C. Mamercio. SP. F.* (non *Spurii filio*, sed *fine patre filio* interpretare: at vulgus eam notam pro praenomine accipiens, tandem in causa fuit, ut filii naturales, iidem & *spurii* jam olim dicerentur) Q. (quaestori) *AEDili. PRAETori. Q. ET.* (cor. *Q. IT.* i. e. quaestori iterum) *P. Paccius. Januarius. Filio. naturali. et. Mamercia. Grapte. mater. infeliciss. FILIO. et. COGNATAE. piissimis. fecerunt.* Obiter hoc est notandum, quod filius naturalis Mamercius non a patre naturali P. Paccio, sed a matre Mamercia & nomen & etiam *Caii* praenomen [nam matres etiamsi herae non essent, tamen *Caiae* sibi appellationem usurpabant] sibi adscivit: qui idcirco S. P. F. h. e. *fine patre filius* dicitur, non vero *Spurii filius*: nam pater *Publius*, non *Spurius* praenominabatur. Id, inquam, obiter. Verum illud COGNATAE quo demum refertur? Deest, opinor, inscriptionis initium, quod tale erat: PACCIAE (cui suum cognomen non deerat) SORORI, P. Paccii scil. quam ipsam Mamercia *cognatam* suam vocat. Deinde sequebatur, *Et C. Mamercio* & cetera deinceps. Ita hanc inscriptionem & explicandam & supplendam censeo. De eo, quod praediximus, S P. F. explicandum esse *fine patre filium*, memini nescio quid alicubi legisse; nequis forte aliena me compilare putet.

His expositis, non ab re videbitur Actorum loca duo, quorum gratia haec attulimus, heic adscribere. Prior locus exstat statim initio num. 5. in haec verba: *Tiburtius Valeriani frater... ingressus quasi ad cognatam suam* (Caeciliam) *osculatus est S. Caeciliae caput.* Qui ritus est studiosis notandus, ut & quod sequitur de pectoris osculo. Nam alter locus initio num. 6. sic concipitur: *Haec dicente Tiburtio, S. Caecilia osculata est pectus ejus* (suo indutu contectum) *& dixit: Hodie meum te fateor vere esse COGNATVM: sicut enim mihi amor Domini fratrem tuum conjugem fecit, ita te mihi COGNATVM contemptus faciet idolorum.* Quae Caeciliae verba quum in Rom. Breviarium illata legantur; ea gratia non invitus feci, ut in eam *Cognati* notionem (quam & olim Fabrettus animadverterat) paullulum digrederer: quam & Vandelbertus postea est imitatus, de Caecilia sic canens,

Virgo hinc cognato, sanctoque hinc fulta marito.

Eodem num. 6. v. 17. Papa Vrbanus dicitur, *Latebram sui praecavere fovendo.* Quid sit *fovere latebram*, notavimus ad 23. Martii (p. 201. col. 1. fin.) ad illa Actorum S. Castuli verba, *Tutus inveniri non poterat locus ad Latebram confovendam*, h. e. occultandam. Verum in supra scriptis verbis pro *Sui* ne dubita *suis* aut *sibi* reponere: nim. *Suis praecavere, fovendo latebram.* Mox statim: *Iste* (Vrbanus) *si inventus fuerit, atrocibus dabitur flammis, & ut dici solet, centenas exsolvet.* Vides hoc pro-

proverbiale fuisse. *Centenas* supple *plagas*. At heic, uti cernis, proverbialiter ad alia quaevis supplicia extenditur, etiam ad combustionem.

Num. 11. ante medium pulchra est operis rustici descriptio, quam necesse est saeculo minime barbaro elucubratam. Deinde illud eod. num. medio sequitur: *Crispas botrorum sertas suo partu sarmenta.... gignebant*. De *serta* vide Vossium Etymol.

Extremo num. 14. *Tunc Maximus DEVOTABAT se dicens: Fulmineis ignibus consumar, si.. non illum solum Deum confitear*. Verum quid singulis immoror, quum dictio tota saeculi non infelicis se esse partum declaret? Verum de *Cornicularii* vocabulo non pollum, quae sint e re nostra, non huc afferre.

Tiburtio & Valeriano commilitones plurimos Hieronymiana adjungunt, ex quibus tantum *Maximus CORNICVLARIVS* in Actis nominatim memoratur, ceteri sub *domesticorum* Maximi, aut sub *carnificum* (de quibus num. 15.) aut postremo sub *plurimorum* illorum, qui [ut dicitur num. 16.] *enarranti Maximo crediderunt, ab errore idolorum conversi*, nominibus veniunt. Nunc de *Cornicularii* munere videamus. Num. 14. scribitur: *Tunc glorioſi Martyres* (Tiburtius & Valerianus) *excepta sententia, a Maximo CORNICVLARIO PRAEFECTI ducebantur ad Pagum*. Extremo num. 16. *Eo quod Maximus Cornicularius cum suis omnibus factus fuisset Christianus; jussit eum tamdiu plumbatis caedi, quamdiu spiritum redderet*. Heic equidem non quaero, quid *Cornicularius* aevo antiquiore fuerit, quando *Corniculo merere* erat legionariae militiae locutio; sed quid ea vox fuerit aevo horum Martyrum, aut saltem aevo scriptoris hujus, qui quantum video, nec Constantino M. antiquior, nec saeculo V. posterior esse potuit. Jam inde vero ab Asconii tempore *Cornicularii* nomen a legionaria militia ad palatinam, & ad praefectorum officia tranierat; qui auctor ad Verr. III. sic scripsit: *Accensus nomen est ordinis, & promotionis in militia, ut nunc dicitur, Princeps, vel Commentariensis, aut Cornicularius: haec enim nomina de legionaria militia sumpta sunt*. Tria heic Asconius innuit, primum haec tria nomina *principis* (officiorum) *commentariensis*, & *cornicularii* olim fuisse legionaria, postea ad praefectorum officia fuisse tradu&ta: deinde eadem tria nomina olim vocis *Accensi* ambitu contenta fuisse: postremo *inter principem, commentariensem*, & *cornicularium* parum fuisse discriminis. Imo Julius Firmicus, qui sub M. Constantino scripsit, *corniculario* eidem ferme munus, quod *commentariensi* adscribit. *Erunt* (ait III. Math. 6.) *exceptores earum sententiarum, quae de capitibus proferuntur, aut cornicularii, aut commentarienses*. Alibi: *Cornicularii aut commentarienses, quibus damnatorum cura committatur, seu clavicularii, vel carcerum custodes, & quibus publicarum catenarum cura mandatur*. Quumq. *Commentariensis* pro carceris custode millies in Martyrum actis occurrat; etiam qui Maximus in hac historia *Cornicularius* inscribitur, is in Basilii Menologio ad 24. Novembr. κατικλάριος nuncupatur. Atqui κατικλάριος vox non aliud quam carceris custodem aut clavicularium notat; id quod innumera loca docent a Meursio & Cangio in suis Gloss. producta. Atque haec de *Cornicularii* in his Actis notione, quae nec a Martyrum horum aevo, nec a quarto saeculo, quo hoc opus prodiisse videtur, abludit.

§. II. *An haec Acta de Graeco transfusa fuerint. Nonnulla ibidem prisci moris vestigia. Almacius, non Almachius, praefecti verum nomen esse debuit.*

Est tamen, quod suspicer, hoc non primigenium opus fuisse, sed de Graeco jam tum saeculo meliore transfusum. Sunt certe quaedam loquendi genera, quae Graecismum redolent. Sic num. 2. post medium: *Dabis eis* [pauperibus] *BENEDICTIONEM meam* i. e. munus, eleemosynam: quae notio ex Gr. εὐλογία manavit. Et aevo quidem sequiore saepius Latini eo sensu *benedictionem* usurparunt, at non aevo meliore, quando haec scriptio prodiit: quod indicio est, haec ex Graeco tradu&ta. Jam num. 6. v. 17. *fovere latebram* pro *occultare*, ex Graeco θάλπειν venire, dictum fuit ad Acta S. Castuli sup. pag. 201. Verum haec forsan levia. Illud gravius, quod extremo num. 7. scribitur: *Qui usque hodie sine causa* [i. e. temere] *vixi, jam non sit sine causa quod vivam*. Nam Εἰκῇ in Glossis tum *Sine causa*, tum etiam *Temere* redditur, h. e. *sine certo consilio*. Num. 9. med. *Vos nobilitatis titulus CLARISSIMOS fecit nasci*. Atqui *clarissimatus* per honores acquirebatur, non per nativitatem transmittebatur. Verum Graece erat λαμπρότητος, quod claritudinem generis, non titulum honoris in Graeco fonte notabat. Postremo num. 16. *Invenire* pro *adipisci*, & *Suscipere* pro *Credere* meri sunt Hellenismi: sicuti & *Almachii* nominis interpolati origo de Graeco forsan venit: de quibus omnibus mox dicetur. Verum si de Graeco haec historia manavit (quod est incertum: nam id genus Hellenismi, & inde proficisci poterat, quod qui haec scripsit, is natione Graecus esset, puta libertinus aliquis Christianus) si inquam ex Grae-

Digitized by Google

co fluxit; se certe passim gessit is, qui eam Latinam fecit, non tam ut fidum interprem, quam ut primigenium auctorem.

Nonnihil etiam in hoc scripto prisci moris aspergitur: quod longe uberius esset, si haec non ad eloquentiae ostentationem composita essent, sed stylo simpliciore decurrerent. Vel sic tamen n. 7. v. 9. illud est scitu dignissimum, quod quum Tiburtius Valerianum neophytum de mysteriis scitaretur; *Caecilia dixit: De his mecum loquere, quia tirocinii tempus fratrem tuum tibi probibet dare responsum.* Ex his vides Christianos pastores ἐχεμυθίαν (taciturnitatem) Pythagoricae parem a neophytis observari jussisse.

Adhaec sciebamus quidem, in Christianorum arcis phoenicem scalpi consuevisse: at cur id fieret, docent haec Acta extremo num. 16. ubi *S. Caecilia* (S. Maximum) .... *sepelivit in novo sarcophago, & jussit, ut in sarcophago ejus sculperetur phoenix, ad indicium fidei ejus, qui resurrectionem se inventurum, phoenicis exemplo, ex toto corde suscepit.* Hoc ultimum *Suscepit* interpretare *credidit*; nam in Graeco fonte auctor repererat ἐπιλαβεῖν, quod tum *suscipiendi*, tum etiam *opinandi* verbum est. Sicuti & praecedens illud *Inventurum* idem est, quod *adepturum*: hoc ideo, quia Grecis εὑρεῖν passim est *adipisci*.

Restat de praefecti cognomine dicendum, qui in hac historia *Turcius Almachius* vocatur. Ac recte conqueritur Sirmondus, id nomen nec Latinum, nec Graecum videri. Fateor. At non continuo hinc invidia creanda est huic historiae. Nam unius aspirationis detractione, quum temere videntur librarii intrusisse, ex *Almachio* is evadet *Almacius*, quod puto verum huic praefecto fuisse Latinum cognomen. Sicuti enim ex *Scurra* fit *Scurracius* (quod nomen gentis est in Campano quodam marmore saepius repetitum) sic ex *Alma Almacius*. *Alma* autem primitivum nomen veteris Latii fuit, ex Hebraeo ortum, ut in Tyrrhenicis ostendimus; ex quo postmodum adiectivum *Almus* manavit. Tametsi quod modo cum librariis expostulabam, quasi nominis praefecti hujus corruptoribus: videndum an non potius in Graecum primigenium hujus auctorem historiae ea vulpa sit conferenda. Nam Graeci amant peregrina nomina sic leviter interpolare, ut Graecae videantur origines. Itaque Ἀλμάχιος a μάχομαι factum videri voluit: id quod & Latinus est imitatus.

De *Pago*, [sic locus is vocabatur, ubi SS. Martyres martyrium consummarunt, uti legitur num. 6. 11. 16.] eruditi Romanae topographiae indagatores viderint.

§. III. *De loco certaminis Caeciliae & sociorum. Sicilienſe Caeciliae martyrium reſtituitur. Nova Actorum defenſio inſtituitur: nim. Caeciliam cum ſoc. non ſub Alexandro, ſed ſub Marco & Commodo decertaſſe; nec ſub Vrbano jam Papa ordinato, ſed ſub eodem adhuc Presbytero Rom.*

Atque haec panca notasse sufficiat in Acta horum Martyrum, excerpta, uti dixi, ex S. Caeciliae historia apud Bollandistas hoc die. Nunc de loco martyrii horum & ipsius S. Caeciliae videamus. Romae eos fecisse martyrium quum non solum haec Acta, sed & omnis simul antiquitas dixerit; nihil causae video, quin id eis accredam. Nam quod doctiss. Tillemontius ex Venantio Fortunato contendit, eos in Sicilia passos, id non assentior. Hexameter Fortunati sic habet:

Caeciliam Sicula profert, Seleucia Theclam.

Sed vereor, ut illud *Sicula* (parum apte hic usurpatum) ex auctoris manu sit: &, ut locus sit inculpatus, sive Caeciliam dicendum est ortu dumtaxat, non etiam passione, *Siculam* ab eo dici: sive postremo tam esse Siculam Caeciliam, quam alibi eadem ab hoc ipso Fortunato *Ravennae* adscribitur. Sic enim de Ravennae Ecclesia in I. 2. loquitur:

Incolit haec (templa) *pariter Maturius atque Siſennus,*
Quos genus atque fides, & tenet una ſalus,
Sanctus Alexander, felixque Cecilia pollent.

Adhaec quum plures *Caeciliae* in libris Liturgicis adhuc supersint; cur non diversa ab Romana fuerit haec Sicula Fortunati Caecilia, tunc quidem celebris, nunc autem ignota prorsus? Ad ultimum quum in Canone Missae Sanctis Agathae & Luciae subjiceretur Caecilia; difficile non fuit, ut pro illarum alterutra, quas Siculas fuisse certo scimus, incogitanti Poetae Caecilia obrepserit. Fortunatus ipse, ineunte saec. VII. mortuus, non video cur quarti quintique saeculi monumentis sit anteferendus, quibuscum ne comparari quidem potest.

Remota igitur hac una difficultate, quae ex Fortunato creatur, nihil video, quare vetustas omnis sit deserenda, quae Caeciliam & socios Romae coronatos praedicavit. Hunc martyrii locum passim Acta eloquuntur: quae mihi videntur IV. aut V. saeculo scripta. Eumdem locum Hieronymi Mrologium Lucense & Corbejense indicat hoc die his verbis: *Romae via Appia in coemeterio Praetextati natalis SS. Tiburtii, Valeriani, Maximi*, & aliorum commilitonum: etsi in antiquiore Anuerpiensi *Romae* tantum scribitur, omissis *Via*... & *Coemeterio*.. Adhaec die XXII. Novemb. in omnib.

Hie-

Digitized by Google

Hieronymianis Caecilia *Romae* ponitur, ut & in Romano parvo, sive Rosvveidano Mrologio.

Tillemontius quid ad haec? Nempe is suspicatur, quia horum MM. corpora Romam postmodum forsan translata fuerint, ob eam causam a posteris fuisse creditum, eos Romae subiisse martyrium. Verum credibile ne est, non tantum Caeciliae, sed & Tiburtii, Valeriani, Maximi (quorum res gestae cum Caeciliae Actis non solum in hac historia, sed & in Missali Gothico Thomasii, & in omnibus Latinorum Graecorumque monumentis sunt implicitae) imo & plurium adhaec sociorum [quos Hieronymiana adnectunt] Reliquias advectas fuisse Romam? Demus vero ita factum esse. At eam certe tam opimam Translationem non ante pacem Ecclesiae datam contigisse, opus erit. Jam vero post Ecclesiae libertatem quid opus fuisset ea corpora parum honorifice in coemeteriis abdere? an non sub Ecclesiarum altaribus primo appulsu condi debuissent? Ita sane. Nunc certo scimus, ea anno 821. a Paschali I. in Coemeterio Praetextati reperta fuisse [quod nec Tillemontius negat] imo & eadem coemeteria ad multam aetatem nomen *S. Caeciliae*, itemque *SS. Tiburtii & Valeriani* retinuisse, de quo vide Aringhum to. 1. pag. 474. 478. Imo illud mirabilius est, jam olim sub Papa Symmacho h. e. ante saeculi V. finem memoratam reperiri Romae Ecclesiam S. Caeciliae dicatam; quam & longe ante id tempus stetisse, verisimile est. Cur non igitur Caeciliae corpus de Sicilia in eam Ecclesiam recto itinere invectum fuit, potius quam in coemeterium abderetur? Omnino autem quocumque te verteris, in monumenta de Romana Caeciliae & sociorum passione incurres: nec Acta quae terrimus, etsi non optima fide scripta, at pervetusta tamen, id tam fidenter & impune affirmare potuissent, nisi apud omnes confessum haberetur. Quocirca nullusdum Latinorum aut Graecorum fuit, qui alibi quam Romae Caeciliam cum suis decertasse dixerit. Rem vero ita testatam negare, id, nequid gravius dicam, *Communi sensu plane caret*. Et tamen Tillemontii sententiam Bailletus, aliique patrum Gallorum adhuc admirantur.

At videamus, quid ex Sicilia commodi apportet Cl. Tillemontius. Sic, inquit, sibi meliùs Acta constabunt, alioqui ruitura; quippe quae dicam sub Vrbano Papa (h. e. sub Alexandri principatu fautoris Christianorum) persecutionem plenis buccis decantant. Nam si Tillemontium audias, satis erit, si Caecilia cum sociis sub Vrbano aliquo Sicilienſi episcopo, & Almachio rectore Siciliae decertaverit: cetera deinde satis prono alveo fluent. Nihil enim proclivius factu fuit, quam ut postea scriptor ille ex Vrbano Siculo episcopo Papam Vrbanum faceret, deque Almachio provinciae rectore, Almachium urbis praefectum interpolaret.

Equidem difficultatem, quae ex Vrbani Papae & Alexandri principis pacatis temporibus petitur, esse gravissimam, nec sub ejus principatu tam saevam persecutionem admitti posse, fateor: sed eam tamen difficultatem aliunde dilui posse, salva hujus scripti in praecipuis historiae capitibus auctoritate, non diffido. Et Caeciliam quidem non Alexandri sed *Marci Aurelii & Commodi impp. temporibus passam*, tum Vsuardus, tum etiam Ado differre ad 22. Novemb. docuerunt. Sub eisdem nominatim principibus Caecilia cum sociis certasse dicitur in quibusdam Actorum exemplaribus. At in editis plurativo saltem numero alicubi imperatores designantur. At enim, ais, quo pacto sub Marco & Commodo Vrbanum Papam reperiemus; quem sub Alexandro sedisse, certissimum est? Verum equidem contendo, quae in Actis ab Vrbano Papa gesta dicuntur, ea Vrbano eidem, verum adhuc Ecclesiae Romanae presbytero, esse tribuenda. Res autem quemadmodum mihi gesta videatur, ordine referam.

Quum Marcus atq. Commodus ab anno 176. ad 180. una regnaverint, intra id tempus coerceri omnino debet Caeciliae & sociorum passio. Atqui per eos annos non Vrbanus, sed Eleutherus in cathedra Romana sedebat: quum contra in libris omnibus hagiographis sub Vrbano ea accidisse dicantur. Fateor. Verum ea monumenta omnia intelligi oportet de Vrbano presbytero, qui diu postea etiam Papa fuit. Hic igitur ille Vrbanus est (qui merito in Actis num. 2. v. 6. *Senior* i. e. *presbyter* inscribitur) qui circ. annum 180. Tiburtium, & Valerianum baptizavit, quique in crypta coetui Christianorum praecerat. Et Acta quidem Christianorum multitudine gentiles ipsos tunc superatos fuisse narrant, dicente Valeriano [extremo num. 12.] *Innumerabilis multitudo Christianitatis est ... vos pauci*. Id quidem falsum est: at certe quidem numerosior tunc erat plebs Christiana, quam ut uno contineri loco, unaque latebra contegi posset, & ab uno pastore doceri. Quocirca praeter Eleutherum Papam crediderim etiam unum aut plures presbyteros, annuente pontifice, coetus coegisse fidelium, erudivisse catechumenos, ac baptizasse. Etenim Presbyteris ut docendi, sic etiam cum jussione episcopi baptizandi jus atque morem fuisse, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Canon Apostolicus XLIX. & veteres omnes consentiunt.

Digitized by Google

XV P S THEODORI MAR

ET heic quoque *Theodorus presbyter*, utpote dux, ſolus adſcribitur: ſocius tacite ſupplendus venit, qui *Pauſilypus* fuit. Qui poſterior varie ſcriptus reperitur, cum duplici aut ſimplici P, aut cum inſerto I. In Sirleti Menologio hoc die: *SS. MM. Theodori & Pauſilippi, Hadriano imp. & Precio praeſide Europae*) (Europam Thraciae provinciam intellige, in qua CPolis)... *gladio caeſi ſpiritum Deo commiſerunt*. At in Menaeis excuſis & MSS. ſocius Παυσιλύπιος vocatur, quem Maximus Cytheraeus *Pauſalypium* nuncupavit. Poſtremo in Baſilii Menologio ſolus *Pauſilypus* (ſic recte ſcriptus) die VIII. hujus menſis colitur. Martyrologium Romanum (ex Sirleti credo Menologio) hoc die *Theodorum* & *Pauſilippum* poſuit. Jam porro alibi conjiciebam, hujus Menologii interpretationem antiquiorem Sirleto videri: quod vel hinc apparet; nec enim Sirletus Graece doctiſſimus hujus nomen corruptum dediſſet, qui ſciret illud ex λύσιν venire. At medio aevo paſſim a librariis, imo & ipſis auctoribus in hac parte peccatum fuit. Tamen hae merae ſunt ſuſpiciones.

XVI

At, inquis, etſi Vrbanus alicubi in Actis *Senior* i. e. presbyter [quod tamen nomen etiam epiſcopis tribuitur] nuncupatur; at idem tamen [num. 3. v. 2.] *Epiſcopus*, & [num. 6. v. 13. itemque num. 8. v. 6.] *Papa* diſertim vocatur. Equidem nolo heic excipere, *Epiſcopi* & *Papae* voculas a librariis intruſas fuiſſe, qui non alium quam Papam Vrbanum noſſent, eumdem autem antea presbyteratu fungi potuiſſe, non cogitarent. Nam age demus, eas voculas e manu ſcriptoris Actorum fuiſſe. Tum vero ſic res habere debuit. In prioribus monumentis horum Martyrum, ſiqua hujus hiſtoriae auctori ad manus fuerunt, aut ſaltem in Vrbani Papae vita ſcriptum erat, Valerianum atque Tiburtium ab Vrbano Papa fuiſſe ſacro lavacro tinctos: id quod hodiedum apud Anaſtaſium in Vrbano legitur. Et id quide κατὰ προλῆψιν (*per anticipationem*) qua nihil eſt familiarius, intelligendum fuerat, h. e. id eſſe factum ab Vrbano adhuc presbytero, qui poſtmodum Papa fuit. At vero Actorum iſtorum conditor, qui id daret operam, ut per longiores ſermocinationes eam hiſtoriam ſpiſſiorem faceret, ſic loquentem fecit Tiburtium, quaſi ſi revera tunc Vrbanus pontificatu fungeretur. Quod unum veritati hiſtoriae potiſſimum fraudi fuit; quum caetera ſuſque deque haberi poſſint.

Verum, inquies, ab anno 180. (quo mortuus eſt M. Aurelius) ad annum 222. [qui primus Papae Vrbani fuit] plus annis quadraginta interceſſit: nec videtur veriſimile, Vrbanum jam presbyterum, ad alios duos & quadraginta annos advixiſſe antequam epiſcopus fieret: illud vero multo eſt difficilius, eumdem Vrbanum, cui ſub ſaeviſſimis perſecutoribus tamdiu docendi ac baptizandi impunitas fuiſſet, demum poſt annos amplius quadraginta ſub Alexandro pacifico principe Martyrem occubuiſſe. Fateor equidem, Vrbanum ad multam aetatem prorogare vitam debuiſſe, at non eo uſque, ut ejus vivacitas fidem ſuperet. Is aevo horum Martyrum quinque & viginti annos natus eſſe poterat; per legis ſcil. annariae gratiam: ſi modo Canon tunc ullus erat, qui preſbyterorum aetatem definiret. Nam Neocaeſarienſis canon, qui trigeſimum annum in preſbytero requirit, longe eſt recentior; ac videtur credibilius, in Eccleſiae primordiis *aetatem ſenectutis* fuiſſe (ut ait Scriptura) *vitam immaculatam*. Secundum hos calculos Vrbanus minor ſeptuagenario pontificatum iniiſſet, ac multo minor octogenario in pace occubuiſſet. In pace, inquam: nam hunc non fuiſſe martyrio functum, recte Tillemontius oſtendit. Jam vero fac, ſi lubet, Vrbano nonniſi tricenario manus ad presbyterium impoſitas fuiſſe: vel ſic tamen, ſi paullo ante annum Chriſti 180. annos aetatis triginta numerabat; circiter octogenarius anno Chriſti 229. obiiſſet.

Ex hactenus dictis illud etiam conſtat, in his Actis [ubi a collocutionibus, quas auctor ex veriſimili commentus videtur, amplificationibus, forſan & epiſodiis, diſceſſeris] cetera videri vera; praeſertim quū eadem Acta perquam antiqua fuiſſe oſtenderim, quarto ſcil. aut ad ſummum quinto Chriſti ſaeculo elucubrata.

Digitized by Google

XVI P S LEONIDI MAR

NOn eſt *Leonides* Athenarum Epiſcopus, cujus pridie memoria fit in Menaeis tum editis, tum pluribus eorum manu exaratis & Maximo Cytheraeo (de quibus Henſchenius ad XV. April. pag. 378.) quippe quum is martyr nuſquam dicatur: ſed eſt *Leonides* plurium Martyrum Corinthiorum anteſignanus, de quibus hoc ipſo die XVI. April. agit Baſilii Menologium, Menaea, & alii Graecorum libri; ut & Nicephorus Gregoras apud Henſchenium hoc die pag. 403. At in Synaxario Claromontani Collegii Pariſienſis de S. Leonide & Sociis agitur die ſequenti. Nolo heic ſociorum Leonidis nomina proferre, quae nonnihil variant in Graecorum libris. Plura qui de his ſcire cupit, adeat laudatum Henſchenium loco cit. Illud non omittendum eſt, quod ſicuti huic Martyri in his Faſtis praefigitur P. i.e. *Paſſio*, ſic etiam in Baſilii Menologio praeſcribitur Ἄθλησις, quod idem ſignificat: ex quo colligas, hunc diem habitum fuiſſe pro horum militum triumphali die.

XVII N S AGAPITI P̄P̄ RŌM

A Latinis colitur die XX. Septembr. in Rom. Martyrologio, quo die is CPoli translatus, in Vaticana Baſilica ſepultus fuit. At Graeci in Menaeis, necnon in Menologio tum Sirleti, tum Baſilii Porphyrogennetae de eod. agunt hoc die XVII. Aprilis. Quo argumento falſo nituntur ii, qui hoc eod. die illum mortuum volunt: nam in Synaxario Claromontani Collegii Pariſienſis non hoc die, ſed ſequenti is poſitus reperitur. Praeterea in Vſuardi auctariis a Sollerio editis, alibi die XXI. Aprilis, alibi (quod uſitatius) ejuſd. menſis die XXII. conſignatur: ac in poſteriorem hunc diem conſentit apud Baronium Beda (Bedam auctum, non genuinum intellige) & MS. Vaticanum S. Petri, Barberinum, & alia apud Bollandiſtas ad 22. April. in praetermiſſis. Ex dictis conſtat, de hujus Papae die emortuali plane non conſtare, ſed probabiliorem videri eorum opinionem, qui die XXII. Aprilis mortuum cum Anaſtaſio Biblioth. cenſeant. Haec opinionum incerta noſtrum marmor auget potius quam tollat, in quo non *Depoſitio* ſed *Natale* (h. e. merum feſtum) die XVII. conſignatur.

XVIII N S ELEVTHERII

NOli *Eleutherum* Papam heic intelligere, de quo Romanum Martyrolog. die XXVI. Maii; ſed alterum epiſcopum ac martyrem, ac plurium aliorum martyrum anteſignanum: qui tamen ſocii in hiſce Faſtis omittuntur, duce tantum ſignato, uti ſemper alias. Et quidem Eleutherii cum Anthia tantum matre ejus hodie meminit Martyrol. Romanum, Florus, Vſuardus, ut alios taceam: at in Hieronymi Martyrologio legitur in hunc modum: *Romae natalis SS. Eleutherii & Antiae matris, Partheni, Caloceri, Febi, Procüli, Apollonii, Fortunati, Criſpini, Expediti, Mappalici, Victorini, & Gagi*. Apud Graecos autem *Eleutherii* (quem Illyrici epiſcopum faciunt) & *Antiae* matris ejus ἀθλησις (h. e. quod Latinis *Paſſio* dicitur) omiſſis ſociis, non hoc die ſed XV. Dec. magno feſto colitur in Menaeis, Baſil. Menol. aliiſque libris: idque feſtum antiquiſſimum videtur, ab eo ſaltem tempore repetendum, quo *Templum S. Eleutherii* (verba ſunt Codini in Originib. CPolitanis) *tempore Arcadii imp.* (V. ineunte

Digitized by Google

saeculo) *aedificatum fuit*; utique occasione reliquiarum Roma illuc translatarum, uti conjicit Papebrochius. Vides in Eleutherii festivo die a Latinis Graecos diversos abiisse. At Neapolitani, ut qui Graeco-Latini dici jure potuerint, duplex de Eleutherio festum in hisce Fastis consignarunt, semel cum Latinis hoc die, iterum cum Graecis die XV. Decembr. Non quod, uti ego interpretor, in una eademque Basilica bis illud festum ageretur, sed quod in Latinorum quidem Ecclesiis hodie, in Graecorum autem die XV. Decembr. officium fieret. Paria plura exempla passim in his Fastis observantur. Et puto sic fere semper factitatum fuisse, quoties in die assignando inter Latinos Graecosque dividiae occurrerent; modo ne duorum dierum alter alio Sancto (sive Graecorum sive Latinorum) occuparetur. Illud etiam heic reputandum est, nostri marmoris auctorem existimasse (recte an secus, non interpretor) diem Eleutherii triumphalem non hunc diem fuisse (quippe heic *Natale* praefigitur, h.e. γενικὸν *festum*) sed XV. Decembris, cui diei ω P. i.e. *Passio* praenotavit. Nam ibi sic legitur: P. S. ELEVTHERII EPI. De Eleutherio & soc. v. Papebr. hoc die p. 528. & Tillem. to. 2.

XVIIII N S PHILIPPI EPI MAR

NOn alius esse potest quam *Philippus* Heracleae in Thracia Episcopus, qui cum duobus sociis Severo presb. & Hermete Diacono Hadrianopoli martyrium consummavit; quorum Acta post Mabillonium in suis Analectis, postea Ruinartus pag. 409. correctiora dedit. Heic pro more dux tantum signatur, socii tacite intelliguntur. Miror autem unde Vsuardus & alii Martyrologi *Eusebium* etiam Philippi commilitonem faciant, cujus nulla in Actis fit mentio. Nisi quod suspicor praeter ea Acta sincera, fuisse alia adulterina a Martyrologis visa, in quibus plura praeter verum proderentur. Auctor certe Martyrologii ejus, quod falso Bedae tribuitur, non tantum *Eusebium* Philippo socium adjungit, sed & horum passionem sub imperatore Juliano (79) perperam ponit: quod argumento est, eo tempore fuisse alia horum Martyrum Acta, in quibus & de Juliani principatu, & de Eusebii commilitio scriptum esset. At Rabanus Acta Mabilloniana legisse deprehenditur, ipse in recensendis sociis satis verax.

Jam vero mirum id est, quod quum Martyrologia omnia tum antiqua (ut illud Hieronymi Florentinianum) tum recentiora hos Martyres die XXII. Octobris consignaverint: tamen non alius, quod sciam, quam Grevenus in Auctario ad Vsuardum de his Martyrib. hoc die XXII. Aprilis agat, vel sic tamen triduano intervallo ab his Fastis. At noster Auctor ceteroqui persuasum habuit, hunc diem non fuisse Athletis istis βασίσιμον: atq. ob eam causam non praefixit hoc loco ω P. i.e. *passio*, sed *Natale*, commune festis omnibus nomen; sive quod in hunc diem Translatio reliquiarum inciderit, sive Dedicationis Ecclesiae; sive quod, quum dies XXII. Octobris *Passione* SS. Cosmae & Damiani (vide infra eo die) occuparetur, visum fuerit S. Philippi & sociorum festivitatem loco movere, atque huic diei vacuo affigere.

Quamquam nec diem XXII. Octobr. his

[79] In Pseudo-Beda, uti dixi, horum passio sub Juliano Apostata ponitur: ex quo id hausisse videntur tum Molanus, tum etiam Baronius, quorum uterque in suis Mrologiis eos pugiles sub Juliano signaverunt. At Ruinartus & Tillemontius Actorum sinceriorum, quae habemus, narrationes cum Juliani principatu cohaerere negant, quas Diocletiani temporibus convenire malunt. Itaque horum passionem ad annum CCCIV. conjecerunt: quod recte nec ne procedat, in Adnot. 83. expendetur.

Digitized by Google

his Martyribus emortualem fuisse suspicor: de quo videsis inferne (80) adnotata.

Cur vero de his MM. in Thracia passis, quorum dux Heracleae, quae est Thraciae Metropolis, Episcopus fuerit, nulla in libris Graecorum Byzantinorum (h.e. Thracum) liturgicis memoria consignetur, nihil habeo quod reponam. Idque eo mirabilius erit, si (quod pro certo habet Tillemontius in Nota ad haec Acta) quam nunc eorum Latinam terimus historiam, ea de Graeco transfusa in Latinum fuerit. Nam certe debuissent Acta Graece scripta in Thraciae Ecclesiis asservari. Tametsi vero praestare nequeo, Acta Latina, cujusmodi nunc leguntur, de Graeco (81) fuisse traducta; adhuc tamen Graecorum de hisce Sanctis silentium admirationem ciet.

Et

[80] *De die & anno emortuali hodiernorum pugilum.*

Non alio plane argumento Philippi & sociorum passio in XXII. Octobr. ab eruditis confertur, quam quia in Hieronymianis Mrologiis ceteriisque posterioribus eo die de iis agitur. At eo argumento non aliud efficitur, nisi quod eo die festivitas illorum recurreret. At festi diei origo potuit ex aliqua Inventione, Translatione, aut Dedicatione principio manare. Quid quod in Actis proxime finem reliquiae Martyrum mox ut a flumine extractae fuerunt, celatae primo narrantur in quadam possessione *ornata & MESSIBVS & vineis*? At ubinam gentium extremo mense Octobri messes reperias?

Sed erit fortassis, qui pro XXII. Octobri sic rationes ineat. Circiter Epiphaniae festum Martyres primum interrogari torquerique coeperunt. Ab eo tempore facile legenti Acta menses duo tresve fluxisse videbuntur usque ad illud tempus, quo Bassi successor Justinus iterata quaestione *jubet, ut iterum mittantur in carcerem* (uti num. X. initio scribitur) *& SEPTEM continuos menses in illo custodiarum paedore conficiant*. His porro septem evolutis mensibus, recte eorum consummatio in extremum Octobrem incidet. At equidem ante omnia inter primam Bassi interrogationem [quae non statim post Epiphaniam, sed aliquo post tempore contigisse videtur] interq. tormenta, ac diutinam detentionem, longe plus temporis exactum fuisse; ex Actorum lectione colligo, quam ut septem menses ab Justini adventu ad exeuntem Octobrem superesse adhuc potuerint. Nec Justinum crediderim, quamdiu mare clausum fuit, in provinciam pervenisse. Nam Vegetio teste lib. V. c. 9. *Ex die III. Id. Novembr. usque in diem VI. Id. Mart. maria clauduntur*. Qui mox addit: *Quae ante Idus Majas periculose maria tentantur*. Itaque terme non videtur ante mensem Junium Justinus in provinciam appulisse; imo nec primo statim appulsu Martyres (quasi si ejus tantum negotii causa venisset) interrogasse; nec postremo exactis septem custodiae mensibus, illico Adrianopolim abduci eos fecisse; nec ut eo abduxit, statim eos sibi sisti jussisse ac damnasse. Quae omnia si ex intervallo, uti par est, facta intelligamus; non erit dubium, quin horum exitus gloriosus in ver saltem anni sequentis incidere debuerit, quando jam sata *messium* nomine appellari, & germinare vineae coepissent. Ex qua observatione si me audis, non modo emortualis dies ab Octobri mense dimovebitur, verum etiam annus passionis non 304. (quod huc usque persuasum eruditis fuit) sed 305. fuisse statuetur; etsi anno 304. primae quaestioni iidem admoti fuerint. Aut si vero sub Decio passi fuerunt (ut infra ostendam) eorum passio anno 250. incepta, postremo anno 251. consummari debuit.

Verum quae de die emortuali disserui, non eo dicta velim, quasi qui horum pugilum consummationem in hunc diem XIX. Aprilis (quo de S. Philippo in his Fastis agitur) incidisse, perdite cupiam. Nam quum hic vaga *Natalis*, non autem *Passionis* nota peculiaris adponatur; parum mea interest, quis maxime dies athletis hisce ultimus fuerit.

[81] *Utrum haec Acta de Graeco reddita fuerint.*

Cl. Tillemontius in Not. ad ea Acta putat, hanc historiam de Graeco Latinam factam, idq. extra controversiae aleam vult poni hoc uno indicio, quod tale est. „ *Quidam vero circa beatum Philippum* „ *au lieu de PHILIPPVS* (οἱ δὲ περὶ τὸν Φίλιππον) *suffit pour prouver, que cette piece est traduite du Grec, & mal traduite*. Equidem suspicor eum locum ut in Actis a Mabillonio editis exhibetur, Tillemontii conjecturae qualemcumque ansam praebere potuisse. At in editione certe Ruinartiana is locus belle se habet, nec potest ad Graecam locutionem οἱ περὶ τὸν Φίλιππον ullo modo referri. Sic enim in Ruinarti exemplo

emen-

Digitized by Google

Et plura quidem attulimus, ex quibus ea Acta illustrentur: cetera, quae adhuc restant, contuli in subjectum (82) spicilegium.

Po-

emendatiore legitur num. V. v. 10. *Quidam vero circa beatum Philippum in foro sedebant, ubi venale quodcumque proponitur; ad quos cum pervenisset hinc* [i. e. ab Ecclesiae incendio] *nuntius, praesentibus exponebat* (S. Philippus) *dicens*. Ac porro sequitur S. Episcopi concio.

Quamquam si voluntas sit veros ceteroqui Hellenismos in his Actis scrutandi, hi potissimum rimanti se dabunt. Num. V. v. 9. *Tanta vero subito ad caelum flamma* PRAECESSIT: pro PERVENIT, ex ἔφθασε, quod tum *praecessit*, tum etiam *pervenit* significat. Ibid. v. 14. ante finem. *Exussit eum, quem Ephesini* DEVM *habere se credunt*: Dianam scil. Nam Graecis passim [Latinis perraro] Θεὸς communi genere pro θεὰ *dea* usurpatur. Num. VI. v. 1. *Dum haec longo sermone* MEDITANTVR: i. e. *concionantur*, ex μελετῶν, quod utrumque notat. Num. VI. v. 15. *Ait Bassus*: *Civitatis saltim sacrifica* FORTVNAE: ubi sic posuisse videtur, quia in Graeco τύχῃ repererat, quod *Fortunam* significat. At si Latine haec primum prodiissent; scribi debuisset *Civitatis Genio*. Nam tum in hac locutione *Genium* Latini vocant, quod Graeci τύχην, tum in aliis passim: id quod & ex marmoribus constat, & ex libris, & ex vet. Glossis, in quibus *Genius* redditur τύχη, & contra. Num. X. v. 13. *Vsque ad* PRAESENTIAM (i. e. adventum) *praefidis servabantur*: nam παρουσία utrumque designat.

Non continuo tamen hinc colligendum est, quam terimus scriptionem, meram esse de Graeco interpretationem: tanta ibi profecto ubique orationis majestas, Latinique sermonis [ut illa aetate] proprietas & elegantia micat. Aut si de Graeco haec tracta fuerunt; materiam inde quidem dumtaxat mutuatus est scriptor, at Graeci exemplaris vestigia minime pressit. Nam scriptum hoc αὐτόφυες [*primigenium*] esse habendum, sat scio, lectores mecum omnes statuent. Possim id quoque suadere ex Num. VIII. v. 1. *Annuus successor advenit, IVSTINVS quidam nomine, sed mente perversus*. Verum (ut aequum me geram judicem) nec Latina ad Justini nomen alluso evincet, non fuisse haec de Graeco traducta; quia potuit eam interpres de suo admetiri: nec Graecismi illi, quos supra recensui, contrarium arguent; quia *lecuti* hodie apud Italos innumerabiles sunt locutiones ex linguae Gallicae aut Hispanicae ingenio petitae; sic quarto & quinto saeculo plurima scriptores verbis quidem Latinis, sed notione de Graeco petita eloquebantur. At vero id sanius est judicium, quod ex dictione universa exsistit: quae dictio heic prope clamat, id opus pro primigenio haberi debere.

Quid si ostendero, non tantum hanc historiam Latine primitus scriptam fuisse, sed ipsum etiam S. Hermen Latine quaedam fuisse elocutum? quod argumentum, ne heic longum faciam, in sequentem Adnot. ad Num. XIII. mihi reservo.

Illud tamen mirabile est, quod hujus historiae scriptor adtuisse videtur iis quae gesta sunt, magna saltem ex parte. Nam Num. III. v. 9. sic loquitur: *Maerori tunc omnes fratres instantes, luctum atque angustias civitatis* AGNOVIMVS. Tametsi non est difficile, inter tot Christianos Heracleae degentes fuisse tunc aliquem Latini oris, qui haec a se visa scripserit. Porro autem utrum ob hanc unam Latinae scriptionis causam, S. Philippi notitia ad posteriores Graecos transmissa non fuerit, viri eruditi judicaverint.

Postremo volo tantisper largiri, hanc historiam de Graeco fuisse transfusam. At illud certe censorium Tillemontii judicium (nisi vero ad editionem horum Actorum Mabillonianam id referatur, quam minus emendatam esse ajunt; nec enim vidi) illud inquam (& *male traduite*) quis ferat? Nam utrum quid elegantius scribi his Actis aut luculentius potuerit, lector judicet.

(82) *Ad Acta SS. Philippi Ep. Heracl. & sociorum, praeter dicta in superioribus,* Παραλειπόμενα [relicta] *plura*.

§. I. *Ad sectiones* 2. 3. 4. *Extremi judicii propinquitas*. *Quid* Epiphania *heic*. *Quid* Stationarii. *Quampridem Perinthus* Heraclea *dici coeperit*. *Quid sit* Colligere. *Textus emaculatur*. *Quid* Iniuria. *Quid* Scripturas olim *vocaverint*.

Num. II. v. 8. *Praedictum jam* (a Christo) *tempus advenit*. *Nutantis saeculi extrema volvuntur* &c. Ex imminenti extremo judicio ad perferendum martyrium Philippus hortatur. Nam quae Christus de Hierosolymitana vastitate tamquam vicina, praedixerat, ea plures Christianorum ad extremi judicii tempus referebant. Quod quum instare crederent, ea persuasione proposita plebem ad mundi contemptum & malorum perferentiam incitabant. Sic

Cy-

Digitized by Google

Cyprianus instante persecutione, Antichristum adventare monebat. Pluribus supersedeo.

Ibidem sic pergit sanctissimus antistes: *Epiphaniae dies sanctus incumbit: quae res admonitionem nobis praestat ad gloriam.* Vix dubitaverim, quin id festum heic intelligatur, quod eodem sub nomine die VI. Januarii hodieque & olim celebratum fuit. At vero (ut ad VI. Januar. monebam) fuere olim Ecclesiae, in quibus Natalis Domini die VI. Januarii celebraretur; nihiloque minus id festum *Epiphania* vocabatur: quae vox *praesentiam* aut *adventum Numinis* ex usu Graecorum notans, *Natalem* sive *Adventum Domini* significare nata esse videbatur. Confer quae citato loco diximus; nec non plurima Patrum Graecorum loca a Suicero collecta [in Ἐπιφάνια num. II. 1.] ex quibus luculenter patet, eo vocabulo illos significasse priorem adventum Domini, nonnumquam & Domini *Natalem* ejusque festum. Heic equidem Heracleotas cum Aegyptiis, Cypriis apud Epiphanium, aliisque Natalem Domini die VI. Jan. [& quidem sub *Epiphaniae* nomine] celebrasse, plane non praesto. Quid enim id praestem? quum Chrysostomus tom. 5. Hom. 33. festum Natalis Domini in *Thracia*, ut & ceteris ad occidentem Ecclesiis die XXV. Decembr. celebratum fuisse, testetur; idemque colligatur ex Nanzianzeni Hom. 38. quae CPoli dicta videtur. Tamen responderi potest, non nisi post sedem imperii CPoli fixam inductum fuisse, ut in Nova Roma aeque atque in Vetere, Natalis Dominicus die 25. Decemb. coleretur (id quod ibid. Chrysostomus etiam in Syriam ex Vetere Roma propagatum, narrat) ac antea Thracias Ecclesias forsan die VI. Januarii ejusdem Natalis festum agitasse cū oriente. Vtut est; nescio quomodo hoc loquendi genus, *Epiphaniae dies sanctus incumbit*, ad veluti intento digito indicat. Nec enim nisi sanctiora festa cura maxima de longinquo annunciabantur, ad quae se fideles piis operibus comparare deberent. Jam vero si Heracleae seorsum Natalis Dominicus die XXV. Dec. colebatur; debuisset Episcopus ab eo potius festo [sive imminente, sive nuper celebrato] argumenta ad martyrii cohortationem capere, quā ab eo festo, quo vix aliud olim quam baptismus Servatoris recoleretur. His intellectis, non necesse est, hanc a Sancto episcopo concionem inceptam, uti volunt, Januario fuisse habitam; nam & vergente Decembri anni praeteriti eidem concioni locus esse potuit.

Num. III. v. 1. *Aristemachus stationarius.* De militibus stationariis multa est in utroque Codice mentio. Sunt ferme qui alibi *curiosi*, aliisve pluribus nominibus appellantur, omnia perscrutantes, & ad praesides perferentes, horumque jussa exsequentes. De his vide Pancirolum ad Notitiam, & alios. Fit & stationariorum, tamquam carnificum, mentio in Actis Numidarum Martyrum.

Num. IV. v. 1. *Postea quum in Heraclea ad Dominicum convenissent* &c. *Heraclea*, cujus Philippus Episcopus fuit, Thraciae metropolis erat, antea *Perinthus* vocata, uti docuit Zosimus. Quampridem autem *Heraclea* dici coeperit, incertum est. Ac videbatur admodum recens id nomen Zosimi aetate fuisse; qui de ea sic scripsit I. 6. quo loco ait, insidias Aureliano Imp. factas *commoranti apud Perinthum, ἣ* ΝΥΝ Ἡράκλεια μητρόπολις, *quae NVNC* (si verbum verbo appendas) *Heraclea transnominata est.* Verum & monosyllabum νῦν latiorem interdum ambitum habet; & haec ipsa verba possunt sic commode verti, *Quae nunc mutato nomine Heraclea dicitur.* Ceterum jam tum Ptolemaeo [qui sub M. Aurelio philosopho florebat] scribente novum id nomen sibi illa quaesierat, apud quem legitur, Πέρινθος ἥτοι Ἡράκλεια, *Perinthus sive Heraclea.* Quem sane Ptolemaei locū falso suspectum Cellarius habuit, quippe *Heracleae* nomen recentius Ptolemaeo esse suspicatus. Falso: nam Trajani numismata tria cum hac epigraphe, ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΑΝ, *Heracleotarum Metropolitarum* [sicuti & Gordiani Pii unum eodem modo inscriptum] in Vaillantio reperio. Atqui inter plures Heracleas nulla est alia hujus nominis *Metropolis* praeter hanc Thracicam: quam non aliunde quam ab eodem Trajano τῆι πρωτείαι *primatum* illum obtinuisse, ex iisdem illis Trajani nummis suboritur mihi suspicio. Interim & *Perinthi* nomen diu in nummis perduravit, sane usq. ad tertii saeculi imperatores; nam etiam sub Gallieno *Perinthiorum* numismata reperiuntur. Cur, inquis, saepius *Perinthios* se, quam *Heracleotas* in nummis vocabant? An, quod τῆς νεωκορίας *Neocoriae* dignitas (quae passim in eisdem nummis legitur) *Perinthiorum* nomini illigata in decreto fuerat, hinc mansit inscriptio Περινθίων νεωκόρων, aut Β νεωκόρων, i. e. *Perinthiorum* (semel aut bis) *neocororum*? Atqui etiam in Graecis S. Acacii Actis [apud Bollandianos die VIII. Maii] qui sub Diocletiano decertavit, ea urbs passim antiquiore *Perinthi* nomine donatur. Itaq. utrumvis nomen ad multam aetatem viguit. Sed & utrumque nomen junctim usurpavit Sozomenus VI. 7. ubi Hypatianum Ἡρακλείας τῆς Περίνθου (*Heracleae Perinthi*) episcopum dicit.

Digitized by Google

Quid ita? Suſpicor, ita appellatam, non tam ut a ceteris per orbem *Heracleis* diſtingueretur (nam ſatis id poterat adjuncto *Thraciae* praeſtari) quam ut ab altera ejuſdem Thraciae *Heraclea* ſecerneretur, quam a Ptolemaeo prope *Apros coloniam* recenſeri reperio. At iſta altera, nemini quod ſciam memorata, vix πολίχνιον (*urbecula*) fuiſſe videtur. Itaque in Agathodaemonis tabulis Ptolemaicis plane, ut oppidulum effigiatur; dum interim *Perinthus Heraclea* mole & ambitu ſupra ceteras urbes eminet. Quae & poſt Ptolemaeum magis increvit, poſtquam Severus Byzantium in vici formam redegit, ac Perintho ſervire juſſit.

Ibidem v. 2. *Praeſes Baſſus* &c. In Gruteri indicibus plures ſunt *Baſſi* conſules, aliiſve honoribus functi: ſed utrum eorum aliquis huc trahi poſſit, in Adnot. ſequenti diſcutiemus. Eſt & Graeca inſcriptio apud Grut. 1090. 20. exhibens quemdam *Anicium Baſſum* ἀνθύπατον Καμπανίας *Proconſulem Campaniae*. Ibid. v. 6. praeſes *legem imperatoris* memorat *jubentis nuſquam COLLIGERE Chriſtianos*. Vbi *colligere* elegantius eſt, quam *convenire*, quod in Ms. Corbeſen. legitur. *Colligere* ſic abſolute dixit pro *collectas facere*, quemadmodum & Graecis id vocatur συνάγειν, unde *ſynaxis*. Tertullianus in de fuga in perſec. ſtatim initio capitis 14. *Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo Dominica ſollemnia celebrabimus*? Ad ea mox reſpondet: *Si colligere interdiu non potes, habes noctem* &c. Id imitatus eſt poſtea Anaſtaſius Biblioth. praefat. ad VIII. Syn. de Photio ſcribens, *Cum eis ſeorſum colligebat*. Mox illud ſequitur in S. Philippi reſponſo v. 16. *Facile enim nos, qui a vobis pellimur, iſta* (vaſa) *contemnimus*. Prior editio . . *quae a vobis petimur* . . . quod tolerabilius eſt. Sed tamen ex utraque lectione ſic ſanari locus debet, *Facen. qui a vobis petimur* (i. e. impetimur) &c.

Ibidem v. 23. *Philippum* [praeſes Baſſus] *aſſtigi praecepit injuriis*. Quid *injurias* appellet, ex ſequentibus conſtat. In Gloſſis a Car. Labbaeo editis *Injuria* (praeter alias notiones) eſt ἀικία i. e. *verberatio*. Et ἀικίας δίκη Graecis eſt, quae in Latina juris prudentia *injuriarum actio* dicitur. Quamquam in noſtro jure *Injuria* latius patet; nec tantum ad verbera, ſed & ad convicium, aliaſve ignominias pertinet: quibus notionibus pleni ſunt JCtorum libri. Verum heic *aſſtigendi* verbum (quod proprium fuſtigationis eſt) vagam *Injuriae* notionem adſtringit. Mox ex S. Hermae verbis liquido apparet, *Scripturarum* nomine, quas tradere Chriſtiani cogebantur, veniſſe non ſolum Divinas, verum etiam quaecumq. ſcripta aut commentaria ab Eccleſiae doctoribus elucubrata, quae in Eccleſiarum armariis aſſervabantur. Atque earum *Scripturarum*, poſt illas divinitus inſpiratas, prima erat penes Martyrum Paſſiones dignatio, ut ad initia Obſervationum Biblicar. oſtenſum a me fuit. Porro hinc factum, ut per haec incendia pleraſque hujuſmodi primigenias hiſtorias maximo cum detrimento amiſerimus.

§. II. *Ad ſectiones* 5. 6. 7. 8. 9. *Eccleſiarum tecti ornatus*. Expono *pro* diſſero. *Quid* Interrogare *in judiciis*. *Heracleae nummi*. *De decurionatu S. Hermae Diaconi pulcher locus exponitur*. *Decuriones qui fuerint in Graecis urbibus*. *Pſalmi* ἐθνικοί. Magiſtratus *pro* Stratego. *Quid* Claudicare *ſit*. *Angelos Martyribus paſſim auxilio veniſſe*.

Num. V. v. 4. *Dominici tectum devoluto omni tegularum fraudabatur ornatu*. Iſte *Ornatus tegularum* dat intelligere, non tantum gentilium templorum tegulas inaurari, aliove ſolido ex metallo conflari conſuevisſe (vel Panthei Romani tegulas quis ignorat?) verum etiam ipſius tertii ſaeculi Chriſtianos ornamentis hujuſmodi ſtuduiſſe. Item de vaſis aureis & argenteis locutus eſt proxime auctor num. IV. Mox v. 12. *Praeſentibus exponebat* [S. Philippus] *dicens*. Vbi *Exponebat* pro *diſſerebat* Graeciſmus eſt, ex ἐξηγεῖτο, quod & *exponere* & *diſſerere* ſignificat. Sequitur pulchra §. Philippi diſſertatio de igneis eruptionibus aliiſve incendiis, ad quam commentabimur ad XIX. Maii, ubi de S. Patricii Actis.

Num. VI. 3. *Caenam iſtam, quam cernitis, diabolica eſt invocatio*, h. e. Diabolicam invocationem implicitam habet. In Actis SS. Theoduli & ſoc. ſub Maximiano ad ſimilem μαγοφαγίαν Chriſtiani compelluntur. Notanda heic eſt Latina ſyntaxis, *Caenam quam cernitis, eſt invocatio*. Cui ſimile eſt illud, *Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt*; cujuſmodi & plura exempla enotarunt grammatici. Ibid. v. 11. *Philippum ſic praeſes INTERROGAT dicens*: *Immola victimas numini*. *Interrogare* judices dicuntur, quidquid reum alloquuntur, ac tum etiam, quum non ſciſcitantur, ſed jubent, ut hoc loco. In Cyrilli Gloſſis ἐξετάζω [verbum judiciale h. e. *examino*] redditur *Interrogo*. Deinde v. 19. *Ait Baſſus*: *Moveat te vel praeſentis Herculis tam pulchrum ac tam immane ſimulacrum*. Poterat PRAESENTIS pro cognomento Herculis accipi, qui alibi POLLENS, POTENS &c. in marmoribus cognominatur. Tamen ſenſus obvius non diſplicet. In fo[r]
haec dicuntur; in quo ſigna plura ad ornatum
eſſe decuit, & inter cetera *Fortunae civitat*
(ad

Digitized by Google

(ad quam heic proxime v. 16. digitum intendebat praeſes dicens: *Aſpice quam pulchra, quam laeta eſt &c.*) itemq. Herculis ejus urbis tutelae, a quo & urbs *Heraclea* vocabatur. Merito in horum Heracleotarum nummis ſub Trajano cuſis Hercules ſtans, aut ſuffocans leonem, in poſtica parte apud Vaillantium exprimitur. Hinc autem occaſione arrepta Philippus in ſimulacrorum vanitatem invehitur: inter cetera contendens, peccaturos gentiles, ſi quando ligna in uſus alios adhibuerint, quia ex iis poterat fieri Deus. *Nam quum ad uſus domeſticos lignum aliquod incenditur, dei veſtri corpus exuritur . . . Dicis: Lignum illud non erat Deus. Reſpondebo tibi: Sed eſſe poterat, quum placuiſſet artifici.* Plenae ſunt Chriſtianorum Apologiae talibus irriſionibus. Ac ne gentiles ipſi cordatiores a ſubſannando ſibi temperabant. Horatii Satira de Priapo hic incipit:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber incertus, ſcamnum, faceretne
Priapum:
Maluit eſſe deum. Deus inde ego furum aviumq.
Maxima formido.

Num. VII. v. 5. vides S. Hermen diaconum fuiſſe decurionem. Nam immunitas a decurionatu ceteriſque publicis muneribus a Conſtantino primum clericis data fuit. At heic valde notandum eſt, S. Hermen quamdam quaſi immunitatem, qua poterat, ſibi arrogaſſe, ubi ait: *Decurio ſum, & [tamen] Doctori meo in omnibus obſecundo.* Quod hanc habet ſententiam: Quamvis decurio ſim, tamen nec publicis ſacrificiis interſum, nec quidquam eorum facio, quae paganicam impietatem ſecum involvunt; uti meus me antiſtes edocuit. Quum autem *decurionem* heic audis, noli hinc colligere, Heracleam fuiſſe Romanam coloniam. Nam qui βουλευταὶ [i. e. ſenatores] in Graecis urbibus vocabantur, ii Latinis reddebantur *decuriones*, uti conſtat ex Vulgato interprete, qui Joſephum ab Arimathaea *decurionem* eſt interpretatus, quum Graece eſſet βουλευτὴς. Sic etiam in Gloſſis βουλευτὴς idem qui *decurio*. Tametſi *decurionis* vox Graecis urbibus, quam coloniis Rom. eſt convenientior. Quid ita? Quia in coloniis decuriones plures ferme erant: quo apud Graecos plerumq. decem tantū eſſent; qui & ex eo δέκα πρῶτοι i. e. *decem primi* vocabantur. In Philoxeni Gloſſis: *Decuriones*, δέκα πρῶτοι. V. 21. *Sed quaſi nihil paſſus ſanctiſſimus ſenex erigebatur a terra*: forſan pro *Ipſe ſe erigebat*: paſſivum pro verbo activo reciproco. Mox v. 24. *Tum pſalmum dicentes Domino.* Noli heic de Pſalmis Davidicis cogitare, verum de hymnis ἰδιωτικοῖς, quos ſive ex tempore pro re nata canebant, ſive ex iis, quos memoria tenebant, aliquem propoſito congruentem. De eo nos ad Pauli Epiſtolas. V. 7. ante finem FABVLIS pro *confabulationibus*.

Num. VIII. v. 5. *Tunc Zoilus Magiſtratus illius civitatis . . ad tribunal eum* (S. Philippum) *praefidis juſſit adduci.* Qui heic Latine *Magiſtratus* vocatur, non dubito, quin ab Heracleotis Στρατηγὸς *Strategus* vocaretur: quae vox tritiſſima eſt in Graecarum urbium magiſtratibus, uti patet ex nummis & lapidibus, & ex dictis ad Acta SS. Theoduli & ſoc. ad IV. April. ubi & oſtendimus, Strategos iſtos in N. T. & Latinis ſcriptoribus reddi *Magiſtratus*.

Num. IX. v. 6. ante finem. S. Hermes ait: *Ab hac* (fide) *claudicare non poſſum.* Pulchra translatio; ſicuti & illud Eliae proph. *Quid claudicatis in utramque partem.* Eadem notione *claudicandi* verbo & Graeci utuntur, cumque ea praepoſitione, quae noſtro huic AB reſpondet. Galenus in IV. Symptom. τὸ χωλεῦον παρ' αὐτὸ τὸ λόγου. *Quae pars ab oratione* (h. e. diſputationis ſcopo) *claudicat.* V. antepenult. *Reſpondit Hermes: Quantumvis graves dolores a te impoſitos, per Angelos ſuos nobis, pro quo patimur Chriſtus imminuet.* Locus eſt apprime notandus; ſicuti & infra num. X. v. ult. S. Philippus, etſi *delicatus ac mollis, nulla tunc ſentiebat incommoda, ope tectus angelica.* Quibus docemur, nihil eſſe cauſae cur critici faſtidioſiores, ubicumque angelorum miniſterio tormenta ſive minui, ſive etiam non perſentiſci, aut omnino Angeli caelitus demiſſi leguntur, ea protinus nauſeabundi tamquam portentoſa repudient. Atqui Martyrum duci Chriſto non alia de cauſa *apparuit Angelus confortans eum*, niſi uti diſcamus, quid qui ei συμπάσχουσι (*compatiuntur*) exſpectare debeant.

§. III. *Ad ſect. 10. 11. 12. Thraciarum alia aliis temporibus diſpoſitio.* Tractare & Meditari. *Vera lectio textui aſſeritur. Duplex linea. Lignis ambuſtis utebantur ſtatuarii. Quid* Tumuli & Carceres. *Heracleotarum in ſuis ſacris illuvies quo ſpectet.* Participes *quid. Adminiſtrantium conſilium ex aſſeſſore uno & pluribus participibus conſtitiſſe, oſtenditur.*

Num. X. v. 5. *Tunc* (praeſes) *Adrianopolim eos* (Martyres) *praecepit adduci*: ubi & eos demum morte damnavit. Thracia univerſa in Ammiano, Sexto Ruſo, & in Notitia Imperii ſex in provincias tribuitur, *Europam, Thraciam, Haemimontem, Rhodopam, Myſiam* ſive Moeſiam (inferiorem) & *Scythiam*; quae a totidem rectoribus regebantur, duobus conſularibus Europae & Thraciae, quatuorque

Digitized by Google

praesidibus ceterarum provinciarum. Verum haec dispositio temporum posteriorum fuit. Sed aevo horum martyrum [quos medio tertio saeculo passos in seq. Adnot. dicam] una ne an multiplex provincia fuerit, nusquam proditum reperio: nec enim Ptolemaica illa *Strategiarum* (h. e. praeturarum) XIV. partitio ab Romanis est. Interim in his Actis praesidi uni non tantum metropolis Heraclea, verum & Hadrianopolis (quae caput Haemimontis postea fuit) parebat; ut facile sit conjicere per haec tempora ac porro, saltem usque ad Constantinum, pleraque Thraciarum uni rectori paruisse. De Flaccino, sub quo *Europae proconsule* S. Acacius aevo Diocletiani decertavit, videbimus in seq. Adnot.

Ibidem v. 12. *In SEMPORI cujusdam suburbano*. Nec Graecum id nomen est, nec gentis Romanae alicujus, ex iis certe, quae ex inscriptionibus aut libris innotuerunt: ut plane videndum sit, annon auctor SEMPRONI scripserit. Ceterum novae quotidie gentes ex detectis lapidibus emergunt: nec difficile est, ex *Semper* deflecti potuisse gentis, si ulla fuit, *Semporiae* aut *Semperiae* nomen. V. 15. *Quid huc usque* (supple *mente*) *tractasti*? Sic num. III. 12. *Tractare* & *Meditari*, uti synonyma ponuntur. Ac sicuti *Meditari* in his Actis pro *concionari* ponitur, sic etiam *tractare* apud Ecclesiae scriptores idem significat; unde *Tractatus* sunt conciones. Mox in Philippi verbis ὦ PVNISTI, quod in MS. legitur, rectius est, quam *posuisti*. Dixerat praeses: *Dilatio ista* [septem mensium, quibus in carcere macerari jussus est Martyr] *ad mutandum tibi fuerat permissa consilium*. At simul diutinus ille carcer in poenam irrogatus fuerat. Hinc Martyr appositе respondet: *Cur ad veniam tempus imputas, quod* (i. e. qua parte) *punisti*? At *posuisti*, quod editum fuit, nihil est. Huc pertinet illa in hodierno forò absolvendi formula: *Carcer cedat in poenam*, i. e. satis sit pro poena. V. 17. ante finem: *Pars linea, quae honestum* (Philippi) *pectus velabat, inlaesa permansit: illa vero quae dorsum tegebat, per partes rupta* [virgar. scil. ictibus] *discesserat*. At enim paulo supra, *Ei etiam linea corporis* dicitur *ablata*. Quid ergo est? an iterum reddiderant induendam? An potius duplex erat linea; & superiore ablata, interior manserat?

Num. XI. post medium S. Hermes ait: *Nonne hic torris ambustus abstractus de flamma est*? *Quae ergo adhuc hominibus est cupido, qui ad lignum obustum* (sic enim melius in Ms. legitur, quam in edito *obtusum*) *ac letiferum confugistis*? Quibus videtur innuere, lignis ambustis consuevisse statuarios uti ad simulacra exsculpenda, ad majorem nim. firmitudinem, & ne rimas agerent. Post duos versus S. Hermes sic pergit: *Vos autem qui cum ingenti luvie vestis & corporis, capillis sordidis ac dimissis, quibus TVMVLOS & templa observatis & CARCERES, videmini mihi deos vestros non colere, sed lugere*. Quo loco *Tumulorum* nomine λόφους i. e. colles intellige, in quibus dii colebantur: *Carceres* vero nihil minus quam noxiorum custodiam designant, sed est ἀφετηρία sive janua aut linea; unde equi emittuntur ad cursum. Vide Servium ad Aen. I. 58. & V. 145. notantem, noxiorum locum dici num. sing. *Carcerem*, at plurativum *carceres* esse id, unde emittuntur quadrigae. Confer & veteres Glossas. Circenses autem, ut & ceteri ludi, pars erant paganicae religionis, nec sine suis ritibus peragebantur. At miror, Perinthios in suis religionibus non tantum promisisse capillum, sed & vestis illuviem affectasse. Huc spectant μελανηφόροι h. e. *atrati* ministri sacrorum apud Grut. 84. 3. & Reines. I. 134. de quibus dicam ad Osee X. 5. Deinde v. 10. ante finem S. Hermes praesidi sic respondet: *Non te solum, sed circumstantes singulos opto fieri Christianos*. Sumpsit haec ex Pauli responso Act. XXVI. 29.

Mox ibidem V. 8. ante finem: *Tunc praeses .... communicato cum PARTICIPIBVS & adsessore consilio, talem edidit .. sententiam*. Quantivis pretii locus: ex quo intelligas, quid praesidis consilium complecteretur, nim. unum *adsessorem*, non plures: nam ceteri qui in consilium adhibebantur, vocabantur *Participes*, sive *consiliarii*, minoris utique dignationis, quam *adsessor* erat. Atque hic locus plurimum utrique Codici lucis affundit. Hinc enim intelligitur illud l. un. C. si rector provinciae: *Quod ita patere volumus, ut non solum circa administrantes, sed etiam circa ... participes* (*idest consiliarios*) .. *locum habeat*. Illud *Idest consiliarios* omnino videtur heic Tribonianus interposuisse: multo aptius *Participum* vocabulum interpretatus, quam Graeci in Eclog. dicto loco, ubi συνεδρίους i. e. *adsessores* illos vocant. Non recte: quia *adsessor* omnis, simul *particeps* (supple *consilii*) erat: at non quivis particeps, continuo adsessor dicebatur. Nam, ut ex his Actis vides, *Adsessor* unus erat (cui supra extremo num. IV. *Publio* nomen fuit, sur reprobi vasorum sacrorum) *Participes* plures. Item *Administrantium socii atque participes* occurrunt l. *Omnis* 5. C. Theod. de iis quae administrantibus. Postremo *Participatus* & *Consortium* (tamquam synonyma) junguntur l. 3. C. Theod. de incest. nupt.

Num.

Digitized by Google

Num. XII. in oratione S. Severi. *Qui ... Abrahae divitias* (non alias quam pollicitationes intellige) *obtuliſti*. In eadem: *Qui Judith armaſti, qui liberaſti Suſannam* &c. quae quidem inter ea referuntur exempla, quae ex Scripturis petuntur. Vides, quid tunc Thracia de his libris ſenſerit, quos novatores ſpernunt.

§. IV. *Ad ſect. 13. 14. 15. Viſum Martyris exponitur. Ejuſdem joculare dictum explicatur, & plura inde colliguntur: praeſertim de his Actis Latine primitus ſcriptis, & cur hos Martyres Graeci ignorent. Pulcher locus de livore aurium Martyris explanatur.* Vox Ogetiſtyron *quo pacto ſit refingenda.*

Num. XIII. *S. Philippus manibus portabatur ad flammam* (h. e. quod antiquis dicebatur *inter manus*) *dolor enim pedum aliter eum ire non paſſus eſt.* Sic ſupra num. VIII. v. ult. idem Philippus *ad carcerem fratrum manibus reportatur.* Mox v. 14. columba, quae ſecundum quietem *eſcas gratiſſimi cibi* Hermeti offert, Euchariſtiam notaſſe Martyri forſan videbatur (ac fuit tempus, quum in pendula argentea columba Euchariſtia aſſervaretur) quod indicio propinquae paſſionis eidem fuit; quippe inſtante martyrio communio dabatur.

Ibidem v. 21. S. Hermes ubi jam in loco ſupplicii conſtitiſſet, *Fuſte SVSTINENS trepida hinc inde veſtigia*, (quippe laborans ex pedibus) *riſu nimio ſic locutus eſt dicens: Neque heic me, diabole, SVSTINERE potes.* Quid riſum Martyri elicuit? aut quid in his verbis falſi eſt? Ludítur omnino in verbi *Suſtineo* ancipiti ſignificatu. Nam in ſpeciem videbatur ſumi pro *Fulcio*, ſicuti & priore loco accipitur: at revera Martyr accepit pro *Tolero*. Itaque & ἀναπλάσσει in ſcriptore heic occurrit, a quo eadem vox alia atque alia notione uſurpatur: at in ſolo Martyris dicto jocus eſt ſimilis *illi* Auguſti apud Macrobium II. 4. in Vettium monumentum patris exarantem: *Hoc eſt vere monumentum patris colere*. Hic autem locus, ni vehementer fallor, aperte oſtendit, hanc hiſtoriam non de Graeco tranſuſam, ſed Latine primitus ſcriptam fuiſſe. Nam nullum, quod ſciam, Graecum eſt verbum, quod duplicem illam verbi *Suſtineo* ſignificationem obtineat, tum ſcil. τὸ ὑπομένειν *fulciendi*, tum etiam τὸ ἀνέχεσθαι *tolerandi*. Atqui ſcriptor priore loco unam, poſteriore alteram ſecutus eſt notionem. At inquis, ſi haec ratio valeat, neceſſe erit & Martyrem Latine dictum illud uſurpaſſe: nam ſublato ancipiti verbi *Suſtineo* ſignificatu, jocus deperit, nec erat cur ipſe prior in riſum ſolveretur. Fateor, ita prorſus fieri debuiſſe, niſi ſcriptorem ſive inſcitiae, ſive impoſturae accuſare velimus: quorum utrumque vel ſimplex horum Actorum inſpectio amolitur. Quid ergo eſt? An revera ſicuti Latinis verbum *Suſtineo* & pro *Suſtento* ſive *Fulcio*, & pro *Patior* ſive *Tolero* uſurpatur; ſic etiam Graecis unum aliquod verbum fuit utroque ſignificatu praeditum? aut ſi non Graecis aliis, cur non ſaltem Heracleotis id in uſu fuit? Id quidem fieri potuit. At poſtremo ſi nec Graecis communiter, nec privatim Heracleotis anceps id verbum ſuppetebat; quid in eo abſurdi fuerit, ſi ſuſpicemur, medio III. ſaeculo Heracleotarum cultiores non tantum Graece, verum etiam Latine doctos fuiſſe? Mitto heic longius petita argumenta: quod poſt Antonini Caracallae legem totus orbis Romanus civilitatem Rom. adeptus, ſimul Romanam linguam videtur impenſius excoluiſſe: & quod in Notitia Imp. ſect. 56. mentio ſit *Thracum civium Romanorum*. At certe ex eo tempore, quo Thraciae limes imperii factae, ſtativa legionibus praebuerunt, debuit Heraclea metropolis [quae etiam Romani praeſidis, & tot dignitatum atq. officiorum ſub diſpoſitione praeſidis, ſedes erat] Romanam callere & interdū uſurpare linguam, in tantum ut paullo politiores cives, iidem bilingues eſſent. Quid porro miramur, ſi S. Martyr, ſtipatus tot praeſidis officiis Latini oris, joculare dictum, non niſi Latina lingua effabile, Latine ſit elocutus? Id porro ſi verum ſit; tum illud minus mirabimur, fuiſſe tunc inter Chriſtianos Heracleotas aliquem Latine doctum, qui horum Martyrum Acta [quibus ipſe interfuit, uti patet ex illo *Agnovimus* num. 3. v. 9.] Latino ſermone conſcripſerit. Fuerint omnino & alii, qui eadem Graeco eloquio exornaverint, ut in coetu fidelium legerentur. At in Dioclétianea perſecutione, Scripturis undique conquiſitis atque igni traditis, Graeca illa perierunt: his interim Latinis, quae extra armarium Eccleſiae ſervabantur, adhuc aetatem ferentibus. His ita expoſitis, non valde mirabimur, cur Graecis CPolitanis hi pugiles, quamvis in vicino paſſi, tandem omnino latuerint.

Ibid. v. 25. pro *Velogium* (quod neque Graecum neque Romanum eſt) Corb. affert *velociter*, ſed frigide. Fortaſſis aut *Velocium* ex manu auctoris fuit [quod potuit Romanum huic fuiſſe nomen] aut *Eulogium*, ſi Graecum fuiſſe nomen mavis. V. 6. ante finem. *Juvenis es* &c. pulchre ex obliqua oratione ad directam tranſit: nam ad filium haec pertinent. Mox illud *Cum omnibus bene converſatum* idem eſt ac quod in ſaxis ſcribitur SINE QVERELA.

Num. XIV. v. antepen. S. Hermes poſt mortem

Postremo horum pugilum agonem cur in Deciana potius, quam Diocletianea tempora incidisse, putem, videbis in subjecto(83)Schediasmate adnotatum.

XX.

tem reperitur *lividis pauliſper auriculis, quaſi ex certamine quodam*: nempe quia in pugilatu auriculae ab antagoniſta peti ſolebant, atq. contundi. Porro hanc eſſe veram loci hujus pulcherrimi interpretationem, oſtendunt *aurium fungi*, quos in pugilibus taxat Tertullianus in de ſpectaculis extremo cap. 23. eleganti ironia uſus: *Tales enim cicatrices caeſtuum, & callos pugnorum, & aurium fungos a Deo, quum plaſmaretur, accepit*. Vbi *fungi* ſunt ex contuſione tubercula calloſa, quae & *clavi* (Gr. ἥλοι) & *fungi* appellantur. Plinius XVII. 14. *Olea . . clavum etiam patitur, ſive fungum placet dici*.

Num. XV. v. 2. *Vt forti ſanctorum corpora Hebro juberet* (praeſes) *immergi*. Ne dubita, quin *fortium* ſcripſerit auctor. Nam ad Hebrum id epitheton referre & frigidum & intempeſtivum fuerat. V. 7. ante finem Sanctorum corpora celata dicuntur *in villa, quae ſermone patrio Ogetiſtyron, interpretatione vero linguae Latinae Locus poſſeſſorum vocatur. Ea poſſeſſio & fontibus abundabat, & nemore ornata & meſſibus & vineis*. Vltima verba longe aliam, quam extremi Octobris (quo conſummatos eos volunt) notionem animo ingerunt, ut expoſuimus in Adnot. 80. Nunc quid illud *Ogetiſtyron* ſibi vult, aut vero, ut in Corbejenſi ſcribitur, *Getiſtiron*? Cotelerius duce interpretatione Latina vult fuiſſe primitus ſcriptum φῶτος κτηνῶρων. Verum haec longiſſime ab hodierna lectione abeunt. Quid ſi nomen villae fuerit, ὄγμος κτηνῶρων, aut Latinis litteris *Ogmos ctetoron*, ſive (uti vulgo pronuntiabant) *ctitoron*? Deinde quum in vetere exemplari, ex quo cetera ſunt propagata, prima tantum & ultimae ſyllabae illaeſae manerent, mediae vero ferme evanuiſſent; hinc deſcriptor portentum illud *Ogetiſtyron* extudit. Ὄγμος autem Euſtathio interprete eſt ὁ ἀροτριαθεὶς φῶτος, *aratus locus*, itemque στοῖχος καὶ αὐλακοῦδης φυτεία h. e. *paſſinatio ordine & per ſulcos facta*. Vtraque notio convenit recitatae deſcriptioni auctoris hujus hiſtoriae. Ceterum videtur is fundus antea incultus fuiſſe, nec ullius plane domini: deinde ſic obtinuiſſe, ut eum qua parte quiſque excoluiſſet, eam partem poſſeſſionem ſuam efficeret, & ad heredes transmitteret. Idcirco additum κτηνῶρων poſſeſſorum.

Tandem, ut ſemel dicam, quod plurib. in hoc, & hujus ſimilia monumenta commentari animum induxi meum; id eo pertinere volui, ut lectori curam injicerem, cupidinemque ipſa monumenta, gaza quavis pretioſiora, viſendi. Nec enim animadverſa iſtiuſmodi, non adito textu, cum voluptate leguntur. Ruinarti *Acta Martyrum*[, ubi & horum haec hiſtoria legitur] ſunt in omnium manibus.

[83] *Schediaſma. Quod horum Martyrum paſſionem non in Diocletiani, ſed in Decii tempora incurrerit.*

§. II. *Eccleſiarum everſionem & ſcripturarum combuſtionem, non ita Diocletianeae infectationi peculiares fuiſſe, oſtenditur, ut non etiam Decianae convenerint.*

Ruinartus hoc Martyrium ad perſecutionem Diocletiani, & annum 304. retulit: quod & ſecutus eſt Tillemontius in Not. ad S. Philippum, quippe hujus hiſtoriae characteres ei potiſſimum tempori convenire arbitratus. Abſq. ea una cauſa foret, in cladem Decianam & in annum 250. is propendiſſet.

Fateor equidem, demolitionem Eccleſiarum, ſacrorumque librorum concremationem (de quibus fit in his Actis mentio) eſſe duos Diocletianeae perſecutionis peculiares indices. Sed tamen haec eadem non video quin fieri & in ſaeviſſima Deciana procella potuerint, ſi non ex edicti juſſione, at ſive inſtigantibus urbicis magiſtratibus, ſive ex praeſidum πολυπραγμοσύνῃ, ad mentem ſe principum magis quam ad edicti complexum & continentiam ſe conformantium; ſive quod plura edictis juſſa pro re nata, & ex frumentariorum delationibus, ſuperinducebantur per epiſtolas aut reſcripta principum: quaeque id genus alia in hanc ſententiam dici poſſint.

Verum quidquid id fuit: prope certum habeo, a Deciana perſecutione Eccleſiarum ruinis non defuiſſe: quod ſic oſtendo. Ex longa pace, quae ante Decium fuit, ubique patim Eccleſias fuiſſe conſtructas, Chriſtoque propalam fuiſſe ſervitum, nemo ignorat. At vero ſub Valeriani initia h. e. ante exortam procellam, reperio, Chriſtianos non in Eccleſiis, ſed clam in coemeteriis egiſſe conventus. Declarat hoc S. Dionyſius Alexandrinus adverſus Germanum apud Euſebium VII. 11. ubi Aemilianus praefectus ſic alloquitur Chriſtianos: *Nullatenus autem vobis licebit conventus agere* (οὔτε ἐν τοῖς κεκλεισμένοις καιμητηρίοις ἐπιτρέπομεν) *aut ea quae vocantur coemeteria ingredi*. Eadem plane verba recitantur in Actis proconſularibus S. Cypriani

Digitized by Google

priani extremo n. 1. ubi Paternus proconsulit: *Praecceperunt etiam* (Valerianus & Gallienus) *ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec coemeteria ingrediantur.* Atque ea coemeteria, necubi conventus fierent, ab eodem Valeriano Christianis ablata fuisse, ex eo ostenditur, quod Valeriano capto, Gallieni constitutione [quae ab Eusebio indicatur VII. 13.] Episcopis permissum fuit, *ut loca* (τὰ καλούμενα κοιμητήρια) *quae vulgo coemeteria dicuntur, recuperarent.* Si ergo primis Valeriani annis, & sub ipsum persecutionis tempus fideles non in Ecclesiis, sed in coemeteriis coetus agebant; an non id argumento est, sub proximo persecutore Decio Basilicas magnam partem fuisse eversas? Dixerit aliquis, prioribus illis Valeriani annis Christianos se cryptis continuisse, non quod Ecclesiae deerant, sed recentium malorum experientia doctos. Quibus ego respondeo, nullum fuisse tempus tranquillius Christianis, quam priores Valeriani annos, antequam is princeps a Macriano in Christicolas irritaretur. Nec enim solum nostris is impense favebat, verum etiam domum Augustam totam Christianis repleverat, Ecclesiae quam ante similiorem. Quocirca si per id tempus alibi quam in Basilicis synaxes nostri celebrabant, non impediti timore, sed ex templorum inopia, quae jam olim subruta ferant, illo se modo gerebant: non aliter ac remittente Diocletianea persecutione, adhuc tamen Christiani in coemeteriis conventus agebant apud Eusebium IX. 2. Cur? nisi quia Ecclesias Diocletiani procella sustulerat?

Jam vero ad scripturas quod attinet; earum *traditio* a defectoribus Christianis facta, peculiaris aevi Diocletiani fuit [teste Augustino in VII. de Bapt. contra Donat. 2. ubi a morte Cypriani ad *traditionem codicum* numerat quadraginta & quod excurrit annos] non item earum perquisitio & concremation.

§. II. *Praesidum nomina, persecutionis initium, quod eadem omnes complecteretur, ac supplicium lentitudo, non Diocletianeae, sed Decianae infectationi congruunt. Ad hanc eamdem Mucapor digitum intendit. Mucaporem hunc fuisse sub Aureliano ducem Thracii limitis. Eumdem Mucaporem in his Actis memoratum non esse alium ab Aureliani interfectore. Hinc ex elogio, quo is in his Actis notatur, tempus hujus scriptae historiae proxime constituitur, post annum scil. 275. De Basso & Justino praesidibus conjecliones. Vetus elogium parum intellectum expeditur. Epilogus.*

I. Ceterum plura sunt, quae vetant hanc passionem in tempora Diocletiani conferre. Quorum illud quidem levissimum est (quod urget Tillemontius in Nota ad hos MM.) quod his Actis parum conveniat cum Actis S. Acacii sub Diocletiano in Thracia passi: nam in his Flaccinus tantum Europae, non item Haemimonto praeest, quum in S. Philippi historia rector unus utramque provinciam moderetur. Leve hoc inquam; nam satis scriptori fuit Flaccinum Europae praesidem dicere, qua in provincia is Martyr pugnavit, superfluis jurisdictionis parte altera, quae ad rem non faceret. Confer dicta in superiore Adnot. num. IV. initio.

II. At illud gravius, quod Flaccinus is, quem modo nominavi, sub quo passus est Acacius, videatur plane idem atque ille Flaccinus, qui (teste Lactantio) de mortib. persecutor. cap. XVI. praefectus praetorio fuit, id vero sub annum 305. aut 306. Id si est; necesse erit, Acacium non anno 306. [quod vult Tillemontius] sed 304. ab eodem Flaccino rectore Europae sive Thraciae fuisse damnatum. Ita enim facile intelligemus, hunc ex Europae rectore ad praefecturam praetorianam anno sequenti fuisse promotum. Interim vero si anno 304. Flaccinus Europae praefuit; quo pacto eamdem provinciam eodem anno in S. Philippi Actis Bassus, ac post eum Justinus regere potuisset? Nec enim serius anno 304. S. Philippi quaestionem (in qua initia persecutionis designantur) licet figere. Quocirca non aliud relinquitur, nisi ut S. Philippi martyrium ad Deciana initia retrahatur. Et haec, uti dixi, eatenus tantum valent, si modo Flaccinus Europae rector idem fuerit, ac qui postea praefectus praetorio fuit.

III. Adhaec si ad Diocletianeam denuntiationem S. Philippi quaestio pertineret; nimium supine se praeses gessisset: qui quum exeunte Februario anni 303. edicta imperialia prodiissent, ad usque Januarium sequentis anni Ecclesiam Heracleae Metropolis claudere, ac persecutionem inchoare distulerit. Nec supinitatem tantam mitiore tantum praesidis ingenio defendere possis. Nam quantavis Bassi lenitas (cujus Acta mentionem faciunt) ut sanguini, non ut fabricis & Scripturis parceret, stimulabat. At Decianis edictis haec pulchre quadrant; quibus sub finem anni 249. propositis, quid mirum si non ante ineuntem annum 250. procella detonuerit Heracleae?

IV. Accedit, quod in his Actis num. IV. v. 7. & alibi edicta generalem sacrificandi necessitatem omnibus Christianis imponunt. At in prioribus Diocletiani edictis ad pastores tantum ea jussio pertinebat; nec nisi anno altero post Pascha (uti Eusebium interpretantur) eadem

jussio

jussio ad omnes Christicolas novo edicto prorogata fuit. Contra vero Decianum edictum initio jam universos complectebatur.

V. Deinde longissimae custodiae maceratio [cujusmodi in his martyribus cernitur; quos diu a Baso tentos, etiam ejus successor Justinus jussit *iterum* mitti *in carcerem, & septem continuos menses in illo custodiarum pavore conficere*, ut dicitur num. X.] carcer, inquam tam diuturnus, sicuti & leniora supplicia, non sunt Diocletianeae sed Decianae persecutionis character; uti constat ex Cypriani epistolis, & ex quolibet illo Decii Edicto Tolosae edito an. 1664. Id enim agebatur, ut longissimo carcere, aut lentiorum tormentorum diuturnitate lassati fideles, tandem victi succumberent. Hinc num. X. v. 15. Justinus S. Philippi animum adhuc pertentans, ait: *Quid huc usque tractasti? nam dilatio ista* (septem mensium) *ad mutandum tibi fuerat permissa consilium*. Nec in hac passione supplicia, nisi mitiora occurrunt. Vide prae ceteris num. VIII. ante finem.

VI. Postremo loco id afferam, quod mihi eam curam injecit, ut hos martyres sub Decio ponerem. Num. IV. medio sic scribitur: *Ad haec S. Martyris* [Philippi] *verba carnifices mox praeses jussit adduci. Tunc ipsius naturae expers atque humanitatis ignarus Mucapor ingreditur*. Ex quibus verbis potest conjici *Mucaporem* istum carnificibus praefuisse, sive sub nomine *principis officii*, sive *commentariensis* aut *cornicularii*. Quumque *Mucaporis* nomen sit plane inusitatum; sicubi eodem tempore ac loco, nec dispari cum officio, id nomen reperiatur, non dubitaverim, quin unius ejusdemque hominis sit habendum. Atqui Vopiscus in Aureliano cap. 35. extremo sic ejus imperatoris mortem narrat. *Quum* [Aurelianus] *iter faceret; apud Caenophrurium, mansionem quae est inter HERACLIAM* (hanc Thraciae metropolim) *& Byzantium, malitia notarii sui, & manu MUCAPORIS interemptus est*. Ea nex incidit in annum 275. Nec quidquam causae esse video quin Aureliani percussor ille idem sit Mucapor, cujus in his Actis sit mentio. Ab anno enim 250. [quo Basilus Philippum quaestioni admovisse mihi videtur] ad 275. anni tantum 25. intercesserunt. Adhaec utrobique Mucapor circa Heracleam ponitur; nec dispar utrobique officium. At enim, inquies, etiamsi Mucapor hujus historiae sit is, qui Aurelianum occidit; cur is non potuit alios triginta annos post Aureliani necem advivere, nempe usque ad Diocletiani persecutionem? Nullo modo potuit; quia Aureliani successor Tacitus *ducentesima regni luce* moritur [inquit Aurelius Victor cap. 36.] *quum tamen prius auctores Aureliani necis, maximeque MUCAPOREM DUCEM, quod ipsius ictu occiderat, excruciavisset*. Etsi, ut obiter moneam, Zosimus occisorum Aureliani necem ad Probum auctorem, ipso sui imperii initio, refert.

VII. Verum interim hunc Mucaporem video a Victore *Ducem* appellari. Quae dignitas cujusmodi tertio saeculo fuerit, breviter dicam. *Duces* id aetatis non alii ferme vocabantur, quam qui *Duces militum in limitibus constituti* l. un. C. de venat. fer. dicuntur. Itaque Mucapor dux erat, uti non temere auguror, limitis Thracii. Et ii quidem duo erant ex Notitia Imp. sect. 1. his verbis: *Per Thracias* (duces) *duo: Moesiae secundae, Scythiae*. Sed sub Aureliano unus fuisse videtur, teste epd. Vopisco in ejus vita cap. 13. Assidente *Ulpio Crinito duce Illyriciani limitis & Thracii*. Ex quo etiam assequimur, ineunte Aureliano imperium, ducem Illyriciani & Thracii limitis non Mucaporem fuisse, sed Ulpium Crinitum. Quare non ab alio, quam ab Aureliano necesse est postea Mucaporem ad ducatū Thracii (nisi forte alterius) limitis fuisse promotum. Certe Aureliano hunc Mucaporem intimum fuisse, ex eo potest intelligi, quod legitur apud eumdem Vopiscum ibid. cap. 26. *Epistola ipsius* [Aureliani] *exstat ad Mucaporem missa* de bello, quod cum Zenobia gerebat: quam & ibi recitat. Ergo Mucapor is, qui Aureliani favore atque gratia ad limitaneum ducatum prorepserat, idem antea sub Decio (quantum ex his Actis potest intelligi) sive princeps officii erat, sive commentariensis, aut cornicularius, aut tale aliquid.

VIII. Sed & illud heic magnopere animadverti velim, Actorum scriptorem hoc loco veluti intento digito non alium quam Mucaporem sui principis proditorem designare voluisse. Scripsisse videtur haec auctor haud diu post Aureliani ipsiusque Mucaporis mortem: quo tempore ex nece principis de se optime meriti homo scelestissimus ubique, sed potissimum Heracleae, summa invidia infamiaque flagrabat. Itaque post ejus supplicium, uti damnatae memoriae viro, maledicebatur ab omnibus. Hinc etiam noster auctor ei obtrectandi occasionem arripit. *Carnifices*, inquit, *mox praeses jussit adduci. Tunc ipsius NATURAE EXPERS atque HUMANITATIS ignarus Mucapor* [ille famolus tanto scelere scilicet: alioqui quorsum pertinebat unius e multis nominatim meminisse?] *ingreditur*. Ac vides, ut eadem opera simul epocha conscriptae hujus historiae detegitur, nim. haud diu post Aureliani necem & Mucaporis supplicium, sive post ann. 275.

IX.

Digitized by Google

XX N S PAPNVTII MON.

HEsternus dies apud Graecos in Menaeis & Anthologio dicatur memoriae S.Paphnutii ἱερομάρτυρος h.e. episcopi & martyris. Est & alter Paphnutius Aegyptius (& quidem Paphnutii nomen videtur Aegyptium) sub Diocletiano cruci suffixus; de quo plura Synaxaria MS. (apud Papebrochium ad XIX.April. pag. 623.num.5.) etiam hesterno die agunt, at Menaea & Basilii Menologium die XXV Septembris. Fuit & Paphnutius vitae Onuphrii scriptor; & alii quidam, de quibus vide eumdem Papebrochium ad XX.April.pag.75.num.2.3. Nec omittam Paphnutium Episcopum, qui Nicenae Synodo interfuit, eumdemque Christi Confessorem.

Verum qui hodierno die in Fastis Neapolitanis proponitur, est idem ille, de quo hoc ipso die in Menaeis scribitur τῷ ὁσίῳ Παφνουτίῳ τῷ Ἱεροσολυμίτῃ, i. e. *Sancti Paphnutii Hierosolymitani.* Ac recte se res habet: nam vox ὅσιος est monachorum propria: & hunc *Monachum* revera fuisse marmor nostrum ostendit hoc die. Ac fortassis de hoc eo-

IX. Sicuti autem in Mucapore res feliciter processit, utinam & praesidum duorum, quorum in his Actis fit mentio, aetatem eamdem fuisse, liceat demonstrare. Sed tamen in Basso id praeter propter tentare facilius, quam in Justino, licebit. Nam circiter Decii principatum plures fuere Bassi consules. Mitto *Pomponium Bassum* consulem anni 211. aut *Cejonium Virium Bassum* anni 271. quippe alterutrinque a Decio remotiores. Mitto quod anno 246. Albini collega, qui alibi *Praesens* dicitur, in Fastis Flor. Majorib. Βάσσος *Bassus* vocatur, fortassis quod utroque cognomine donaretur. Verum anno 258. *Bassus* cum Tusco, & anno sequenti *Bassus* alter cum Aemiliano consul processit. Nec difficile est, horum alterutrum fuisse illum ipsum, qui anno 250. dux erat Thracii limitis. At vero ne prope quidem a Diocletiani persecutione (non modo eadem saeviente) ullus usquam sive consul, sive vir illustris comparet, qui *Bassi* cognomen tulerit [uno excepto *Septimio Basso*, qui in antiquo laterculo praefectorum urbis recensetur, sed non nisi ab anno 317. h.e. tertio decimo post eum annum, quo vulgo S.Philippi martyrium statuunt; & exinde in Cod. Theod. pluries] multo minus *Justini*. Nam Justinorum inopia etiam Deciana aetas laborat. Nisi quod quemdam *Ti. Claudium Justinum* demonstrare licebit, qui anno Christi 188. alae equitum praefectus fuit; cujus *Justinus* hic noster sive filius sive nepos esse poterat. Occurrit is apud Grat. pag. 1006. 9. in hunc modum: I. O. M. (i. e. *Jovi Optimo Maximo*) ALA. AVGusta. OB. VIRTVTem. APPELlata. CVI. PRAEEST. TIBerius. CLaudius. TIBerii. F. I. [sed reponenda est media exesa littera, ac pro F. I. legendum est FIL. h.e. *filius*) LING.M. (quod torsit eruditos, varie has duas notas emendantes: sed pronum erat interpretari, *LINGonum Municipio*) IVSTINVS. PRAEFectus. FVSCIANO. II. ET. SILANO. II. COS. h.e. anno Christi 188. Hactenus lapis. *Lingonum municipium*, unde domo hic Justinus erat, ab Eutropio IX. 15. simpliciter *Lingones*, in Notitia autem provinciarum *Civitas Lingonum* appellatur, quae hodie est *Langres*. Sed idem oppidum municipii jure fuisse donatum [quae municipia non multa in monumentis reperiuntur extra Italiam] ex hoc pulcherrimo lapide mecum viri eruditi discent. Ejusque rei gratia magis hujus epigrammatis expositionem attuli, quam quod sperarem, Justini inde nostri praesidis Thraciae majores ostendi posse.

X. Itaque ut rem in pauca contraham; non est dubitandum, quin hi beatissimi Martyres sub duobus Deciis decertaverint (unde & plurativo numero imperatores in Actis designantur) eorumdem vero haec historia tertio vergente saeculo, ac recenti adhuc Aureliani caede, scripta fuerit. Cui aetati dictionem scripti hujus convenientiorem, quam quarto saeculo, esse censeo.

Antequam manum de tabula, monuisse proderit, quod supra in Adnot.81. (pag.216.col. 1. circa medium) animadverti, Latinos vocasse *Genium* pro eo quod Graecis est τύχη h.e. *Fortuna*, id non esse prorsus perpetuum. Nam vel illa Reinesiana inscriptio Class.I.138. (quae sic incipit: *Numini. Serap. et. Genio. & FORTVNAE. Tulliae. INSVLAE &c.*) satis docebit aevo posteriore Latinos locis, ut etiam personis, *Genios* aeque ac *Fortunas* praeposuisse.

Digitized by Google

dem intelligendum est, quod in Synaxario Collegii Claromontani Parisiensis scribitur (apud Bollandianos hoc die p. 757. n. 1.) τῷ ὁσίῳ πατρὸς ἡμῶν Παφνουτίου ἀναχωρήτου *Sancti patris nostri Paphnutii Anachoretae*.

XXI N S MAXIMI EPI CON

Maximus hic (sive *Maximianus* est) abest ab omnibus Latinis (84) Martyrologiis: at idem constanter in omnibus Graecorum codicibus liturgicis hoc die colitur, etsi nomen varie scribitur. Nam in Synaxario Claromontani Collegii Parisiensis, in Sirleti Menologio, itemque in Menaeis, *Maximus* [85] peraeque ut in his Fastis vocatur: at vero in Basilii Porphyrogennetae Menologio idem derivativo nomine *Maximianus* scribitur. Quod sane alterum usitatius ejus nomen fuit; quantum ex συγχρόνοις monumentis potest intelligi, ut ex Actis Ephesinae Synodi, ex Socrate, epistolisq. tum Maximiani & Cyrilli ἀμοιβαίαις (*mutuis*) tum SS. Pontificum Caelestini & Sixti. Ex quibus monumentis constat, hunc [qui quidem nusquam aliter quam *Maximianus* vocatur] in Nestorii de sede dejecti locum sublectum fuisse. Incidit ea electio in annum 431. a quo usque ad an. 434. Cathedram tenuit, teste Socrate, qui & diem emortualem scriptum reliquit in VII. 40. in hunc modum: *Maximianus vero, quum biennium ac menses V. Ecclesiae pacate praejuisset, mortuus est Cos. Areobindo & Aspare, XII. die Aprilis. Accidit autem, ut hebdomada esset jejuniorum, Paschatis festo vicina: erat autem dies illa quinta vocata*, i. e. Coena Domini; quae revera illo anno in diem XII. Aprilis incidit.

Atque hunc quidem episcopum Liberatus Diaconus in Breviario de causa Nestoriana cap. 7. & Socrates VII. 4. fuisse *sermone idiotam* narrant. Quod non eo pertinet, quo vult Henschenius: *Quod*, inquit, *ipse Romanus, non adeo exacte Graece loqueretur* (id quod amplectens Cuperus in Chronol. Patr. CPolit. tom. 1. mens. Augusti, hoc insuper addit, *se non mirari Maximianum linguam Graecam omnino non calluisse*: quod eum non mirari, equidem magis miror) *aut quod in controversiis fidei .. non esset eminenter instructus*. Verum, si me audis, sermo ἰδιωτικὸς prorsus non aliud est quam *plebeius*, quo vulgus hominum utebatur, quum contra sophistae cultiorem dictionem sibi sepositam haberent. Hoc puto Liberatum & Socratem Maximiano monachum profitenti laudi nō vitio vertisse.

Illud autem non male conjecit Henschenius [quem vide hoc die pag. 849. num. 7.] quum Maximiani corpus diu inhumatum mansisset usque ad Procli electionem, qui illum sepelisse scribitur; hinc factum ut ejus festum die XXI Aprilis a Graecis celebraretur, quo scil. veri-

(84) Nam *Maximus* ille CPolitanus episcopus, quem post alios Ferrarius Catalogo generali inseruit tum die XXII. Ianuarii, tum etiam XIV. mensis hujus, est longe alius: ille scil. de quo Hieronymus de scriptor. Eccles. c. 127. in hunc modum scripsit: *Maximus philosophus* (Cynicus) *natus Alexandriae, CPoli episcopus ordinatus est, & pulsus, insignem de Fide adversus Arianos scripsit librum; quem Mediolani* [an. 379.] *Gratiano principi dedit*. At de quo hodie Fasti marmorei, is plus annis quinquaginta recentior est, & sub juniore Theodosio sedit; cui verum nomen *Maximiano* fuit.

(85) Nec dicat mihi aliquis, designari forsan illum Gratiani aequalem, de quo in superiore Adnotatione dixi; nam diei hujus elogia in illum posteriorem ac Nestorii successorem unice conveniunt. Ceterum sicuti *Antonius* & *Antoninus* & alia plura eodem modo permutari vidimus; sic etiam in *Maximo* & *Maximiano* factum. Praesertim quum in eadem sede jam ante 50. annos *Maximus*, usque adeo celebris famae, sedisset; id ansam praebuit, ut hic alter *Maximus* pro *Maximiano* inscriberetur, non secus ac ille prior.

Digitized by Google

verisimile est illum sepulturae traditum. Hinc in nostro marmore non *Depositio*, sed *Natale* ei praenotatum fuit, quem scilicet constabat non hoc die excessisse

XXII P S GAI P̄P ROMIS

MErito heic ☙ P. h. e. *Passio* (quae est in Martyribus diei emortualis nota) praeponitur: nam S. Cajum sive *Gajum* (ut heic scribitur cum G more Graecorum: quod etiam in saxis sub Caesaribus haud raro Latini sunt imitati) hoc die decessisse, ostenditur ex antiquissimo Catalogo Pontificum Rom. quem Bollandiani tom. I. Aprilis praeposuerunt: qui Catalogus medio IV. saeculo recentior esse nō putatur. In eo Catalogo haec de *Cajo* habentur: *Cajus annis duodecim* [errant Catalogi ceteri, qui undecim annos ei attribuunt: errat & Eusebius, qui quindecim eidem imputat: at Beda sincerus hoc die verum annorum numerum tenuit] *mensibus quatuor, diebus septem*. Nimirum enim creatus exeunte anno 283. [quo decessit Eutychianus ex eod. catalogo] h.e. die XVII. (non die XV. ut habet Fleury) Decembris, ad caelum emigravit anno 296. die XXII. Aprilis: sic non male sibi constant hujus Catalogi rationes. Nisi quod in Catalogo dies unus superat: quod & sanari potest, si pro *XVI. Kal.* legamus *XVII.* (quod & videtur feciisse Henschenius, qui in S. Cajo num. 1. diem XVI. Decemb. ordinationi assignat) tunc enim non a die XVII. Sed a XVI. Decembris calculi procedentes, numerato utroque termino, *dies septem* illos reddent. Ceterum dies tum creationis, tum mortis in eodem monumento diserte exponuntur; sic enim pergit. *Fuit temporibus Cari & Carini, ex die XVI.* (corr. XVII. ut intelligatur dies 16. Decemb.) *Kal. Januarii consulibus Caro II. & Carino, usq. in X. Kalendas Maii Diocletiano VI. & Constantio consulibus*. Cetera quae ad hunc Pontificem spectant, videantur apud Henschenium ad hunc diem pag. 13. & Tillemontium tom. IV.

Ex dictis vides, merito in his Fastis diem S. Caii emortualem hodie notari: in quo consentiunt omnia Martyrologia, ipsum etiam, quod sub S. Hieronymi nomine ambulat, ac praeterea Romanum Bucherii Kalendarium medio IV. saeculo scriptum, in quo sic notatur: *X. Kal. Maii Caii in Callisti*. Et de hoc quidem nemo dubitat. At martyrii palmam, quam ei marmoris nostri (cui consentit Beda cum secutis omnibus Martyrologis) nota P. vindicat, vetustiora monumenta modo nominata eripiunt. Catalogus, cujus verba supra recitavi, de martyrio pro more tacet. At Hieronymiana Mrologia *Depositionis* vocē de S. Cajo usurpant. Bucherianum, quod modo laudavi, Kalendarium Cajum signat sub lemmate, *Depositio Episcoporum*. Etsi tamen sub eodem lemmate notantur & *Lucius*, *Stephanus*, *Felix*, de quorum martyrio parum dubitatur. Quid ergo est? Conjicit Tillemontius Not. VI, Cajum iis martyribus videri annumerandum, qui quamvis multa passi, perfectum tamen martyrium tuso per judicis sententiam sanguine non sunt adepti. Quod non possum non probare.

XXIII N S GEORGII MĀR

ETsi Acta S. Georgii (quae tolerabiliora (86) ceteris protulit hoc die Papebrochius) in fine pag. 122. num. 25. *vigesimo tertio die Aprilis* passum hunc μεγαλομάρτυρα (quomodo eum Graeci appellant) testantur: tamen nec satis antiqua ea sunt, & eo quidem certe tempore scripta, quo jam ei diei affixa sollemni-

(86) Sed eadem tamen spuria & fabulosa: e quibus satis erit Tillemontium consulere, tom. V. ubi de hoc S. Georgio martyre, Nota I.

Digitized by Google

lemnitas erat. Jam enim ab aevo S. Gregorii M. die XXIII. de eo fiebat, ut apparet non tantū ex ejus Sacramentario, verum etiam ex ejusdem Antiphonario per Thomasium edito: quo etiam die illum antiquitus a Graecis cultum, ex hodiernis eorum libris Ecclesiasticis argui potest: ut facilis sit conjectura, idcirco Actorum fabricatorem illius passionem in diem XXIII. Aprilis conjecisse, quia eo die fiebat de eo officium. Atqui his Actis tamquam fido duci, opinor, insistens Metricarum Ephemeridum (quas vide apud Bollandianos tom. I. Maii) auctor, diei XXIII. Aprilis hunc hexametrum adpinxit:

Ηδε Γεωργίῳ δικάτη τρὶς ἀυχένα χαλκὸς.
Messuit ense caput terna & vicena Georgi.

Qui versus non pluris est faciendus, quam Acta ipsa, ex quibus expressus fuit. Sane quidem quos Papebrochius (in Comment. praevio num. 27. & 28.) init calculos, ex iis tantum ostenditur, potuisse S. Georgium die 23. Aprilis coronam adipisci, sed ita factum esse, non demonstratur. Illud fortassis aliquem moverit, quod Notkerus in Martyrologio [quod decimo ineunte saeculo scripsit] ad VII. Kal. Maii sic posuerit: *Cujus* [Georgii] *PASSIO apud Romanos et paene alios omnes IX. Kal. Maii* (h. e. 23. Apr.) *celebris habetur.* Sed laxe nimis Notkerus *Passionis* vocabulum sumpsit pro die festivitatis. Ceterum quum videam in veteribus Kalendariis ac Martyrologiis [etiam illo Hieronymiano] nonnullam in die festivitatis variantiam; facile adducor, ut credam diem passionis olim ignoratum fuisse. Quem si nono ineunte saeculo [quo hoc marmor scalptum fuit] Neapolitani tenuissent, non *Natalis* notam [quod festum quodlibet, quocumque die fiat, designat] sed *Passionis* heic praenotassent. Et certe Neapolitanis in hac re haberi fides nonnulla potuit, quippe hujus Martyris cultui deditissimis; quod vel ex antiquissima Basilica, quae hodiedum exstat, ejus nomini dicata potest intelligi: cujus meminit Jo: Diaconus in episcoporum Catalogo, ubi de S. Severo: *Prius*, ait, *foris urbem jacuit, nunc vero quiescit in ea ipsa Ecclesia, quam alii Severianam* [sic appellatam ab auctore suo *S. Severo*, qui tempore S. Ambrosii Mediolanensis sedit; non vero a Constantino constructam, quod quidam existimarunt] *alii propter Oratorium S. Georgii ibi* (87) *factum, S. Georgium vocant.* Eodem spectat quod quidam *Petrus Parthenopensis Ecclesiae Levita* Petri de Surrento Archiepisc. Neapolitani [qui medio saec. XIII. sedit] hortatu, hujus Martyris passionem *pluribus incongruis amputatis*, uti testatur in Prologo, composuit: de quo vide Chioccarellum, & Vghellum in Petro de Surrento, & Papebrochium heic pag. 104. num. 13.

Et huc usque dicta eo pertinent, ut de die passionis hujus illustris Athletae nihil constare putem: adstipulante hoc nostro marmore, in quo diebus non suis solet *Natalis* nota praeponi, *θανασίμοις* autem ☞ DEP. aut, ubi de martyre agitur, PAS. sive *Passionis* nota. Cetera quae ad hunc *πολυθρύλλητον* [*celeberrimum*] pugilem pertinent, videbis apud Tillemontium tom. V. & Papebrochium in laudato Commentario praevio ad hunc diem. Quo die vel ipsae Moscorum Ephemerides effigiatae (a Papebr. editae tom. I. Maii) S. Georgium proponunt, non modo omnia passim Graecorum Latinorumque monumenta. Ac vix ullus est terrae angulus, quo non S. Georgii cultus pervaserit.

(87) Fortassis non ab ipso S. Severo, sed postea id oratorium factum fuit: quod proinde postea *S. Georgii* appellationem Basilicae illi indiderit. Ceterum si ostendi possit, sive *S. Georgii* nomenclationem, sive oratorium, ad ipsum S. Severum tamquam auctorem referri posse; nihil jam, post Ecclesias duas quas volunt in honorem S. Georgii a Constantino [Dioscoli unam, alteram CPoli] factas, antiquius haec Severiana prorsus esset. Nam ceterae vel antiquissimae [de quibus aliquid litteris exstet] VI. saeculum non transcendunt; quum contra Severus IV. saeculo sederit.

Digitized by Google

vaſerit : in tantum ut & ingens Aſiae tractus, qui inter Pontum Euxinum & mare Caſpium protenditur, *Georgiae* (incolis *Gurgiſtan*) ob eam cauſam ſibi nomen impoſuiſſe feratur.

XXIIII P S INNOCENTII PP R

DUae ultimae notae PP. R. quum ſignificent *Papae Romis* (ſicuti integris ferme litteris nudius tertius in S. Caio die 22. April. ſcriptum reperitur in hoc marmore, idque Graeco more pro παπα ῥώμης) aut *Papae Romani*; dubitare non ſinunt, quin *S. Innocentius I.* hoc die colatur is, qui SS. Hieronymi & Auguſtini laudibus fuit celebratus, cujus hodiedum exſtant egregiae epiſtolae. At duo ſunt quae difficultatem creant, I. cur qui in pace obiit, is uti Martyr colatur, nam illud P. non eſt dubium quin *Paſſionis* nota ſit : II. cur huic diei praeter morem inſcribatur, quum in aliis Liturgicis libris ſive die XII. Martii, ſivè XXVIII. Julii, ſive XXI. Decemb. ſignetur, nuſquam autem hoc die. Quas duas difficultates diſcutere heic operae fuerit.

CAP. I.

De Martyris elogio, quod Innocentio, ſed non praeter morem, tribuitur.

Non praeter morem id fieri, pluribus exemplis, etſi poſterioris aetatis, oſtendam: quae quidem Sollerii viri mihi dum viveret amiciſſimi diligentiae in Vſuardinis auctariis debeo. In eis auctariis ad XXVIII. Julii ex *Antuerpienſi Max.* ex *Vltraject.*, ex *Leydenſi*, & *Lovanienſi* ſic recitatur : *Item Romae ad Vrſum pileatum S. Innocentii Papae & Martyris*. Item in *Albergenſi* eadem & plura inſuper de Innocentio habentur. In *Bruxellenſi : Romae ad Vrſum pileatum Natale S. Innocentii Papae & Martyris ;* & quae plura ibi ſequuntur. In Bellino: *Et S. Innocentii Papae & martyris*. Grevenus : *Romae ad Vrſum pileatum S. Innocentii Papae primi & Martyris: hunc Vſuardus & Ado habent IV. Idus Martii*. Sed et praeter Vſuardi auctaria, in catalogo Petri de Natalibus idem S. Pontifex dicitur *martyrio coronatus tempore Arcadii principis* : qui tamen nec occidentem regebat, & diu ante Innocentium obiit. Galeſinius in notationibus : *S. Innocentii Pont. & Confeſſoris, alias Martyris, ut in Mrologio Romano* (Bellini Mrologium intelligit, editum Venetiis ann. 1498. *ſecundum morem Rom. Curiae*) *legitur* ; quem tamen *Martyris* titulum refert ibi Galeſinius *ad ſummam conſtantiam cum Martyrum fortitudine comparandam*. Quae ratio ſi valeret, quotusquisque Sanctorum Pontificum non eſſet inter Martyres referendus? Itaque dum aliam magis idoneam cauſam inquiro, interim praeſtabit animadvertere, nullum eſſe ad hanc diem hoc noſtro marmore antiquius monumentum, quo S. Innocentius Papa Martyris elogio cohoneſtetur.

At habet tamen idem elogium Innocentius cum pluribus aliis veteribus Romae epiſcopis commune, qui revera Martyres non fuiſſe putantur : de quibus mitto dicere, ne ſim longior. Verum quod ad antiquiores Pontifices attinet, qui ante Conſtantinum rexerunt Eccleſiam ; ut ii inter martyres referrentur, quaedam anticipata opinio effecit, exiſtimantium, eos omnes qui perſecutionum aetate vixerunt, martyrio affectos fuiſſe: quod in Innocentio locum non habet. Quae ergo verior cauſa hujus erroris fuit? Cauſas mihi duas in medium afferre poſſe videor : quarum haec prima eſto.

I. Perſuaſum olim fuit (idque verum eſt) Hieronymiano Mrologio non alios ferme Sanctos, quam martyres fuiſſe inſcriptos ; unde & *Martyrologii* nomen ei primo quaeſitum fuit. In eo autem Mrologio die XII. Martii ſic legitur : *Romae S. Innocentii epiſcopi, Raſi epiſcopi*. De quonam Innocentio, Romae ne an alterius urbis epiſcopo, id auctor ejus antiquiſſimi Mro-

Digitized by Google

Mrologii intellexerit, non eſt plane exploratum, deque eo adhuc [88] in utramque partem diſputatur. Sed tamen jam ante IX. ſaeculum (quo hi Faſti marmorei ſcalpti fuerunt) Romana Eccleſia *Innocentium Raſi* ſocium in Hieronymiano memoratum videtur pro Papa Romano habuiſſe. Liquet hoc ex vetere Rom. Mrologio, quod Roſweidus edidit, quod IX. ſaeculo antiquius eſſe neceſſe eſt; in quo die XII. Martii ſic legitur: *Sanctorum Pontificum Gregorii & Innocentii*. Ex hoc Mrologio id poſtmodum Ado arripuit, aliique ejus aetatis Martyrologi, ut diei XII. Martii Innocentium inſererent, quibus omnibus Roſweidanum, uti dixi, ducem ſe praebuerat; utique quod ejus auctor judicaverit, Hieronymiani Mrologii Innocentium Raſi ſocium, Papam Romanum fuiſſe. Et hi quidem, quos dixi, martyrologi ſeſe cautos praebuerunt, dum nullam martyrii notam Innocentio vindicarunt. At alii minus cauti ex eo tantū quod putarint, Romanum Innocentium Hieronymianis Faſtis fuiſſe inſcriptum, eum continuo martyrem pronuntiarunt. In quo dupliciter eos ratio fugit, primum quod fieri poteſt, ut Innocentius Epiſcopus Raſi ſocius ſedis a Romana diverſae praeſul fuerit, ac tantum Romae ſive functus martyrio, ſive ſepultus: deinde quod etiamſi is Innocentius Papa fuerit, non continuo martyr dicendus erat, ſed tantum ſedis Romanae epiſcopus; quum & S. Martinus Turonenſis, & alii quidam confeſſores in eodem Mrologio locum invenerint.

II. Et haec quidem una eſſe cauſa potuit, ut Innocentius Martyr putaretur. At potuit & altera ſubeſſe probabilior, quae talis eſt. Certum eſt, Innocentium I. plura Chryſoſtomi cauſa feciſſe, in tantum ut non apud Theophili ſectatores ſolum, verum & apud Arcadium imp. offenderit. Quod ſi monumentis a Baronio productis (quem vide ad an. 407.) credimus; is Pontifex etiam Arcadium cum conjuge a fidelium communione ſemovit. Et hanc quidem ſententiam, & monumenta quibus Baron. innititur, Tillemontius commentitia exiſtimat. Eſto. Sed tamen ſive illa Latinorum, ſive potius poſteriorum Graecorum (qui commentorum hujuſcemodi ſcitiſſimi architecti habentur) officina cuderit: ea certe qualiacumque

[88] Epternacenſe Hieronymiani Mrologii apographum, quod habetur ceteris antiquius, die XII. Martii ſic ſcribit: *Romae Innocenti Epiſcopi, Raſi Epiſcopi*. In aliis apud Florentinium apographis additur vox *Depoſitio*, quae videbatur nota Confeſſoris non martyris. Sed & die XXI. Decemb. in eiſdem Hieronymianis apographis eadem de Innocentio leguntur; at de *Raſio* aut *Raſo* nihil. In Dacheriano ejuſdem Mrologii apographo eadem eſt utrobique annuntiandi formula. Haec de Hieronymianis.

At Roſvveidanum Mrologium ſive Romanum brevius, Ado, Vſuardus eodem die XII. Mart. duos Pontifices *Innocentium* & *Gregorium* una junxerunt; iidem vero die XXVIII. Julii (quo nunc Innocentius colitur) de eo tacent. Quo ſane hi Martyrologi videntur Hieronymianum Innocentium diei XII. Martii habuiſſe pro Innocentio I. Papa. Eamque opinionem ſecuti ſunt plures, cum primis Pagius; fermeque eodem labitur Tillemontius.

At jam antea Henſchenius de eo dubitaverat; & eadem dubitatio Guil. Cuperi ad 28. Julii animum ſuſpenſum tenuit, ſitne ille Raſi ſocius, qui die XII. Martii in Hieronymiano legitur, idem ac Papa Innocentius. Quid ſi enim Hieronymiani illi Innocentius ac Raſius Epiſcopi exteri fuerint, Romae vero adſcripti ſive propter paſſionem ſive ſepulturam? Quid ſi Papa Innocentius numquam Hieronymianis tabulis inſcriptus fuerit? His accedit, quod in eo Hieronymiano apographo ante mille annos ſcripto, quod edidit Edm. Martenius tom. 3. Anecd. die XII. Martii ſic legitur: *Romae Innocenti, & depoſitio S. Gregorii Papae*. Cur enim poſterior *Papa* diſertim dicitur, prior non item, niſi quia Hieronymianus Innocentius urbis Romae epiſcopus numquam fuiſſet? Adde quod Rabanus S. Innocentium I. non die XII. Martii, ſed XXVIII. Julii poſuit: id quod & Auctarium Vſuardi paſſim ſequuntur. Ex his vides, non immerito Bollandianos addubitaſſe, utrum ille Raſi ſocius ſit idem ac Papa Innocentius.

Digitized by Google

cumque monumenta cum noſtri hujus marmoris ſpecioſo martyrii titulo juncta argumento ſunt, non tantum de ea excommunicatione plures narrationes octavo ac nono ſaeculo circumlatas fuiſſe, verum inſuper fuiſſe tunc perſuaſum, eumdem Innocentium ea de cauſa ab Arcadio forſan plura paſſum, imo etiam inter martyres annumeratum: id vero nō alio plane ſenſu, quam quo Marcellus aliique quatuor Romae Epiſcopi hodiedum uti martyres in Rom. Breviario colluntur, etſi ſanguinem minime fuderint; unde & commune his quinqueviris octavum Reſponſorium attributum fuit, *Domine praeveniſti eum* &c. Ea ergo, ni fallor, verior cauſa vulgo crediti martyrii fuit. Et certe non de nihilo id eſt, quod Petrus Equilinus Ep. a me ſupra laudatus noſtrum Innocentium martyrio coronatum ſub *Arcadio* imp. ſcripſit. Omnino enim neceſſe eſt, Equilinum incidiſſe in monumenta, (ſive vera ſive potius falſa) ex quibus id ſive clare ſive per conjecturas eliceretur.

Addendum hoc etiam, quod (ut ſupra ad 27. Januar. demonſtratum fuit) Neapolitani duplicem Chryſoſtomi Depoſitionem diſcretis inter ſe diebus celebraverunt. Quocirca eos decuit & in Innocentio prolixos fuiſſe, ut eum uti martyrem colerent, quem crederent Chryſoſtomi cauſa in maximas aerumnas incidiſſe.

III. Accedit poſtremo quoddam ejus πρόζωμα (*putativi*) martyrii in Romano ipſo Breviario veſtigium. Nam indidem certe, unde in hoc Kalendario martyrii gloria tribuitur Innocentio, manaſſe id exiſtimo, ut non heri aut nudius tertius (etſi quam pridem, non habeo dicere) ſed in antiquiſſimis quibuſque, quae viderim, Rom. Breviariis S. Innocentius die 28. Julii cum aliis tribus Martyribus junctim colatur, & quidem cum officio *plurimorum Martyrum*. Ceterum monumentum noſtro marmore vetuſtius, in quo Innocentius Papa ut martyr ſignetur, ſruſtra, uti dixi, adhuc quaero.

CAP. II.

Cur ejus Paſſio in his Faſtis hoc die praeter morem colatur.

Quo die S. Innocentius ad caelum emigraverit, nondum certum habetur. Pro die XXVIII. Julii id maxime militat, quod in vetere catalogo Pontificum Rom. quem edidit Henſchenius to. 1. April. quemque VI. ſaeculo ſcriptum putat, de Innocentio ſic ſcribitur: *Sedit annos XV. menſ. I. dies XXI. ſepultus ad Vrſum pileatum V. Kal. Aug.* h. e. die 28. Julii. Anaſtaſius etſi eum ſupra annos XV. ſediſſe dicat menſes duos, dies viginti; tamen conſentit in die ac loco ſepulturae. At qui paullo accuratius calculos inire voluerunt, hujuſque pontificis annos dieſque ſedis cum deceſſoris Anaſtaſii & ſucceſſoris Zoſimi annis componere inſtituerunt, ferme eo labuntur, ut Innocentium menſe Martio obiiſſe credant. Sollerius ipſe, (ad 28. Jul. ubi de S. Innoc. num. 15.) tametſi ceteris non aſſentitur putantibus Hieronymiani Mrologii Innocentium Raſi ſocium eſſe hunc Papam, tamen fatetur, videri eumdem menſe Januario ordinatum, ac Martio mortuum. Quod ſi ſemel admittatur; duo inde colligi poſſe videntur. I. Quod in Henſcheniano catalogo & Anaſtaſio is V. Kal. Aug. ſepultus ad Vrſum Pileatum dicitur, id de aliqua translatione ſive potius ſepultura ſtabili, poſſe accipi. Fortaſſis enim poſt mortem ubi primum temporis cauſa is aliquo in loco menſibus quatuor jacuiſſet, poſtmodum V. Kal. Aug. juſta ſepultura donatus fuit in coemeterio ad Vrſum Pileatum, ubi & ejus deceſſor Anaſtaſius ſepulcri honorem adeptus fuit. Ea vero quia ſtabilis demum Innocentii ſepultura fuit, quum prior temporaria fuiſſet, idcirco de eo ſcriptum reperitur, *Sepultus eſt* (non vero *translatus*) *ad Vrſum Pil. V. Kal. Aug.* Quumque in Pontificum catalogis id obtineat, ut dies ſepulturae, nō obitus, enotetur; id fraudi eſſe potuit annos ſedis Pontificum colligentibus, dum alii ſtatim, nonnulli ſerius juſta ſepultura donarentur.

II.

Digitized by Google

II. Hinc etiam colligitur, quum re vera Innocentius medio ferme menſe Martio ſive deceſſiſſet, ſive deceſſiſſe crederetur; hinc factum, ut quum in Hieronymiano Mrologio (quod vulgo putant, tempore S.Gregorii M. Romae in uſu fuiſſe) die XII.Martii quidam epiſcopus Innocentius inſcriberetur, eũ poſtea pro Papa Innocentio habitum; idque in poſteriora Mrologia inductum, ut S. Innocentius I. paſſim diei XII. Martii inſereretur, interim aliis Mrologiis (89) ob ſepulturae diem in antiquis catalogis enotatum, diei XXVIII. Julii eumdem aſſigentibus.

At vero nemo unus ante hos marmoreos faſtos detectos repertus eſt ſive veteris, ſive ſequioris aevi, qui hunc Rom. Pontificem die hodierno ſignaret, nec tantum ſignaret, verum & notam P. h. e. *Paſſionis* adderet: quae nota in Martyribus diem emortualem ſignificat. Quid ſane hoc die Neapolitani ſecuti fuerint, ignoro. An ſicut alibi paſſim, ſic & in Innocentio Graecos ſecuti ſunt duces, a quibus fortaſſe repererint Romanum Innocentium & ut martyrem coli, & hoc die conſummatum? At hodie apud Graecos nullum eſt de utroque veſtigium, apud quos ne locum quidem is Pontifex in libris liturgicis, quod ſciam, obtinet. An vero Neapolitanis aliqua communis cauſa cum Andegavenſibus fuit? quum apud utroſque hoc eodem die S. Innocentius Martyr celebretur. Verum Andegavenſis Innocentius longe eſt (90) alius. Quid ergo Neapolitanis in mentem venit non tantum Papam Innocentium martyrem facere, ſed & ejus martyrium in hunc maxime diem conjicere? Experiamur ecqua ab augurali arte praeſidii ſpes ſuperſit.

Jam illud ſupra attigimus, Neapolitanos, qui in honorando Chryſoſtomo mirifice enituiſſent, decuiſſe & in Chryſoſtomi propugnatore, Innocentio par aliquid praeſtare. Quare ſicuti illius praeter feſtum, etiam duplicem injuſtam Depoſitionem duobus diſcretis Kalendarii diebus inſeruerunt; hujus etiam ſtrenuiſſimi pontificis, quem plurimas Chryſoſtomi cauſa paſſum aerumnas exiſtimarunt (falſo an vere, parum intereſt) colere *Paſſionem* inſtituerunt. Sicuti autem in Chryſoſtomo (uti ad 27. Januar. dictum fuit) *Depoſitio* diverſo prorſus ſignificatu capitur, nec tam pro mortali die, quam pro ejus exauctoratione; ſic in Innocentio *Paſſio*, quae hodierno die honoratur, non martyrii conſummationem deſignat, ſed aerumnas Chriſti cauſa exantlatas, earumque anniverſariam memoriam; ſive quod revera hoc die putarint in Innocentium deſaevitum fuiſſe, ſive quod eam memoriam in hunc diem vacuum conferre placuerit. En feſtivitatis diei hujus veram notionem, duplici illi Chryſoſtomi Depoſitioni reſpondentem.

Ac ſane videndũ, annon ſimili de cauſa fluxerit, ut quinque illi pontifices, (Marcellus, Joannes, Silverius, Martinus, Pontianus) hodiedum uti martyres, etſi non fuſo ſanguine, colantur. Eorum, credo, *Paſſionis* (eodem intellectu quo heic, h. e. toleratarum aerumnarum) memoria quotannis olim recolebatur. Atqui id ſatis fuit, ut poſtea eorum officium de communi martyrum peteretur, tantum mutato octavo Reſponſorio. Idem & in Vercellenſi Euſebio, & aliis valuit.

Et quidem ſi hodie ab Romana Eccleſia S. Innocentius ſeorſum ab aliis celebraretur, credo is antiquam ab aliquot faecu-

[39] Rabanus, uti diximus, Innocentium I. diei 28. Julii inſeruerat: idque auctaria Vſuardina paſſim ſequuntur. At Notkerus eumdem Pontificem tum diei XII. Martii, tum etiam XXVIII. Julii inſcripſit.

[90] Apud Bollandianos hoc die XXIV. Aprilis ſic legitur in Praetermiſſis: *S. Innocentius Martyr colitur hodie in Eccleſia Andegavenſi ob caput eo translatum; ſitque de eo officium ſub ritu ſemidup. cum propriis lectionibus ſecundi nocturni. De eo ceteriſque Martyribus Agaunenſibus, ex quorum numero fuit, ipſorumque duce S. Mauritio, agemus, quando de omnibus fit ſollemne officium, h. e. die XXII. Septemb.* Haec ibi.

Digitized by Google

saeculis tituli martyris (quo in pluribus Vsuardi auctariis donatur) possessionem adhuc tueretur, & de communi unius Martyris (mutato tantum Responsorio VIII.) sextus pontificum obtineret. Nunc quia eum Nazario, Celso, Victore Martyribus junctim celebratur; quod unum superest, communi cum illis plurimorum Martyrum officio honoratus fuit.

Atque haec ad meum pensum satis: cui curae esse debuit ostendere, quid sibi hodierno die velit Innocentii Papae *Passio*. Nam cetera de hoc magno Pontifice qui nosse cupit, adeat Historiae sacrae scriptores, maxime Tillemontium, &, qui ultimus Innocentianas res attigit, Guil. Cuperum socium Bollandianum ad XXVIII. Julii.

XXV P S MARCI EVAN

ET heic scite *Passionis* notam Auctor apposuit. Nam in Actis perquam bonae frugis hoc die ab Henschenio prolatis dicitur in fine Marcus martyrio affectus *die triceſimo* [mens. Pharmuthi] *quod est apud Romanos VII. Kal. Maii* h.e. die XXV. Aprilis. Etsi nonnulla hoc loco ex manu posteriore accessisse videntur. Tamen non temere is in Aegyptiorum, Aethiopum, Syrorum, postremo & Graecorum juxta ac Latinorum libris liturgicis & Moscovitico Kalendario Papebrochiano eod. die inscribitur. Nam quod in hisce Fastis marmoreis diei XVII. Maii *Marcus Evangelista* iterum notatur, id quo pertineat, in loco exponetur. Postremo sicubi alio die is consignatur, intelligendum est de Translationis aut alterius rei memoria. Sane & eumdem hunc passionis diem designant metricae Ephemerides in hunc modum:

Ἐικὰδι πέμπτῃ Μάρκον ἐτὶ χθονὶ ἄρρητες εἶλκον.

Quina in se ducta Marcum traxere scelesti.

Ac de hoc quidem S. Evangelista qui res huc usque disputatas nosse cupit, adeat prae ceteris Tillemontium to. 2. ac Solerium in Chronol. Patriarcharum Alexandrinorum tom. V. Maii. Ego interim de Actis, quae modo nominavi, non pauca quae sentio, quibusve maxime in iis a viris eruditis dissentio, ita huc feram, ut exinde & res scitu pulcherrimas nos assecuturos, & quaestiones anhac difficiles decisuros, confidam.

DIATRIBA

De S. Marci Actis Henschenianis Latinis Graecisque: ac de Graecorum Actorum ignota adhuc viris doctis mira antiquitate ac pretio.

CAP. I.

Vtrorumque Actorum notitia: utra eorum primigenia: in eadem fusiores Animadversiones.

Habemus ab Henschenio ad hunc diem Acta tum Latina tum Graeca. Et Latina quidem sunt uniusmodi, quae is ex XII. Mss. codicib. inter se collatis edidit pag. 347. Laudo diligentiam. Sed hoc amplius optandum erat, ut variantes codicum lectiones ad calcem subjectae apparerent. At idem Henschenius Graeca duplicia vidit: quorum quae priore loco refert, ea vult (num. 4. initio) de Latino fuisse in Graecum translata XI. aut XII. saeculo per aliquem forsan monachum Cryptae ferratae. Atqui ab ea notatione temporis vehementer dissentit Tillemontius, nimiratus, Henschenium de iis Graecis Actis loqui, quae in fine ejus tomi pag. XLVI. prostant. Sed vir accuratissimus in eo fallitur: nam quae Henschenius de Latino in Graecum traducta dixit, ea non edidit: proinde de iis judicare, eccujus aetatis videantur, non possumus. Vidit autem Henschenius & Graeca antiquiora altera, quorum meminit eod. num. 4. versu 13. his verbis. *Alia Acta, a sua prima origine Graece composita, invenimus in Cod. vatic. 866. & ea, quamvis mino-*

Digitized by Google

ris antiquitatis & auctoritatis sint, quam Latina (illa scil. quae ex XII. Mss. collatis edidit) *ideoque non fuerit operae pretium visum ipsa Latine reddere, Graece tamen exhibemus ad calcem hujus tomi*: nim. pag. XLVI. Quibus verbis duo dat intelligere, I. haec altera Graeca diversa prorsus a Latinis esse, nec una ab alteris fuisse interpretando transfusa, nec postremo Graeca cum Latinis quidquam habere commune: II. Latina longe antiquiora esse Graecis hisce, quae ex Vaticano cod. eruta ad tomi calcem rejecit. Atqui equidem, cur a viro docto in utroque dissentiam, inferne (91) adnotasse non pigebit. Ceterum quam maxime aetatem Acta illa Graecanica referre videantur, tum demum rectius conjicere dabitur, quum eadem cum Latinis contulerimus, & necessariis observationibus illustriora in subjecta (92) Adnotatione fecerimus. Interim in festinantium gratiam praedictum volo, Graeca illa mihi videri antiquissima.

CAP.

(91) I. *Acta Latina S. Marci non esse a Graecis ad tomi calcem rejectis diversa, nec utraq. plus inter se differre, quam textus primigenius a sua interpretatione discrepat.*

Id quum cuivis mediocriter Graece docto sit manifestum, mirari subit, eccur Henschenius loco proxime recitato aliter judicaverit. Sed omnino mihi videtur Henschenius tum, quū *Commentarium praevium* suum scribebat, in plures curas distractus, Acta Graeca non examussim cum Latinis contulisse: qui diverso utrorumque principio, & aliquibus inter utrumque scriptum non magni momenti dissidiis offensus, dispares scriptiones esse censuit. Atqui non plus unum scriptum ab altero, quam rivus a fonte differt. Ceterum eaedem utrobique ab initio ad calcem narrationes, idem prorsus & ordo narrationum, imo & eaedem utrobique sententiae & eodem plane ordine lectori propinantur. Hoc tantum interest, quod est interpretatio passim laxior ac liberior, nec verbis addicta, sed tantum sententiarum tenax: quod in plurimis antiquis translationibus cernere possumus. Adde quod modo plura Latine sunt, quam Graece, modo contra: id quod & ad IX. April. in vita Mariae Aegyptiae, observavimus, & alibi passim occurrit. Postremo mihi videtur Henschenius ipse a suo priore judicio discessisse tum, quum ad Graecum monumentum in fine tomi edendum ventum fuit: quantum quidem ex simili utrobique sectionum divisione, & ex paucis iis quae ad vitae calcem ipse aut alius illevit, potest intelligi.

II. *Graecam S. Marci historiam & longe antiquiorem Latina esse & primigeniam: a qua serius aliquando Latinam, quam verimus, interpretando fuisse transfusam.*

Hoc etiam cuivis mediocriter in utriusque linguae Ecclesiasticis monumentis versato satis per se liquebit. Num si de antiquitate quaerimus, Graecus textus nimirum ubique emicat, Latinus autem nonnullam aevi sequioris barbariem prodit. Ex quo & illud sequitur, textum Graecum, utpote antiquiorem, pro primigenio esse habendum. Vt omittam, quod Marci res prius ab Alexandrinis sermone illic usitato scribi, quam lingua Latina, oportuisse. Nisi vero usque adeo παραδοξολογιας studemus, ut non tantum Evangelistam hunc Latine scripsisse Evangelium [quod revera Graece initio prodiit] velimus, verum etiam ipsius res gestas Latino primum sermone conceptas fuisse. Verum quid plura? passim interpretationis, nec vero bonae, in Actis Latinis signa deprehenduntur. Num. 3. medio Latine legitur: *Ipsi* [sutori] *calceamentum* (disruptum) *tradidit CORRIGENDVM*: hoc ideo, quia in Graeco reperit διορθώσασθαι: quod etsi primario est *corrigere*, tamen eleganter ac proprie heic notat *reparare* & integritati restituere: quum contra *corrigere calceos* parum Latine dicatur, sed *sarcire*, aut *reparare*. Sic etiam pro ἐκδικῆσαι τοὺς ἀσεβεῖς (quod Biblico significatu pro *punire* legitur num. 10.) ponere debuisset Biblicum Latinum *visitandi* verbum, non vero *invisendi*, si aut scriptor primitivus, aut saltem bonus fuisset interpres. Mitto Latini scriptoris hujus offensiones plurimas, in quas illum Graecus textus non intellectus transversum egit: de quibus consule Adnot. seq.

[92] *Ad Graeca S. Marci Acta cum Latinis collata Animadversiones priores.*

§. I. *Ad sectiones 1. 2. De Marco duplici Evangelista locus difficilis expeditur. D. Marci provinciis. INGIRCVMCISVS idolatrae synonymum sermone Hellenistico. Quid* περιβασμα. *Marci parabola. Locus interpretis corruptus.*

Prima Actorum Graecorum periodus, [illegible] mihi videtur ex primi auctoris ingenio profluxisse, praesertim quum eadem ab interprete

La

Latina abſit, & illud φραιώτιος de Verbo poſt Nicena tempora paſſim uſurpari coeperit. Facile igitur hoc fuerit hiſce Actis initium: Διαμεμερισμένων κατ' ἐκεῖνο καιρὸν τῶν ἁγίων Ἀποστόλων τὴν ἅπασαν οἰκουμένην, ἄλλοις μὲν ἄλλας πόλεις τε καὶ χώρας ἐκλαχόντων, ἔλαχεν δὲ... *Sanctis Apoſtolis per ID* (non *IDEM*, ut in Latino nunc legitur) *tempus orbem terrarum partientibus, quum aliis aliae civitates ac regiones obtigiſſent, ſortitus eſt* Marcus Aegyptum: Quem nos locum cap. IV. expendemus. Etiam Actorum fini quaedam ex poſteriore manu acceſſiſſe, infra obſervabimus.

Ibid. in Latino v. 4. ſic legitur: *Vbi* [in Aegypto ſcil.] *eum* [Marcum] *Evangeliſtam ſancti Canones Catholicae & Apoſtolicae Eccleſiae decreverunt*. Et conqueritur Tillemontius Not. I. his verbis declarare auctorem videri, S. Marcum non alio ſenſu *Evangeliſtam* dici, quam quo S. Philippum Diaconum, nempe quod Evangelium in Aegyptum intuliſſet: quod falſiſſimum eſt. At quod Graeca heic non melius ſe habere expoſtulat, id vero pernego. Ibi recte legitur: ὅθεν (pro quo male Latinus *Vbi*) καὶ Εὐαγγελιστὴν αὐτὸν ἐδέξαντο οἱ μακάριοι Κανόνες &c. Ad verbum: *Unde & Evangeliſtam eum ſanxerunt beati* [ſive *Divini*] *Canones ſanctae & Apoſtolicae Eccleſiae*. Quid *Canones* vocet, intelligitur ex epitheto μακάριοι. Loquitur de ſcripturarum Canone, extra quem qui ſunt libri, ii ἀκανόνιστοι appellantur. Idcirco autem numerum plurativum uſurpavit, ut notaret diverſarum Eccleſiarum *Canones*, in quibus omnibus Marci Evangelium inſeritur: a quo ille *Evangeliſtae* cognomen acceperit. Auctor proxime dixerat, Marcum primum omnium εὐαγγελίσασθαι εὐαγγέλιον in Aegypto. Mox ſtatim ſubdit, *Unde & ſcripturarum Canon ei Evangeliſtae titulum vindicavit*, non tantum ſcil. ſcripti Evangelii (quod ut vulgo notum, ſupplendum lectori eſt) verum & ejuſdem praedicati gratia. Haec vera Graeci textus ſententia eſt, quam Latinus, una particula perverſe reddita, obfuſcavit. Huic veriſſimae interpretationi accedunt Euſebii & Hieronymi paria ferme dicta. Quorum ille in II. Hiſt. 16. ſic poſuit: *Hunc Marcum ferunt primum in Aegyptum fuiſſe miſſum, ibique Evangelium* (ὃ δὴ καὶ συγγεγράφει) *quod & ipſe conſcripſerat, praedicaſſe*. Hic autem in de Scriptor. Eccleſ. de Marco diſerte dixit. *Aſſumpto itaque Evangelio, quod ipſe confecerat, pertexit ad Aegyptum, & primus Alexandriae Chriſtum annuntians, conſtituit Eccleſiam*. Hoc & ſequentia cõfirmant, in quibus illud ἐκήρυξε τὸ εὐαγγέλιον (*praedicavit Evangelium* in Aegypto & vicinia primus) capiendum eſt de ipſo quod ſcripſerat, non enim (quod alicubi legitur) Matthaei Evangelium, aut alterius ibi adnuntiavit. Quae quum ita ſint, inde etiam colligitur, Marci Evangelium Graece primitus ſcriptum fuiſſe; nec enim Latinum Aegyptii intellexiſſent. Sed jam de praedicatione ex interprete audiamus.

Nam in Latino ſequitur: *Propter quod primus in tota Aegypti regione, in* [ex Graeco corrige *Et in*] *Libya, Marmarica, Ammoniaca, & Pentapoli praedicavit*. Hinc Acta S. Petri Alex. tribuunt Marci ſorti praeter Aegyptum *conterminas regiones*. In hanc Actorum chorographiam infra Adnot. 78. ita commentabimur, ut inde hujus hiſtoriae antiquitas maxime eluceat.

Mox queritur auctor, incolas regionum illarum *incircumciſos & idololatras* fuiſſe. Id quod criminatur Tillemontius, ratus poſt Chriſti mortem nullam fuiſſe in circumciſione praeſtantiam, aut in incircumciſis opprobrium. Verum negari non poteſt, Judaeos [maxime extra Palaeſtinam, qui expertes Chriſti caedis fuerunt] comparatiores ad recipiendum Evangelicum ſermonem fuiſſe, &, ſi nihil aliud, expertes impietatis. His adde quod *Alexandriae primam Eccleſiam judaizantem* Hieronymus dixit, de illa loquens, quam ibi Evangeliſta conſtituit. Hi ſunt enim admirandi illi *Aſcetae* Judaiſmum cum Chriſtianiſmo, quoad licuit, copulantes: de quibus mox nonnulla ad num. 3. dicentur. Objicit & hoc Tillemontius, Aegyptios, Joſepho teſte, fuiſſe nihilo minus circumciſos. Verum Joſephus de antiquis Aegyptiis loquitur, quorum nonnulli circumciſionem ſubibant, non de ſui temporis. Vide Joſephum VIII. 10. ubi Herodoti locum recitans, ſine dubio antiquos Aegyptios intelligit. Poſtremo Notter *incircumciſos* tamquam ſynonymon *idololatrarum*, quod ſubjicit, uſurpavit; idque Helleniſtica phraſi, Judaeus ipſe, uti cenſeo.

Ibidem ſtatim in Graeco ſequitur, Aegyptios illos idololatras fuiſſe plenos *omnis immunditiae*, καὶ παντῶν σεβασμάτων. Porro σεβάσματα ſunt quaelibet religionis Graecanicae objecta, ac praecipue *ſimulacra*. Verum cur eadem πηκτὰ i. e. *fixa* dicuntur? Annon ſtatuae etiam *portatiles* erant. Verum ne dubita, quin ibi πηκτῶν ſit idem, quod *manu factum*, ſive *compactum* ac φυσικῷ (*naturali*) opponitur. Teſtis hujus notionis Heſychius, apud quem in Πηκτὸς Ajacis mors vocatur Πηκτὸς θάνατος h. e. ποιητὸς ὑ φυσικός, *mors facta, non naturalis*. Hoc uno argumento idola Chriſtiani

Digitized by Google

impetebant, quod essent manu facta. At Latinus interpres illud ἀπνικῶν pro πνικτῶν accipiens, imperite vertit *Suffocata edentes*: quod non erat inter gentium abominanda maximum.

Ibid. mox ἄμφοδα Latinus vertit *diverticula*: non male, quia Hesychio & Suidae ἄμφοδα sunt ὁδοί. In Glossis autem ἄμφοδα sunt *compita*, & ἀμφόδια, *compitalia*.

Num. 2. v. 3. Interpres ait: *Erant illic* [in Cyrenaica] *secundum genus ejusdem religionis indigenae*. Pessime: quum in Graeco de ipso Marco sit sermo, de quo interponitur in hunc modum: [ἦν γὰρ ὁ γένος ἐκ τῆς αὐτῆς χώρας ὁρμώμενος] h. e. *Erat enim* [Marcus] *genere ex eadem regione* [Cyrenaica] *oriundus*, sive *profectus*. Atque haec eadem, reor, primo interpres sic reddiderat, *Erat* [Marcus] *secundum genus ejusdem REGIONIS indigena*. At postquam in codicem illum, ex quo cetera postea exempla fluxerunt, pro *Regionis* irrepsit *Religionis*; consequens fuit, ut hoc totum non Marco [quippe idololatricae impietatis hosti] sed Cyrenensibus tribueretur. Hinc exorta est ea depravatissima lectio, quae nunc Latinos codices obsidet. At tu ne dubita ita hunc locum interpretari, ut supra posui: ex quo loco discimus, quo tempore haec de Marco historia scripta fuit, persuasum fuisse, Marcum Cyrenaeum fuisse sive ortu, sive saltem origine: quod alteutum videtur illud ὁ γένος innuere.

§. II. *Ad sect. 3. De Pharo & Pharitide Alexandria: de Mendidio: corrigiae disruptae omen: Unus Deus proprium Judaeorum Dei nomen. Marcum Ascetarum in Aegypto patrem fuisse. Eos Ascetas fuisse quidem a Therapeutis Philonianis diversos, sed cum eisdem tamen non temere confusos videri, & qua de causa.*

Num. 3. v. 2. Jubetur a Spiritu Sancto Marcus *ad FANVM Alexandriae pergere*. Ac miror ex Mss. XII. ab Henschenio visis nusquam aliter fuisse. Atqui interpres (nisi stipes fuit) primo scripserat, *ad PHARVM Alexandriae*, ut Graece legitur. Mox ubi imperitus aliquis pro *Pharo PHANVM* [nam & id olim asperabant] sive *Fanum* substituit, ea scriptura codices omnes inde propagatos occupavit. Graece hoc enim legitur εἰς τὸν φαρίτην Ἀλεξανδρέως: quod fortasse initio fuit εἰς τὸν φαρίτιδα Ἀλεξάνδρειαν: *in Pharitidem Alexandriam*: nam alterum illud masculum est. Etsi fateor, non raro hujus formae gentilia cum substantivis femineis copulari, tum alibi, tum potissimum in Eusebii libro *De locis* reperi, quae male Clericus in alteram formam [terminatorum in ις, ιδος] praeter librorum scriptorum fidem recudi jubet. Gentile istud a Stephano Ethnicographo praeteritum, usurpavit tamen Hirtius, qui in Bello Alex. c. 17. *Pharitas* dixit: id quod etiam ex Caesare citatur. Porro hinc discas, praeter notas Alexandriae partes, *Bruchium* [in quo *Museum*] *Soma*, *Necropolim*, fuisse etiam *Pharitem* h. e. *Pharum* insulam; quae postquam ponte cū Alexandria coaluit, pars una non ignobilis Alexandriae fuit. In ea parte Seniorum LXX interpretationem fuisse elaboratam, liber Aristeae tributus prodidit. Ac sane conjicimus, Judaeos in Pharitide plurimos habitasse. Eaque mihi videtur fuisse causa, cur Marcus in Pharitide primum substiterit. Nam fratribus prius adnuntiari Christum oportuit, antequam gentiles Alexandrinos adoriretur.

Ibid. in Graeco v. 14. primo in Pharum appulsu Marcus perveniisse dicitur in locum appellatum Βενδίδιον *Bendidion*. Latinus id nomen omisit: at alii, qui postea ex his Actis hauserunt, scribunt *Mendidion* aut *Mendion*. Qui in Graecis Mss. sunt exercitati, de similitudine duarum labialium β & μ tanta, ut saepe una alteram mentiatur, expostulant. Hinc errorum fons. At quum *Mendes* oppidum, & ostium *Mendesium*, & *Nomos Mendesius* sint in Aegypto celebria; satis fit verisimile, nomen illud cum M. scribi debuisse, Μενδίδιον *Mendidion* scil. Quo loco Ecclesiam postea exstitisse (in ἐκβάσεως utique Marci memoriam) argumento est, quod ab Epiphanio haer. 69. cap. 2. inter diversas Alexandriae Ecclesias recensetur & ἡ τῶν Μενδιδίων *Ecclesia Mendidii*. Ex quo & vides, curtum illud *Mendion* (quod alicubi legi praedictum fuit) eliminandum esse, ac retinendū *Mendidion*.

Ibidem Latinus sic habet v. 12. *Mox ut ingressus est civitatem, calciamentum ejus disruptum est* [h. e. disrupta corrigia: quod praesertim valet in Judaico calceo, qui utpote apertus, loris undique adstringebatur: unde disertim Eutychius, *Diffringitur calcei ejus CORRIGIA*, nec aliter chronicon Ecchell.] *Et beatus Apostolus intelligens, ait: Vere nunc iter meum expeditum est*. Hoc Marci dictum Graece desideratur: quod & Tillemontius Not. 1. Marco indignum putat. Esto. Tametsi non prorsus indignum arbitror. Nam contra videtur eo dicto Apostolus vanis gentilium observationibus contra iisse. Cicero in II. de Div. c. 40. ubi quaedam superstitionum genera observari vetuit, addit: *Quae* [omina] *si suscipiemus, pedis offensio nobis, & abruptio CORRIGIAE, & sternutamenta erunt observanda*. Quae si Tullius ridebat; an non eadem ab Apostolis ridenda fuerunt? Ergo haec non tam serio ab Evangelista dicebantur, quam ut augurii illuderet. Tamtum,

rum, inquit, abest, ut a disrupta corrigia quidquam laevi casus metuam, ut potius inde prosperum mihi successum praesagiam. Itaque vereor, ne Graecus hodie textus hoc dicto mancus ad nos pervenerit. In Ecchellensis certe Orientali chronico hoc dictum reperitur; quod ex Graecis potius, quam ex Latinis Actis in illud manare debuit.

Statim ibidem sequitur omen alterum. Nam quum disruptum calceum Marcus sutori reparandum tradidisset, hic vero interlendum sinistram vulnerasset, *Exclamavit dicens, Vnus Deus* [Gr. εἷς Θεός] quo audito Marcus *ait intra semetipsum gaudens: Prosperum fecit Deus iter meum*. Refert hoc dictum Tillemontius ad illud Tertulliani in de test. animae cap. 2. ubi ait, gentiles ipsos nec cogitantes pluries *Deum* singulari numero efferre. Sed nihil simile aut commune; quum aliud sit *Deum* dicere singulariter (quod Graecis, praesertim eruditis, tritissimum est) aliud disertim, *Vnus Deus*. Potius existimaverim, sutorem Hebraicam veri Dei circumlocutionem in eo inopinato casu incogitantem usurpasse. Judaei Alexandrini a gentilibus interrogati, quemnam colerent, quodve suo Deo nomen, pro more suo respondebant, *Vnum Deum* se adorare: quod perinde accipiebatur, tamquam si id ei proprium nomen esset. Id ubi sutoris illius animo insederat, subito vulneratus, Dei Judaeorum nomen inclamavit, dicens, *Vnus Deus*, ille scil. quem Judaei colunt. Nam & illud satis constat, Judaeorum cultum plures ethnicos cum idololatria copulasse.

Ibidem in Graeco textu versu ante finem nono legitur, sutor Anianus Marcum domum suam invitasse, statim ut miraculum, necnon ejusdem Marci ἀσκητικὸν vidit: quā vocem interpres reddidit vitae *continentiam*. Item num. XI. v. 4. in descriptione habitus oris corporisq. S. Evangelistae dicitur is fuisse σὺν σχέσει ἀσκητικῇ, *habitu ascetico*: pro quo interpres, *Affectione continens*. Nam quod in Christiana philosophia ἐγκρατὲς antiqui dicebant, id Latini Patres reddere amarunt *Continentiam*. Itaque quod Eusebius H. E. 16. primo Marci illuc appulsu innumeros se ad Christi religionem applicuisse scripsit, δι' ἀσκήσεως φιλοσοφοῦντας τε καὶ σπουδαίους, id Hieronymus in de Script. Eccl. ubi de Marco, sic transtulit, *Tanta doctrina & vitae CONTINENTIA, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret*. Sed redeo ad Actorum Marci scriptorem: cui (ex Graecae vocis bisusurpatae scil. indicio) persuasum fuit, Marcum & *Asceticam* fuisse, & primum Ascetarum in Aegypto institutorem. Sit hoc totum verum fuisse, judico. At deinde nostri longius progressi, etiam hoc contenderunt, quos Philo *Therapeutas* vocat, libroque ferme integro describit, eos non alios fuisse, quam Judaeos χρισταζοντας (*Christi sectatores*) ad eam vitae formam a Marco redactos. Id quidem Eusebius II. 17. & persuasum habuit, & Hieronymo & aliis persuasit: at recentioribus quibusdam, inprimisque interpreti suo Valesio id persuadere non potuit, Therapeutas illos pro meris Judaeis habentibus. Quid nos de ea quaestione censebimus? Sane quidem Philonianos Therapeutas pro Christianis haberi, praeter argumenta ab aliis producta, etiam ratio temporum vetare videtur. Nam Philo, qui anno Christi XL. Romam aetate provectior venit, non videtur diu ultra annum Christi L. vitam protulisse. Atqui Chronici orientalis ab Ecchellensi editi auctor (quem cum Actis hisce, quorum auctoritatem esse debere maximam infra demonstrabo, passim consentientem reperio) paullo ante annum LX. Marcum in Aegyptum, ipse vero anno LX. Alexandriam venientem facit. Ex quibus intelligitur, nec Philonem Christianae fidei processus in Aegypto vidisse, nec Therapeutas a Philone descriptos tunc cognitos Marco fuisse. Dixeris, ex aliorū sententia Marcum multo maturius suprascripto tempore suam provinciam attigisse. At qui sic senserunt, iidem annum Marci emortualem simul maturaverunt: quem ego infra certis argumentis conferam in annum Christi LXXV. Quocirca difficillimum est, Marcum ante appulisse in Aegyptum, quam Philo librum de vita contemplativa scriberet. Attigit quidem hoc argumentum Tillemontius Nota IX. Sed idem, ex ignorato a se vero anno Marci passionis, ejusdem argumenti vim enervavit. Maneat ergo, Therapeutas Philonianos nihil habuisse cum Marco commune. At nisi Eusebium virum tantum manifesti erroris arguimus, simile aliquid Therapeutarum institutum perfecerit in Aegypto Marcus necesse est, *Ascetarum* scil. societatem, *Asceta* ipse: nam hunc *Ascetam* fuisse ex duobus horū Actorū locis modo hujus disquisitionis initio ostendimus. Nec dubium est, quin plurimos ad sui exemplum, idemque institutum capessendum pertraxerit Apostolus. Habeatur ergo Marcus in Aegypto primus Ascetarum pater. Atqui *Ascetarum* vocabulum etiam Philonianis illis commune fuit, ut ex initio libri De vita contempl. & alibi passim constat: quo fit, ut illud περὶ ἱκετῶν in titulo libri illius Philoniani, Sandius maluerit legi ἀσκητῶν: ingeniose, si minus vere. Hinc ergo vulgata illa Eusebii aetate persuasio, Therapeutas Philonianos fuisse Marci discipulos, orta ex eo

fuit,

fuit, quod tam Philoniani illi, quam discipuli Marci, utrique *Ascetae* vocarentur. Incidere & aliud potuit, quod huic famae vires majores subministraret. Fieri inquam potuit, ut Judaeorum Therapeutarum plurimi Marci praeconio incitati, Ascēticis Evangelistae institutis adhaeserint: ex quo sensim dissolutis Therapeutarum societatibus [imo eisdem in Christi & Marci nomen concedentibus] soli deinceps Marcī *Ascetae* viguerint; qui proinde cum illis prioribus mere Judaeis ascetis confundi a sera posteritate coeperint. Et causae ceteroqui multae erant, cur confunderentur. Marcus Alexandriae *Ecclesiam judaizantem* (ait Hieronymus) instituit, credo, ut Judaeos lucrifaceret: unde & Scriptor hujus historiae num. 1. de Graecorum incircumcisorum multitudine, ipse ex Judaeo Christianus, queritur. Re vera in his Actis nusquam Judaei, [qui alias Sanctis fuere infensissimi] Marco obstrepuisse, aut cum gentilibus consensisse narrantur. Quae omnia nos eo ducunt, ut Judaeos Alexandrinos, maxime Therapeutas, Marco & faviſſe & adhaesisse credamus. Ac de Therapeutis ita censeo.

§. III. *Ad sectiones §. 7. MILIVS verum successoris Aniani nomen, non Abilius. De prima Alexandriae Ecclesia in locis Bucoli. Num. 7. initio Latinus textus suppletur. Quid Serapiaca κωμασία a γενεθλίῳ differret. Latina interpunctio corrigitur. Pulcherrima Graeci textus expositio, ex qua apposite colligitur, Marcum falsorum discipulor. proditione captum fuisse. Loca Bucoli confragosa. Quid Bubalus.*

Num. V. v. 8. In Latino sic legitur: *Ordinavit . . . tres presbyteros, i. e. Melium* [alibi rectius *Milium*, cui scriptioni Graeca Acta favent] *Sabinum & Cerdonem. Milium* hunc postea Alexandriae Episcopum fuisse, & Aniani successorem, tradit S. Petri Alex. vita a Combefisio edita; in qua Anianus Marco successisse dicitur, Aniano *Milius*. At alii Marcum excludentes, Anianum primum episcopum faciunt: de quo vide dicenda ad num. 11. Ac Tillemontius tom. V. in S. Petro Alex. Not. 1. ignotum sibi esse hunc Milium queritur, nec alium videri quam Eusebii *Abilium*. Id quod ita concedo, ut tamen *Abilii* nomen corruptum esse contendam, qui vere *Milius* dicebatur. Nec enim solum in S. Marci & Petri Alex. Actis sic scribitur, verum etiam in Coptico Kalendario (in quo die 29. Augusti *S. Milii* hujus memoria celebratur) & in aliis pluribus monumentis apud Soller. in Chronol. Patr. Alex. tom. V. Maii. Ceteroqui sive hoc nomen majusculis scriberetur litteris, facile M in duas A B dissolvi potuit: sive minoribus; tum vero in Mss. Graecis μ & β ita sunt similes, ut difficile una ab altera distinguatur. Itaque Eusebio Μίλιος pro Αβίλιος restituatur, censeo; non vero Ανίλιος *Avilius*, quod censet Valesius, nullo Ms. motus, sed eo tantum quod gens *Avilia* Romana fuerit. Atqui & gens *Melia* apud Grut. occurrit: & satis hoc est quod *Milii* nomen habet, unde derivari possit, ut hujus viri nomen esse queat.

Ibidem versus finem Marcus Alexandriam post biennium rediens, invenit ibi *Ecclesiam constructam ab eis* [Christianis] *in loco, qui vocatur Bucoli*. Graece, ἐκκλησίαν θεμελιώσαντες ἑαυτοῖς ἐν τοῖς καλουμένοις βυκόλοις. De *loco Bucoli* fit mentio & in S. Petri Alex. Actis Combefisianis. Non prorsus publica haec Ecclesia fuit [nam tales tertio primum saeculo post Severi persecutionem steterunt] sed clam in abrupto loco erat, qui *Bucoli* dicebatur: quo facto & Tillemontii difficultas Not. 1. concidit. Sane Graeca locutio τὰ βυκόλα [quae in his Actis saepe occurrit] *domum Bucoli* proprie significat: qua locutione non tantum profani utuntur, sed & Evangelium [ἐν τοῖς τοῦ Πατρός μου, proprie *In domo Patris mei*, sive Templo, *oportet me esse*] & millies Codinus aliique scriptores Codino antiquiores de CPolitanis Ecclesiis. Verum quum *Domus bucoli* dicitur, *Bucolus* appellative sumendum est pro *bubulco* aut armentario; id enim Graece significat. Atqui *Domus bubulci* quid aliud est quam stabulum sive mandra bovum? Itaque in Chronico orientali istud ἐν τοῖς βυκόλοις Arabice sic concipitur, ut significet *In mandra bovum*, ut infra ad num. 7. videbimus. Quare hunc Christiani inaccessum & abruptum locum (positum ὑποκάτω κρημνῶν, *sub praecipitiis*) idcirco sibi delegerunt ad cogendos coetus, ut occultiores essent. Confer mox dicenda ad num. 7. & 11.

Num. 7. *Factum est autem, ut beatissima festivitas nostra Paschalis i. e. Dominicus dies sanctus occurreret vigesimo die mensis Parmuti, quod est VIII. Kal. Maii*: qui est dies XXIV. Aprilis. Jam supra animadvertimus, esse legendum *Vigesimo nono die mens. Parm.* nam sequens dies Marco βαγάσιμος infra num. 12. numeratur *tricesimus* ejusdem mensis in Actis Latinis. At a Graeco textu heic & num. 12. ea temporis notatio tota abest, in quo heic solum legitur in haec verba: *Accidit autem, ut beatae festivitatis sancti Paschatis Dominica sancta occurreret*. Ceterum infra ad num. 12. ostendam, tunc Pascha in 23. Aprilis incidisse.

Statim in Latino sequitur: *Quo tempore eorum* (gentilium) *Serapiaca agebatur solis mensis*: Gr. Σαραπιακὴ κωμασία i. e. *Serapiaca com-*

Digitized by Google

comeſſatio · *Comeſſatio* iſthaec videtur diverſa fuiſſe a Serapidis feſto praecipuo, quod num. 10. vocatur γενέθλιον *Natale* Serapidis, h. e. *feſtum majus anniverſarium*. Itaque illa *comeſſatio* erat forſan παρασκευὴ (*praeparatio*) quaedam majoris ſollemnitatis, & in ejus παννυχίοις (*pervigiliis*) peragebatur. Aut ſi forte κωμασία & γενέθλιον ut ſynonyma ac ſecta ejuſdem generis ſumuntur, tunc dicemus, *Serapiaca* triduum plureſve dies Alexandriae perduraſſe, ut quaedam Romanis Graeciſque feſta erant dierum plurium. Ceterum κωμασία (ſi in unum conferantur, quae de Κῶμος & cognatis vocabulis Heſychius, aliique tradunt) impudica cantica, epulas, tripudia, nihilque non laſciviae, temulentiae, furoris, inſaniae complectebatur. Et hoc quidem derivativum κωμασία haud alibi facile reperietur.

Ibidem v. 5. *Hac igitur opportunitate adunati inſidiatores, protinus dirigunt* &c. Verum tollenda eſt poſt *Inſidiatores* diſtinctio [quum debeat eſſe accuſativi caſus] eaque retrahenda poſt illud *Adunati*. Atque haec praeſtabit uti Graece ſunt, cognoſcere. Εὐκαιρίαν οὖν λαβόντες, καὶ ἅτε ἀπὸ τῆς ἀργίας ἐγκαθέτους πεμφάντες, κατέλαβον &c. quae ſic verbo reddideris: *Talem nacti opportunitatem, quum quoſdam per ceſſationem* [i. e. per ceſſationis feſtivae opportunitatem: ἀπὸ pro *Per* eleganter uſurpatur, de quo vide H. St. Theſ.] *inſidiatores ſummiſiſſent, invenerunt eum* [Marcum] *ſanctas preces ſacrae Oblationis peragentem*. Sed age, meliora quaeramus.

Etenim quum *inſidiatores* ſummiſſos audis, neceſſe eſt, eos non vi irrupiſſe in locum, ubi Apoſtolus ſacris operabatur, ſed tamquam ſymmyſtas & myſteriorum conſcios, habuiſſe faciles aditus. Omnino proditio interveneriit oportet falſorum fratrum. Ejus proditionis nullam in Latinis Actis veſtigium exſtat; in quibus & quaedam deſunt, quae in Graeco leguntur ante verba modo recitata. Ergo totam Graeci textus comprehenſionem poſt illa verba (*Serapiaca agebatur ſollemnitas*) totidem Latinis verbis reddamus. Καὶ πολλοὶ ἐξ αὐτῶν ἀνακεκράμενοι &c. *Et* [quidem] *multi eorum* [gentilium] *erant, qui idolorum errori renunciaverant, ſequi veritatis doctrinae adjunxerant*. Hoc τοῦτο interpres omiſit, ratus id nihil ad rem facere, imo eo interpoſito filum narrationis abrumpi. Sed falſus eſt. Nam his verbis viam ſibi munit ad exponendum, quinam ii inſidiatores fuerint, nimirum ex eorum numero, qui ſive alio idolatriae renuntiaverant, ſive ſpe lucri lecti ſanctiſs. Magiſtrum prodere animum inierunt. Statim enim Graece ſic ſequitur: *Poſtquam igitur quaeſitum* (Marcum) *non invenerunt; ea opportunitate* [tum ſcil. paſchalis feſti, tum etiam falſorum diſcipulorum] *uſi, quum quoſdam per ceſſationem* [Paſchalem] *inſidiatores ſummiſiſſent, invenerunt eum* (Marcum) *ſanctas preces ſacrae Oblationis peragentem*. At, inquies, nuſquam hoc diſerte dicitur, illos inſidiatores fuiſſe ſive veros, ſive falſos Chriſtianos. Reſpondeo, in Graeco id diſertiſſimis verbis innui, modo attentus animus afferatur. Sciendum eſt igitur ἀργίας vocabulum heic pro *ceſſatione Paſchali* poni: deinde illud ἅτε ἀπὸ τῆς ἀργίας eodem modo dici, quo οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς ſunt *Stoici*, & οἱ ἀπὸ βήματος ſunt *conciunatores* &c. ſic & Helleniſtis οἱ ἐκ περιτομῆς (Act. XI. 2. Gal. II. 12. Coloſ. IV. 11. Tit. I. 10.) ſunt *qui circumciſionem ſectantur* h. e. Judaei. Ergo ἅτε ἀπὸ τῆς ἀργίας verte *quoſdam ceſſationis* [h. e. feſti Paſchalis] *obſervatores*, per quos intelligit Chriſtianos ſive veros ſive ſimulatos. Ultima igitur ſic reddes: *Talem nacti* [diei Paſchalis] *opportunitatem, quum quoſdam ex ceſſatione* [h. e. feſtivae ceſſationis ſectatores & ſymmyſtas] *inſidiatores miſiſſent, deprehenderunt eum* Miſſas celebrantem. Haec tandem vera eſt loci pulcherrimi ſententia: quam non modo vetus interpres, ſed ne noſtri quidem viri eruditi ſunt aſſecuti. Tillemontius certe in Marci hiſtoria illud ἅτε ἀπὸ τῆς ἀργίας interpretatur, *quelques gents, qui n'avoient rien à faire*: frigide, & praeter auctoris mentem. Atqui ex hoc loco ſaltem [ut et aliunde paſſim] vel invitus fateberis, Graecum quidem textum eſſe ſine dubio primigenium: Latinum vero meram eſſe interpretationem, & hanc imperiti interpretis. Neſcio quo pacto omiſeram, illos ἐγκαθέτους ὑποκριτούς &c. *inſidiatores qui ſe juſtos ſimularent* Luc. XX. 20. non minimam huic loco lucem foeneraturos. Confer locum.

Sequitur: *Miſerunt funem in cellam ejus, & trahentes dicebant: Trahamus bubalum in loca Bucoli*. Gr. σύρωμεν τὸν βύβαλον εἰς τὰς βουκόλας. Quod adnotator Graeci textus ad tomi calcem, queritur male expreſſum in Actis Latinis eſſe, ratus verti debere, *Raperemus bubalum in locis* [non *loco*] *bucoli*; mox addens: *In ipſis enim comprehenſus, non ad ipſa, ſed in ipſis raptatus eſt*. Sed neceſſe non eſt: nam fremitibus in Marcum gentilibus, forſan is non in Bucoli Eccleſia, ſed alibi clam conventum Chriſtianorum egit. Scio quid adnotatorem offenderit, quod ſcil. εἰς quietem non motum deſignet. Verum infra oſtendam, ſermone Helleniſtico εἰς pro ἐν paſſim uſurpari. Itaque etiam

infra

infra num. 9. Marcus ex carcere raptabatur ἐν τοῖς &c. *in loca* [non *in locis*] *Bucoli*. Sane vero *loca Bucoli* saxosa erant, imo rupes mera sive promontorium, uti colligitur ex num. 5. extremo, & num. 11. Hinc vides, quanto constiterit Evangelistae per contragosa loca raptari. Jam vero Bubalus quid proprie sit, docebit Bochartus in Hieroz. II. 28. pag. 283. Adde & antiquorum loca producta a Valesio ad Ammiani XXII. 15. Ex iis aliisque plura discimus, quae huc faciunt. I. Ex loco cit. Marcellini, Palladii Lausiaca in Macario Alexandrino, & Philostrato discimus Aegyptum ac maxime Nili vicinam bubalis abundasse. II. Bubalum animal esse ex caprearum & damarum genere: id quod etiam ex Graecis Scripturae interpretibus genere Alexandrinis constat, & ex Hesychio, cui βούβαλος [fort. βούβαλις] est δορκάδιον. III. Fallitur Lindebrogius ad Ammianum loc. cit. bubalos confundens cum Philostrati βοάγροις i. e. *bobus agrestibus*: nam etsi multorum haec fuit olim opinio (etiam aetate Plinii vulgo bubalos cū *uris* i. e. bobus Germanis confundente) tamen nihil inter utrosque commune fuit. IV. Potius in loco Philostrati, quem affert Lindebrogius, βυτραγοις [quasi si *bovircos* dixeris] iidem sunt ac bubali. Cur? quia chronicon Orientale Ecchellensis (nuper a doctiss. Assemano accuratius Latine redditum) hoc Alexandrinorum in Marcum dicterium his verbis concipit: *Trahite bircum in mandra bovum. V. Postremo* id quod Italis vocatur *il bufolo*, aliud ab antiquorum *bubalo* est.

§. IV. *Ad sectiones* 8. 10. 11. *Interpres arguitur. Vaticinatio Angeli dupliciter impleta. Marcum vidisse Christum in carne, Acta haec innuunt. Marci corpus intactum a rogo fuit, adversus Tillemont. De Natali Serapidis. Detegitur aetas interpretis. Quid λείψανον ac σύνταλμα. Descriptio formae S. Marci ex Graeca proprietate enucleatur. Locus obscurus de Evangelistae pollinctura exponitur. Prava distinctio corrigitur. Quid sepelire cum gloria. Quid σωροσύνη. Falsa interpretis translatio. An Marcus primus Alexandriae Patriarcha.*

Num. 8. Graece versu 8. sic Angelus in carcere solatur Apostolum: Ἄγγελος τὸ πνεῦμά σου σωλάττουσιν, καὶ τὰ λείψανά σου εἰς γῆν οὐ ἀπολοῦνται. Pro his Latine sic legitur: *Socius enim factus es supernae virtutis: nam & in caelis spiritum tuum deducent, & aeterna requies & indeficiens lux non peribit.* Haec si cum Graecis conferas, videbis, quantum varierit interpres, qui in τὰ λείψανα videre sibi visus est suum illud *Indeficiens*, & alia porro hoc loco [nisi corruptus hac parte est: nam alibi ferme fidelior] pro sua libidine transtulit. Verum hunc mittamus. Graeca autem totidem verbis sic Latine sonant: *Angeli spiritum tuum custodiunt, & reliquiae tuae in terra non peribunt.* Posterius hoc vaticinatio est ejus, quod num. 10. narratur, ubi gentiles Apostoli reliquias flammis absumere conantes ingens exorta tempestas in fugam vertit. At Eutychius & Tillemontius egregie falluntur, qui Marcum crematum, narrant: de quo vide mox ad num. 10. Interim illud εἰς γῆν *in terra* quid in conceptione oraculi facit? Nam si hoc tantum agebatur, Marci corpus intactum ab incendio fore, satis fuerat dixisse οὐκ ἀπολοῦνται *non peribunt*. Nunc non temere est, quod additur *In terra*. Fortasis praeter artuum incolumitatem, hoc insuper pollicetur Angelus, Evangelistae Reliquias in omne tempus notas celebresque in terris futuras: id quod pluribus Sanctorum minime contigit, quorum sacras exuvias nunc frustra quaerimus. Nec ea vis abest a verbo ἀπολλύναι, quod non tantum est *perdi* aut *extingui*, sed & *amitti* & *intercidere*: sicuti & Latinum *Perco* utrumque significat. Nolim haec perinde accipi, quasi Venetorum auribus data. Verumtamen nullo non tempore Marci sacra pignora nota & celebrata fuerunt, Alexandriae primum ad usque noni saeculi initia; post illud vero tempus ea Veneti sustulerunt; apud quos hodiedum magno in honore sunt. Locupletissimus ejus rei testis Bernardus IX. saeculi monachus, cujus testimonium habes apud Mabillonium in Annal. Benedict. lib. 37. num. 12. Bernardus enim an. 870. Alexandriam profectus, extra portam orientalem monasterium S. Marci cum monachis invenit: quo ex loco Veneti [ait Bernardus] navigio tulerunt furtim corpus S. Marci, & in suam insulam deportarunt. Quod hominis fere aequalis testimonium ad roborandam Venetorum possessionem validissimum esse, merito censet Mabillonius.

Ibid. versus fine Interpres: *Venit ad eum* [Marcum] *Dominus Jesus Christus in ea forma & in habitu, quo fuerat cum discipulis suis, antequam pateretur*: quem & agnovisse Marcus [utique ex *forma & habitu*] narratur. Hinc patet, quo tempore scripta haec historia fuit, vulgo persuasum Alexandrinis fuisse, sive Marcum unum ex LXX. discipulis exstitisse, sive saltem vidisse Dominum in carne mortali: de quo adversas antiquorum sententias vide apud Tillemontium Not. 2. His vero verbis ibidem Marcum affatur Christus: *Pax tibi Marce, noster Evangelista.* Nec video, cur *Evangelistae* elogium, quo Marcus a Christo ornatur, tam-

topere

tbpere offenderit Tillemontium not. 1. Vtut eſt, noſter auctor vulgatam ſuo tempore famam, ſive ſcriptam ſive ore traditam, in his ſequitur.

Num. 10. ſic Noſter incipit totidem ex Graeco verbis: *At impiorum Graecorum multitudo ignem ſuccendentes* [Gr. ἀναψαντες, *quum ſuccendiſſent*] *in loco qui Nuntii vocantur* (Gr. εἰς τὸν καλούμενον Ἀγγέλων, quod vetus interpres reddidit, *In loco qui vocatur Ad Angelos*) *Juſti Reliquias* [ἔκαυσαν] *combuſſerunt*. Sed mox Dei providentia exorta immanis tempeſtas gentiles fugaſſe narratur, ita ut Chriſtianis ejus Reliquias ſepelire licuerit. In qua narratione illud ἔκαυσαν i. e. *uſſerunt* Eutychium opinor adduxit, ut Marci corpus *crematum* diceret. Exſultant in hoc Eutychii teſtimonio Daillaeus in IV. de Religioſi cultus objecto c. 22. & Erneſtus Tentzelius ad Hieronymum *De viris illuſtribus*, jactantes, Venetorum traditiones Eutychii auctoritate convelli. At vero Tillemontius, quaſi qui hunc Actorum locum cum ſequentibus narrationibus conciliare ſatagat, haecin hunc modum in ſua Marci vita componit: *Les payens ne ſe contentant pas de luy avoir oſté la vie, BRVLERENT ſon corps ... Mais ... les Chretiens ramaſſerent CE QVI RESTOIT de ſon corps ... & l'enterrerent*. Quae & Bailletus totidem fere verbis in ſuam Marci vitam tranſtulit. Itaque hi feminiſtas Marci Reliquias ad Chriſtianos perveniſſe tradunt. At illo modo utut Marci uſtio cum ejuſdem ſepultura concilietur, at cum Angeli certe oraculo proxime ad num. 8. recitato, vaticinantis, Marci Lipſana non peritura, coire in amicitiam nullo modo poterit. Verum quo pacto, inquis, verum erit illud ἔκαυσαν [*cremaverunt*] quod diſerte heic ſcribitur? Reſpondeo, in re Libitinaria verbum καίειν tantumdem eſſe, *quod in rogum inferre*, ſive abſumptione ſecuta, ſive non. Vide de hoc ſignificatu H. Steph. in Theſ. ubi ex Budaeo Iſaei locum affert in or. pro Pyrrho, qui talis eſt: *Qui enim teſtatorem, a quo heres relictus eſt, nec extulerit, nec* [ἔκαυσεν] *in rogum intulerit, quo pacto is non impiiſſimus ſit habendus*? Quocirca Actorum locum, qui negotium faceſſit, non dubitabis reddere, *Quum pyram ſuccendiſſent* [ἔκαυσαν τὰ δίκαια τὰ λείψανον] *Juſti Reliquias in rogum intulerunt*. At ſtatim imbrium vis rogum reſtinxit. Sed & paullo aliam rationem haudquaquam ſpernendam vetus interpres iniit, qui in illo ἔκαυσαν comburendi dumtaxat ſtudium, quamvis ſucceſſu deſtitutum agnovit, quippe in hunc modum interpretatus, *VOLVERVNT Reliquias ſanctas COMBVRERE*. Quem ſi ſequimur, τὸ καίειν [*comburere*] heic tantumdem erit, quod *comburendo operam dare*, quamvis irrito conatu. Hoc vero ex Helleniſticae dialecti ingenio petitum eſt, ut alibi dicam.

Ibidem verſu antepen. Διὰ τὰ γενέθλια. Serapidis feſtum γενέθλιον h. e. *natale* vocatur. Nam quaecumque feſta quotannis recurrentia Graecis γενέσια imo & γενέθλια vocabantur, ut & Latinis *Natalis* nomen ſortiebantur. De eo nos paſſim hoc opere: ſed plura in Praefatione dabimus. Ac videtur ſane inter Serapidis γενέθλιον & ejuſdem κωμασίαν (de qua num. 7.) id fuiſſe diſcriminis, quod ibi attulimus.

Ibidem: *Tunc venientes* (ἄνδρες εὐλαβεῖς) *viri religioſi ſuſtulerunt Reliquias* &c. Illud εὐλαβεῖς i. e. *religioſi* uſurpatur etiam a Luca Act. VII. 2. de iis, qui Stephani corpus curaverunt, ubi Vulgatus vertit, *Viri timorati*. At heic vetus interpres non *Viri religioſi*, ut Graece eſt, reddidit, ſed ſimpliciter *Religioſi*. Quo videtur *Monachos* intellexiſſe: nam *Religio* pro vita monaſtica & *Religioſus* pro monacho paſſim in Salviano primum legitur, mox in aliis. Itaq. interpres in ea opinione fuit, cujus Caſſianus & Sozomenus I. 12. fundamenta jecerunt, monachorum inſtituta ab Aſcetis illis Marci diſcipulis eſſe profecta. Atque hinc certe interpretis hujus aetatem aſſequi conjectura licebit. Nam eo tempore vixit, quo & *Religioſi* ſubſtantive pro monachis ſumebantur (cujus notionis ante Salvianum ſcriptorem ſaeculi V. fruſtra exempla requires) & vita monaſtica ab illis uſque Marci temporibus repetebatur. Quocirca V. aut VI. ſaeculo haec primum interpretatio prodiit; Verum interim ne dubita, quin illud ἄνδρες εὐλαβεῖς, *viri religioſi*, ſi minus de monachis, at certe de *Aſcetis* a Marco inſtitutis (de quibus ad num. 3. diſputavimus) percommode intelligatur.

Tunc, inquit, *venientes viri religioſi extulerunt Juſti Reliquias*. Hoc ultimum ſic Graece concipitur, συνέτειλαν τὰ λείψανα τῶν δικαίων, quod vetus interpres reddidit, *Juſti corpus collegerunt*. Hanc ſibi commodam translationem libenter amplexus eſt Tillemontius, ſic eadem interpretatus, *RAMASSERENT ce qui RESTOIT de ſon corps*. Atqui nec λείψανα neceſſario ſunt reſidua corporis ſemiuſti, ſed idem quod Latinis *Reliquiae*, quae vox etiam de corpore non cremato uſurpatur, ſicuti, & initio hujus num. τὸ λείψανον ſumitur: & συνέτειλαν eſt quidvis potius quam *Collegerunt*. Nam heic certe aut eſt *Corripio*, aut potius *Subduco* ſeu clam aufero. Nanzianzenus de Chriſto: οἰκονομικῶς ἑαυτὸν συνέστειλε πολλάκις, οὐκο-

nomice se saepe [e medio] *subduxit*. Sic & Marci discipuli corpus ejus noctu (nam tempestas ad vesperam perduraverat) & clam sustulerunt. Quamquam alioqui Act. V. 6. idem verbum sine ulla clancularia notione est simpliciter *efferre* mortuum ad sepulturam, ubi illud συνέτειλαν αὐτόν Vulgatus reddidit, *Amoverunt eum*, statim addens, *& efferentes sepelierunt*. Fortassis & in Graeco 1. Mach. V. 3. eadem subest notio. Postremo demus, recte hoc loco hunc scriptorem *colligendi* verbo usum: at erit *Colligere* istud non tantumdem quod RAMASSER, sed ex Judaeorum lingua funebrem significationem trahet: nam Hebraeis *colligi ad patres*, aut *populos suos* est efferri ad sepeliendum.

Num. XI. forma corporis S. Marci minutim & curiose describitur, in qua descriptione Latinus interpres parum vidit. Qui sic incipit: *Longo naso*. Sed Graecum μακροῤῥυγχος [quod compositum non alibi adhuc reperi] significat *Longo rictu*. Hoc Itali dicerent, *Di faccia lunga*. Ὀξύῤῥυγχος ejusdem notionis vox est: quam scriptor merito abstinuit, quia piscis apud Aegyptios sacri nomen erat, qui & urbi & nomo *Oxyrycho*, ubi is piscis colebatur, nomen indidit. Sequitur, *Subducto* [h. e. recto] *supercilio*. Sed mitto quod istud superbiam notat: at Graece certe est σωροφρυς, quod [non secus ac μιξοφρυς] de eo dicitur, *cui supercilia coeunt*, cui scil. nullum est superciliorum interstitium. Utramque vocem Pollux affert. Pergit, *Pulcher oculis*: Gr. εὐόμματος, quae vox frustra quaeretur in Lexicis. Deinde: *Recalvaster*. Non potuit melius exponere Graecum ἀναφάλαντος. Graece sequitur αὐτάχροος [i. e. *triticei coloris*] quod in Latino deest. Mox: *Prolixa barba*. At Graece erat δασυπώγων i. e. *densam* aut *bispidam barbam gerens*. Tum: *Velox*: quo Gr. ὀξὺς optime explicuit. Adhaec: *Habitudinis optimae*, h. e. *habitior*, sive corpulentior, id enim hoc loco significare debet Gr. εὐεκτικός. Pergit interpres: *Aetatis mediae, canis aspersus*. Atqui haec duo aut pugnant, aut rarissime componuntur. Cereroqui Marcum aetate provectum sudisse sanguinem, infra ex ejusdem anno emortuali ostenso colligetur. Atqui pro *aetatis mediae* Graece legitur heic μεσήλιξ, quod vulgo quidem virum aetatis mediae designare videtur: verum quum ἡλικία saepe *staturam* significet; non est dubitandum, quin hoc loco notetur fuisse Marcus mediae *staturae*. Color triticeus, corpus habitius, statura media, uria sunt fame habitudinis Marci indicia. Postremo: *Affectione continens*: pro quo Graece legitur, τῷ ἤθει σώφρων, i. e. *habitu* [habitus autem nomine intellige qui habitum, gestum, ingressum, vestitum & familia] *ascetico*. De quo dixi ad num. 3. At interpres non male *Affectionem* notione philosophica usurpavit pro διαθέσει. In Cyrilli Glossis *Affectio* est Διάθεσις. Huc demum pertinet, quod Hesychio, homini Alexandrino, Σχέσις est ἐποχή, h. e. *retentio*, qua quis scil. se reprimit. Fuerit igitur σχέσις unum ex asceticis vocabulis. Ad ultimum: *Plenus Dei gratia*. Quomodo hoc ad corporis formam pertineat, Adnot. 97. explicabitur.

Ibidem post eam descriptionem in Latino sic sequitur: *Factis igitur orationibus sepelierunt eum sicut consuetudo civitatis poscebat*. Non expressit vim verbi ἐνταφιάσαντες, quam hoc loco obtinet. Κηδεύω significat quidem *sepelire* [quod Josephus extremo lib. VII. mira translatione usurpavit etiam de divitiis, quas Salomon cum Davide συνεκήδευσεν i. e. *consepelivit*] sed secundario: at primaria notione est *Curare*; speciatim autem est *curare* corpus sepeliendum, lotione scil. & pollinctura. Huc enim refertur illud καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις, *sicuti consuetudo civitatis est*: uti & eamdem vim habet illud Jo. XIX. 40. ubi dicuntur Joseph & Nicodemus unxisse Christum, addito, καθὼς ἔθος ... *sicut mos est Judaeis sepelire*. Nam sepeliendi mos ubinam gentium non erat? at condiendi consuetudo peculiaris Aegyptiorum fuit, a quibus hoc & Palaestini, & alii orientis populi didicerunt. Legendus de eā παρασκευῇ [*conditura*] in primis Herodotus Musa secunda. Verum Herodotea curatio operosior erat, in qua & multum temporis insumebatur. At aevo posteriore sicuti Christi corpus brevi tempore inunctum fuit; sic una nox, quae Apostoli mortem ejusdemque sepulturam die XXV. Aprilis peractam intercessit, satis fuit ad ejus Reliquias condiendas, more scil. Alexandrinorum tenuioris fortunae.

Statim sequitur: *Et deposuerunt in loculo lapidis excisi*: Gr. ἐν τόπῳ λελατομημένῳ h. e. *in loco* [*Locus* autem tantumdem quod *sepulcrum*: interpres optime *loculo*] *excisio in rupe*. Nam in rupe seu promontorio Ecclesia illa prima exstructa fuerat, ad cujus latus orientale (uti mox dicitur) excisum Marci sepulcrum fuit, quod toti posteritati veneration fuit.

Et deposuerunt (inquit Latinus) *in loculo lapidis excisi, cum gloria venerantes memoriam ejus*. Verum illud *cum gloria* referendum ad anteriora est, & praecedens ὑποστιγμὴ (*subdistinctio*) promovenda est post *Gloria*: uti recte in Bedae haec Mrologio verba distincta legimus. Eadem perversa interpunctio & in Graeco textu est corrigenda. *Sepelire cum gloria* ex Tobiae libro

Digitized by Google

CAP. II.

De antiquitate, stylo, veteris geographiae peritia, & auctoritate Actorum Graecorum.

De S. Marci Actis doctiss. Tillemontius haud nimis abjecte sentit: qui postquam ex iis pleraque historiae capita hausit, eidem monumento *mediocrem* saltem (93) *auctoritatem* impertit, ratus (Not. 1.) saeculo V. aut VI. fuisse compositum. Bailletus paullo aequior, qui (in Tab. Crit.) quarto aut quinto saeculo idem conscriptum pronuntiat. At clariss. Sollerius, quod illud cerneret statutae ab se hypothesi adversari, praeclarum hoc antiquitatis spolium, quod Henschenius magno in pretio habuerat (94) non videtur magni facere.

Equidem ut Latinam Actorum istorum interpretationem valde antiquam esse praestare non possum (etsi sine controversia Beda (95) antiquiorem; facile

libro sumptum fuit, in quo XIV. 11. 13. haec locutio θάπτειν ἐνδόξως reperitur, quod aptius reddideris *Sepelire honorifice*. Ceterum illud *venerantes memoriam ejus* (Gr. πλήσιος τῆς μνήμης) quo pertineat, in sequentibus dicetur. In Latino additur, *cum sobrietate & precibus*, totidem verbis ex Graeco expressum, ubi legitur μετὰ σωφροσύνης καὶ προσευχῆς. Atqui σωφροσύνη (quod proprie *mentis sanitatem* notat) apud Xenophontem opponitur τῇ μανίᾳ i. e. *insaniae* ac furori. Vult auctor Christianorum ritus, quibus Marci memoriam recolebant, nihil habuisse commune cum insanis atque incompositis gentilium circa mortuos suos caeremoniis, ex emota ac furiata mente prodeuntibus.

Statim in Latino sequitur: *Gratulantes, quod* [Marcus] *primus verum & pretiosissimum meruit Alexandriae thronum*. Ineptissime. Dixerat, Alexandrinos S. Marci memoriam ad ejus sepulcrum studiose celebrasse. Subdit, ὡς πρῶτον κειμήλιον ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κεκτημένοι. h. e. cum *veluti praecipuum thesaurum Alexandriae possidentes*. Atqui haec vera sententia in Latino corrupta cernitur, idque de industria meo judicio, nempe ut Marcus primus Alexandriae Episcopus numeraretur: contra quam locuta est antiquitas. Apud veteres enim Marcus *Alexandrinae* Ecclesiae non tam primus Episcopus audit, quam fundator. Idque tum ex his Actis constat [vide sup. num. 5.] tum etiam ex Eusebio II. 14. quod sic habet: *Quarto Domitiani anno* (ὑπατος) *PRIMVS Alexandrinae Ecclesiae* [Episcopus] *Annianus ... moritur: cui secundus successit Abilius*. Hinc igitur Latinae interpretationis novitas se prodit, tunc scil. facta, quando in catalogis Marcum primum Alexandriae Patriarcham recenseri coeptum fuit. Haec vero quum dico, nolo decus hoc tantum Alexandrinae Ecclesiae detractum ire. Fuerit per me licebit Marcus primus urbis illius Episcopus. De loquendi tantum consuetudine disputo: qui prioribus Ecclesiae saeculis Marcus, uti fundator, extra numerum vagabatur, Anianus autem *primus* numerabatur. Haud simile est illud quod apud Euseb. III. 2. dicitur *Post Pauli Petrique martyrium PRIMVS Romanae Ecclesiae Episcopatum sortitus Linus*: nam hic *Primus* dicitur, sed *post martyrium Petri*; hunc opinor ideo Paulo posteriorem nominans, ut ei Linus successisse intelligeretur.

Ad num. 12. commentabimur infra capite III. hujus Diatribae.

(93) Tillemontius ubi de S. Marco (edit. Venet. pag. 93.): *D'une autorité mediocre*.

(94) Henschenius ad XXV. April. ubi de S. Marco num. 3. *Devenimus in sinceram notitiam antiquissimorum Actorum, quae de vita & Martyrio S. Marci fuerunt descripta*. Qui in eo tantum fallitur, quod Latina diversa a Graecis, & antiquiora putaverit. Nec ab Henschenii judicio aperte discedit Sollerius: nisi quod in consignationem temporis, quo passus est Marcus [quae quidem in Actis Latinis pessime se habet] ita insurgit, ut ea Acta videatur parvi pendisse, aut, quod verius puto, non expendisse, multo minus eadem cum Graecis contulisse. Vide tomo V. Junii Fundamentalem Sollerii dissertationem ad Chronol. Patriar. Alex. num. 12. 23. & alibi, ac praesertim num. 32.

(95) Apparet, Bedam Acta Latina legisse; quae ita in compendium redegit, ut etiam locutiones quasdam retineat hujus translationis peculiares; cujusmodi est illud, *Ad loca Bucoli .. juxta mare sub rupibus*: itemque illud quod Marcum sepultum dixit *In loco lapidis excisi cum gloria*: & alia plura; in quibus tamen ipsis Latinus interpres paullum a Graeco deflexit. At quam pridem ante Bedam ea translatio prodierit, incertum est. Nulla quidem in iis singularis locutio est aevi Tertullianei, aut subsequentis. Verum nec continuo V. aut VI. saeculo recentior videbitur ut Adnot. 92. ad num. 10. ex voce illa *Religiosi* conjiciebam. Nec quemquam illud offenderit, quod saepe sensum auctoris sui non assequitur: nam is interpres &

parum

Digitized by Google

vero posteriorem quinto saeculo, ut ex *Religiosorum* indicio in Adnot. 92. ad num. 10. observavimus) ita Graecum textum (quem ex dictis cap. superiore primigenium esse, luce clarius est) ajo esse antiquissimum, ac facile alterius Christi saeculi, aut summum tertii. Hanc tantam antiquitatem non alia evidentiore ratione ei vindicare posse mihi videor, quam ex minime inficianda orationis simplicitate, styloque ejus generis, quo Judaei Hellenistae utebantur: ut prorsus non sit dubitandum, quin ab Judaeo aliquo Alexandrino ad Christiana sacra converso id scriptum prodierit. Id quidem qui exaudiendis dialecti Hellenisticae monumentis tritas aures habent, sat scio, mecum fatebuntur. Tamen quid vetat ejus rei specimina heic subjici?

Num. 1. versu antepen. de Aegyptiis ait, καὶ πᾶσα δύναμις δαιμονιώδης ἐγρηγόρει παρ' αὐτοῖς. Interpres: *Omnisque contraria virtus apud eos vigebat*. Sed *Vigilabat* ex Graeco legendum, idque e prima interpretis manu fuisse oportuit: quod tamquam scil. improprium expunxere postea amanuenses, substituto *vigebat*. Verum quam vim habet heic ἐγρηγορέω seu *Vigilo*? Omnino non aliam, nisi quam Judaei Hellenistae ei impertierant. Apud Dan. IV. 10. עיר *Ir* i. e. *Vigil*, nomen appellativum est *Angeli*: pro quo Aquila & Symmachus Ἐγρήγορος i. e. *vigil* posuerunt. Adhaec Dan. V. 11. 14. γρηγόρησις (i. e. *vigilantia*) pro eo quod est *facultas angelica*, in textu LXX virali Danieli tribuitur. Postremo quis ignorat, in libro Enoch apocrypho, sed pervetusto tamen, angelos desertores vocari passim *Egregoros* i. e. vigiles? Hesychio, in ejusmodi vocibus corradendis haud segni, Ἐγρήγορος exponitur ὑγρήγορος i. e. *Pervigil*. Ex his vides, verbum ἐγρηγορέω peculiare apud Hellenistas fuisse ἐνεργείας (*operationis*) angelicae, sive daemoniacae. Ergo in adscripto loco ἐγρηγόρει verti debet *Operabatur*, quo sensu scil. *operandi* verbum in N. T. vulgatus interpres usurpat. Et hunc locum sine dialecti Hellenisticae praesidio quis enodasset? Nec minus difficilis est, qui sequitur.

Num. X. v. 10. volentes idololatras S. Marci reliquias comburere ingens coorta tempestas exsequi id vetuit, ac fuga dilabi coegit. Tunc illi irridentes ἔλεγον, ὡς ὅτι ὁ Σάραπις ἡμῶν τὴν ἐπισκοπὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐποιήσατο σήμερον, διὰ τοῦ γιγαθλίου. Interpres: *Dixerunt quod beatissimus Serapis noster in sua hodie festivitate hunc virum* (Marcum scil.) *voluit invisere*. Vbi interpres, stylo Biblico alioqui addictissimus, si pro *Invisere* posuisset *Visitare* (quo verbo (96) Vulgatus Bibliorum interpres passim utitur) minus quereret. Nunc *invisendi* verbum nullam de Hellenistica locutione, quae heic latet, suspicionem injicit. Sciendum est autem, ἐπισκέπτομαι *visito*, & ἐπισκοπὴν *visitationem* in Graecis Bibliis voces esse medias, in bonam ac deteriorem partem accipi solitas: quod eo fit, quod Numinis interventu res magnas fieri putarent, sive prosperas sive adversas. Ergo *visitatio* modo Divinam opem, modo vindictam notat. Exempla Scripturarum sunt passim trita. In hoc autem Actorum loco ἐπισκοπὴ sine dubio *ultionem* designat. At, inquies, quis sibi persuaserit, gentiles Alexandrinos locutione Biblica usuros fuisse? Imo ne illud quidem satis esse verisimile dices, scriptorem hunc (quem ex Judaeo Christianum fuisse, non est dubitandum) induxisse gentiles illud de Serapide loquendi genus usurpantes, quod in

parum Graece eruditus fuit, & id magis egit, ut ad stylum Latini Bibliorum interpretis se conformaret: sane laudandus quod orationis simplicitatem adfectaverit.

(96) Idque tum in bonam tum malam partem. Exempla sunt ubique obvia. Afferam tantum illud Is. XXIX. 6. de clade Hierosolymitana: *Visitabitur in tonitruo* &c. In Graeco: Ἐπισκοπὴ γὰρ ἔσται &c. Ad verbum: *Visitatio enim erit cum tonitruo, & terraemotu, & voce magna, procella irruens, & flamma ignis comburens*. Quae verba eo huc attuli, quod nihil horum in ea tempestate, quae in Actis Marci describitur, ferme defuerit.

in Divinis Scripturis tantum vero Deo tribuitur. Sane quidem do manus. Quid ergo est? Omnino necesse est, eamdem illam phrasim non magis Judaeis Hellenistis, quam & gentilibus Alexandrinis in ore fuisse. Id quamquam ex recitato horū Actorum loco manifesto colligitur; tamen & ex Scriptoribus Alexandrinis fidem faciam. Hesychio Ἐπισκοπὴ (*visitatio*) est ἐκδίκησις i.e. *vindicta*. Ac solet quidem interdum Hesychius Biblicas notiones afferre. At heic certe ex popularibus suis hausit; quum ceteroqui in Bibliis vox ea sit media. Adhaec Clemens Alex. (Paed. I. 9. initio pag. 123. edit. Colon.) ἐπισκοπή ἐστιν ἐπίπληξις σφοδρά. *Visitatio autem est vehemens increpatio.* Quod ubi is dicit, nec ex Scriptura id docet, nec *Visitationis* Biblicae interpretandae gratia id affert. Postremo Synesio (apud H.St. Thes.) qui non solet Biblicis locutionibus uti, ἐπισκοπὴ Θεοῦ est Divina in improbos animadversio. Sed hunc tamen locum in auctore non vidi. Ex his fit, Alexandrinam hanc fuisse locutionem: Bibliorum vero interpretes, utpote Alexandrinos, eam cum aliis pluribus (& iis forsan prae ceteris, quas Hesychius suo lexico intexuit) in dialectum dictam vulgo Hellenisticam intulisse. Jam, uti vides, duo attulimus praeclara specimina, unum Hellenisticae dialecti, alterum Alexandrinae simul & Hellenisticae. Verum quid opus est ire per singula? Vel vide, quae in substratam (97) Adnot. contuli: ex iis intelliges, totam quanta est

(97) *Ad Graeca S. Marci Acta Animadversiones posteriores: per quas scriptum illud a capite ad calcem Hellenistica & Alexandrina dialecto decurrere, ostenditur.*

Quin mera Hellenistica dialecto, (uti vocant: nec enim Salmasiana super eo nomine praelia instaurare est animus) haec historia pertexta fuerit, non est dubium. Nam sive verba singula, sive conjuncta spectentur, Hellenistam Judaeum, sed χριστιανίζοντα, exaudire mihi videor. Ordior a vocibus singularibus, ac primum a particulis.

Et illud quidem non moror, quod εἰς (*in*) cum notione quietis ibi perpetuum ferme sit; nam & ceteri Graecorum id passim usurpant. Verum ἐν pro *Ad*, id peculiare Hellenistis est, quod & in N. T. passim usurpatur, ut Matt. X. 16. Marc. I. 16. Luc. VIII. 8. Jo. V. 4. adhaec 1. Cor. VII. 15. Eph. VI. 24. & 1. Tim. III. 16. In his vero Actis num. V. v. 13. ἦλθεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ. Item VII. v. 11. σύρωμεν .. ἐν ταῖς βύβλοις. Quod adnotatori Bollandiano fraudi fuit, verti jubenti *Trahamus in locis Bucoli*, quum tamen vetus interpres verterit *In loca*. At eadem *locutio* occurrit etiam IX. v. 5. ubi non potest non motus significari. Jam Καθὼς *sicuti* frequens Judaeis Hellenistis est, heic quoque num. XI. v. 6. & alibi usurpatum. At ab eo μορίῳ elegantiores scriptores abstinebant (quod & a Phrynicho damnatum memini) καθὰ usurpantes. Ἐνδόξως num. XI. v. 7. [quod interpres vertit *cum gloria*] in re sepulcrali Hellenisticum est, sumptum ex Tob. XIV. 11. 13. uti nonnullus Adnot. 92. ubi & pravam distinctionem correximus. Et haec de particulis: nec enim nisi insigniora persequor.

Ad nomina quod attinet; neutrum ἔνεδρον pro *insidiis* profani non usurpant: at eadem vox & Act. XXIII. 16. & in Graecis V. T. interpretibus millies, itemque in Sapientia, Sirachide, priore Machabaico saepissime occurrit. Quam quidem vocem Bibliorum interpretes ex Alexandrino sermone, Alexandrinos ipsos, intulisse in Biblia, certum me facit Hesychius: apud quem proparoxytonum Ἔνεδρα scribitur: quod tamen male ejus lexici adnotatores pro feminino (quod paroxytonum esse debuit) habuerunt. Atqui id neutrum ἔνεδρα Noster num. V. v. 6. usurpavit. Item ἐνεδρίστης pro *insidiatore* profanis inusitatum, reperitur heic num. VII. v. 7. ut & bis in Graeco Jobi interprete, itemque in N. T. Adhaec ἀναφορὰ pro *oblatione* seu Missae Sacrificio, quod heic VII. v. 9. legitur, ex eo venit, quod in N. T. passim ἀναφέρω sit *offerre* sacrificium. Vide ad Heb. VII. 27. IX. 28. XIII. 15. Jacobi II. 21. & 1. Petri II. 5. & alibi. Item in Graeco V. T. totis id paginis legitur, etsi ipsum derivativum nomen ἀναφορὰ non alibi quam in Graeco Psalmi L. 20. occurrit, ubi & Latinus *Oblationes* interpretatur. At Christiani scriptores pro ἀναφορὰ, προσφορὰ usurpabant. Itaque in 2. Can. Apost. pro ἀναφορὰ [quod nunc ibi legitur] alii habent προσφορά. Sed & λαίλαψ *turbo* [quod in his num. 10. habes] ter in N. T. obvium, at in sacris veteris paginae scriptoribus tritissimum est; ut & verba λαιλαπίζω, & λαιλαπιῶ, quae videntur ab Alexandrinis hausta. Hesychius

Digitized by Google

chius praeter λαίλαψ, etiam λαιλάπτης affert. At ex profanis, ubi ab Homero discesseris, rarissimus est ejus nominis usus. Eodem num. 10. versu penult. ἄνδρες βυλαβεῖς est ex Act. VIII. 2. [quo ibi Lucas in eadem re sepulcrali utitur] & II. 5. sed & alibi pluries in V. T. Postremo eod. versu ὁ δίκαιος substantive usurpatum [ut & ὁ πονηρὸς] est purus putus Hellenisticus Hebraismus.

Transeo ad verba. Εὐοδόω i. e. *prosperum iter praebeo*, aut translate *fortuno*, *prospero*, huic Scriptori aeque ac Graecis Bibl. interpretibus est frequentissimum. Ἀγαβύνομαι pro *gaudeo* (quod heic IV. 3. legitur) eisdem Graecis interpretibus usitatum, exteris non item. Θεμελιόω *fundo* ad spiritualia translatum [quod num. V. v. 12. legitur] est ex Hellenistarum consuetudine: cujus exempla habes Judith XV. 9. & 1. Petri V. 10. & alibi. Ἐμψυχρίζω i. e. *subsanno* (num. VI. 3.) Noster ex eisdem interp. habet, ignotum profanis. Πιάζω *comprehendo* (quod heic VI. 8. pro πιέζω occurrit) est peculiare ferme utriusque T. paginis. Συσσίλλω sepulcrali notione [quod habes num. 10. v. penult.] est ex eisdem Hellenistis: cujus notionis exempla protuli in Adnot. 92.

Atque haec pauca specimina de vocibus singulis satis: nunc pauca de conjunctis. *Comedere* (aut aliud affine verbum) ψωμὸν ἄραι 1. Reg. XXVIII. 22. & 3. Reg. XVII. 11. Prov. XXVIII. 21. legitur: itemq. in his Actis III. v. 10. γευσάμενοι ψωμὸν ἄρας, *gustantes buccellam panis*. Id quidem Tillemontius ad Eucharistiam refert. Non repugno. Sed tamen eam locutionem Biblicos interpretes ab Alexandrinis mutuatos, conjicio ex ejusdem num. versu sexto ante finem, ubi Anianus adhuc gentilis Evangelistam invitans ait, καὶ φαγόμεθα ὁμοῦ ψωμὸν ἄρας, *& comedemus una buccellam panis*. Ex quo & eam phrasim origine Alexandrinam fuisse conjicias, simulque non necessario ad Eucharistiam referri in priore loco deberi. Est & illud conjunctum II. 6. λεπρὸς ἐκαθάρισεν [cor. ἐκαθάρισεν: eademque correctio adhibenda VI. v. 6.: nisi καθαρίω Alexandrinis peculiare fuerit) *leprosos mundavit*: quod in utroque T. obvium, in profanis minime legitur. At Irenaeus apud Euseb. V. hist. eccl. 7. etiam a daemonibus liberatos vocavit καθαρθέντας, *mundatos*: quod & alii postmodum sunt imitati, ut observat Valesius. Sed & illa conjuncta ex ingenio sunt linguae Hellenisticae: num. VI. v. 4. ἐκολλήθησαν ζύλῳ, & IX. v. ult. ἀφῆκεν τὸ πνεῦμα. Postremo conjunctio verbi substantivi cum alterius verbi participio insignis est sermonis Hellenistici character, cujus in N. T. totis paginis exempla plura occurrunt. Nec minus Noster VII. v. 4. ἀπωξαμένοι ἦσαν pro ἀπέσχαντο. Sic etiam ibid. versu quarto ante finem ἦσαν πίπτουσαι: & X. v. ult. ἦσαν ἐπιπλῆττες. Quod ultimum notari velim: nec enim id [quod scripturae commentatores volunt] actus continuationem designat: imo contra heic verti debet, *Ubi precationes suas peragere soliti erant*, ex intervallo scil. At vetus interpres haec ad ipsum Marcum retulit, *Ubi orationes solitus erat Domino sine cessatione fundere*. Et ubinam quaeso is interpres non gravissime offendit? quem tamen Henschenius pro auctore primigenio obtrusit. Nec minus illa Judaica conjuncta sunt: num. VIII. v. antep. εἰρήνη σοι, *pax tibi*, pro Heb. *shalom lach*: & quod num. XI. v. 5. inter meras corporis habitudines numeratur hoc, quod Marcus fuerit *plenus* [χάριτος Θεοῦ] *gratia Dei*. Quid enim in corporis formae descriptione gratiae gratum facienti [uti vocant] loci erat? Atqui ibi intelligenda est oris, corporis, sermonisque gratia: quae utpote in Marco mirifica, ex Judaeorum consuetudine adjuncto Dei nomine, amplificatur; uti sunt & illa *montes Dei*, *cedri Dei* &c.

Et haec de Hellenisticis locutionibus sufficiant: quarum nonnullae mihi videntur ab Alexandrinis manasse: de quibus jam pauca addam, conjectura magis, quam certa ratione fretus. Nam quum superiora illa (ἐπισκοτὴ pro *vindicta*, & ἔνδρον) sint sine dubio Alexandrina; facile adducor, ut credam & insolitas quasdam locutiones peculiares Alexandrinorum fuisse. Vt illud I. v. 10. χῶραι ἐκλειφθῆσαν, quum potius ipsi Apostoli κληρωθῆναι dicendi fuissent. Mox v. 12. Ἔλαχεν (pro *sorte contigit*) Μάρκον ... εὐαγγελίσασθαι. At ceteris Graecorum longe alia est syntaxis verbi λαγχάνω. Num. VI. v. ult. gentiles clamant, πολλαὶ βίαι τῶν μάγων: ubi βίαι num. plur. aut *injurias* significatu Homerico notat, aut (quod locus postulat) magicas ἐνεργείας. Ibidem μάγος est ἀπατεών, *impostor*, *planus*, ut Hesychius in suo lexico exponit. De κωμασία (non alibi obvio nomine) infra videbimus.

Supereſt brevis illa defensio. Nam dixerit aliquis, ex supra productis Hellenisticae dialecti speciminibus non necessario confici, scriptorem fuisse antea Judaeum. Quid enim? An non quisquis is fuit, potuit, utpote Christianus, dictionem suam ad Graecorum Bibliorum stylum conformare? Audio. Verum quaedam in hisce Actis sunt, quae nemo, nisi Judaeus Hellenista fuisset, scribere potuisset. Talia sunt illa duo [ἐγρηγόρησεν, itemque ἐπισκοπὴ de

Sera-

Digitized by Google

eſt hanc de Evangeliſta noſtro hiſtoriam Helleniſtica & Alexandrina dialecto contextam fuiſſe.

Atqui ſermonis Helleniſtici ſcripta primum Chriſti ſaeculum ſane quam plurima ſuppeditat, in primis Scripturas apocryphas, alterum pauciora, tertium aut nulla aut pauciſſima. Fortaſſis ea dialectus Alexandriae aliquanto diutius quam alibi viguerit (nam indidem a Graecis interpretib. ea prodiit) ſed non opinor ultra ſaeculi tertii initia. Quocirca non arbitror, hanc Marci hiſtoriam medio tertio ſaeculo eſſe poſteriorem, fortaſſis & antiquiorem.

His jam, quae de ſtylo diximus, non parum roboris accedet ex geographica provinciarum Marci κληρωχίας (*ſortitionis*) deſcriptione tali, qualis altero Chriſti ſaeculo in uſu erat; quae mox quarto non mediocriter mutata cernitur. Quae cujuſmodi ſint, rejeci in ſubjectam (98) Adnotationem. Ex quibus uti ſpero hujus Greci de rebus Marci commentarii anti-

Serapide uſurpatum] quae initio poſui: quae retruſiora ſunt, quam ut cuivis non Judaicis aliquando imbuto diſcipliniis ſponte ſub ſtylum cadere potuerint. Tale & illud num. 10. *Plenus gratia Dei*. Tale & monoſyllabum ἐν cum notione motus: talia & plura quaedam ſubtiliora. Cujuſmodi eſt & illud ex penitiore Helleniſtica proprietate petitum. Nam verbum ἀποδοκιμάζω pluries in Vetere Novoque T. legitur pro Hebraeo *Maas* quod eſt *reprobare*. Verum ſemel tantum cum praepoſitione notante id, unde quis dejicitur, idq. Sap. IX. 4. *Da mihi ... ſapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis*: Gr. μή με ἀποδοκιμάσῃς ἐκ ... i. e. *Ne me rejicias e numero puerorum*. Nā illud Eccleſiaſt. XX. 22. *Ex* [Gr. ἀπὸ] *ore ſtulti reprobabitur* [i. e. rejicietur] *parabola*, ad rem non facit, quia videtur ſyntaxis haec eſſe, παραβολὴ οὐκ ἀπὸ στόματος &c. *Parabola ab ore ſtulti profecta improbabitur*. Sicut nec ad rem faciunt loca Marci VIII. 31. & Luc. XVII. 25. ubi ἀπὸ eſt pro ὑπὸ, agentis ſcil. perſonae. Atqui unico illi Sapientiae loco par imo germanus eſt alter Actorum iſtorum num. VIII. v. 16. μή μὲ ἀποδοκιμάσῃς ἀπὸ τῆς χάριτός σου, *Ne me rejicias* [aut facias excidere] *a gratia tua*. Haec ſunt interiores illae dialecti Helleniſticae *gazae*; quas ubi ab Judaeis diſceſſeris, nemo alius perſpectas habere poterat.

(98) *In Marci provinciarum chorographiam ex antiquorum mente in his Actis deſignatam.*

In Graecis Actis num. 1. v. 15. legitur: Αὐτὸς γὰρ πρῶτος &c. Quae totidem verbis ſic accipies: *Is enim primus in tota Aegypti regione* [quo ſignificat, *totius* Aegypti nomine tum *Thebaidem*, & *Auguſtamnicam* intelligi] *Libyaque & Marmarica, Ammoniacaque & Pentapoli praedicavit Evangelium adventus Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Non poterat aptius neque verius has provincias recenſere is, qui in Aegypto, & quidem altero, uti reor, Chriſti ſaeculo ſcriberet. Nec enim ovũ ovo ſimilius eſt, quã haec quae recitavimus, Ptolemaicae harum provinciarum deſcriptioni paria ſunt. Ptolemaeum autem potiſſimum nomino, quod ei, utpote Alexandrino, in Aegyptiacis eſſe credendum prae aliis cenſeo. Quem vide ipſo exordio lib. IV. ubi ab occaſu orientem verſus progrediens eaſdem has provincias eodem ordine, niſi quod retrogradus, enumerat. Vide & eod. lib. cap. 5. Ac poſtremo confer inter Ptolemaicas tabulas in aes inciſas eam quae eſt Africae tertia: in qua ſi occidentem verſus progrediaris, primo tota ſe cum ſuperiore inferior *Aegyptus* in conſpectum dabit: hanc *Libya* excipit, in cujus ſinu *Ammoniaca* in mediterraneis cernitur: Libyam *Marmarica*, hanc poſtrema verſus occidentem *Cyrenaica* (quae in his Actis ſynonymo vocabulo *Pentapolis* dicitur) ſubſequitur. Quam ſane tabulam non invitus heic inſeruiſſem, ad hunc locum illuſtrandum peridoneam, niſi operarum feſtinatio id prohibuiſſet. Eam tamen in nitidiſſima Ptolemaei editione Bertiana contemplari poteris.

At ſiquis alius haec eadem Marci geſta quarto Chriſti ſaeculo, aut ſequentibus pertexuiſſet, nae is geographicam deſcriptionem ſuo tempori congruam ſecutus eſſet. Quamnam? nempe eam, quam in Ammiano, aliiſque ejuſdem & ſequentis aetatis cernimus. Ammianus enim XXII. cap. 16. initio ſcribit, Aegyptum ſuo tempore in *Auguſtamnicam* [ea eſt orientalis Aegypti regio: cujus *Auguſtamnicae* etiam Athanaſius meminit Ep. apolog. ad Conſtantium] *Aegyptum* & *Thebaidem* provincias diviſam fuiſſe. Quamquam in eo Ammianus parum a Noſtro diſſidet, qui *in tota Aegypti regione* dicens, nihilo minus iis verbis tres illas Ammiani provincias deſignavit. At quas deinde Noſter quatuor diſtinctis nominibus provin-

cias.

antiquitas extra teli jactum constituetur.

Quod commentarium in Eusebii manus non incidisse, haud valde miror; ut quem simplicioribus eisdemque ἀδέσποτοις (*anonymis*) scriptis excutiendis non magnopere delectatum, in celebrioribus ceteroqui versatissimum, comperio. At ex eadem historia passim Aegyptii scriptores sua de Marco deprompserunt (quod ingenue fatetur Tillemontius) nisi quod iidem hujus historiae sinceriores recensent, eas Ammianus pro more sui temporis in duas tantum contrahit, in *Libyam* atque *Pentapolim*. Nec dubium est, quin hanc rationem aequales & posteriores Ammiano scriptores secuti fuerint. Eamdem in his ipsis Marci provinciis recensendis sequitur & Basilii Menologium hoc die in S. Marco, ubi scribitur: ἐν πάσῃ τῇ Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, *In tota Aegypto, & Libya & Pentapoli* [nulla Marmaricae & Ammoniacae mentione facta] *Christi verbum praedicavit*. Et auctores haud dubie hujus descriptionis, quos sequeretur, Menologii scriptor habuit eos, qui Nostro longe posteriores fuerunt: quo tempore frustra *Marmaricam*, frustra *Ammoniacam* [hanc Athanasius Apol. ad Const. num. 32. Libyae disertim attribuit, τὴν Ἀμμωνιακὴν τῆς Λιβύης vocans] tamquam a Libya distinctas quaereres: quippe totus is tractus sola *Libya* & *Cyrenaica* seu Pentapoli absolvebatur. Eadem provinciarum tantum duarum designatio & in Plinio cernitur V. 5. 6. qui in eo universo tractu tantum *Libyam Mareotin* (in qua & *Marmaridas* populos h. e. Marmaricae incolas recenset) & *Cyrenaicam* (in qua *Hammonis oraculum* ponit i. e. Ammoniacam) agnoscit. Et Aegyptii quidem scriptores Ptolemaeum popularem suum sequi altero Christi saeculo debuerunt. At mox Ptolemaei (quem passim antiquas partitiones in locis ipsis usitatas secutum reperio: quod de Thracia ad Acta *S. Philippi Heracl.* ad 19. April. observavi) designatio desuevit: illa altera Pliniana passim obtinuit, maxime IV. Christi saeculo; quo & ea opinio obtinuit, duas illas provincias, *Libyam* & *Cyrenaicam*, regum Aegypti duorum liberalitate populo Rom. olim legatas fuisse: quod ut de Cyrenaica verum est, ita de Libya falsum. De quo vide Valesium virum summum ad extremum XXII. Ammiani librum, ubi & commenti hujus originem pandit.

Atque ex huc usque dictis vides, S. Marci biographum altero Christi saeculo, summum ineunte tertio, scribere debuisse: quantum quidem ex provinciarum Ptolemaica recensione conjici potest.

Verum quando in his sumus, scire libet, aequa pars Africae fuerit *Arida Libya*, sive *siccior*, cujus cit. loco Marcellinus memipit. Minor, quod Cellarius extremo cap. 2. de eo non constare dixerit. Omnino est universus ille tractus inter Aegyptum & Cyrenaicam, quem ex Ptolemaei mente provinciae duae, *Libya* & *Marmarica* occupant: sive est quae *Exterior Libya* aliis dicitur, Plinio *Mareotis Libya*. Cur, inquis, ea id cognomen ab Ammiano impetraverit? nempe quia is gracciliat in omnibus. Graeci *Libyae* nomine universam Africam intelligunt: unde in illo Act. II. 10. *Et partes Libyae, quae sunt circa Cyrenem*, Augustinus *Africae* legit. Is autem tractus, quem stricte *Libyam* appellarunt, & Ptolemaeus τὴν ἰδίως Λιβύην, quum sit mire siticulosus, Graeci olim dixerunt ξηρολιβύην *Xerolibyam* h. e. siccam Africae partem, teste Servio ad 3. Aen. Similiter Theophrastus IV. 4. circumloquutus est vocans τὴν μὴ νομικὴν τῆς Λιβύης, h. e. eam *Libyae* seu Africae *partem, quae non madet imbribus*. Eam porro circumlocutionem Marcellinus inferendam sibi duxit in Latium, dum eam quae non modo Latinis, sed & Ptolemaeo & Graecis aliis simpliciter *Libya* vocatur, Graeco *siccioris* aut *aridae* cognomento donavit.

Sed & in eo nuperi quidam veteris orbis descriptores errant, dum *Libyae*, de qua tamdiu loquimur, tres constituunt provincias, maritimas duas, *Marmaricam* & *Cyrenaicam*, tertiam vero ab harum tergo *Libyam Aridam* in mediterraneis: quae ex dictis facile refelluntur.

Nolo & hoc in transitu omittere, auctorem Chronici Orientalis Ecchell. in hunc modum Marci πλήρωσιν describere: *Obtigit Marco Evangelistae, ut pergeret in Aegyptum, Alexandriam, Pentapolim occidentalem, Aethiopiam & Nubiam*. In quibus etsi nihil sani; tamen videtur *Libyae* nomine (quae in his Actis ita recensetur, ut sit omnino *Exterior*) *Nubiam* h. e. Interiorem Libyam, quae a tergo Exterioris meridiem versus diffundebatur, intellexisse. Id ei fraudi fuit, quod aevo sequiore & hodierno illa Exterior non *Libya*, sed mutato nomine *Regnum Barcae* vocabatur. Jam vero & Aethiopiā Marci sorti idem admensus est, secutus, sat scio, falsas aetatis suae traditiones. Postremo *Pentapolim occidentalem* dixit, forsitan ut hanc Africanam Pentapolim ab altera illa Palaestinae discerneret.

Digitized by Google

ceritatem nonnullis additamentis polluerunt, quorum forsan aliquid & in haec ipsa Acta (Latina intelligo) postmodum redundavit.

CAP. III.

Quibusdam difficultatibus occurritur. De anno ac die passionis S. Marci. De duplici festo Serapiaco concurrente cum solemnitate Paschali. Chronotaxis passionis S. Marci.

Non frustra hactenus laborasse mihi videor, ut suam antiquitatem & auctoritatem his Actis vindicarem. Addi & alia sinceritatis argumenta possent a rebus ipsis petita; cujusmodi illud in primis non leve est, quod in eis num. 7. cum die Passionis S. Marci Serapiaca celebritas componitur: quod cujusmodi sit, infra expendetur. Nec omnino quidquam est, quo hujus historiae fides convelli possit. Nam quae Tillemontius Not. 1. objecit, ea nos Adnot. 92. diluimus. Id solum relinquitur, ut iis occurram difficultatibus, quae a temporum notatione in fine Actorum signata petuntur.

Ac primum omnium ut in ceteris omnibus, sic maxime in notatione temporum, Latinorum Actorum fidei nec auctor nec fundus accedo: quae sive per interpretis insciti am, sive quod ad privatas opiniones scioli aptare quaedam adnisi fuerint: utut est, immane quantum illa passim a Graeca fide aberrant. At vero Graecorum non defugio auctoritatem: nisi quod ea quoque num. ult. aliquid ab interpolatoribus passa fuerint. Nam quis illud ferat, quod Evangelista decertasse narratur ἐπὶ βασιλείας Γαΐου Τιβερίου Καίσαρος, *sub principatu Caii Tiberii Caesaris?* Deinde ne illud quidem suspicione vacat, quod idem Marcus depugnasse dicitur *Mense Pharmuthi, secundum vero Romanos* (mense) *Aprili* (die) *XXV.* Cui enim Romani mensis dies designatur; Aegyptii non item? Atqui auctor in Aegypto scribens Aegyptium tantum mensem apposuerat, non Romanum, multo minus Romani diem. Idem vero & de imperatore siluerat. Ac sero demum aliquis exstitit, qui & in principio primam illam periodum his Actis praefixit, quae a Latinis abest, & iisdē subjecit sollemnem conclusionem in Martyrum passionibus legi solitam, nim. quoto mensis Romani die obierit, quo sub principe, & quae de more sequuntur. Quocirca ne dubita, quin scriptor in ea verba desierit μηνὶ φαρμοῦθι, *mense Pharmuthi*. Cetera sunt e manu longe recentiore, ac facile circiter millesimum Christi (99) annum.

I i Jam

(99) Etenim si tantum scriptum fuisset, sub Tiberio coepisse Marcum in Aegypto Evangelium diffundere, haberet hoc cum Menologio Basilii ad XXV. Apr. & cum Synaxario Collegii *Claromontani* (apud Sollerium num. 3.) commune. Nunc autem eumdem Apostolum sub Tiberio passum, nemo dixisse reperitur praeter Abulbaracatum (putidissimum auctorem Patriarchar. Alexandr. Catalogi ante annos CCCC. Arabice scripti) in quo hoc portentum legitur: de quo vide Sollerium num. 10. Ac fortasse, qui primus haec Actis adsuit, is tantum ἐπὶ Γαΐου Καίσαρος i. e. *sub Cajo Caesare* (qui *Caligula* dicitur) fuerat: deinde alius audacior etiam Τιβερίου inserit, parum curans, *Caii* & *Tiberii* praenomina neminem copulasse principum. Aut vero is interpolator scripserat potius, ἐπὶ Τιβερίου Κλαυδίου [pro quo postea Γαΐου reposuit] Καίσαρος, *sub Tiberio Claudio* (qui explicite *Claudius* dicitur) *Caesare*. Quod ut credi potuerit, infra dicam in Adnot. 102. Verum quid his immorer? Tam e manu sui auctoris est illud *Sub Cajo Tiberio Caesare*, quam quod in Actis Latinis Henschenianis legitur, *Anno Neronis imperii quarto decimo*. Nam alia septem Acta Latina manu exarata laudat Sollerius [in Dissert. cit. num. 33.] *in quorum nullo* [inquit] *annus Neronis XIV. exprimitur, sed pleraque variant, aliis Caii, aliis Claudii tempora adducentibus*. Sunt haec enim omnia recentiorum additamenta, dum pro suo quisque captu hujus aut illius principis annos adscribere satagunt. At scriptor Graecus (quem ex stylo perantiquum esse ostendi) si tempora tolerati martyrii notare voluisset, id more antiquorum, adscriptis consulibus facere debuisset. Nunc quia is, quantumvis antiquus, a re tamen gesta longiuscule aberat; satis habuit adnotasse eos characteres (*Paschatis* scil. *Serapiorum* & *Pharmuthi* mensis) quos ex continuata traditione sciret: ceteris supersedit.

Jam illam aggredior sane quam arduam difficultatem de Paschali sollemnitate, qua raptatus Evangelista in Actis dicitur. Et vero Marcum die XXV. April. pertulisse mortem, omnis retro antiquitas Aegyptiorum, Syrorum, Graecorum, Latinorumq. consentire in speciem videtur, dum eo die festū passionis ejus celebravit. Accedit quod Serapiaca celebritas, qua Marcus depugnavit, in eumdem (100) Aprilis XXV. incurrere creditur. De die igitur Passionis vix videtur dubitandum. At vero quo pacto in eumdem diem eo anno Paschalis sollemnitas (ut in Actis num. 7. legitur) incurrerit? quum toto illo tempore (quantumlibet Marci mortem sive prorogari, sive contra maturari libeat) numquā eo die Pascha celebrari potuerit.

Nisi vero volumus, Evangelistam anno Christi XLV. pertulisse martyrium: quo certe anno Pascha in 25. Aprilis incurrebat. At is annus pluribus de causis, quas (101) inferne attigi, Marco ultimus esse non potuit [etsi aliquando olim id creditum [102] fuspicor] &, in quo caput est, Evangelista non ipso die Paschali obiit, ut ex his Actis constat, sed postridie Paschatis. Quocirca ut is die XXV. Aprilis efflasse animam reperiatur, seligendus is annus erit, quo Dominica Paschalis in XXIV. Aprilis inciderit: qui certe, quocumque te vertas, nullus usquam reperietur.

Mitto heic aliorum systemata, dum alii Marci Acta hac ipsa de causa contemnunt, alii Paschatis nomine quemcumque Dominicum diem Paschalis temporis intelligi jubent: quod alterum miror Tillemontio ac Sollerio placuisse.

Atqui etsi in XXIV. Aprilis (24. inquam, uti proxime exposui, non 25.) numquam toto eo tempore Pascha incidit, at in proximum certe incidit aliquando diem. Nim. enim anno vulgaris aerae LXXV. die XXIII. Aprilis Pascha celebrari debuit: isq. est annus passionis Evangelistae, nisi vehementissime fallor. Jam porro videamus, quo pacto in ejus anni Pascha convenire omnia possint, quae in his Actis narrantur. Quae Acta num. 7. [si quidem Graeca totidem verbis transferas] sic ordiuntur: *Accidit autem, ut beatae festivitatis sancti Paschatis adveniret sancta Dominica, in qua erat & ipsorum* [Alexandrinorum] *Serapiaca* (κυριακὴ) *comessatio*. Deinde narratur Marcus eo die

(100) In rustico quidem Kalendario apud Gruterum p. 138. in fine Aprilis SARAPIA notantur, sed quoto die mensis, non adscribitur pro more ejus Kalendarii. At in Kalendario Rom. quod medio IV. saeculo scriptum sub Constantio dicitur (tom. VIII. Thes. Graeviani) mense Aprili e regione diei VII. Kal. (i. e. 25. April.) signatur SERAPIA. Prima [ut obiter dicam] syllaba cum A aut E scribi solet.

(101) Cur Marcus anno XLV. non sparserit sanguinem, praeter supra allatam rationem (nimdebuisse anno emortuali Marci celebrari Paschadie 24. April.) facium hae aliae causae. I. Si tam mature is Apostolus emigravit ad caelum, quo eum anno appulisse in Aegyptum dicemus? II. Anno XLV. Marcus Petrum Romam secundo venientem comitatus existimatur. III. Evangelium qui maturius ab eo Romae scriptum volunt, in ann. 43. conferunt; at qui serius, in ann. 45. aut porro.

(102) Suspicor inquam, olim non defuisse aliquem semidoctum, qui ut Marci diem certamini cum Paschate conciliaret, anno XLV. sit delectatus. Suspicionem injicit additamentum illud ad finem Actor. Graecor. *ἐπὶ Γαΐου Τιβερίου Καίσαρος*. Nam is primo scripserat *Κλαυδίου*, mox alius substituit *Γαΐου*, uti supra Adnot. 99. exposui. Atqui annus XLV. in Claudii principatum incidit; qui princeps in nummis & lapidibus *Ti: Claudius Caesar* inscribitur.

Ex corrupto autem Graeco additamento mira variatio in Latina exemplaria invecta fuit, *aliis Caii, aliis CLAVDII* [quod *Claudii* indicio est scriptionis primae] *tempora adducentibus*, inquit Sollerius: dum interim Abulbaracatus in *Tiberii* principatu sibi placuit, in Neronе Acta Latina Henschenianа. Ita id additamentum, ubi corruptum Graece fuit, in plures sententias Latinos & Arabes scidit.

Sed & alioqui annus 45. auctori primo additamenti percommodus videbatur ad Therapeutas Philonianos Marco auctori adscribendos: quod non aliter evenire potuisse, intelligebatur, nisi Marcus quam maturrime in Aegyptum profectus esset. En vera origo, nisi magnopere fallor additamenti illius ad finem Graeci textus, quod quoque male *Γαΐου* pro *Κλαυδίου* exhibet.

Digitized by Google

die prehensus, ac raptari coeptus, postridie redintegrato certamine obiisse. Eodem porro, quo excessit, die exanimati Apostoli reliquias comburere frustra conati gentiles, ac tempestate ad vesperam usque protracta deterriti, tandem ab incepto destiterunt. Itaque corpus intactum Christiani curarunt, ac sequenti die [qui tertius a prehensione & Paschali Dominica esse debuit, h. e. feria tertia] sepeliverunt. Quare Paschali Dominica [h.e. die XXIII. Aprilis, in quem anno Christi 75. Pascha incidit] Marcus cruciari coeptus, die XXIV. consummatus fuit, ac postremo die XXV. sepultus.

Atqui alibi saepe a me observatum fuit, diem sepulturae apud antiquos paris dignationis fuisse ac diem emortualem. Itaque utrumvis, ut libitum fuit, recurrentibus annis celebrarunt. Nec semel hoc, sed in pluribus Martyribus animadvertisse memini, modo diem fusi sanguinis, modo sepulturae (quae duo ceteroqui pluries uno die fiebant) a posteris fuisse anniversario conventu honoratum. Itaque Aegyptii primitus die humati corporis recurrente memoriam Marci colere coeperunt [id quod Acta innuunt num. 11.] a quibus id mox Graeci, Latini, Syri didicerunt. Atque ut semel dicam, errant gravissime scriptores hagiologi, quoties ex die festi [sive *depositionis* sive *passionis* aliove sub nomine] constanter antiquitus observato colligunt, eumd. diem emortualem fuisse: qui contra colligere debuissent, eum haberi debere diem sive mortis sive depositi corporis. Possem id pluribus ostendere, nisi sexcenta passim alibi hujus rei documenta protulissem, plura in Praefatione daturus. Vel vide sequentem diem, quo S. Basilei *Passio* in *hisce* Fastis signatur, quia eo die is sepulturae traditus fuit, etsi idem die 28. Martii sanguinem profudisset. Ergo dies XXV. Aprilis non consummati martyrii, sed *depositionis* Marci proprie dies fuit, & tamen eod. die *Passio* notatur.

Fortasse dices, ex supra recitatis Actorum verbis colligi, in diem prehensionis & inchoati martyrii duo festa concurrisse illo anno, quo Evangelista pugnavit, nim. gentilium quidem Serapiacam celebritatem, Christianorum vero Paschalem: quare quum Serapiaca in XXV. Aprilis inciderint [de quo vide Adnot. 100.] etiam Pascha in eumdem diem incurrere debuisse. Atqui hoc argumentum nimis probat. Nam si Serapiaca sollemnitas illa, qua Marcus captus cruciari coepit, in XXV. April. incidisset, ex eo fieret, S. Evangelistam [qui certe postridie emisisse in raptatione spiritum narratur] non die XXV. sed XXVI. fuisse coronatum, omnino postridie ejus diei, quo ab antiquis omnibus colebatur. Verum quid moror? Duplex in his Actis Serapidis celebritas notatur, una num. 7. quae vocatur Σαραπιακὴ κωμασία h.e. *Serapiaca comessatio*: altera extremo num. 10. vocatur Γενέθλιον h. e. *Natale*: de quibus vide sup. Adnot. 92. ad n. 7. & 10. Prior eo anno concurrens cum Paschate, in diem utique XXIII. Aprilis incurrit; at posterior [quae videtur fuisse major festivitas] sive insequentem diem h.e. XXIV. Apr. sive in XXV. Et Acta quidem innuere videntur, id Natale incidisse in XXIV. quo exorta procella fuit, vulgo dictitantibus gentilibus, Serapidem in die sui *Natalis* (γενεθλίου) ὀπισκοπὴν h. e. *vindictam* in Marcum, immissa tempestate, exercuisse. Hoc si verum sit, tum sane in Kalendario (illo de quo diximus in Adnot. 100.) *Serapia*, quae e regione τῷ *VII.* leguntur, luxata dicemus, ac retrahenda esse in *VIII.* h.e. diem 24. Verum nihil impedit, quominus re vera Natale Serapidis in XXV. inciderit, quo sepultus est Marcus. Nam ubi gentiles effutiebant, Serapidem in suo Natali ultionem in Apostolum exserere voluisse, id dicterii etiam in τροσώπου Serapiaci Natalis optime conveniebat.

His visis, jam omnia in Actis prona sunt: quae juvabit uno sub aspectu ponere. Die XXIII. Aprilis [in quem eo anno Paschalis Dominica, & Serapiaca comessatio concurrebant] tentus est Marcus, & ad vesperam usque raptatus. Nocte

ste illa, quae successit, in carcere detrusus visis caelestibus est recreatus. Die XXIV. Fer. 2. iterum raptatus efflavit animam. Exanimatum gentiles dum incenso rogo in favillam redigere certatim satagunt, incredibili vi tempestatis ad vesperam usq. perdurantis, ab incepto deterriti profugerunt. Ita sub ejus diei vesperam datum est Christianis Apostoli reliquias inde auferre. Quas antequam sepelirent, more patrio condiverunt. In eam condituram (quae Aegyptiis operosior & diuturnior, Christianis simplicior fuisse videtur) tota illa nox, ac forsan & pars diei XXV. insumpta fuit. Ita curatum corpus eodem die XXV. in sepulcro (quod in rupe illa, in qua & Ecclesia steterat, excisum fuit) condiderunt, πανηγυρίσαντες (additur in Actis num. 11.) ἀναπαύσεως μνήμας, i. e. *celebrantes memorias ejus*. Cur porro num. plur. *memorias* dixit? nimirum quia non semel, sed quotannis eadem memoria eodem die XXV. quo sepultus est, recurrebat. Quibus verbis datur intelligi, jam tum fuisse institutum, ut S. Marci anniversaria memoria die 25. Aprilis recoleretur, quo scil. sepultus, non quo martyrium fecerat.

Vides ut ex iis characteribus, quos in hisce Actis designatos habemus, verus annus diesque passionis S. Marci certissime detegatur: ut me plane non pigeat, quod hac qualicumque opera debitus honor huic tanto monumento (viri adhuc, praeut merebatur, habito) videatur restitutus; cujus unius ope non tantum tutam rerum gestarum Evangelistae notitiam, sed & verum glorioſi martyrii tempus assequimur. Nec video adversus hanc temporis notationem ecquid objici solidius queat: nam inanes ratiunculas, quas otiosi obtrudere non desinent, nihil moror.

CAP. IV.

Diluitur argumentum alterum ex sortitione provinciarum ab Apostolis facta ductum; deinde tertium ex inferiorum clericorum constitutione, & ipso Clericorum nomine petitum. Vicissim inferiorum ministrorum Apostolica institutio hinc demonstratur; Eutychii vero vana commenta explodunturs.

Pergo ad objecta alia. Nec enim forsan defuerint, quos Actorum initio offendat tam clara κληρωχίας (*sortitionis*) provinciarum inter Apostolos facta mentio: id quod facile quarti saeculi scriptorem redolet: quo saeculo partitionis ejusmodi diserta testimonia recitantur.

Possem heic facili negotio hunc nodum secare. Nimirum enim sicuti primae Actorum periodi, quae ab Latinis exemplaribus abest, novitatem in Adnot. 92. ad num. 1. deteximus; sic nihil facilius fuit, quam ut & quod statim de sortitione sequitur, ab eodem interpolatore fluxerit. Accedit quod Latine nihil de *sortitione* legitur, sed de *dispersione* tantum: *Per idem tempus, quo dispersi erant Apostoli toto orbe terrarum, contigit beatiss. Marcum ad Aegypti regionem divina voluntate pertingere*. At Graecus textus haec amplius admetitur, ἄλλοις μὲν ἄλλας πόλεις τε καὶ χώρας ἐκλαχόντων, *aliis quidem aliae urbesque & regiones sorte obtigerunt*.

Sed secare nodum nō est necesse, quum possim solvere. Nam hoc totum de metaphorica sortitione est capiendum; quae non est aliud quam *Divina voluntas* (ut interpretis verbo utar) ac providentia, quae alium alio, sive divina revelatione [cujus heic mentio fit initio num. 3.] sive qua alia ratione admonitos, destinavit. Deinde nego, antiquos de ea partitione tacuisse. Exstat apud Eusebium in V. hist. 18. Apollonii (qui altero exeunte saeculo scribebat) mentio *ex veterum traditione referentis, Servatorem Apostolis praecepisse, ne intra annos duodecim* [ab ascensu suo] *ab Hierosolymis excederent*, h. e. in suam quisque provinciam proficiscerentur; nam ceteroqui intra id spatium in vicina loca, tamquam ad pugnae proludium, aliquos divertisse, non est dubium. Vtinam vero nobis Apollonii verba ipsa Eusebius non invidisset: profecto non tantum *Dispersionis*, sed & *partitionis*, & *sortitionis* [metaphoricae forsitan] ibi vocabula minime desideraremus.

Se-

Sequitur objectio alia. Nam num. 5. v. 6. Graeca sic totidem verbis redi poterunt: *Animadvertens autem beatus Marcus eorum* (Alexandrinorum adversus se) *consilia, quum ordinasset episcopum Anianum, ac tres presbyteros, Milium, Sabinum, & Cerdonem, septemque Diaconos, & alios undecim ad Ecclesiasticum* (ὑπηρεσίαν) *ministerium, fuga dilapsus, iterum abiit in Pentapolim.* Vides heic ministros diaconis inferiores. At horum institutionem longe recentiorem Marco esse, forsan aliquis dixerit.

Nos istud rotunde negamus. Etsi enim de inferioribus ministris documenta antiquiora Tertulliano, Cypriano, S. Cornelio Rom. apud Euseb. & Canonib. Apost. I. II. vix forsan reperientur; tamen quia eorum institutionis exordia nusquam comparent; eorum constitutio ab ipsis Apostolis est repetenda: si vera est Augustini de his notissima regula. Verum quo minus nunc ad eam Augustini sacram anchoram receptum habeamus, integerrima haec S. Marci historia facit: qua docemur, ipsum Apostolum Marcum jam tum, quum Alexandrinae Ecclesiae fundamenta jecit, in ea praeter episcopum presbyteros ac diaconos, etiam inferiores undecim ministros ordinasse: ut proinde (nisi siquis haec Acta impostura damnaverit) de Apostolica inferiorum ministrorum (etsi alibi plures, alibi pauciores eorum ordines essent) institutione dubitare posthac non licere videatur.

At illud gravius aliquis esse dicet, quod in sequentibus verbis etiam *Clericorum* vox legitur, quae recentioris aevi vox esse videatur. Sic enim statim sequitur: *Quum ibi* (in Pentapoli) *annos duos moratus esset ... ordinassetque ibi quoque Episcopos, atque* (κληρικὸς) *Clericos regionem, venit rursus Alexandriam.*

Verum novum non esse *Clericorum* nomen, docent Apostolici canones I. & II. in quibus diserte a presbyteris diaconisque οἱ λοιποὶ κληρικοὶ *reliqui clerici* distinguuntur: docent praeterea Cypriani scripta, in quibus ea vox tritissima est: docet Reinesii inscriptio Christiana XX. 413. quae non videtur altero aut summum tertio ineunte saeculo recentior. Docet praeterea Tertullianus, qui etsi Clericos ita circumloquitur (de Monog. c. 12.) *Qui sunt in Clero*; tamen *Cleri* vocabulum saepe ibidem usurpat; & ita usurpat, ut horum Actorum scriptori in ejus vocabuli usu plane congruat. Noster enim in eo quod *clericos* ab episcopis distinguit, *clericorum* nomine ministros omnes praeter unum episcopum complectitur. Nec aliter Septimius loc. cit. *Unde enim Episcopi & Clerus?* Hoc quippe ab episcopo *clerus*, quod a principe senatus differt. Ex his vides, nihil absonum fore, si altero Christi saeculo horum Actorum scriptor dicatur *Clericorum* vocabulum (primus scil. eorum auctorum, quos terimus) usurpasse. Quam antiquitatem tantam si minus impetraverimus: saltem scriptor idem Tertulliano [h. e. ineunte saec. tertio] recentior non erit: aut postremo saltem Cypriano aequalis, qui medio tertio saeculo floruit: quibus *Clericorum* vox passim usitata fuit.

Hoc jam ultimo amoto scrupulo, & horum Actorum antiquitate constabilita, praeter cetera commoda, ad quae passim intendimus digitum, etiam Eutychii, recentis memoriae nec integrae fidei scriptoris, commenta putidissima concidunt, de XII. scil. presbyteris Alexandriae a Marco constitutis, e quorum numero Patriarchae demortuo novus esset ab ipsis presbyteris subrogandus, ab eisdemque per manuum impositionem ordinandus: qua fabula hodie novatores Hierarchiae fundamenta convellere adnituntur. Estne vero credibile, horum Actorum scriptori antiquissimo nihil horum innotuisse, aut si sciret, non prodidisse? Tametsi quid moror? is prorsus contrarium prodidit loco supra recitato. *Quum ordinasset* (Marcus) *episcopum Anianum, ac tres presbyteros* (*tres* diserte dicit, quos & nominatim memorat, non XII.) *Milium, Sabinum, & Cerdonem, septemque diaconos, & alios undecim ad ecclesiasticum ministerium; profugit,*

Digitized by Google

fugit, ac rursus abiit in Pentapolim. Verum Eutychium istum decimi saec. scriptorem, simulque nostros istos Hierarchiae subversores missos faciamus; nostraeque potius aetati gratulemur, qua egregium hoc monumentum in lucem protractum fuit; quo non tantum commenta ista damnantur, verum etiam Apostolica inferiorum ministrorum antiquitas [quod unum adhuc desiderabamus] adstruitur.

XXVI P S BASILEI EP̄I

S Basileus Amaseae in Cappadocia, sive Helenoponto episcopus sub Licinio martyrium consummavit non hoc, sed die XXVIII. Martii. Verum ejus reliquias [& quidem truncum seorsum a capite] projectas in mare, postmodum Angeli admonitu Elpidephorus ac Diaconi post dies XXV.(103)a passione exactos, retis (104) ope extraxerunt, & caput divinitus corpori annexum invenerunt. Quo facto, sacras reliquias in Ecclesia, quam ipse Basileus Amaseae, exstruxerat, sepeliverunt. Ea sepultura quum incidisset in diem XXVI. mensis sequentis (105) idcirco mansit, ut ejus festivitas hoc die celebraretur. Haec quae dixi luce sunt clariora ex quantulaecumque (106) fidei Actis, quae Jo:presb. Nicomedienſis S. Basilii discipuli venerandū nomen mentiuntur: quae Acta a Sirleto in Latinum transfusa dederant Lipomanus ac Surius, ac postremo hoc die Henschenius, qui etiam ad tomi calcem textum Graecum exhibuit. In iis Actis pag. 421. num. 22. sic legitur: *Obiit autem martyrio functus beatus ... Basileus mense Martio XXVIII. die: sepultus vero fuit in sacri sui gregis urbe mense Aprili XXVI.* Et rursus in fine Actorum: *Ejus autem memoria celebratur* (in Graeco est κηρύσσεται *annuntiatur*: quod spectat ad antiquum morem annuntiandi in Ecclesia memorias martyrum) *XXVI. die mensis Aprilis.* His adde & Encomium, quod Adnot. 103. citavimus. Haec ideo pluribus adnotavi, ne dissimulasse videar, quod in hisce Fastis praeter morem P.i.e. *Passio* die non suo consignetur; quum alibi, quoties dies non suus esset, *Natalis* nota apponi consuevisset. Verum animadvertendum est, diem XXVI. Aprilis non Translationis esse, aut Dedicationis Ecclesiae, aut alterius rei extrariae, sed primae sepulturae reliquiarum, quae usque ad illum diem inhumatae jacuerant. Nego autem, diem sepulturae diem non suum censeri debere. Imo tantumdem dignationis apud antiquos habebat, ac dies βαπτίσιμος. Ac sicuti ex pluribus exemplis, quae haeic afferre supersedeo, intelligo, in Sanctis non martyribus diem tum emortualem, tum etiam humationis, utrumque promiscue *Depositionem* vocari; idem plane & in *Passionis* (quae in martyribus *Depositioni* respondet) vocabulo usuvenit. Ac ne longe abeam; simile exemplum hesterno die in S. Marco habes. Vide ibi dicta cap. 3. De quo more plura

[103] De his ὅλας ἴκοσι καὶ πέντε ἡμέρας testatur Encomium hujus Martyris, quod Bollandiani ad calcem ejus tomi ex MS. Card. Sforzae eruerunt, num. 18. pag. LX. Post eos 25. dies impensum oportuit aliud quatriduum, quo reliquiae Sinope, quo eas mare detulerat, Amaseam advectae, ibidem inhumarentur die XXVI. Aprilis.

[104] In Actis S. Philippi Heracleae Episcopi (ad quae die XIX. Aprilis commentati sumus) similis captura corporis cernitur.

[105] Num. a 28. Martii evolutis primum 25. diebus ad capturam usque, deinde aliis quatuor transactis, donec Reliquiae Sinope Amaseam perferrentur, ita demum die 26. Aprilis sepulturae honorem is consecutus reperietur.

[106] De horum Actorum minimo sane pretio videantur Valesius, Pagius, Tillemontius, alii. Graecus eorum stylus redundans est atque ineptior; itaut ea legere aggressus, ad finem usque perlegere non sustinuerim: tantum abest, ut eam antiquitatem, quam pollicentur, redoleant. Sed tamen libris Graecorum Liturgicis facile antiquiora fuerint. Encomium quod ad tomi finem Bollandistae Graece ediderunt, nihilo melius Actis est.

Digitized by Google

plura in Præfatione dabimus. Hinc non immerito heic *Passionis* nota praeponitur. Ubi si *Natale* praesignatum fuisset, facile suspicari poterant, Basileum die non suo coli; nim. propter aliquam reliquiarum translationem; aut certe quod ejus celebritas loco suo mota, huic diei non suo affixa fuisset. Hinc in Basilii Menologio hoc die Ἄθλησις h. e. *certamen* sive *passio* S. Basilei consignatur, ut & in aliis Graecorum libris liturgicis. Sic etiam Martyrologio Arabico-AEgyptio (apud Henschenium heic) & Typico S. Sabbae hoc die inscribitur, & ita quidem ut *Passio* sive *Certamen* praenotetur. Postremo quum passim in pluribus libris hoc die Ἄθλησις i. e. *Passio* praenotaretur (quod tamen cum dicto jam temperamento erat capiendum) metricae Ephemerides longius provectae, *Basileum* hoc ipso die obtruncatum cecinerunt.

Ἐκκάδι αἰμῷ ἔκτῃ Βασιλεὺς ξίφει αὐχένα τμήθη.

Ense metit Βασιλεῖ *sexta & vicesima collum.*

Quo & aliquot aliis exemplis docemur, haud passim tutum esse has Ephemerides in die θαρασίμῳ duces sequi.

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis.

Ceterum idem *Basileus* etiam Kalendario Moscovitico effigiato hoc die inscribitur. Plura de Basileo qui scire cupit, adeat prae ceteris Tillemontium. Ejus martyrium antea negaverat Valesius, qui postea in Notis ad Philostorgium communi Graecorum sententiae accessit: cum quibus & Fasti Neapolitani faciunt ante annos nongentos scalpti.

XXVII P S IRINV MAR

QVis sit *Irinus* iste, & an diversus ab *Irino* illo, qui in hoc marmore signatur die XXVII. Junii, ad hunc alterū diem Deo dante expedire conabimur.

XXVIII N S VITALIS

NIhil tota Italia celebrius S. Vitale mart. patre (ut ajunt) SS. Gervasii & Protasii fuit. In ejus honorem non tantū Ravennae, ubi is passus fuit, ac Romae, sed in diversis Italiae urbibus condita. Templa recenset Papebrochius ad diem 28. April. p. 562. n. 1. Ejus festum Beda omnium primus, quod quidem litteris exstet, hoc die suo Martyrologio inscripsit ineunte VIII. saeculo. Bedam ceteri Martyrologi secuti, Vitalem Ravennatem eodem die recensuerunt. Quum autem Vitalis hujus cultus longe lateque diffusus fuisset; non decuit in eo colendo Neapolitanos segniores fuisse, quos inter & Ravennates olim necessitudinis aliquid intercedebat; quippe Neapolitani duces aliquamdiu sub dispositione Ravennatium exarchorum fuisse videntur.

Ac doleo quod hujus Athletae Acta habemus ejusmodi, quae Papebrochius aevo tantum Petri Damiani diu antiquiora esse putat: de quo tamen ipso aliter (107) sentio. In iis Actis num. 8. *martyposuit*. Idem porro qui hoc fecit, id se fecisse declarat num. 7. *Qualiter* .. Valeria martyrium passa fuerit, *hoc modo veridicus historiae istius* [ex qua decerpit] *propalat stylus. Cum, inquit, S. Martyris* (Vitalis) *conjux B. Valeria* &c.

Is autem qui eas duas historias adglutinavit, quamdiu ex illis haurit, non infeliciter res gestas narrat, ita ut appareat, illas historias Petro quidem Damiano diu antiquiores fuisse, sed

[107] Qui Acta a Papebrochio hoc die data consarcinavit, is mihi videtur aevo Petri Damiani multo recentior fuisse. Quisquis enim is fuit, sive duas reperit historias, S. Vitalis unam, S. Valeriae conjugis alteram, quas a se locis aliquot interpolatas in unam, uti vocabant, *legendam* compegit: sive jam antea conjunctis [quippe cognatis] narrationibus, suum singulis locum de sua penu satis invita Minerva inter-

Digitized by Google

martyrizatus ille dicitur *sub die quarto Kal. Maii*. Sed vereor, ut auctor id ex vero scripserit. Ita certe scripsit, quia jampridem eo die festum S. Vitalis Ravennae & alibi agebatur: quo factum, ut Actorum interpolator diem cultûs pro die passionis habuerit. Atqui ego existimo diem passionis jampridem fuisse ignoratum. Ceterum ubi ad festum uni certo diei affigendum ventum fuit; ille potissimum dies delectus fuit, in quem alterius Vitalis (108) in Pannonia passi festivitas incidebat, pro more veterum Kalendariorum ac Martyrologiorum. Auget suspicionem meam Basilii Porphyrogennetae Menologium, in quo non hoc die, sed XXIII. Julii consignatur Ἀθλησις τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων Ἀπολλιναρίου καὶ Βιτάλιος ἐπισκόπου Ραβέννης, *Certamen sanctorum hieromartyrum* (sic vocantur Graecis pontifices martyres) *Apollinaris, & Vitalis episcopi Ravennae*. Nec dubium est, quin hic ipse Vitalis sit, de quo nunc agimus. Ceterum, cur episcopatus ei affectus fuerit, multae (109) subesse causae potuerunt. Haec eo pluribus deduxi, ut appareat, non de nihilo esse, quod in hisce marmoreis Fastis non *Passio*, sed *Natale* S. Vitalis hoc die consignetur. Nam quum Fastorum auctori suboleret, hunc

sed tamen non antiquissimas. At quae idem consarcinator de suo admetitur, praesertim num. 6. & 8. ea aperte ostendunt aevi intolerandam barbariem. Quam enim suavia illa sunt, quae num. 8. interponit. *Gaude & laetare felix Ravenna ... quae B. Vitalis sepulcrali meruisti coessentia* [i. e. συνουσία, *praesentia*] *insigniri: qui exceptis ceteris, quos aequipolleater foves, tuae turritae celsitudini solus potuit esse honori.* Nec minus jucunda sunt, quae num. 8. leguntur.

Quae de B. Valeria ab Idololatris Sylvano scrificantibus diu caesa ac seminece relicta num. 7. scribuntur, ea & brevitate & rerum convenientia satis se lectori, ut opinor, probabunt. Ita de hoc toto monumento censeo, in quo novus iste collector duorum conjugum historias [utinam non a se alicubi interpolatas] complexus est.

[108] In Hieronymiani Martyrologii apographis duobus Lucensibus venerandam canitiem praeseferentibus diei XXVIII. Aprilis tale est initium: *In Pannonia natalis S. Vitalis. Eusebi Episcopi. Tyballi. Pollionis.* Corbejense exemplar supparis antiquitatis in hunc modum orditur: *In Pannonia Eusebii episcopi, & Vitalis, Pollionis.* In Kalendario Hieronymiano Lucensi, nullo indicato passionis loco scribitur: *IIII. Kal. Vitalis.* Sed ibi quoque Vitalis Pannonius est intelligendus, quia id Kalendarium ex mente Hieronymiani Martyrologii loquitur. Ceterum ab Antuerpiensi S. Willibrordi Martyrologio [quod etiam Hieronymianum est] eo die S. Vitalis abest.

[109] Sive quod forsan fieri potuerit, ut is Vitalis, cujus nunc vera Acta desiderantur, episcopus Ravennae fuerit, aut certe alicubi id Menologii Auctor scriptum repererit: sive quod quum is passim *Vitalis Ravennas* [ad aliorum ὁμωνύμων discrimen] diceretur, id perinde acceptum fuerit, quasi illud *Ravennas* ad sedem pertineret, in eo praesertim, quem ceteroqui constabat, civem non Ravennatem sed Mediolanensem fuisse: sive postremo quod confusus fuerit cum Vitale altero amico Venantii Fortunati, quem Episcopum Ravennae fuisse Baronius ad 28. Aprilis, & alii passim crediderunt, persuasi tum lemmate Venantiani carminis I. 1. *Ad Vitalem episcopum Ravennatem*, tum illo carmine [I. 2.] quod inscribitur, *De templo D. Andreae, quod aedificavit Vitalis episcopus Ravennas*. Hinc doctus Venantii scholiastes Brovverus cum auctore Catalogi Ravennatium antistitum expostulat, quod Vitalem hunc [inter Petrum seniorem & Joannem inferendum] non agnoverit.

Verum in hoc Carmine versus finem sic legitur: *Hoc bonus antistes, Vitali urgente, Johannes Condidit egregio viscera sancta loco.* Nec dubium est, quin Johannes in hoc distichо memoratus sit ille Johannes Ravennae Archiepiscopus, qui post Petrum Seniorem proxime sedit, ut optime animadvertit Bacchinius ad Agnellum Ravennatem tom. 2. Scriptor. Ital. pag. 110. C. Quid ergo restat, nisi ut Vitalis, qui Johannem pro suo Metropolita agnoscebat, alterius sedis in eadem provincia episcopus fuerit? Ceterum quod civis Ravennas esset, hinc in titulis carminum Venantii *Episcopus Ravennas* vocatur. Sive, quod magis credo, Chorepiscopus erat alicujus Ravennae vici aut castelli. Ceterum nullus Vitalis Ravennae Metropolita fuit, quippe in Agnelli libro Pontificali nullus hoc nomine occurrit. Verum de hoc Vitale amico Fortunati obiter: quocum fortasse Vitalem Martyrem Graeci confuderint.

Digitized by Google

hunc martyrem die non suo coli; idcirco *Natalis* notam praenotavit, quae communis est cujuscumque generis festivitatibus, quocumque die peragantur.

At illud minimum difficultatis habet, quod in hoc marmore *Martyris* titulus dissimulatur: id quod & alibi factum deprehenditur, nec *Passione* praenotata, nec titulo *Martyris*. Quid quod Ravennae in porticu Basilicae S. Vitalis sic legebatur? *Beati Vitalis* (dissimulato *martyris* agnomento) *Basilicam mandato Ecclesii Episcopi Julianus Argentarius aedificavit ornavit atque dedicavit* [h. e. encaeniavit: *somministrò la spesa per l' apertura*] *consecrante vero reverentissimo Maximiano sub die XIIII. Kal. Maii, sexies P. C. Basilii Jun.* (is est annus 547.) *indictione X.* Ad quam inscriptionem adnotavi quaedam in *Diatriba de Dedicationibus*, quam Comment. ad tit. Amphith. Camp. inserui.

De hoc S. Vitale epistola sub S. Ambrosii nomine supposita, non sine subjectis S. Vitalis Actis circumfertur; quam Benedictini in Append. tom. 2. pag. 485. inseruerunt. Quocirca nihil de tanto pugile nunc quidem antiquius restat, quam Venantii Fortunati [quem Ravennae educatum narrant] distichon [110] quo disticho de martyrii genere, quod & in Actis is pertulisse narratur, certiores evadimus.

XXVIIII D̄P S SEVERI ĒPI N̄RI

ANte detectum hoc marmor dies Depositionis S. Severi aut ignorabatur; aut potius [ut quod res est, loquar] ante ducentos quidem annos [111] a nostris is dies tenebatur, sed tamen festum diei non suo affigebatur. At nos quidem

(110) Is lib. 1. carm. 2. inter Reliquias Ecclesiae S. Andreae, quam describit, illatas, etiam S. Vitalis pignora ibi recondita testatur his versibus.

Vitali domus ista placet, qui vivus arenis
Defossus, meruit perdere mortis iter.

Vbi videndum, an non pro *Perdere* poeta *Prodere*, aut *Pandere* (suppleto *Sibi*) aut quid simile scripserit. Hoc supplicii genus in Actis Papebrochianis num. 4. judex ita describit, officium alloquens: *Ducite hunc rebellem ad Palmam* (id ei loco nomen) .. *quod si sacrificare contempserit .. facientes foveam in terra, quo ad aquam usque perveniatur, ibi eum supinum deponite: & eum terra similiter ac lapidibus obruentes, absque humana cura dimittite.*

(111) S. Severum revera die XXIX. Aprilis ad caelum evolasse, modo nos quidem ante detectum hoc marmor ignorabamus: at ante ducentos annos id nostris hominibus non latuisse, colligo ex ejusdem S. Severi officio, quod simul cum aliis quibusdam Sanctor. Neapolitanorum Officiis Neapoli editum fuit an. 525. Quem libellum sane quam rarissimum nuper mihi vir amicissimus Cyrus de Alteriis, mirus ejusmodi gazarum conquisitor, commodavit, hoc & alibi usui permagno futurum. Ergo ejus Officium novem lectiones pro aere illius aetatis de S. Severo habet, easque cum vita illa Severi, quam Vghellus, & Bollandistae ad 30. April. afferunt, satis consentientes. Itaque Lectione VIII. hoc in Officio legitur: *Et DEPOSITVS est Sanctus Severus, finivitq. in Domino TERTIO KALENDAS MAIAS*, h. e. die 29. Aprilis. Et tamen in festorum indiculo, qui ad calcem ejus libelli editus est, sic scribitur: *Die 30. Aprilis Festum Sancti Severi.* Ergo, uti dicebam, ducentis ab hinc annis, quo die Severus obiisset, nostri homines [a quibus id Officium etsi die non suo recitabatur] non ignorabant.

Et ea quidem periocha in Severi vita quam Bollandiani afferunt, desideratur. At eadem in Vghelliano exemplo legitur. Cur, inquis, eam Bollandistae omiserunt? Quia id totum ex ea vita resecuerunt, ubi auctor ad universalem Ecclesiae historiam digreditur. At eo loci post Marci & Julii pontificum annos ea lacinia latens, facile Bollandistarum oculos effugit.

Sed & illud notandum est, quod in eodem S. Severi Officio duplex praeter morem adscribitur oratio, una quae incipit, *Omnip. semp. Deus qui hodierna die beatiss. Severum Conf. tuum atque Pont. AETHEREA REGNA PENETRARE fecisti* &c. [eaque videtur ante festi transpositionem usurpata; quae post ejusdem procrastinationem tamen in 1. Vesperis retenta fuit, quippe quae adhuc in diem emortualem inciderent]

akte-

Digitized by Google

dem certe eã depositionem nunc demum non in ultimum Aprilis, sed in praecedentem diem incidisse ex hoc marmore addiscimus. Cur autem aut quando Severi festum in diem sequentem traductum fuerit, haud quis facile expediverit, praesertim quum ea transpositio nõ heri aut nudius tertius acciderit. Nam in vetere Ecclesiae Neapolitanae Kalendario (apud Ant. Caracciolum pag. 307.) die XXX. Aprilis legebatur: *Severi Episcopi* (112) *Confessoris*, *Neapolitani*. In altero MS. Kalendario (113) Capuano apud eumdem pag. 311. sic scriptum fuit: *Pridie Kal. Maii Severi Episcopi & Confessoris*. Verum haec Kalendaria tantum abest, ut satis antiqua putem, ut ea XIV. saeculo, aut summum XIII. exeunte, vetustiora non esse, plane praestem.

Quid moror? Quando & qua de causa S. Severi festivitas de XXIX. Aprilis die in sequentem transierit, non tam hariolor, quam intento digito demonstraturus mihi videor. Anno 1274. [teste Caesare de Engenio] rex Carolus II. aedem, quam hodieque admiramur, S. Petri Mart. regali magnificentia fundavit ditavitque. Ex illo aut proximo tempore procul dubio credendum est, Petrum Mart. non tantum annuo festo a Neapolitanis cultum fuisse, sed & inter patronos [inter quos hodie numeratur] adscitum. Quandoquidem autem dies Petri emortualis in eumdem diem cum S. Severi festo concurrebat; Regis ac populi favori, atque in recentis memoriae Martyrem reverentiae hoc datum fuit, ut Severi festum loco suo motum transferretur in sequentem diem. Pari de causa S. Pomponii [qui minoris prae Severo dignationis apud Neapolitanos erat] festivitas de XXX. Aprilis (quo olim, testibus hisce fastis, colebatur) in XIV. Maii traducta fuit. Confer dicenda ad XXX. Aprilis. En transpositionum istarum epocham. Verum quando nunc ope marmoris hujus de vero tum Severi tum Pomponii depositionis die certiores evasimus; praestaret, quantum ego judico, utrumque Antistitem in suas pristinas sedes reponere, ac Petrum Mart. [dumtaxat in Neapolitana dioecesi] in vacuum diem XIV. Maii a Pomponio relictum traducere: si quidem ita summis Ecclesiae apicibus visum fuerit..

Nolo heic autem in vitam & aetatem Severi hujus longius commentari: de quo videantur inter antiquos S. Ambrosius epistola ad hunc ipsum Severum, Symmachus VII. ep. 51. Jo: Diaconus in nostror. Episcopor. Chronico, ac postremo auctor anonymus vitae S. Severi, quam

altera, quae in 2. Vesperis proponitur [recitanda utique & in Laudibus & per Horas] quae orditur, *Omnip. sempit. Deus, cui cuncta famulantur elementa* &c. quae oratio nihil de obitu in eum diem incurrente monet. Itaq. miror, sagacissimum rerũ nostrarum rimatorem Chioccarellum nihil horum vidisse: cui si Severi Officium inauditũ fuit, at vita, in qua eadem omnia de die depositionis leguntur, ad manus fuit.

(112) Ex interpunctione post *Confessoris* arguit Caracciolus, Severum civem Neapolitanum fuisse. Fuisse & ego censeo: sed id ex illa interpunctione [quae nihil aliud agit, quam ut abstrahat *Neapolitani* a proximo *Confessoris* vocabulo, illudq. retrahat ad praecedens *Episcopi*] argui; aut vero Kalendarium istud haud satis antiquum (uti constat ex addito *Confessoris*) idoneum esse testem ad Severum Neapolitana civitate donandum, id vero pernego.

[113] Miror hoc Kalendarium Mich. Monacho fuisse ignotum: inter cujus antiqua Kalendaria Capuana tantum in primo, ad diem XX. Julii sic reperio: *Depositio S. Severi episcopi*. Verum is Severus nihil cum Neapolitano commune habet: nec quo pertineret, scirem, nisi id ex Vsuardi apographo Vaticano didicissem, in quo (apud Sollerium ad Vsuardi XX. Julii) eo die XX. Julii, omisso *Paulo Cordubensi* (qui in Vsuardo claudit agmen) adjicitur *Casinensis Severus* hisce verbis: *In Casino natalis sancti Severi episcopi*.

Hic est ille Severus, qui sub Felice III. Pap. an. 483. cum Aquinate, Fundano, Capuano Episcopis Romanae Synodo subscripsit; quem alteri concilio ab eodem Felice cogato adfuisse Petrus Diaconus tradit, qui & ejus praeclara virtutes peculiari libro complexus fuit. Sed Leo Marsicanus III. Chron. Cas. 40. memi: *Ecclesiae Sancti Severi Episcopi quae* [inqu *in hoc monte* [Casinensi] *sita est*.

Digitized by Google

quam & Vghellus edidit, & Bollandiani diei XXX. April. pag. 768. inseruerunt: ex recentioribus autem Chioccarellus, Ant. Caracciolus, Vghellus, & Bollandistae loc. cit.

Verum temperare mihi non possum, quin de auctore vitae judicium meum qualecumque interponam. Chioccarellus, Caracciolus, & post eos Vghellus & Bollandiani socii putarunt, hunc auctorem Jo: Diacono diu vetustiorem, imo & ante Siconem Beneventanum scripsisse [qui Sico anno 818. corpus S. Januarii Neapoli Beneventum abduxit] quippe quum in hac vita num. 6. dicatur Severus *Corpus B. Januarii Sacerdotis & mart. ipse* condidisse *manibus suis in Ecclesia foris porta hujus civitatis milliario uno, in qua NVNC REQVIESCIT VSQVE IN PRAESENTEM DIEM*: quod nemo sanae mentis post illam translationem scripsisset.

At mihi longe secus videtur, statuenti, vitam S. Severi diu post Joannem episcopor. chronographum fuisse elucubratam. Et quidem, nisi vehementer fallor, res ipsa loquitur. Vt inde exordiar: multa Joanni Diac. cum hoc biographo communia sunt. Nec enim solum omnia quae in Joanne vere Severiana sunt, eadem hic admetitur, sed & quae in Diacono de more sunt extra oleam plurima, ex universali ejusdem aetatis historia petita, quorum nihil ad Severum attinet, eadem totidem fere verbis & auctor vitae recitat. Vide hujus vitae totum num. 6. [apud Boll. p. 769.] ac praeterea quae in Vghelliano exemplo sequuntur, a Bollandistis praeterita; ea omnis lacinia & in Diacono eisdem ferme verbis reperitur, praeter narratiunculam de translatione S. Januarii Neapolim a Severo factam, quae huic biographo peculiaris est. Nunc illud est decernendum, uter ab altero hauserit. Equidem chronographo Joanni visam fuisse hanc, quam terimus, Severi vitam, numquam adducar ut credam. Quid enim? Is erat Joannes ille, ut Anastasii Biblioth. aliorumque, quorumcumque facultatem haberet, expilare scrinia non dubitaret, quo Chronicon suum pinguius faceret, si non episcoporum gestis [de quibus nihil supra quam tradidit, compererat] at rebus saltem extrariis & ad universam Ecclesiae historiam pertinentibus. Estne vero credibile, si quidem umquam Severi vita ista in ejus manus perveniisset, illum res longe pulcherrimas ac praeclariissimas fuisse praeteriturum, veluti quod mortuum suscitasset, quodque morienti SS. Januarius & Agrippinus se videndos praebuissent? ut de Translatione S. Januarij taceam, quam Joannes non tantum praeteriit, sed & contrarium scripsit. Ergo si me audis, vitae scriptor Joanne Chronographo recentior fuit; qui ut vitam concinnaret suam, non tantum quae in Joanne reperit, totidem verbis arripuit, sed & praeterea, quae de eodem Severo corradere undecumque potuit, admensus est. Et quidem haud paullo recentior mihi fuisse videtur. Nam (ut infra a me animadvertenda praeteream) vitam illam commentarii loco scripsisse se ait, iis serviturum, qui res easdem versibus commendare cupiebant, ut in epistola profitetur. Nunc, quantum video, nec nono nec decimo saeculo passim Sanctorum vitae versibus perscribebantur. Mos is [etsi melioribus saeculis aliquando usurpatus] serius omnino restitutus fuit, ac facile XI. ac XII. ac porro sequentibus saeculis. Vt autem versificatori velificaretur Anonymus, pigmenta omnia, pro captu illorum temporum, ac *μυροθήκια* exhausit. Vel illud argumento est, quod ut apparitionem SS. Januarii & Agrippini Severo morienti factam ornatiorem redderet, plures circumstantias ex simili *ὁράματι* S. Paulini ex Vranii epistola est mutuatus. Utrobique illa morientis vox, *Ubi sunt fratres mei?* utrobique immotis aedibus, tantum decumbentis cubiculum contremiscit. Ac sane videndum, an non & illud ab Vranio sumpserit, quod in epistola dicit, se ista in versificatoris gratiam conscripsisse; ut in Adnotat. 114.

Digitized by Google

monebo, ubi de aetate scriptoris plura.

At enim, inquis, illud quo pacto procedet, quod corpus S. Januarii *usque in praesentem diem* in eodem loco requieverit dixit, nisi auctor vitam antea elucubraverit, quam Sico inde corpus abstulisset? Respondeo, haec praeter verum a biographo scripta fuisse. Non enim Severus, sed mox Joannes [ille, cui morienti S. Paulinus adstitit] *in Oratorio manu sua condidit Beatissimum Martyrem Januarium a Marciano sublatum*: verba sunt Joannis Diaconi in eo, quem dixi, Joanne. Verba autem biographi illa *usque in praesentem diem*, sive ab inepto librario addita fuere [nam vellem sane, qua possem, biographi existimationi parcere] sive potius auctoris insciti arguunt, cui Anonymi Salernitani narratio de Sicone Januarii corpus abducente ignota fuit. Vide de his plura in subjecta (114) Adnotat. in qua digredimur in Severi vitam. Ac de Actis hactenus.

De

[114] *In vitam S. Severi secundum sectiones editionis Bollandistarum ad XXX. April. Adnotata aliquot.*

De triplici hujus vitae prologo; quorum tertius cur biographis Neapol. communis fuerit. Ovum *sive* Obum *quid. De Campaniae rectoribus. Quid Clericus in Episcopali aula notet. Tintinnabuli antiquitas. Etsi ejus inventum Severo haec vita tribuere videtur. Processionum sub Crucis vexillo antiquitas. VNDE pro* De quo. Confessor *pro non martyre. Narratio S. Januarii a Severo translati falsa ostenditur; ut & illud* Vsque in praesentem diem. *Plura ex Vranio in hanc vitam transfusa. Vita Severi saeculo XIII. aut XII. non antiquior. Severi miracula apud Vghellum.*

His, quae in Severi vitam & scriptoris aetatem modo animadversa fuerunt, juvabit & haec adjungere.

In apographo vitae, quod ex codice monasterii S. Severini submissum Bollandianis fuit, praeibat haec periocha: *Prius quidem ab Incarnatione Domini sermo nobis sumendus est, deinde ad beator. Apostolicor. seriem devenire* [oportet] *prosequentes cominus sessiones Neapolitanor. antistitum.* Id tamen in hoc scripto non fit. Itaque id prooemium videtur forsitan sumptum ex simili prooemio, quod chronico Joannis Diaconi qui Apostolicos cum Episcopis Neapolitanis contexuit, praemissum antea fuerit. Nisi vero hic anonymus chronicon conscribere in animo habuit.

Sequitur apud Vghellum & Bollandistas epistola hoc initio: *Domino illustri* [sine ullius certo nomine] *& fratribus omnibus in Christo salutem. Litteris nobilitatis vestrae iterata vice sollicitor* &c. Quae epistola sine nominum figmentum redolet: & alicunde sumptae sententiae huic accommodatae videntur. Illud certe, quod in fine in gratiam eorum, qui haec *veribus illustrare* gestirent, vita haec scribi dicitur, sumptum est ex Vranii epistola de obitu S. Paulini, quantum meminisse possum. At illud magis mirandum, quod haec vita *triceps* jure dici poterit; praeter enim duos hactenus designatos prologos, sequitur & tertius.

Nam num. 2. sic orditur: *Secretum Regis celare bonum est* &c. Hoc initium ex Tobiae libro sumptum vitae S. Mariae Aegyptiae auctor suus dederat. Eam vitam medio IX. saeculo Paulus Neapolitanus Latinitate a se donatam celebrem apud Neapolitanos reddidit. Hinc auctor vitae hujus simile exordium scripto suo fecit, diu sane post Paulum illum. Postremo & Jo: Cimeliarcha saeculo XIV. vitam S. Joannis IV. Episc. Neapolitani scripturus, non dubitavit & eisdem exordiri verbis. Vides ut istud initium commune biographis Neapolitanis evasit. Nam in libello, quem Adnot. III. laudavi, in Officio S. Agnelli Lect. I. prope ab initio scribitur: *S. Raphaelis Angeli monitis obtemperantes, qui dicit, Secretum regis* ... & quae porro sequuntur. Item in Officio S. Candidae eisdem verbis orditur Lectio VI. nisi quod Salomon ejus dicti auctor citatur. Sed & in officio S. Agrippini indidem Lectio II. incipit.

Ibid. v. 7. *Rem novam & inauditam in his temporibus accidit nobis Severum Neapolitanae sedis episcopum, sicut & antiquos olim sanctos, operari mirabilia, quae per illum ostendere Dominus dignatus est.* Haec ex Vghello adscribere malui; nam Bollandiani pauca immutarunt, ne auctor aequalis S. Severi videretur. Verum haec eadem, quantum commeminisse prooemio vitae Aegyptiacae Noster hic transtulit, parum curans, quod ea scriptori nec aequali, nec suppari disconvenirent. In Offic. S. Severi lectione I. haec eadem sic paullo aliter leguntur; *Res nova & inaudita in his temporibus accidit nobis, ut in Severum ... sicut in antiquos olim sanctos operari mirabilia Dominus*

Digitized by Google

minus dignaretur. Quasi Severus, qui exeunte saeculo IV. sedit, inter antiquos numerandus non fuerit. Verum quid faceres, quum eadem verba in prooemio vitae Aegyptiae auctor nactus, sibi arripienda putarit?

Ibid. *Ovum*, quod pro *balneatico* solvebatur, bene conjecerunt Bollandistae, esse monetae genus. At in exemplari, quo utebatur Ant. Caracciolus, legebatur *Obum*, quod tamen nihilo minus pro *Ovum* positum putavit, alternantibus, uti fit, B & V consono. Atqui suspicor, biographi aevo plerosque credidisse, *Obolum* [quae vox aevo sequiore etiam pro minimo monetae genere apud Cangium sumitur] esse diminutivum a primitivo *Obum*; atque ob eam causam *Obum* pro *obolo* usurpasse.

Num. 3. v. 4. *Surgens* [balneator] *interpellavit ducem terrae ejus super uxorem ejus*. Ac semper is judex *Dux terrae* vocatur. At in lectionibus saepe laudatis Officii S. Severi [in quibus integra haec vita recitatur] *dux civitatis* idem ubique nuncupatur, aliquanto fane aptius. Sed quocumque modo legas, ad Duces Neapolitanos, alites *Consules* appellatos, ea verba spectant. Atqui IV. exeunte saeculo adhuc Neapolis cum tota Campania antiquis rectoribus fuberat ab Hadriano institutis: quos Hadrianus quidem *Consulares* appellavit: at iidem nonnumquam & *Correctores* vocabantur. Et olim equidem rectorum Campaniae indiculum ex inscriptionibus & libris hausturn collegi: quem Deo dante aliquando dabimus. Ac sane tempore S. Severi Decium Campaniae rectorem fuisse, ex Symmachi (VII. 51.) epistola, qua Decio hunc Severum commendat, collata cum aliis ejusdem epistolis, satis aperte colligitur.

Ibid. v. 10. *Aut ipse debitor haberet eam unacum filiis suis in suo servitio*. Pro *debitor* legendum est *Creditor*, uti recte in Vghello & in Lectionib. S. Severi scribitur. Atque istud judicis decretum non male, si quaeris, cum jure Romano congruit: nam Leonis Novella, quae liberos homines servos fieri vetuit, diutiuscule post S. Severum scripta fuit.

Ibid. v. 18. *Et dicit mihi jus suum in me habere*. Sed *In jus suum me habere* (ut in Vghello & Lectionib. legitur) legum verba aptius exhibet. In legibus autem *In jus suum* [pro *in jure suo*] habere tritum est, quod & ad jus herile pertinet.

Num. 4. v. 7. *Dedit* [Severus] *tintinnabulum Clerico suo*. Istud *Clerico suo* tempora scriptoris, non S. Severi redolet. Nam aevo sequiore ex Ecclesiae CPolitanae more (ad quam Neapolitana in pluribus se conformaverat) *Clericus erat domesticorum* Episcopi nomen. In Catalogo Officiorum M. Ecclesiae apud Goarum ad Euchologium pag. 275. *ἐκ ὀφείλει* &c. *Non oportet enim Sacerdotem esse CLERICVM; quia sacerdotes incruentum sacrificium offerre Canon jubet, non autem* (*οἰκέτης ἴσως τῶ Ἀρχιερέως*) *Archiepiscopi DOMESTICVM esse*. Ergo *Clericus* in Aula Patriarchali idem qui *οἰκέτης domesticus*. Quam loquendi consuetudinem et Neapolitani sunt imitati.

Dedit, inquit, *tintinnabulum clerico suo, ut circuiret civitatem inclytam, & ad sonum tintinnabuli cursim omnes catervatim ad Episcopii Ecclesiam .. Salvatoris ... convenirent*. Ritus hic convocandae plebis ope circumlati tintinnabuli apprime notandus est. Ceteroqui veteres tintinnabulis usos ad signa danda, & homines convocandos, pluribus ostendunt Hadr. Junius Animadv. III. 11. Casaubonus ad Suetonii Augustum c. 91. Polyd. Virg. Baronius, alii.

Verum ante modo recitata verba in Vghello sic scribitur: *Mox autem novam consuetudinem suae civitatis demonstravit. Dedit tintinnabulum*, & cetera quae supra adscripsi. Eadem verba & Bollandiani in suo apographo repererunt, sed ea se expunxisse in Aduot. fatentur, quia [inquiunt] *sensum turbabant*. At sane omitti sine piaculo nequiverunt. Hoc enim biographus iste innuere propositum habuit, nim. campanarum usum [quem vulgo S. Paulino Nolano adscribunt] S. Severo, qui paullo antiquior fuit, esse tribuendum. Haec nempe est *nova consuetudo*, quam *suae civitati* (sic enim scribendum pro *civitatis*) *demonstravit*. Heic autem magis quid biographus scripserit, quam recte ne id senserit, quaerimus. At in Lectionib. laudatis aliter haec leguntur hoc modo: *Ut mos erat civitatis* [jam ante Severum scil.] *dedit tintinnabulum* &c.

Statim deinde narratur multitudo cum S. Severo sub Crucis vexillo ex Ecclesia Salvatoris ad *Cryptam* (sive coemeterium, quod nunc Ecclesiae S. Januarii extra moenia adjacet) processisse. Harum processionum sub vexillo crucis exstat geminum exemplum in vita S. Porphyrii Gazae episcopi, quam Hervetus Latina civitate donavit: ad quam supra die 26. Febr. animadversiones scripsimus. Porphyrius autem ac Severus in eadem tempora inciderunt.

Ibid. v. 18. *Ad memoratam cryptam pervenerunt, VNDE superius fecimus mentionem*. Sic & n. 6. v. 6. *Et ipsam basilicam. VNDE superius mentionem fecimus*. *VNDE* pro hodierno Galiorum DONT, jam pridem usurpaverant Trebell. Pollio, Jornandes, Ordericus Vitalis apud Cangium.

Num.

Num. 5. sic incipit: *Tunc beatiſſ. Chriſti Confeſſor Severus*. Quae appellatio eiſdem verbis paſſim in tota hac vita uſurpatur. At *Confeſſor* pro non Martyre quum numquam in noſtro Kalendario occurrat; ſerius noſtris uſurpata videtur: etſi in Cangii Gloſſario Egberti Eboracenſis (qui octavo ſaeculo florebat) ac poſtea Odonis Cluniacenſis, qui decimo ſaec. vixit, ac porro poſterioris aevi loca eo ſignificatu afferantur.

Num. 6. *Sedit S. Severus Epiſc. annos quadraginta ſex, menſes duos, dies undecim*. Haec eiſdem verbis, ac littera minus, in Chronico Joannis habes. Sed & quae mox heic ſtatim ſequitur baſilicarum quatuor a Severo factarum deſcriptio ad finem uſque ſectionis hujus, ea tota ac verbis totidem ex Joannis Chronico eſt. Niſi quod Noſter initio narratiunculam de S. Januarii translatione ab hoc Severo facta interponit. Quae tamen quum extra locum ſit, & contraria Joannis chronico; gravem ſallaciae ſuſpicionem injicit. Nam age Joannem chronographum cum auctore vitae hujus conferamus. Joannes incipit: *Hic* (Severus) *fecit Baſilicas quatuor: unam foris urbem juxta S. Fortunatum, et aliam in civitate mirificae operationis* &c. At biographus noſter in hunc modum: *Hic fecit Baſilicas quatuor* (*Nam & corpus B. Januarii ſacerdotis & martyris ipſe condidit manibus ſuis in Eccleſia foris porta hujus civitatis milliario uno, in qua nunc requieſcit uſque in praeſentem diem*; *& ipſarum baſilicarum, unde ſuperius mentionem fecimus*) *unam foris urbem juxta S. Fortunatum* [*nomini ſuo conſecravit*] *& aliam in civitate mirificae operationis* &c. Quae porro ſequuntur ad ſectionis uſque finem, nihil additamenti ſupra chronographum complectuntur. At in his, quae recitavi, quae parentheſi coercui, ea Noſter de ſuo addidit. Quae quidem vel ſine parentheſis indicio quivis per ſeſe internoſceret, quum ſint extra locum poſita, & filum narrationis interrumpant. Poſtremo Jo: Diaconus S. Joanni I. tribuit ea, quae heic biographus de Severo interponit. En chronographi verba in Joanne I. *In eo oratorio, ubi manus ſua dicitur condidiſſe beatiſſ. Mart. Januarium a Marciano ſublatum & ipſe parte dextra humatus quievit*. Atqui Diaconum hoc vitae ſcriptore longe, ſi non aliud, antiquiorem eſſe, jam ſupra demonſtravimus. Porro ut obiter moneam, Ant. Caracciolus mira loquitur pag. 243. ſperans, haec a ſe paradoxo majore conciliari poſſe. Vult enim, *ab utroque id factum, ab Joanne videl.* & *Severo tunc presbyteris vel diaconibus, poſtea epiſcopis*. Vult praeterea [nullo teſte producto] eam Translationem anno 385. contigiſſe: quo tamen anno Severus vix natus erat, Joannes ne vix quidem. Vt omittam quod Martyrum reliquias condere peculiare Epiſcoporum fuerit, non item presbyterorum: quod pluribus oſtenderem, niſi feſtinarem.

At haec eadem, quae ex Bollandiano vitae exemplo recitavi, quaeque cum Vghellianis ferme conſentiunt, in Lectionibus S. Severi paullo aliter procedunt; in quibus ſic legitur Lect. VII. *Hic fecit baſilicas quatuor, in quarum una corpus B. Januarii Epiſcopi & Mart. ipſe recondidit manibus ſuis, quam ejus nomini conſecravit, ſitam extra portam civitatis hujus miliario uno, in qua nunc requieſcit uſq. in praeſentem diem. Fecit & aliam eccleſiam extra urbem juxta S. Fortunatum, & nomini ſuo conſecravit*. Harum Baſilicarum poſteriorem tantum [quae vulgo dicitur *S. Severo a Perrocco*] memorat Jo: Diaconus, & vita Severi in Bolland. & Vghello. At Lectiones, uti vides, eidem auctori attribuunt etiam priorem alteram h. e. Eccleſiam S. Januarii extra moenia. Pergit Lectionum auctor. *Item aliam in civitate mirificae operationis* & cetera ut in Bolland. Vghello & Jo: Diacono. Ex his vides auctori Lectionum non conſtare illum *quatuor* tantum baſilicarum numerum; quia praeter jam dictas idem Severus [ut ad finem tum in Lectionibus & vita Severi, tum ab Jo: Diacono dicitur] etiam monaſterium S. Martini, & alterum S. Potiti fecit: ut omnino quinque ab eo baſilicas factas admittat oporteat, contra fidem Jo: Diaconi.

Age vero animadverſione hoc dignum eſt, quod illud *Requieſcit uſq. in praeſentem diem*, quod ab auctore vitae Severi per inſcitiam ſcriptum vidimus, etiam in has Lectiones transfuſum fuit. Nec mirum, quia in eum finem ea vita elucubrata videtur, ut ex ea particulatim diviſa Lectiones Officii exſisterent; ſicuti & in eumdem uſum ſuam S. Joannis IV. vitam Cimeliarches compoſuit. Poſtquam autem illud *Vſq. in praeſentem diem* aevo illo tenebricoſo receptum in Officii Lectiones fuit; etiam ſiquis interim paullo eruditior exſtitit, qui contrarium doceret, tamen privata auctoritate de Lectionibus quidquam detrahere nefas ducebat. Quod uſque eo proceſſit, ut etiam XV. ſaeculo, [quando Neapolis litterarum laude praecellebat, nec ignoraretur S. Januarii corpus in Monaſterio Montis Virginis aſſervari] id in Lectionibus recitaretur; ac poſtremo ut anno 1525. (quo Severi Officium typis Neapolitanis excuſum prodiit) idem illud *Vſque in preſentem diem*, ſuam in eo Officio priſtinam ſtationem tueretur.

Jam

Digitized by Google

De aetate vero qua vixit Severus, jam in confesso est, eam ad posteriora tempora esse porrigendam, sic poscentibus tum S. Ambrosii & Symmachi epistolis (quas Chioccarellus, & ex eo alii recitant) tum etiam S. Martini obitu; post quem debuit Severus ei Basilicam dedicare. Et jam alibi [vide dicta de S. Joanne ad III. April.] animadversum a me fuit, Joannem Diaconum quarti & quinti saeculi episcopos multo antiquiores reddidisse, nempe ut lacunam impleret aliquot episcoporum; quos ita ignoravit, ut ne deesse eos quidem sit umquam suspicatus. At in VI. saeculo & sequentibus idem digessit accuratius tempora.

XXX DP POMPONII EPI NRI

DE Depositionis die nos minime dubitare sinit hujus Kalendarii inscriptio, ejusque experta toties in consignandis diebus emortualibus fides, quam & in dies magis certiorem deprehendimus. Ac Fastis hisce adstipulatur marmorea tabella antiquitus scripta, sed anno 1503. instaurata, quam ad pedes arcae, quae corpus S. Pomponii complectitur, exstantem in Ecclesia S. Mariae Majoris refert Chioccarellus pag. 51. in hunc modum. *Pomponius Antistes Neapolitanus sedit ann. VIII ac XX., diebus X. obiit ultimo Aprilis, sepultusque est in Ecclesia S. Mariae Majoris, quam ipse Neapoli magnis sumptibus aedificaverat. Claruit autem temporibus Ormisdae, Felicis, Joannis, & Bonifacii pontificum Romanorum, imperanti-*

Jam vero post ecclesiarum ab Severo exstructarum catalogum, quem biographus ex Jo: diacono exscripsit, sequitur tum apud eumdem Diaconum, tum in Severi vita Vghelliana rerum aetate Severi in Ecclesia universa gestarum stricta narratio. Hanc totam narrationem Bollandiani omiserunt: cujus sui facti rationem ipsi (in Adnot. sub litt. q.) reddunt. At nollem omisissent: nec ob eam solu causam, quia eidem rerum externarum narrationi intexitur mentio Severi *depositi III. Kal. Majas* [de quo vide quae supra Adnot. 111. monui] verum etiam quia antiqua monumenta semper integra dare praestat. Vel haec rerum externarum in his Actis notitia habet minutiora quaedam ab Jo: Diacono & Anastasio diversa. Ex iis etiam utriusq. textus alicubi feliciter corrigi poterit. At eaedem externae narrationes ab Officio S. Severi non immerito detractae fuerunt.

Num. 7. ad finem ferme usque auctor Vranii scrinia compilans, eadem omnia, quae ille de S. Paulini obitu mirando narrat, S. Severo attribuit. At idem quid sit *Orationem colligere* [quod exposui ad III. April. ubi Vranii epistolam cum Jo: Cimeliarcha contulimus] non intelligens, Severum decantantem Psalmum inducit; quo decantato addit, *Deinde collecta oratione fluit.* Videsis dicta ad 3. April. pag. 142. in Adnot. 11.

Ex hac usque animadversis haud difficile erit de aevo biographi nostri decernere. Hunc ego biographum per omnia similem Cimeliarchae illi, qui saeculo XIV. vitam S. Jo: IV. condidit [de quo plura dixi ad 3. April. loco cit.] reperio. Idem utrique vitae initium est, *Secretum Regis* &c. uterque auctor ex Vranio plura arripuit: utraque vita in usum Lectionum Officii conscripta fuit: idem utrobique genius, & vitas Sanctorum quovis modo pinguiores efficiendi ardor. Sed tamen quo minus eumd. utriusq. vitae auctorem Cimeliarcham illum fuisse putem, ipsa haec tanta similitudo prohibet. Accedit quod stylus vitae Severi facile est vita S. Joannis IV. antiquior. Sed tamen haud longissimo intervallo Severi biographus antiquior Cimeliarcha videtur, nec facile XIII. aut summum XII. saeculo vetustior.

Sequuntur porro apud Vghellum ac Bollandianos ibid. miracula duo: quorum alterum sic incipit: *Fuit quidam vir, Petrus nomine, natione Graecus, cognomento Volicaci, de Amantea civitate Calabriae.* Sunt haec non multae antiquitatis: quod & cognominum usus ostendit, & quod *Calabria* ea ipsa intelligatur, quae hodie id nomen gerit. At saltem usque ad Basilii Porphyrogennetae tempora *Calabria* in Salentinis erat, ut ex ejus Thematibus licet animadvertere. Hexametra quae mox sequuntur, ex sequioris aevi consuetudine prosae admisceri solebant.

Ad ultimum in eodem Vghello quaedam Elegia legitur, qua prius miraculum ab Joanne Archipresbytero describitur, qui nomen suum ultimo districho legi voluit hunc in modum: *Hos versus cecinit Joannes presbyter-Archi. Cujus vota Deus compleat altitonus.*

Digitized by Google

rantibus Anaſtaſio & Juſtino Auguſtis, ſub Theodorico rege. In vita & poſt mortem multis fuit miraculis inſignitus.

Fuit(115) *inſtauratū ann. D. MCCCCCIII.*

Idem confirmatur ex eo quod Bollandiani ad hunc diem p. 723. in praetermiſſis teſtantur, ſe reperiſſe Neapoli inter chartas Antonii Caraccioli Teatini *Martyrologium Patricianum* (ſic enim & alibi id appellatur; quod apographum aſſervari dicitur a Teatinis SS. Apoſtolorum) in quo die XXX. Aprilis ſignabatur *S. Pompoſius* (corr. *Pomponius*) *Epiſc. Neapolitanus*: de quo hodie agitur die XIV. Maii. Quod ſi quaeras, qua de re ejus feſtum ex hoc die ad XIV. Maii tranſierit; cauſam ſatis, uti reor, certam ad diem praecedentem protuli. Quia poſtquam S. Petrus Veronenſis S. Severum de ſuo loco moverat; Severus (cujus major erat, quam Pomponii, celebritas) Pomponium ex die XXX. viciſſim expunxit; cujus tandem feſtum diei XIV. Maii affixum fuit, fort. ob Translationem reliquiarum eo die factam ex loco prioris ſepulturae in Eccleſia S. Mariae Majoris, id eſt ex uno loco in alium intra eamdem Eccleſiam. Vtrum autem ea, de qua loquor, Translatio inciderit in annum 1503. (quo anno marmoreae tabellae inſcriptio, quam ſupra recitavimus, inſtaurata dicitur) an in aliud tempus nemo praeſtare poterit. De S. Pomponio, praeter dicta a Joanne Diacono (quae auctor inſcriptionis ſupra recitatae ob oculos omnino habuit) videantur Chioccarellus, & Ant. Caracciolus pag. 324. ac poſtremo Papebrochius ad XIV. Maii pag. 373. Ceterum ubi num. 1. prope finem Papebrochius innuit, ſero Neapoli Latinam linguam uſurpari coepiſſe, *quum antea Graece ſacra ibi fierent, & populus Graece loqueretur*, id non modo de Pomponii aetate (qui VI. ſaeculo ſedit) ſed ne de proxime ſuperiore quidē credi poteſt, niſi tantum in Eccleſiis Graeci ritus. Verum de hoc alibi commodior erit dicendi locus. Interim ubi primum Romanum hodiernum Martyrologium prodiit, id feſtum, quia jam apud Neapolitanos diei XIV. Maii affixum reperiebatur, eidem diei inſcribi placuit: unde & Baronius Neapolitanae Eccleſiae tabulas in ſuis adnotatis in teſtimonium celebrati eo die feſti advocat.

(115) Vbi INSTAVRATVM audis anno 1503. cave ſic accipias, hanc inſcriptionem totidem verbis in antiquiore tabella fuiſſe ſcalptam. Satius eſt dicere, ſenſum, non item verba, prioris inſcriptionis fuiſſe retentum. Nam certe ſtylus ſaeculo XVI. ineunti, quam anterioris aetatis, ſtribligini, eſt multo convenientior. In hac inſcriptione omnia eadem reperiuntur, quae in Jo: Diacono [praeter emortualem diem, ac miraculorum mentionem, quae a Diacono abſunt] ſic quaſi unus ab altero ſua ſumpſerit. Sed rationi magis eſt conſentaneum, inſcriptionis auctorem, qui plura affert, ab Jo: Diacono pleraque ſua hauſiſſe, quam contra.

Fieri & illud poteſt, ut INSTAVRATVM non ad tabellae inſcriptionem ſit referendum, ſed ad ſepulcrum; itaut translationem aut recognitionem corporis eo anno factam deſignet. Id ſi eſt; tum vero in priore tabella non aliud fuiſſe conjiciemus, quam ſimplex *S. Pomponii Epiſcopi* nomen, aut paullo plus aliquid. Ceterum recitata epigraphe (ex viri alicujus eruditi, quales tunc Neapoli florebant plurimi, calamo profecta) ſatis indicat, anno 1503. diem obitus Pomponii innotuiſſe: qui hiſce Faſtis confirmatur.

M. MAIVS

Digitized by Google

ADMONITIO

Ad ſequentia S. JANVARII epiſc. & ſociorum Martyrum Acta ſincera.

EXimium hoc, quod hodie viget, Neapolitanorum erga beatiſſ. Januarium ſtudium non heri aut nudius tertius enitere coepiſſe, ſed eſſe antiquiſſimum, jam tum ex ineuntis V. ſaeculi teſte locupletiſſimo Vranio (I) presbytero, deinde ex vergentis VI. ſaeculi ſubſcriptione Petri (II) ſubdiaconi didiceram. Nec vero intra unius pomoeria Neapolis aut Campaniae eum cultum ſtetiſſe, ſed longe lateque prorepſiſſe, tum ex Kalendario (III) Carthaginenſi V. ſaeculi opere, tum etiam ex Hieronymianis Mrologiis ad 7. & 19. Septembris, aliiſque Latinorum Graecorumque libris Liturgicis deprehenderam. Tamen dolebam una cum viris omnibus eruditis, veris ac genuinis Januarii ac ſociorum Actis nos hodie carere. Quotus enim quiſque eſt, quem vulgatae hactenas horum Commilitonum hiſtoriae [quarum infinito prope (IV) numero laboramus] delectent? In quibus portentoſa

L l

[I] Vranius in Epiſtola de obitu S. Paulini Nolani [quam, ut ad 3. April. obſervavi, anno 431. debuit ſcribere) huic decumbenti SS. Januarium Mart. aeque Martinum apparuiſſe ſcribit: *E quibus* (inquit) *Januarius epiſcopus simul & martyr Neapolitanae urbis illustrat eccleſiam*: utique quia proxime ab S. Joanne I. S. Paulini aequali illius Reliquiae e Marciano Neapolim translatae fuerant.

[II] Vide ſubſcriptionem a Petro Subdiacono Eccleſiae Neapolitanae codici Eugipii anno 581. factam [quam ad 29. Martii illuſtravimus] ubi *per confeſſionem meritaque B. Januarii Martyris* obteſtatur, ne ullo tempore is codex abnetur. Ex quo manifeſtum eſt, S. *Januarium* primarium tum fuiſſe tutelarem. Nec enim quiſquam alius Sanctorum ibi nominatur praeter beatiſſ. Januarium.

[III] In Kalendario Carthaginenſi Mabillonio ſic legitur: (XIII) *Kal. Oct. Sancti Januarii mart.* [IX] *Kal. Oct. Sancti Soſſi.* Numeri Kalendarum, quos in parenthesibus interpolui, in membranis deerant.

[IV] *Complurium Actorum S. Januarii & ſociorum recentio & judicium.*

Duum generum Acta viderat jam pridem Baronius: manu ſcripta una [quae diſcriminis causa poſthac *Baroniana* vocabimus] quibus initium hoc fuit, *Temporibus Diocletiani Imperat. conſulatu Conſtantii quinquies & Maximiani* &c. altera ab Jo: Diacono [eodem qui chronicon epiſcopor. Neap. contexuit] perſcripta X. ſaeculo; quae poſt Mombritium Surius die 23. Sept. evulgavit. At nuper demum Vic. Carminius Falconius lib. 2. Vitae S. Januarii non tantum bina jam dicta, ſed & plura alia generis ejuſdem monumenta bono publico in unum faſciculum collecta dedit.

Ad Baroniana quod attinet, ea mihi ceteris hactenus vulgatis facile antiquiora videntur. Quae equidem ex eorum compendio apud Baronium ad annum 305. jam antea animadverteram a Lectionibus Officii S. Januarii (quae ex Neapolitanis prelis anno 1525. prodierunt) non diffidere. Sed jam utrumque monumentum apud Falconium conferenti ad oculum patebit, tum Acta Baroniana (quae ordine prima recenſet) tum dictas Lectiones, & eas praeterea quae in vetere Breviario Beneventano erant, eiſdem plane verbis a capite ad calcem decurrere. At Breviarii Neapolitani vetuſtioris Lectiones, quae apud eumdem Falconium pag. CXLV. proſtant, multo contractiores ſunt, ſed eiſdem tamen narrationibus verbiſque. Et auctori quidem Baroniani, de quo loquimur, monumenti Acta ſincera, quae infra dabimus, prae manibus fuiſſe, non eſt dubitandum, quippe qui maximam horum partem (qua parte cum ſuis narrationibus convenirent) in ſuum copioſius commentarium eiſdem verbis intuderit: quod ſuis locis obſervabitur.

Venio ad Jo: Diaconum, cujus lucubratio inſcribitur apud Surium: *Certamen glorioſi . . . Soſii Diac. ac Januarii Epiſc. Benev. & ſociorum*. Ex epiſtola vero ad Joannem Abb. palam fit, ei quidem tum Paſſionem, tum etiam Translationem S. Soſii (cui interfuit) ſcribere propoſitum fuiſſe. Quae paſſio quum S. Januarii ac ſocior. certamini conſerta eſſet, hinc ab eo narrationem univerſam eorum commilitonum

per-

Digitized by Google

rosa omnia & ad admirationem ciendam comparata quivis facile in his litteris mediocriter exercitatus deprehendet. Itaque hactenus eas viri doctissimi suspectas saltem habuerunt. Vide prae ceteris Tillemontii de iis (V) judicium.

Atqui anno ab hinc altero quum in genuinum Bedae Mrologium [quod Bollandiani tom. 2. Martii evulgarunt] incidissem; in mense Septembri elogiis duobus eximiis mirifice me captum sensi; quorum unum de S. Januario ac sociis, alterum de S. Sosio pertexitur. Ea vero heic subnectere non gravabor.

Bedae elogium S. Januarii.

XIII. Kal. (*Octobr.*) In Neapoli Campaniae natale sanctorum *Januarii* Beneventanae civitatis episcopi, cum *Sosio* diacono Misenatae civitatis, & diacono suo *Festo*, & lectore suo *Desiderio*: qui post

perscribitur. Hoc eo dico, quod magnus Annaliū parens ad an. 305. ita de Jo: Diacono loquatur, quasi qui ex prioribus Actis (Baronianis) sua sublegerit, resecans tamen superflua & necessaria addens; quod & Tillemontius secutus est. Eam scil. in partem accepit Baronius Stephani Episc. Neap. dictum, quo Jo: Diaconum cunctabundum ac reluctantem incitabat. *Est* (inquit Stephanus in epistola Jo: Diaconi ad Jo: Abb.) *quaedam scriptura lepida, ut reor, digestione contexta . . . Sumenda est a te . . quaeque fiunt superflua, reseca; necessaria subroga, inepta abjice* &c. Atqui ibi Stephanus non ad S. Januarii, sed S. Sosii historiam digitum intendebat: id quod ex eo palam fit, quod ibid. mox Jo: Diaconus conqueritur, in illa ipsa scriptura defuisse Sosii parentum nomina, defuisse & ejus episcopi mentionem qui Sosium *Levitali redimitione dicarat*. Atqui ea expostulatio non nisi in eam potest cadere historiam, in qua primario de S. Sosio ageretur, ex occasione autem de Januario ceteriscque.

Sed ne Falconius quidem aliter ac Baronius locum epistolae Jo: Diaconi accepit: nisi quod hoc interest, quod Annalium parens Joannem hunc ex Baronianis Actis suam historiam (qua resectis, qua additis pluribus) composuisse credidit, quum contra Falconius Joannem putet ex quodam scripto, quod incipit, *Ad laudem & gloriam victoriosissimi* &c. [quod idem Falconius pag. CXXXIV. primus publici juris fecit: quocirca id *Falconianum* posthac nuncupabitur] sua mutuatum. Atqui huic Falconianae historiae (praeterquam quod ea primario de Januario, non de Sosio conscribitur) haud per omnia convenit cum Joanne Diacono.

Ergo, si me audis, Joanni nostro quaedam principio Historia S. Sosii [qua nunc caremus] ab Stephano proposita fuit, ex qua partim detrahendo partim addendo suum commentarium pertexeret. Ceterum idem Joannes ad manus habuit tum Acta genuina, quae mox recitabimus, tum altera Baroniana, nec non Raynerii Translationem SS. Eutychetis & Acutii tū postremo etiam (quod ex veris indiciis deprehendi) Falconianum longissimum monumentum: ex omnibus autem sua delloravit, conciliando, qua poterat, quae dissonare videbantur. Hinc illud est, quod quum in Actis sinceris solum Dracontium praefuisse toti judicio comperisset, in Baronianis autem [& quae vidit alia] Timotheum; sic rem transigendam putavit, ut ab initio Dracontium ei judicio praefecerit, postea vero Timotheum Dracontio successorem dederit. Verum de his omnibus monumentis, quae Falconius in unum coegit, plura passim in Adnotationibus ad Acta sincera animadvertentur.

(V) Acutissimus Tillemontius in Nota ad S. Januarium versus finem de Actis ex quibus admiranda sua hausit Jo: Diaconus animadvertit his verbis. *Qui peut douter, que ces injures, que l'on dit aux magistrats, ces imprecations que l'on fait contre eux, ces miracles extraordinaires, ces frequentes delivrances des personnes qui se viennent presenter elles mesmes aux persecuteurs sans estre cherchées, un juge aveuglé par la priere d'un Martyr, gheri par la mesme priere, e qui ne laisse pas d'envoyer à la mort celui mesme dont il vient d'implorer le secours, e d'appeller un SERVITEVR DE DIEV: qui peut douter, dis-je, que quelque couleur que l'on donne a ces choses, elles ne ressentent bien plus le style de Metaphraste, que celui des Actes veritables & legitimes?* Quam vero is non immerito haec omnia suspecta habuerit, ex eo liquet, quod ab Actis veris atque sinceris, quae infra dabimus, absunt ea ipsa omnia, quae jam pridem ante, quam haec detegerentur, reprehenderat vir subacti judicii

post vincula & carceres capite sunt caesi in civitate Puteolana sub Diocletiano principe, judice Dracontio. Qui quum ducerentur ad mortem, viderunt inter alios *Proculum* Puteolanae civitatis diaconum, & duos laicos *Eutychen* & *Acutium*; & interrogaverunt, quare justi juberentur occidi: quos judex ut vidit Christianos, jussit decollari cum illis. Sic omnes septem pariter sunt decollati. Et tulerunt noctu corpora Christiani; & Neapolitani *Januarium* posuerunt juxta civitatem in basilica, Mesenates *Sosium* aeque in basilica, Puteolani *Proculum* & *Eutycetum* & *Acutium* in basilica S. Stephani; *Festum* & *Desiderium* Beneventani collegerunt.

Ejusdem elogium S. Sosii.

IX. Kal. (*Octob.*) Natale *S. Sosii* diaconi Mesenatae civitatis in Campania: qui quum esset annorum triginta, martyrium cum B. *Januario* Beneventi episcopo capitis decollatione suscepit tempore Diocletiani imperatoris. Is quum tempore quodam Evangelium legeret in ecclesia Mesenatae civitatis, praesente episcopo *Januario* (frequenter enim eum pro sanctitate & prudentia ejus visitare consueverat) vidit subito idem episcopus de capite ejus flammam exurgere, quam nemo alius vidit; & praenuntiavit eum martyrem futurum. Et post non multos dies idem diaconus tentus, & in carcerem missus est. Ad quem visitandum quum venisset episcopus cum diacono suo *Festo* & lectore suo *Desiderio*, & ipse cum eo simul tentus; ac pariter omnes, cum aliis tribus, occisi sunt.

Ac stipes plane sit, qui non ex iis elogiis veritatem meram sine fuco ac fallaciis emicare, inque oculos incurrere, statim sentiat. Atqui eadem elogia duo tum Rabanus, tum Ado IX. saeculo totidem verbis in sua Martyrologia transfuderunt: Vsuardus vero & Notkerus eisd.quidem narrationib.ac verbis compositа,sed contractiora dederunt.Verum id interim dolebam,quod eae duae laciniae sitim magis acuerent, quam sedarent. Itaque nihil mihi optabilius videbatur, quam ut, quandoquidem non ex limosis posterioris aevi rivulis, sed ex puro Actorum antiquiorum fonte Bedam (virum ceteroqui supra fidem eruditum, judiciique, ut illis temporibus, gravitate praeditum) hausisse sua, appareret; ea aliquando Acta, ex quibus Anglus sublegit elogia, in conspectum se aliquando darent.

In his dum essem; ex Viro Illustrissimo doctissimoque ac Neapolitanae litteraturae columine, Caelestino Galiano Archiep. Thessalonicensi, Regii Sacelli ac Neapolitani Lycei Praefecto, audivi quum diceret, vidisse se quondam Bononiae quaedam manu exarata S. Januarii Acta, etsi barbarie diffluentia. Ego vero rogavi hominem, ceteroqui ad promovenda bonarum artium studia promissimum, ut quidquid reculae id esset, exemplum describi mea gratia curaret. Quod & citius opinione mea ejus humanitate impetravi. Ea vero dum legerem, quantacumque

Digitized by Google

barbarie a capite ad calcem ea redundare deprehendi. Vix enim periodus una sine graviſſimis ſoloeciſmis procedit: ut non Augiae ſtabulum pluribus ſordibus ſcateat. Verum ubi a ſoloeciſmis iſtis, nec non pluribus ſectionis primae lacunis [quorum utrumq. indoctum ſaeculi XIII. amanuenſem forſan auctorem habet] diſceſſeris; ceterum nec ſtyli ſimplicitas brevitaſque [ut hinc ordiar] abhorret ab aevo meliore; &, in quo totius rei caput eſt, ſtatim animadverti, haec nimirum illa eſſe Acta, ex quibus Beda duo ſua elogia defloraverat: ita non tantum narrationes eaedem plane ſunt, verum & eiſdem ſaepe verbis conceptae. Ex quo illud liquet, ſive Bedam (ut & poſteriores Martyrologos) non alia ab his Acta prorſus noſſe; ſive, ſi, quae hodie locupletiora circumferuntur, ad manus habuit, ea non magni feciſſe.

Atque heic equidem quum & ex invento theſauro in ſinu exſultarem meo, eamque mihi gazam ſepoſuiſſem, qua hujus commentarii menſem Septembrem ditiorem efficerem; interim id monumentum cum amicis aliquot communicavi. Illi vero quum pro ſe quiſque, ut ea Acta ſtatim publici juris facerem, inſtarent; poſtremo & Eminentiſſ. Archiepiſcopi JOSEPHI SPINELLI juſſis parendum fuit, nec committendum, ut ea diutius Neapolitanis orbique litterato inviderem. Rogo autem lectores, in quorum manus haec forte inciderint, ut ſi quando in bibliothecarum forulis haec eadem Acta, aut hiſce ſimilia, aut meliora, ſive Latine ſive Graece ſcripta repererint, de eo me commonefacere, atque exemplum tranſmittere ne graventur; ex quibus, ſi nihil aliud, ſaltem textus noſter inquinatiſſimus membranis auctoribus ſanari in locis difficilioribus, ac praeſertim in I. ſectionis lacunis ſuppleri queat. Nam in ceteris eluere maculas nullo labore licuiſſet; praeſertim quum horum Actorum pars magna in Actis, quibus *Baronianis* nomen fecimus, totidem fere verbis recitetur.

Verum interim iis manus ad quidvis ſupplendum, mutandum, aut quoquo modo corrigendum inferre nolui; ſed omnia non tantum cum eiſdem lacunis, verum etiam cum eiſdem ſoloecis, imo & cum eadem tum orthographia, tum etiam interpunctione, prout in codice praviſſime deſcripta erant, exhibui. Excepto quod textum in ſectiones diſpeſcui, additis ſectionum (comparate ſcil. ad citandum) numeris, ac ſubjectis adnotationibus quibuſdam, ex quibus tum alia plura, tum vero ea Graece primitus ſcripta videri, poſſit intelligi.

Sed antequam ad ipſam hiſtoriam venio, ratio mihi reddenda eſt, ecquid cauſae fuerit, cur haec Acta nuſquam in Neapolitanis bibliothecis (ſatis a Falconio excuſſis) aut alibi ſe prodiderint. Atqui promptiſſima eſt ratio. Poſtquam enim tragicis atque admirandis narrationibus ſtatui pretium, ac pleniores illae noſtrorum Commilitonum Paſſiones manare in vulgus cum voluptate coeperunt; nihil mirum ſi Acta primigenia, eademque jejuna, ſpernerentur, Itaque nihil propius fuit, quam ut amanuenſes, poſthabitis ſiccioribus hiſtoriis, in opimioribus tantum deſcribendis operam inſumerent. Atque eo poſtremo ventum eſt, ut in Neapolitanorum ac finitimorum pluteis nullum tandem exemplum Paſſionis primitus ſcriptae ſuperfuerit; ac vix tandem exeunte ſaeculo XIII. alicubi membrana aliqua fugientis ac magnam partem corruptae, uti videbimus, ſcripturae reperta fuerit, ex qua Bononienſis monachus ſuum exemplar, utcumque potuit, exſculpſerit.

Deinde & illud ante omnia profiteor, atque ex animo teſtatum volo, me nihil de vulgatis huc uſque Actis, eorumque prodigiis detractum velle. Qui eorum voluptate capiuntur, fruantur, per me licebit, opinione aut etiam (ſi ſic appellare libet) pietate ſua. At mihi interim nemo id vitio verterit, quod Acta pulcherrima & antiquitate breviloquentia ſimplicitate nec non gravitate ſe mirifice commendantia, caſtis atque ſobriis Chriſti Martyrum amatoribus haud diutius invidenda crediderim. Sed jam monumentum ipſum inſpiciamus.

VITA

Digitized by Google

VITA(1) SANCTI(2) JANNUARII

Quae reperitur ſcripta in Codice confecto ab Abate (3) *Landulpho de Anno milleſimo, biſcenteſimo, octuageſimo in Venerabili Monaſterio Sancti Stephani de Bononia.*

1. TEmporibus Diocletiani (4) Imperatoris, Conſulatu Conſtantini

(1) Primum inſcriptionis hujus verſum ex codice ita, ut heic exhibetur, deſcriptum eſſe, non dubito. At cetera ab eo qui exemplum miſit, conſarcinata fuiſſe ex titulo in fronte codicis inſcripto, neceſſe eſt.

(2) *Haec Acta translata olim de Graeco fuiſſe.*

IANNVARII nomen cum duplici N non tantum heic ſed & in tota hac hiſtoria ſcribitur: neque id ex errore amanuenſis, ſed quod revera in priore exemplari, ex quo haec anno 1280. deſcripta fuerunt, ſic exaratum erat. Id autem ex eo fit, quod Graecis hoc nomen cum duplici N perſcribitur. Vide ad 21. Aprilis Baſilii Menologium, Metricas Graecor. Ephemerides, alioſq. libros liturgicos; in quibus is Martyr *Ianuarius Januarius* paſſim vocatur. Eſt hoc autem unum ex indiciis, ex quibus liquet, haec Acta primitus Graece conſcripta fuiſſe, mox in Latinum translata. Id vero & alia plura Graecifmi veſtigia confirmant. Sect. 1. verſu 3. illud *Meſſnatae* cur ſic inflectatur, videtur ex Graeco primi ſcriptoris manaſſe. Adhaec ibid. verſu 10. *Sermo videlicet collectio Divinae legis, erat* &c. ubi COLLECTIO pro συναξις interpres poſuit. Sect. 3. verſ. 4. FAMA loco ακοης ſubſtituitur. V. 8. QVIA pro ὁτι. Sect. 5. v. 4. *Quid enim* (pro *Quidnam*) ex Gr. τι γαρ eadem notione. Sect. 6. v. 2. *Oppoſuit ſe* (pro *occurrit*) ex ἀντιπιπτω aut ἀντικειμαι. Sect. 8. v. 6. *Cum magna VIRTVTE* pro δυναμει &c. Quae omnia proprie quidem Graecis uſurpantur; at quae eis Latine verbo tenus reſpondent, minus belle dicuntur. Eodem refer & quae ſequuntur. Nam quod ſtatim initio ſcribitur, *Conſulatu Conſtantini Caeſ.* &c. (pro *Conſtantino & ... conſulibus*) id ex Graeca conſuetudine notandi conſules proficiſcitur, qua dicunt, επι υπατειας Κωνσταντινου &c. Deinde quod ſect. 3. v. 11. & 15. ω *Sine cauſa* uſurpatur, id eo fit, quod ibi Graece ſcriptum erat εικη; in Cyrilli autem Gloſſis, & in Bibliis eae locutiones ſibi mutuo reſpondent. Ad haec illud ſect. 7. v. 4. *Quum .. interrogaret, quid vellet eſſe?* eſt merus Helleniſmus, ut illud τι αν θελοις ειναι, quod Act. II. 12. legitur, ubi Vulg. *Quidnam vult hoc eſſe?* Item ſect. 8. v. 10. *Apparuit ſeni illi EVIDENTER*: hoc ideo, quia Graece erat εναργως, aut εμφανως, aut aliud ejuſdem proſapiae adverbium; quae ſunt apparitionum valde propria. Ad haec ſect. 3. v. 12. *Milites qui CVSTODIBANTVR* (tamquam ſi ſit deponens verbum) *carcerem*: quod eo ſic uſurpavit, quia Graece erat φυλαττομαι ſignificatu activo. Eodem refer & deponens MANIFESTATVR pro *Manifeſtat*, & ECCLESIA (εκκλησια) pro *multitudine* qualibet, quorum utrumq. forſan ex Graeco ortū, uſurpatur ad finem ſect. 1. De quibus vide infra in calce Adnot. 14. Ad ultimum (quid enim opus eſt conſectari ſingula?) eadem ſect. 3. v. 24. *Et ipſi ſe Chriſtiani* (pro *Chriſtianos*) *manifeſtant*? Id quod totum eſt ελληνισμον; nam qui haec primitus ſcripſit, ſic Graece poſuerat, και αυτοι χριστιανοι ὁντες καταδηλοι εισιν.

(3) Illuſtriſſimus Galianus pluries mihi teſtatus eſt, ſe in fronte codicis legiſſe, *Abatiante Landulpho* &c. cujus lo-

co

tini (5) Cæſaris quinquies, et Maximiani (6) ſepties, erat perſecutio (7) Chriſtianorum. In Eccleſia uero Meſinatæ (8) Ciuitatis, erat Diaconus nomine *Soſſius*, uir prudentiæ, ſanctitate firmiſſi-

co qui hoc exemplum ſubmiſit, ſubſtituit, credo, hoc quod heic legitur. Porro de verbis *Abbatiſare*, *Abbatizare*, & *Abbatiare* pro *Abbatem agere*, vide Cangium.

(4) Quo pacto *temporibus Diocletiani* haec contigerunt, quum hi commilitones menſe Septembri anni 305. occiſi pro Chriſto fuerint; Diocletianus autem Kal. Maii ejuſdem anni abdicarit imperium; & ex Euſebio conſtet non ultra initia ejuſdem anni perſecutionem in Italia perduraſſe? His omnibus reſpondeo, Januarium cum ſociis menſe Aprili martyrium conſecutum [ut ad Actorum finem oſtendetur] ante ſcil. Diocletiani abdicationem & perſecutionis finem.

(5) Anno 305. Conſtantius (non *Conſtantinus*) cum Galerio Maximiano conſul proceſſit. Verum ſollemne hoc eſt, quod in manu exaratis codicibus nomina primitiva cum ſuis ὑποκορισμοῖς (*diminutivis*) aut alterius generis derivativis permutantur, ut tum ſaepe alibi in ſuperiore commentario, tum ad 17. Januarii oſtenſum fuit. Quid quod in hoc ipſo conſulum collegio Caſſiodorus & Faſti Flor. minores *Conſtantium* pro Conſtantio exhibent?

Illud etiam heic notandum eſt, recte Conſtantium *Caeſarem*, non *Auguſtum* inſcribi; quia martyrium hoc, ut infra oſtendetur, menſe Aprili contigit, nec niſi poſt Kal. Maii ejuſdem anni Conſtantius & Gal. Maximianus *Auguſti* evaſerunt, abdicantibus ſcil. Diocletiano & Maximiano Herculeo. Merito Conſtantius heic adhuc *Caeſar* inſcribitur.

(6) Non *ſepties* (quo etiam modo in Actis Baronianis, & lectionibus S. Januarii legitur) aut (ut alicubi ſcribitur) *ſexies* Maximianus tunc conſul fuit, ſed *quinquies*. Et ita prorſus eſt emendandum. Tametſi ceteroqui ſcio, hunc Maximiani conſulatum auctori Chronici Alex. & Faſtis Flor. Minoribus itemque Majoribus numerari, ϛ' i.e. *ſextum*.

(7) Acta Baroniana, & inde proſeminatae Lectiones tum Neapolitanae, tum Beneventanae ab initio huc uſque, eiſdem verbis decurrunt: niſi quod uno verbo plus habent in hunc modum: *Erat perſecutio INGENS Chriſtianorum*. At a noſtris his primitus ſcriptis recte abeſt ϖ *Ingens*. Nam quia anno 305. menſe Aprili (quo menſe hos athletas depugnaſſe oſtendetur) jam ſub exitum perſecutio in Italia erat (quam magis etiam menſe Maio deferbuiſſe putant) hinc quidquid tum procellae deſaeviebat, lenius multo quam ante erat, nec *ingens* ullo pacto dici poterat. Quod dixi, per ea tempora finem in Italia perſecutioni factum, id ex Euſebio docetur, cujus biennalis perſecutio Italica a Februario anni 303. exorſa, ferme Aprili an. 305. terminatur. At recentiores ſcriptores *mirum* quantum haec exaggerant. Illud autem quis ferret, quod monumenti Falconiani, quod incipit *Ad gloriam*, auctor (apud Falconium pag. CXXXVI) ſcripſit, circa tempora hujus martyrii *infra unius menſis ſpatium XVII. millia hominum* martyrium ſubiiſſe; niſi adderet, *per diverſas Provincias*? Vel ſic tamen nimius eſt.

(8) *Miſenatis* dicendum fuiſſet. Verum quia in Graeco hujus hiſtoriae forſan ſcriptum fuit τῆς Μισηνάων πόλεως; hinc illud *Miſenatae*, ac deinde *Meſenatae*, *Meſſinatae*, *Meſinatae* [varie enim priores duae ſcribuntur ſyllabae] tū heic & infra, tū in laudatis Bedae & aliorū Mrologiis, in Actis Baron. in Lectionib., & Jo: Diac. ſcriptum legitur. Sed verius eſt [quia finita in *As*, ης Graece cadunt in ανος] ex *Miſenas* veniſſe Μισηνάνος, ex quo noſtros feciſſe *Miſenatus*: nam & in antiquiſſ. Officio [apud Falcon. p. CXLVI.] Lect. VI. legitur: *Miſenati* (recto caſu) *tulerunt*.

Digitized by Google

missimus, annorum circiter triginta; sicut ipse cuidam (9) Episcopo, qui Dei gratia aduenerat in extasis reuelare dignatus est. Ipso Episcopo asserente, quod Venerabilis *Sossius*, propter metum paganorum non facile in pubblicis (10) locis (11) hic notitiam habuit beatissimorum officio ueniebant in Ecclesia Ciuitatis Episcopus diuersis Ciuibus se occulte inuicem (12) uisitabant. Sermo uidelicet, collectio Diuinæ legis erat in edificatione hominis, quos Episcopo credere uidebant; Et quia in ipis locis, ideſt cum ipis frequens erat paganorum, nobilium uirorum magnam (13) uatem, et tu-

sta-

(9) Ecquisnam hic episcopus fuerit, in Jo: Diaconi Actis martyrii haud multo ante medium proditur in hunc modum. *Erat nempe tunc beatiſſ. Sossius annorum circiter triginta; sicut ipse cuidam reuelaverat episcopo, nomine THEODOSIO, quem propter vitae meritum valde dilexerat. Advenerat autem iste de Graecia, & propter religionem multa cum eo sodalitate fuerat conjunctus; quique etiam & de eodem fatebatur Diacono, quod vere Domini nostri Jesu Christi discipulus & imitator esse studebat.*

(10) Huc spectat quod idem Jo: diaconus prope ab initio de Sosio scripsit. *Quum nocte dieq. quamvis PALAM OB INSIDIAS PERSECVTORVM NON AVDERET CONVERSARI; tamen ad nil aliud erat intentus, nisi ut incredulos invitaret ad fidem, & fideles ad imminentes corroboraret agones.* Sed & quae ibid. sequuntur, ea mutilo invisentium se, ac de Divinis rebus colloquentium Sanctorum loco, qui sequitur, lucem foenerantur. *In tantum coepit* (Sosius) *ab hominibus fore dilectus, ut Januarius Beneventanae sedis egregius antistes, licet majoris esset dignitatis; magni tamen Dei usque ad mortem se humiliantis imitator effectus, sedulus ad illum visitandi gratia properaret; & doctrinae pabulum mutua sibi subministrantes affluentia, non solum animos suos ad caelestia sublevarent, sed & Dominicum gregem per sacra colloquia informarent.* Qui locus, uti dixi, mutilo, qui sequitur, hujus sectionis loco lucem affundit.

(11) Hinc jam usque ad finem sectionis hujus plura ex intervallo desunt, quae sine alterius scripti subsidio haud quis facile suppleverit. Res sic se habet. Amanuensi, qui haec Acta anno 1280. descripsit, exemplar fugientis & evanidae scripturae fuisse propositum, res ipsa clamat. Hinc est, quod in locis lectu difficilibus descriptor noster casus ad suam libidinem variavit, totque pene soloeca admisit, quot verba descripsit. At hoc ferendum. Illud autem quis ferat, quod quum hinc usque ad finem sectionis plura verba aut commata vetustate deleta in exemplari reperisset; ita desperatae lectionis verba praeterivit, ut signa nulla lacunarum in suo apographo notans, omnia continua serie perscripserit, quasi si nihil deesset? Nisi si vero id peccatum prioris descriptoris fuit ob similem causam admissum. Vtut est, hinc usque ad finem sectionis plures hiatus sunt, quibus oratio ita interrumpitur, ut vix possis commode textum constituere.

(12) Haec, & quae mox sequuntur de *sermone & collectione Divinae legis*, ex Jo: Diaconi loco, quem adscripsimus in Adnot. 10. lucem hauriunt.

(13) Huc refer quae Jo: Diaconus prope ab initio scripta reliquit, ab his Actis certe desumpta. *In oppido Misenatium potissima incubuerat persecutio, quia illic celebris PAGANORVM frequentabatur occursus propter VATIS Sibyllae sepulcrum haud inde longe discretum.* Eodem facit & Raynerii (qui Jo: Diacono antiquior fuisse dicitur) in Translatione SS.

Euty-

Digitized by Google

ſtamulus (14) uſque in hodiernum diem illam Eccleſiæ manifeſtatur. Idcirco Sancti, ut diximus, difficile in pubblico (15) uidebantur.

2. Beato (16) itaq. *Januario* in Meſſinatæ Ciuitate poſito, factum eſt, ut beatus *Soſſius* Diaconus in Eccleſia ſua Sancta Dei Euangelia legeret, et ſubito de Capite ejus flama exurexit, quam nemo alius uidit, niſi beatus *Januarius* Epiſcopus; Qui ita eum martyrem futurum ex hoc ſignum quod uiderat prenuntiauit; Et congaudens, oſculatus Caput ejus, et gratias agens Domino, caput, quod pro Domino Jeſu Chriſto paſſurum eſt.

3. Poſt non multos dies factum eſt, ut ad Dracontium (17) Judicem

Eutychetis & Acutii locus apud Falconium pag. CLXXXII. *Penes igitur* (inquit) *Cumanae civitatis moenia, ubi VATIS Sibyllae promulgata quondam fuerant oracula, ac Daedalea tecta mirabili opere conſtructa, in aditu ſinus Bajarum maris, contigua urbs Puteolana eſt poſita. Quae praeclaris aedibus in Campaniae finibus antiquitus enitens, ſicut adhuc in ruderibus aedificiorum veterum cernitur, vigentibus PAGANORVM ritibus tanto FREQVENTABATVR acceſſu innumero, quanto illic delectabilium thermarum populus pene ubique diſperſus placebat lavacro.* Ex his porro locis (quae ceteroqui ex Actis hiſce ſinceris, quamvis hac parte laceris, ſibi praeſidium adſciſcunt) poteſt intelligi, quarto ineunte ſaeculo adhuc Cumanae Sibyllae religionem viguiſſe; etſi eadem edere oracula deſierit, ut liquido ex Raynerii [*Quondam fuerant*] elicitur. *Daedalea tecta* Raynerii adhuc curioſis monſtrantur (quae vulgo incolae vocant *Le cento camerelle*) recte, an ſecus, non interpretor.

(14) De portentoſo iſto TVSTAMVLVS decernere aliquid difficillimum fuiſſet, niſi Jo: Diaconus facem praetuliſſet. Vide locum in Adnot. 13. ubi paganorum frequentiam in eis locis fuiſſe dicit propter *VATIS Sibyllae SEPVLCRVM*. Quocirca non eſt mihi dubium, quin in priore exemplari ſcriptum fuerit, *cujus tumulus*: quae duae voces quia ob fugientem ſcripturam difficillimae lectu evaſerant; hinc amanuenſis extudit prodigioſum illud *et tuſtamulus*. Hac vero lectione reſtituta, locus hic pulchre fluit: *Magnam Vatem, cujus tumulus* [pro *et tuſtamulus*] *uſque in hodiernum diem* &c. Nihil verius. At quod ſtatim ſequitur, incertus ſum, utrum addito *Apud* legendum ſit, *Vſque in hod. diem* (apud) *illam Eccleſiam* (pro *Eccleſiae*, quod nunc prave legitur) *manifeſtatur*; an vero *ut Manifeſtatur* verbum deponens ſit pro *Manifeſtat*, ac proinde ſine ulla additione, ac mutatione ſententia ſic procedat: *Cujus* (vatis) *tumulus uſque in hod. diem illam* (vatem) *Eccleſiae* (i. e. *multitudini*; id quod ἐκκλησία profanis ſignificat) *manifeſtatur* i.e. *manifeſtat*. In Graeco forſan erat ἀναφαίνεται, aut tale aliquid, voce paſſiva, ſed activa notione. Sic infra *Cuſtodiebantur* (pro *Cuſtodiebant*) ex Gr. ἐφυλάττοντο: de quo vide in Adnot. 2.

(15) Confer Jo: diaconi, & Raynerii loca in Adnot. 10. & 13.

(16) Tota haec ſectio eiſdem verbis a Beda & ſecutis eum Martyrologis contrahitur. Eadem etiam narratio apud Jo: Diaconum legitur.

(17) Hoc prae ceteris intereſt inter haec Acta (quibus Beda ceteriique Martyrologi ſuffragantur) & alia recentiora omnia, quae ſimul collecta Falconius edidit. In his poſterioribus duo ſunt judices: ab initio *Dracontius* [de quo nomina-

Digitized by Google

dicem Campaniæ eorum fama nunciaretur. Hoc audito, Draconius Judex jussit, eos, secundum Imperiali præcepto, inquiri, et ad se adduci. Inquirentes uero inuenerunt beatum *Sossium* Diaconum, et duxerunt ad Judicem. Dracontius enim Judex iussit eum Ergastulo mancipari, quoadusque fieret eius interrogatio; Retruso itaque beato *Sossio* in ardua custodia carceris, a militibus custodiebatur; Quod dum beatus *Januarius* repperisset, quia beatus *Sossius* Diaconus carceri fuerat mancipatus, statim ad carcerem cum Diacono suo *Feste*, et Lectore suo *Desiderio*, ut eum consolaretur (18) perexit. Et ingressus

minatim Raynerius & Jo: Diaconus mentionem faciunt: nam ceteri eum non nominant, sed tacite designant] cui Sosius, Proculus, Eutyches & Acutius sistuntur: mox ei *Timotheus* successor datus, judicium redintegrans, etiam Januarium cum Festo ac Desiderio tenuit, ac per cruciatus, alios ex aliis, atrocissimos frustra vexavit; ac demum omnes securi percussit. At in his antiquioribus ac sincerioribus Actis, ac Beda, Dracontius unus martyres hos omnes interrogat, ac statim capitis abscissione occidit. Cetera discrimina aliquot in decursu observabimus.

At equidem aegre adducar, ut credam Romano magistratui Graecum *Timothei* nomen fuisse. Nec ullus usquam, quod equidem sciam, in martyrum gestis *Timotheus* provinciae rector occurrit. At *Dracontius* Campaniae praeses [idē forsan atque hic noster] in S. Marcelli Mart. [qui tamen falso sub Juliano ponitur] *Actis* apud Mich. Monachum in Sanctuar. Capuano pag. 137. legitur. Nec te turbet, quod ibi is *Dragontius* cum G scribitur: nam sicuti *Cajus* & *Gajus*, & alia sexcenta, sic *Dracontius* & *Dragontius* scriptum reperitur. Apud Grut. p. 712. 5. in Salernitano marmore quidam VAL. DRAGONTIANVS occurrit: & hic idem *nostrorum* athletarum judex in Rayneri Translatione SS. Eutychetis & Acutii item *Dragontius* cum G scribitur.

Et quidem in Cod. Theodosiano unus itemque alter *Dracontius* occurrunt. Ad *Dracontium Vicarium Africae* inscribuntur leges 10. 11. 13. 16. 33. *de Appellat.* Verum hic alius a nostro est, quippe quum sub Valentiniano seniore viguerit; ac legum earum tempora in ann. 364. usque ad 367. conveniant. Sed tamen ex nostri Dracontii familia prodire potuit.

Est in eod. Th. Cod. *Dracontius* alter sub Constantino M; quem sive nostrum esse puto, sive nostri filium aut proxime conjunctum. Is *Dometius* [pro *Domitius* Graeco more: ficuti & *Dracontius*, pro *Draconius*, ex Graeca orthographia fluxit: interim autem in his Actis modo *Dracontius* cum N, modo sine liquida *Draconius* scribitur] *Dometius*, inquam, *Dracontius* appellabatur. Exstat in eo Cod. lex 4. *de Jure Fisci* inscripta *Ad Dometium Dracontium Magistrum privatae rei Africae* anno 320: itemque ad eumdem inscribitur l. 1. eod. Cod. *de Conlat. fundor. patr.* an. 321. Vtcumque est, hic certe, inquam, sive idem est, qui antea Consularis Campaniae in Januarium cum soc. animadverterat, sive eidem proxime conjunctus.

Ceterum noster hic Dracontius generali vocabulo in hisce Actis *Judex* ubique vocatur: quamvis Campaniae rectoribus ab Hadriano institutis peculiare *Consularium* nomen ab eodem inditum fuerit, Spartiano teste in Hadriano. At sequentibus temporibus iidem rectores in lapidibus etiam interdum *Proconsules*, nec raro *Correctores* nuncupantur: de quibus alibi opportunius differemus.

(18) Raynerius in de SS. Eutych. & Acu-

greſſus ubi tenebatur in uinculis dicebat. *Quare ſine cauſa tenetur homo Dei in carcere?* Statim milites qui cuſtodibantur carcerem nunciauerunt Judici dicentes. Ecce homines illi, de quibus magnitudo ueſtra iuſſerat, ut inquirentes, teneremus eos; Ad carcerem uenientes dicunt. Quare ſine cauſa tenetur homo Dei in carcere? Mox ut hoc audiuit Judex, iuſſit eos teneri, et ad ſe adduci. Qui dum inuenti fuiſſent, ad Judicem uenire non dubitauerunt; Et dum preſentati fuiſſent Judici, Dracontius Judex ſedens pro tribunali, his uerbis interrogauit beatum *Jannuarium* Epiſcopum, dicens ei. Cujus religionis homo es? Sanctus *Jannuarius* reſpondit; *Chriſtianus ſum, et Epiſcopus*. Judex dixit ei. Cuius Ciuitatis? Sanctus *Jannuarius* ℟. *Beneventanae Eccleſiae*. Judex dixit. Et hi quid tui ſunt? Sanctus *Jannuarius* ℟. *Vnus Diaconus meus, et alter Lector*. Judex dixit. Et ipſi ſe Chriſtiani (19) manifeſtant? Sanctus *Jannuarius* reſpondit. *Etiam: nam, ſi eos interroges, ſpero in Domino meo Jeſu Chriſto, quod nec ipſi ſe Chriſtianos eſſe negant*. Qui interrogati a Judice dixerunt, *Chriſtiani ſumus, et parati ſumus mori propter Dei amorem*. Tunc Judex ira repletus, beato *Jannuario* Epiſcopo dixit. Accedite, et offerte diis libamina, ſecundum decretum Imperatoris, et abſedite in Leſi (20). Sanctus *Jannuarius* Res:. *Nos cotidie Omnipotenti Domino noſtro Jeſu Chriſto ſacrificium laudis offerimus, non diis ueſtris uanis*. Hoc (21) audito Judex, iuſſit eos in carcerem recipi, et alia die arena parari, et una cum Sancto *Soſſio* ad Vrſos tradantur.

4. Alia uero die, ſecundum iuſſum Judicis paratur arena in Ciuitate Putteolana, adducuntur Sancti ad amphiteatrum. Spectatur (22) Judex

Acutio non ab Januario, Feſto, & Deſiderio viſitatum fuiſſe Soſium in carcere narrat, ſed ab Eutychete & Acutio; quibus duobus Jo: Diaconus tertium adjungit comitem Proculum diaconum. Quos & ſimul cum Soſio incluſos in carcere fuiſſe volunt tum hi, tum Acta Baroniana. At revera hi tres [Proculus, Eutyches, & Acutius] tum demum tenti ac damnati ſunt, quum Januarium cum Sociis ad ſupplicium duci videntes, de eo conqueſti fuerunt, ut ſect. 6. narratur.

(19) De hoc Helleniſmo [*Chriſtiani* pro *Chriſtianos*] vide dicta in Adnot. 2.

(20) Id eſt *illaeſi*.

(21) Tota praecedens interrogatio a Dracontio ſive Puteolis, ſive in alio vicino loco facta omnino videtur. At in Actis Baronianis Nolae inſtituta inducitur a Timotheo; poſt quam Martyres ante rhedam praeſidis Puteolos pertrahuntur, ad urſos tradendi. Vide lectionem IX. in Officio diei S. Januarii edito an. 1525. Vide & Jo: Diaconum ceteroſque. At Baſilii Menologium de loco cum noſtris ſincerioribus facit; nam in eo Menologio Puteolis omnia ab initio ad finem tranſiguntur, de Nola ne verbum quidem. Vide infra in Appendice.

(22) *Spectare* pro *Exſpectare* verbum eſt aevi medii, de quo vide Cangium.

Digitized by Google

Judex ad (23) expectaculum. Sed ut Judex moras inecteret, causa pubblica faciente, et ad amphiteatrum tardius properare; ueniens Arenarius dixit Judici. Jam tardius est Domine, audire (24) eos, modo non potes. Tunc Dracontius Judex iussit Sanctos de amphiteatrum tolli, et ad se adduci. Quibus (25) sedens pro tribunali dictauit (26) sententiam, dicens, *Januarium Episcopum, et Sossium, et Festum Diaconis, et Desiderium Lectorem, qui se Christiani professi sunt, et decreta nostra contempserunt, capite caedi iubemus.*

5. Qui dum ducerentur ad decollandum, quidam de Plebe circumadstantibus, adest (27) *Proconsulus* Putteolanæ Ciuitatis Ecclesiæ Diaconus, et duo laici, *Eutichis*, et *Acutius*, hi tres dixerunt. *Quid enim mali homines isti fecerunt, ut eos Judex iuberet occidi?* Statim eorum uerba ad Judicem perlata sunt. Quod cum Judex audisset, statim cum summa festinatione iussit eos teneri, et cum Sanctis martyribus decollari.

6. Qui (28) cum omnes pariter ad martyrium ducerentur, quidam

(23) Quae in praecedenti vocabulo demitur syllaba, ea heic additur. Porro *Exspectare* pro *Spectare* usurpat non semel Innocentius inter Gromaticos scriptores editus a Rigaltio, qui sub Constantio vixit. Sicut & *Virgo exspectabilis* pro *spectabilis* Prudentio dicitur in II. contra Symm. Et Symmachus ipse II. 79. *Exspectatum* pro *Spectato* dixit, teste Jureto.

(24) Jussa est quidem arena parari; cum eo tamen ut antequam ursis traderentur, iterum interrogarentur, num in sententia persisterent, atque ita demum pronuntiata sententia, bestiis exponerentur. Verum quum judex serius justo venisset, itaut deesset tempus spectaculo; idcirco arenarius dixit, *Audire eos modo non potes*, ac simul [quod heic ex circumstantiis supplendum est] quam in eos sententiam animo conceperas, ut ursis traderentur, eam exsequi hoc ipso die non potes.

(25) Haec sententia eisdem verbis concipitur in Actis Baronianis, in Lectionibus, & Jo: Diacono: nisi quod ii, ut causae suae servirent, VII viros omnes eadem sententia involvunt in hunc modum: *Januarium episcopum, Sossium, Proculum, & Festum Diaconos, & Desiderium lectorem, & Euticetem & Acutium cives Puteolanae civitatis, qui se Christianos esse professi sunt, & diis libamina, vel imperatorum praecepta contempserunt, capite caedi jubemus.* Atqui Proculus, Eutyches, & Acutius non nisi post hanc sententiam latam [uti ex nostris Actis constat] comprehensi simulque damnati sunt.

(26) Non nisi auditis prius [ac fort. postridie ejus diei, quam ob sero advenientem praesidem Arena frustra parata eis fuit] dictavit sententiam.

(27) Is est *Proculus* Diaconus Puteolanus. Ex his autem discis, Proculum cum Eutychete & Acutio non ab initio comprehensos fuisse [quod in aliis Actis narratur] sed tum demum, quum ceteri quatuor ad ultimum supplicium ducerentur. In quo Actis nostris Beda & ceteri Martyrologi suffragantur.

(28) Quae hinc jam usque ad finem sequuntur, in omnibus Actis, ac ferme totidem verbis, narrantur: quae per singulas sectiones ex eisdem recentioribus

Digitized by Google

ſenis pauperrimus, ſperans ſe beneficia Sanctorum iuuari; Oppoſuit ſe beato *Jannuario* peruolutus pedibus eius, rogans eum, ut aliquid de ueſtimentis eius mereretur accipere. Beatus uero *Jannuarius* dixit ſeni illi, *poſt depoſito meo corpore, Orarium meum de quo mihi oculos ligavero, ſcias tè me ipſum daturum eſſe.*

7. Mater (29) quoque Sancti *Jannuarj* in Ciuitate Beneuentana poſita uidit in ſomnis ante triduo quod *Jannuarius* Epiſcopus in aerá ad Cælum volabat; Et cum de ſomno ſuo excitaretur, et interrogaret quid ueliet eſſe, ſubito nuntiatum eſt ei a quodam, quod filius *Jannuarius* Epiſcopus pro Dei amore in vinculis teneretur; At illa perterrita, proſternens ſe in Oratione reddidit ſpiritum.

8. Interea (30) Sancti dum peruenìſſent ad locum ubi decollandi erant, ideſt a ſulphurataria, Sanctus *Jannuarius* flectens genua ad orationem ſuam dicebat, *Domine Deus omnipotens in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Et erigens ſe, accepto orario ſuo, oculos

monumentis heic adſcribere non pigebit: ex quibus non male textus noſtrorum Actorum pluribus locis emaculetur. Haec ergo ſectio in Actis Baronianis ſic ſe habet. „ Qui quum omnes ad martyrium ducerentur, quidam ſenex pauperrimus ſperans ſe aliquid beneficii recepturum, oppoſuit ſe B. Januario provolutus pedibus ejus; rogans eum, ut aliquid de veſtimentis ejus mereretur accipere. Beatus vero Januarius dixit ei: Poſt decollationem meam orarium meum, de quo mihi oculos ligavero, ſcias me tibi eſſe daturum. „ Nec aliter in Lectionibus.

(29) In Actis Baronianis. „ Mater quoque Sancti Januarii in civitate Beneventana poſita ante triduum quam filius ejus pateretur tale ſomnium vidit: quod Januarius epiſcopus in aerem ad caelum volabat: & quum de ſomno ſuo haeſitaret, & interrogaret, quid velit eſſe; ſubito nunciaverunt ei, quod filius ejus Januarius pro Dei amore in vinculis teneretur. At illa perterrita, proſternens ſe Domino in orationem ſanctum reddidit ſpiritum. „ Vide & Lectiones.

(30) In Actis Baronianis. „ Interea ſancti dum pervenirent ad locum, ubi decollandi erant, ideſt ad Sulphotariam, ſanctus Januarius flectens genua ſua ad orationem dicebat, Domine Deus omnipotens in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et erigens ſe accepto orario ſuos oculos ſibi ligavit; & flectens genua ſua manum cervici oppoſuit, & ſpiculatorem ut feriret rogavit. Spiculator autem cum magna virtute percutiens, digitum manus ſancti martyris Januarii ſimul cum capite abſcidit. Similiter & omnes ſancti martyrium ſuſceperunt ſempiternum. Sanctus autem Januarius poſt decollationem ſuam apparuit ſeni illi evidenter; & dedit ei orarium, unde ſibi oculos ligaverat, ſicut promiſerat deprecanti; cuique dixit: Ecce quod tibi promittebam. Ille accepto orario cum ſummo honore abſcondit in ſinum ſuum. Spiculator autem & alii duo de officio videntes ſenem irridebant, dicentes ei: Accepiſti quod tibi promiſerat ille qui decollatus eſt? At ille dixit eis: Etiam. Et oſtenſo eis orario, recognoverunt eum & admirati ſunt. „ Deinde ſequitur Timothei praeſidis infeliciſſimus exitus: h.e. purpurae Actorum noſtrorum aſſutus pannus.

Digitized by Google

oculos sibi ligauit, flectens genua manu sua ceruici oppositit, et (31) speculatorem ut feriret rogauit; Spiculator autem cum magna uirtute percutiens, digitum manus sancti martyris *Jannuarii* simul cum caput abscidit; similiter et omnes sancti decollati sunt martyrium exceperunt sempiternum. Sanctus autem *Jannuarius* post decollationem suam apparuit seni illi euidenter, et dedit illi Orarium unde sibi oculos ligauerat, sicut promiserat deprecanti; Cuique dixit. *Ecce quod tibi reddi debeam, tolle sicut promisi tibi*. Ille accepto Orario, cum summo honore abscondit in sinum suum. Spiculator autem, et alii de officio uidentes senem irridebant ei dicentes, accepisti quod tibi promiserat ille qui decollatus est? At ille dixit eis. *Etiam*, et ostendit eis orarium. Recognouerunt eum, admirati sunt.

9. Christiani (32) autem diuersarum urbium custodiebant corpora Sanctorum, ut ea noctu raptim tollerent, et in Ciuitatibus suis sepelienda portarent; Et ceperunt occulte solliciti obseruare; Et facta nocte uniuersis dormientibus, silentiora (33) noctis, apparuit Sanctus *Jannuarius* uni ex illis qui parati erant corpus ejus tollere, et dicit ei. *Frater, cum corpus meum tolleris, et digito manus meae in illo loco exiliisse cognosce, requirite eum, et pariter cum corpus meum ponite*. Et ita factum est, ut Sanctus ipse admonuit. Corpora autem Sanctorum iacuerunt ad sulphuratoria, ubi postea dignam

(31) Hujusmodi ὕστερα πρότερα in scriptis simplicioribus haud raro reperiuntur. Nam certe prius speculatorem [sive rectius *Speculatorem*: quod in Graeco Evangelii & passim in Latinis lapidibus reperitur] ad feriendum hortatus, ita demum [gestu utique naturali abreptus: nec enim martyres hominem prorsus exuerant] manum cervici oppositit. Aut certe simul utrumque fecit. Vel sic tamen istud illo, tamquam effectus effectrice causa, posterius intelligitur.

(32) In Actis Baronianis. „ Christiani vero diversarum urbium custodiebant corpora sanctorum, ut ea noctu raptim tollerent, & in civitatibus suis sepelienda portarent: & coeperunt occulte sollicite observare, & facta nocte universis dormientibus, silentii hora noctis apparuit sanctus Januarius uni eorum, qui parati erant corpus ejus tollere, & dicit ei: Frater cum corpus meum tuleritis; & digitum manus meae illo in loco exiliisse cognoscite; requirite eum, & pariter cum corpore meo ponite. Et ita factum est, ut Sanctus ipse admonuit. Corpora autem sanctorum jacuerunt ad Sulphotaream, ubi postea dignam beati martyris Januarii Basilicam condiderunt. Noctu vero quum unaquaeque plebs sollicite suos sibi patronos rapere festinarent; Neapolitani beatum Januarium sibi patronum tollentes a Domino meruerunt.

(33) In Actis Baronianis, *Silentii hora noctis*. In Lectionibus an. 1525. editis, post *Observare*, sic sequitur: *Et facto silentio hora noctis universis dormientibus, apparuit* &c.

Digitized by Google

gnam beati martyris *Jannuarij* Basilicam (34) condiderunt. Noctu uero cum una queque plebe sollicite suos sibi Patronos rapere festinarent. Neapolitani beatum *Jannuarium* sibi Patronum tollentes a Domino (35) meruerunt.

10. Postea (36) uero quieto iam tempore uenerabilis (37) Episcopus, una cum plebe Dei sancta cum hymnis, et laudibus tollentes iuxta Neapolim transtulerunt, et posuerunt in Basilica, ubi (38) nunc requiescit. Qui præstante Domino nostro Jesu Christo meritorum

(34) Neapolitani scil., quibus non fine Divino monitu S. Januarii corpus obtigerat. Et quidem in loco, cui *Marciano* nomen, Basilicam primo a nostris conditam, colliges infra ex Adnot. 36. Illud *Postea*, quod heic praecedit, notat, S. Januarii Reliquias principio ibi absconditas jacuisse; mox, statim atque persecutio deferbuit, supra veneranda Lipsana Martyrium sive oratorium [uti moris erat] fuisse constructum.

(35) Istud *A Domino meruerunt* satis indicat, non casu aut temere, sed Divino admonitu Neapolitanos sibi Januarium vindicasse. Id quod in Actis Jo: Diaconi distertim narratur his verbis: *Neapolitani beatum Januarium REVELATIONE COMMODI sustulerunt*. Quum autem de isto *Commodo*, cui revelatio facta fuit, nihil in editis monumentis extet; hinc licebit intelligere, sive Jo: diacono ad manus fuisse scripta alia [praeter enumerata a me initio in Adnot. IV.] quibus nunc caremus; sive hoc ex populari fama didicisse.

Atque hunc quidem *Commodum* nostri homines non alium fuisse interpretantur, quam quem de digito simul cum ceteris Reliquiis inhumando S. Martyr admonuerat.

(36) In Actis Baronianis post verba quae in Adnot. 32. dedimus, sic legitur: *Quem primo quidem in loco, qui appellatur Marcianum, absconderunt*. Absconderunt primo; sed *Postea* (uti in nostris sinceris legitur) ibi *dignam B. Mart. Januarii basilicam condiderunt*. Et recitatum quidem locum Baroniana praeter nostrorum Actorum fidem interponunt: mox cum nostris sic pergunt. „, Postea vero quieto jam tempore ve-, nerabiles episcopi una cum omnibus , ex genere beatiss. Mart. Januarii, cum , plebe Dei sancta, cum hymnis & lau-, dibus corpus ejus tollentes, juxta Nea-, polim transtulerunt, & posuerunt in-, Basilica, ubi nunc requiescit. Qui prae-, stante Domino nostro Jesu Christo, me-, ritorum suorum beneficia praestare non , definit usque in hodiernum diem: cu-, jus dies Natalis celebratur tertiodeci-, mo Kal. Octobris.

[37] Episcopus, cujus heic mentio fit, non fuit S. Severus, qui exeunte IV. saeculo sedebat [nam etsi in Severi vita ei haec Translatio tribuatur; at Jo. diaconus multo ea vita antiquior id de Severo tacet] sed S. Joannes I. qui ann. 432. obiit; cui diserte id tribuit Jo: diaconus in ejus elogio hisce verbis: *In eo oratorio, ubi manu sua dicitur condidisse beatiss. Mart. Januarium a Marciano sublatum, & ipse parte dextra humatus quievit*.

[38] Istud NVNC, & quod mox sequitur, *Vsque in hodiernum diem*, aperte ostendit, saltem hanc sectionem V. saeculo antiquiorem esse non posse. Ac mihi quidem persuadeo, Acta haec Graece haud diu post martyrium scripta fuisse, a quibus aberat haec ultima sectio: deinde aliquem exstitisse [V. aut VI. saeculo] qui tum ea Acta in gratiam Neapolitanorum [majorem partem tunc Latinorum] Latine transtulit, tum etiam ultimam sectionem adjecit.

Digitized by Google

rum ſuorum beneficia innumerabiles preſtare non deſinet uſque in hodiernum diem. Cujus dies natalis celebratur tertio decimo (39) Kal. Octobris. (40)

[39] *Diem Paſſionis SS. Januarii & ſocior. non in menſem Septembrem, ſed Aprilem incidiſſe: proinde diei 19. Sept. feſtum alio pertinere.*

Jam tum V. ſaeculo [quo Kalendarium Carthaginenſe confectum fuit] die 19. Sept. feſtum S. Januarii peragebatur. At ſcire libet, utrum re vera is dies Paſſionis fuerit, an Translationis alicujus, aut Dedicationis Baſilicae.

Jam primum omnium vox *Natalis* quodlibet feſtum anniverſarium apud ſcriptores notat, ut alibi copioſe oſtendemus. In noſtris vero Faſtis marmoreis, ubi dies θανάσιμος [*emortualis*] eſt, tunc *PASsionis* aut *DEPoſitionis* nota praeponitur; ubi vero alia ex cauſa eo die feſtum agitur, *NATalis*; uti millies demonſtravimus. Ex quo id etiam intelligimus, apud noſtros Neapolitanos hoc moris obtinuiſſe, ut quod feſtum die non ſuo ageretur, id *Natale* vocaretur. Idque mihi videtur ſecutus, qui hanc appendicem Actis adtexuit: *Cujus dies Natalis celebratur XIII. Kal. Octob.*

Nec aliter in his Faſtis marmoreis die XIX. Septemb. ea feſtivitas ſignatur, ubi ſic ſcribitur: XVIIII. NT. S. IANVARII. Qui dies ſi ſuus fuiſſet, ſine dubio ſcriptum eſſet, *PAS. S. Januarii.*

Deinde in Menaeis & alibi die XXI. Aprilis fit de S. Januario & ſoc: etſi in Synaxario Claromontano fit pridie ejus diei. Sed & Metricas ephemerides Bollandianas ad manus habeo: in quibus die 21. Aprilis hic verſus editus reperitur:

Τῶν Ἰαννουαρίου κάρηνα πέμων εἰκάδι πρώτῃ.

Sed idem hexameter ex Anthologio eſt corrigendus, in quo ſic reperio ad eumdem diem 21. Aprilis:

Ianuarii capita bis decimo ac primo Januarion obtruncarunt.

Ibidem ad eumdem diem alii quidam ſenarioli praefiguntur, quibus Januarius cū ſociis non alio quam die XXI. Aprilis capitis abſciſſione martyrium compleviſſe ſignificatur.

Poſtremo nec alias quam menſe Aprili anni 305. pati hi Sancti potuerunt ob has maxime cauſas. Nam ſi horum martyrium in menſem Septembrem anni 305. incidiſſet; I. falſo haec Acta ceteroqui ſinceritatem ſpirantia, hoc uterentur exordio, *Temporibus Diocletiani Imp.* quia Kal. Maii ejuſdem anni Diocletianus jam abdicaverat: II. falſo ſic pergerent, *Conſulatu Conſtantii Caeſaris quinquies*; nam poſt Kalendas Maias Conſtantius aeque ac Gal. Maximianus *Auguſti* non *Caeſares* inſcribebantur: III. poſtremo falſo mox eadem Acta hunc in modum conquererentur, *Erat perſecutio Chriſtianorum*; quia poſt eaſdem Kal. Maias anni 305. perſecutio in Italia deſiit; ut in Adnot. 7. innuimus; quod ex Euſebio colligitur in de Mart. Palaeſtinae cap. 13.

Accedit ad ultimum quod jam inde a V. ſaeculo [ut ex Kalendario Carthaginenſi conſtat] SS. Januarii, ac Soſii feſta colebantur, ſed illius die XIX. hujus autem die XXIII. Septembris. Quare cum eo die Soſii feſtum non Paſſionis, ſed Translationis fuerit; idem erit & de Januario ſentiendum. Quod dixi Translationis S. Soſii feſtum in diem 23. Septembr. incidiſſe, id ex noſtris omnibus monumentis conſtat. In Baronianis: *Sanctum vero Soſium Diac. cives ejus Miſenates tulerunt, & poſuerunt in baſilica, ubi nunc requieſcit, die nono Kal. Octobr.* In Lectionibus editis Neapoli an. 1525. eadem verba leguntur: at in Lectionibus antiquioribus Kalendarii Neapolitani apud Falconium pag. CXLVI: *S. Soſſium cives ſui Miſenati die nono Kal. Octobr... tulerunt.* In monumento Falconiano [*Ad gloriam*] ſic legitur: *Sanctum praeterea Soſſium*

Digitized by Google

Soſſium Levitam cives ſui Miſenates in Eccleſia, ubi nunc requieſcit, locaverunt die nono Kal. Octob. Jo: Diaconus: *Beatiſſ. denique Soſium Levitam ſui Miſenates tollentes, in mirifica collocaverunt Eccleſia die nono Kal. Octob.* Quare etiam S. Januarii feſtum, quod nunc XIII. Kal. Octob. agitur, pertinet ad ejus Translationem in locum, cui *Marciano* nomen; aut, ſi mavis, ad eum diem, quo dedicatum fuit Martyrium, quod ibidem ejus ſepulcro ſuperſtruxerunt. Ceterum Translationis S. Januarii feſtum, quod in Marmoreis Faſtis die XIII. Aprilis ſignatur, id ad eam Translationem ſpectare mihi videtur, qua ſacratiſſimum ejus corpus de Marciano Neapolim translatum, & a S. Joanne I. in Oratorio ejuſdem nominis collocatum fuit.

[40] Eadem Acta Baroniana, nec non Lectiones Neapoli an. 1525. editae poſt ea verba, quae ſupra [Adnot. 36.] recitavimus, ſic pergunt. „ Sanctum vero „ Soſſium diaconum cives ſui Miſenates „ tulerunt, & poſuerunt in baſilica, ubi „ nunc requieſcit, die nono Kal. Octo„ bris. Puteolani quoque ſanctum Procu„ lum diaconum, & ſanctum Euticetem, „ & ſanctum Acutium cives ſui tulerunt; „ & poſuerunt in praetorio Falcidii, quod „ conjungitur baſilicae ſancti Stephani, „ in contrivio ipſo. Sanctum autem Fe„ ſtum & ſanctum Deſiderium idem cives „ ſui Beneventum tulerunt. „ In Lectionib. *Idem cives ſui Beneventani habent.* Quae quidem tota narratio perquam bonae frugis eſt, & ex ſinceris fontibus hauſta. Eadem haec & Falconianum monumentum, quod incipit *Ad laudem*, & Jo: diaconus habet, ſed uterque verbis ſuis utitur novitatem teſtantibus.

Sub haec in Baronianis, in Lectionibus, in Falconiano monumento *Ad gloriam*, miracula quaedam ſequuntur.

APPENDIX

Quatenus Acta noſtra cum vulgatis & Menologio conveniant diſſideantve.

ETſi Acta, quae dedimus, a ſect. VI. totidem verbis (exceptis pauciſſimis) in Baronianis & Lectionib. recitantur, ex noſtris utiq. deſcripta; tamen quae utrobiq. praecedunt, inter ſe plurimum diſſident: id quod noſtra cum ceteris omnibus a Falconio lib. 2. evulgatis (quorum notitiam habes ſupra in *Admon.* Adnot. IV.) conferenti conſtabit. I. Primum vulgata ſunt priore hac parte immane quantum copioſiora noſtris, atq. admirabiliora. II. Rerum geſtarum ordo diverſus eſt. III. Differunt in Judice, quia in Jo: Diacono Dracontius (qui tamen in Baronianis & lectionib. non nominatur, ſed tamen ſupponitur) orditur judicium, cui poſtea ſuccedit Timotheus: in noſtris autem Dracontius unus ab initio ad finem tribunali aſſidet. IV. Spatio temporis, quod in vulgatis longius fuiſſe oportuit, in noſtris autem breviſſimum. V. Differunt locis; quae in vulgatis duo ſunt, Nola prius, mox Puteoli: at in noſtris omnia Puteolis aut in vicinia ab initio tranſiguntur. Ac Beda & Martyrologi noſtris per omnia ſuffragantur.

At vero Baſilii Menologium de loco cum noſtris convenit; in ceteris ferme cum vulgatis facit, niſi quod ab his quoque alicubi diſſidet. Quae melius per ſe quiſque ex ſubjecto elogio, quod ad XIX. Septembris ibi legitur, cognoſcet.

Certamen ſancti Hieromartyris (ἱερομάρτυρος) Ianuarii epiſcopi Beneventi & ſocior.

Ianuarius *Hieromartyr cum ſociis ſub Diocletiano imperatore fuit. Qui quum Beneventanae urbis epiſcopus eſſet, ob Chriſti confeſſionem Puteolis in vincula conjectus fuit, una cum* Soſſo, Proclo, Euthychio, & Acuſtio *diaconis. Timotheus autem regionis praeſes profectus Puteolos, quum Sanctum in vinculis reperiſſet, e cuſtodia eductum in caminum injecit. Quo inde illaeſo evadente, majore furore correptus, praecepit carnificibus, ut nervos pedum ejus praeciderent. Quod ſupplicium Sanctus quum pertuliſſet, in cuſtodiam revocatur. Interim quū clerici duo Beneventani* Phaeſtus (φαίστος) & Deſiderius *viſitandi eum cauſa veniſſent: comprehenſi & ipſi ſunt, unaque cum epiſcopo & diaconis in carcere conſtringuntur. Ad ex damnati ad beſtias, nec ab iis laeſi, juſſu praeſidis, capitibus abſciſſis occubuerunt.*

Tandem de celebre cruoris beatiſs. Januarii prodigio (ne cui forte fraudi ſit ſilentium noſtrum) nolim exteri quidam addubitent. Aut vero cū Didymo Evangelico veniant videantque.

M. MAIVS

Digitized by Google

M. MAIVS
IN S IACOBI ET PHILIPPI

DE utroque junctim agunt hoc die omnia Martyrologia, Hieronymi, Bedae, Flori, Adonis, Vſuardi, Notkeri, Romanum, & alia; ſed ita ut Philippum Jacobo praeponant. Nec alibi, quod ſciam, Jacobus Philippo anteponitur quam in his Faſtis, & in Sacramentario Gelaſiano per Thomaſium Card. edito, in quo in hujus diei Miſſa per vices modo Philippus Jacobo, modo hic illo prior nominatur: omnino ibi bis praeit Philippus, bis rurſus Jacobus. His adde Micrologum, apud quem Miſſa hujus diei ſic inſcribitur: *Natalis Jacobi, & Philippi, & omnium Apoſtolorum*. Nos interim marmoris ordinem ſecuti, de Jacobo prius, poſtea de Philippo pauca dicemus.

De tribus Jacobis.

Quum quater in hiſce Faſtis de S. Jacobo Apoſtolo occurrat (hoc die, & XXV. Maii, & XV. Novemb. & XXIX. Decembr.) ſedulo expendendum judico, quot numero Jacobi fuerint, & de quonam quoque die fiat. Quumq. vulgo duos agnoſcant (ex XII. Apoſtolis utrumque) contra equidem iis potius aſſentior, qui tres diſtinctos Jacobos adſtruunt, quorum tertius non ex XII. unus, ſed eâdem ferme notione *Apoſtolus*, qua Paulus & Barnabas, ſit appellatus.

Ergo horum primus erit Jacobus Zebedaei filius, Joannis frater, ex XII. unus, cujus nunc in Breviario Rom. feſtum agitur die XXV. Julii.

Alter eſt Jacobus Alphaei filius, item ex XII. unus; quem non levibus de cauſis fratrem Matthaei fuiſſe volunt, qui & ipſe Alphaei filius fuit. Certe Graeci in Baſilii Menologio die IX. Octobr. & in Synaxario Claromontani Colleg. S.J. Pariſienſis, aliiſque libris, hunc Jacobum Matthaei fratrem fuiſſe, praedicant. Atque is eſt Jacobus ille, quem conjunctim cum Philippo colit hodiernus dies; ut infra demonſtrabitur.

Poſtremo eſt & tertius Jacobus ὁ μικρὸς i. e. *minor*, idemque Frater Domini, & IVSTVS cognomento dictus, adhaec ex Cleopha patre, Maria matre natus, primus Hieroſolymorum epiſcopus, ac ſcriptor Epiſtolae Canonicae. Ac diu eſt, quum hunc θεάδελφον (*fratrem Domini*) cū Apoſtolo Alphaei filio confundi contigit. Eorum qui ſic putarunt, prora & puppis fuit locus ille Pauli ad Galatas I. 19. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi* (Cepham, de quo proxime dixerat, &) *Jacobum fratrem Domini*: ex quo collegerunt hunc Domini fratrem ex XII. Apoſtolis fuiſſe. Verum jam ſupra monuimus, hunc Hieroſolymitanum Antiſtitem eodem jure dictum fuiſſe *Apoſtolum*, quo Paulus & Barnabas; unde ſcite eum Paulus unum ex Apoſtolis habuit, at non unum ex XII. Verum argumenta, quibus Alphaei filius ab Jacobo Hieroſolymitano diſtinguendus eſſe demonſtratur, & numero & pondere plane obruunt. Ea qui noſſe cupit, adeat praeter alios Henſchenium ad diem I. Maii pag. 24. toto §. IV. Quibus nos etiam pauca, Deo dante, adſpergemus ad XXIX. Decemb.

De agnomento μικρὸς verbum nunc unum addam. Vſurpat id agnomentum Marcus cap. XV. Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου τοῦ μικροῦ μήτηρ, quod Vulgatus Interpres reddidit, *Maria Jacobi Minoris*. Nec culpandus Interpres eſt, quod *Minorem* comparative ſit interpretatus, qui Graece eſt μικρὸς i. e. *parvus*: nec enim aliter Interpres debuit. Nam qui *Minor* diſcriminis cauſa Latinis dicebatur, is Graecis erat μικρὸς, & contra: quod poſſem innumeris exemplis ex hiſtoria petitis oſtendere. Vt verbi cauſa *Cato Minor* Graecis Κάτων ὁ μικρὸς dicetur. Hinc in vet. Gloſſis Μικρὸς redditur *Minor*. Sed & Hebrai-

Digitized by Google

cum זְעִיר (*fair*) i.e. *parvus* saepe minorem natu significat. Nunc illud scire libet, cujusnam respectu frater ille Domini *minor* sit appellatus, filii Zebedaei, an filii Alphaei? Vtriusque respectu, arbitror. Itaque tam Zebedaei, quam Alphaei filius poterit respectu Hierosolymitani Episcopi *Major* vocari. At postquam Alphaei filium cum hoc θεαδέλφῳ (*Domini germano*) coeperunt confundere; simul eum *Minorem* vocarunt. Quo factum est, ut Zebedaei filius *Majoris* cognomen vulgo sibi peculiare fecerit. Verum Nyssenus (cujus verba vide apud Henschenium loc. cit. p. 26. num. 30.) etiam Jacobum Alphaei μείζων (*majorem*) vocat respectu Hierosolymitani, qui μικρὸς (*minor*) dicebatur. Liquet autem ex Nysseni verbis, duos illos (Zebedaei, & Alphaei filium) non aliunde appellatos μεγάλους (*majores*) quam quod essent ex XII: contra vero fratrem Domini idcirco *Minorem* dictum, quod fuerit extra XII. numerum (1).

Hactenus de tribus Jacobis: quos quidem esse accurate inter se distinguendos, nec Alphaei filium cum Hierosolymorum Episcopo confundendum, mihi plane persuadeo. Quod siquis est, qui alia omnia sentiat, & cum Tillemontio Apostolum Alphaei filium a Domini fratre distingui vetet; at in hujus certe Kalendarii gratiam (in quo tres Jacobi, non duo tantum, agnoscuntur: id quod & ex numero festorum ostenditur, & ex eo quod Graecia universa semper pro ternione militaverit) tantisper nobiscum, dum in marmoreos Fastos commentamur, tres diversos Jacobos numeret, rogo.

Nunc cui eorum unumquodlibet ex notatis ibi festis sit assignandum, id nunc est porro inquirendum. Atque hujus diei festum vulgo hodie Jacobo minori, fratri Domini, episcopoque Hierosol. attribuunt. At id inde manavit, quod jamdiu ex Alphaei filio & fratre Domini unum conflaverant. Qui si rursus in duos dispescatur; hoc festum non alii, quam Alphaei filio peculiare evadet. Et de Alphaei quidem filio in antiquis Martyrologiis Hieronymianis, aliisque pluribus die XXII. Junii festum agebatur (de quo festo vide Henschenium hoc die pag. 19. num. 5.) itemque de eodem conjunctim cum Philippo Apostolo fiebat Kalendis Maii, tum in Martyrologiis Hieronymianis, tum in Sacramentario Gelasiano & Gregoriano, ut omittam alia Missalia apud eumdem Henschenium ibid. pag. 25. num. 26. Et sane quum in his monumentis cum Philippo Jacobus jungitur, nihil additur de θεαδελφικῇ (*fratris Domini*) dignitate, nihil de Hierosolymitana sede, nihilque omnino quod ad tertium Jacobum pertineat:

(1) Quae nolim ita accipias, quasi Jacobus ex Christi Apostolo inter Apostolorum discipulos sit ablegandus: quod pertendisse videtur Salmasius in ea quam de Jacobo Christi fratre cum Petavio (lib. 1. de Doctr. temp.) concertationem habuit. Imo sanctissimus hic Θεαδέλφος Christi Apostolus vere fuit (uti declarant Pauli ad Gal. verba, quae supra recitavimus) & post Domini resurrectionem ab ipso Christo ad Apostolatum extra numerum, uti videtur, allectus, parem cum Apostolis XII. potestatem habuit [id quod & ex sententia ab eo in concilio Hierosol. Act. XV. 13. dicta ostenditur] verum quod esset extra XII. sicuti & Paulus; ob eam causam, ut ab aliis duobus Jacobis dignosci posset, vocatus est *Minor*, praesertim qui & aetate minor forsitan iis esset.

Quod modo conjiciebam, Jacobum Domini fratrem videri ab ipso Christo inter Apostolos [pari jure ac Paulum] adscitum fuisse, id mihi videor ex apparitione ei facta 1. ad Cor. XV. 7. non obscure intelligere. Ait ibi Paulus: *Visus est Cephae, & post hoc undecim* (h.e. Apostolis simul omnibus, nondum scil. subrogato Matthia) *deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul... Deinde visus est Jacobo* [τῷ θεαδέλφῳ *fratri Domini* utique; quia is extra undecim seorsum ponitur] *deinde Apostolis omnibus: novissime autem* [post Ascensum]... *visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum.* Ex his haud aegre conjeceris, sicuti Paulus Christi apparitione ordinatus est Apostolus & vas electionis; idem & Jacobo *justo* contigisse, nec alio ὅραμα [*visum*] illud Jacobo seorsum exhibitum pertinuisse, nisi ut enim Apostolum designaret. Nam & sibi Paulus non aliunde, quam ut Apostolus fieret, Christi visionem oblatam fatetur.

Digitized by Google

neat: contra vero in eisdem Philippus & Jacobus ambo pari jure Apostoli nuncupantur, atque ita ut de XII. ambo fuisse intelligantur. Ergo ab antiquis Ecclesiae temporibus tria Apostolorum paria simul conjuncta reperimus, Petrum ac Paulum die 29. Junii, Philippum & Jacobum Kalendis Maii, ac Simonem & Judam Thadaeum die 28. Octobris.

Sequitur in nostro Kalendario die XXV. hujus mensis NT. IACOBI APLI: quod ad hunc eumdem Alphaei filium refero hisce de causis. Nam de Jacobo Zebedaei filio ac Joannis fratre agitur in nostro marmore die XV. Novemb. Rursus de fratre Domini die 29. Decembr. Quum ergo duobus ceteris Jacobis sui essent proprii dicati dies; conveniens fuit, ut & Alphaei filius suam festivitatem peculiarem haberet, & quidem seorsum a Philippo: nam & Philippus ipse in hoc marmore sejunctim die 14. Novemb. colitur. Ergo dies XXV. Maii qui in nostro hoc marmore, (nullo quod sciam exemplo) Jacobo Apostolo sacer est, non alii quam Alphaei filio est attribuendus, ne suo careat peculiari die.

Deinde in his Fastis die XV. Novembris sic scribitur: S. IACOBI AP. ET SAMO. Id quod ad Zebedaei filium & fratrem Joannis ut referam, Menologii Basiliani me auctoritas cogit, in quo eodem die colitur ἡ σφαγὴ τοῦ ἁγίου Ἰακώβου ἀδελφοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, *Caedes S. Jacobi fratris S. Joannis Theologi*. Illud ET SAMON quod ibidem signatur in nostro marmore, notat *Samonam* Martyrem, de quo eodem die in eodem Menologio. Quin & pridie ejus diei tam in eodem Menologio quam in his Fastis de S. Philippo Apostolo agitur: sicuti & postridie (h. e. die XVI.) utrobique fit de S. Matthaeo. Videbis infra mense Novembri ad eos, quos dixi, dies.

Postremo die XXIX. Decembr. in hoc Kalendario ita signatur: NT. S. IACOBI APOS. Quod certe ad Fratrem Domini pertinet. Is quidem apud Graecos, Aegyptios, Syros, Moscovitas die 23. Octobris celebratur: de quo vide Henschen. pag. 24. num. 20. ad 23. At apud Latinos in antiquissimis Hieronymiani Martyrologii apographis ejus *Ordinatio* colitur die 27. Decembris. Sicuti & eodem die apud Rabanum, Adonem & alios idem Frater Domini colitur. *Verum* (addit Henschenius pag. 23. num. 18.) *quod dictus XXVII. Decemb. sit sacer S. Joanni ... & sequens SS. Innocentibus ... Veneratio dictae ordinationis S. Jacobi Apost. translata est ad diem XXIX. Decemb. in Eccles. Mediolanensi, ad normam & institutionem S. Ambrosii Episc. Atque ita praescribitur in Missalibus ejusdem Ecclesiae, an. 1522. & an. 1560. excusis, & in Breviariis* &c. ejusdem Ambrosiani ritus. Verum cave putes, hujus festi Translationem in diem XXIX. iis annis factam, quibus excusa sunt illa Missalia & Breviaria; sed antiquitus, opinor, in Ritu Ambrosiano die 29. de Fratre Domini fiebat officium, ob eam haud dubie causam, quam tangit Henschenius. Id quod extra Mediolanensem Ecclesiam, alibi quoque factum, ostendunt hi Neapolitani Fasti; quibus non raro cum Mediolanensibus convenire, deprehendi. Atque heic simul omnia de tribus Jacobis congessi, ne cogar eadem saepius recoquendo obtundere.

De S. Philippo Apostolo.

Sequitur in eodem marmore, ET PHILIPPI: ordine praeposteto, uti dixi. Nam ferme in aliis monumentis hoc die Philippus prior est, quem Jacobus pone sequitur. Imo fuit credo tempus, quum hoc die in occidente de solo Philippo ageretur; cui postea & memoria Jacobi est addita. Itaque in indiculo festivitatum Apostolorum, qui Hieronymi Martyrologio Epternacensi praefigitur, hoc die proponitur *Nat. S. Philippi Apostoli*, sine Jacobi mentione; quae tamen in Martyrologii contextu in omnibus apographis reperitur. At apud Graecos de S. Philippo Apostolo agitur die XIV. Novemb., uti constat ex omnibus eorum libris, itemque apud Arabes, Aegyptios, Russos, ut & in nostris hisce Fastis.

Digitized by Google

II N S ATHANASII PATRI

IN omnib. Faſtis Latinis, Graecis, Moſcoviticis, Aegyptiis Athanaſii (*PATRIarchae*) feſtum hoc die colitur; quin & rurſus apud Graecos [ut & in hoc Kalendario] de eod. una cum Cyrillo die XVIII Januarii memoria celebratur. Quod autem Papebrochius ad hunc diem pag. 249. n. 403. 404. ex Eccleſiarum conſenſu in die feſtivitatis non dubitandum ait, quin dies ſecundus Maii Athanaſio θανάσιμος fuerit, id non adprobo. Praeſertim quum in hoc marmore hoc die nota N. i.e. *Natalis* (quo cujuſcunque generis feſtum notatur) non item *Depoſitionis* ſignata deprehendatur. Quid quod Graecorum Ephemerides metricae, quas idem Papebrochius edidit to. 1. Maii hoc die Translationem Athanaſii colunt?

Δευτερᾳ νικυς Αθανασιυ ιεσκομιδη. *Corpus Athanaſii eſt illatum luce ſecunda.*

Quod ibi Papebrochius intelligit de Translatione ex urbe Alexandria CPolim.

III INVENTIO S CRVCIS

DE hoc feſto alte ſilent Graecorum Eccleſiaſtici libri: ſilet & Moſcoviticum Kalendarium. At ne apud Latinos quidem id feſtum ſatis antiquum fuiſſe, ac non niſi poſt an. 720. celebrari coepiſſe, cenſuit Jo: Fronto, ex eo adductus, quod hoc feſtum ab ſuo Rom. Kalendario, quod a ſe illuſtratum vulgavit, abeſſet. Miror autem, id Frontonem Papebrochio perſuaſiſſe: quem vide pag. 365. n. 25. (2) Heic equidem, cur in Frontonianis Faſtis hoc feſtum deſideretur, mitto quaerere. At interim pro hujus feſtivitatis antiquitate non ſolum Gregorianus Sacramentarius & Antiphonarius militat (quos jam Papebrochius ad hunc diem p. 365. n. 25. memoraverat) ſed & Gelaſianus Liber Sacramentorum a Card. Thomaſio editus, qui eſt Gregoriano haud paullo antiquior. Ac nequis ſuſpicetur, id feſtum Romae tantum (quod Papebrochius putavit) non item alibi, antiquitus fuiſſe celebratum; ſciat etiam in Miſſali Gothico ſeu Gallicano (quod idem Thomaſius evulgavit) quod Gelaſiani antiquitati parum concedit, Feſti ejuſdem Miſſam occurrere. Eadem feſtivitas reperitur & in pluribus Hieronymiani Martyrologii apographis hoc die: niſi quod in Epternacenſi cod. non hoc, ſed VII. die *Inventio S. Crucis* proponitur. Quocirca Papebrochianae conjecturae evaneſcunt; ac palam fit, id feſtum ſatis antiquum fuiſſe; nec Romae tantum celebratum, ſed ubique per Occidentem. Poſt eos autem teſtes, quos ſupra adhibui, piget jam Bedam producere; in cujus Martyrologio ſincero haud deeſt hoc feſtum; ſicuti nec deeſt in ejuſdem ſaeculi Kalendario Allatiano, ac paſſim deinde in poſterioris aevi Martyrologiis: Conferantur dicenda ad XIV. Sept. ubi de *Exaltationis ſanctae Crucis* antiquiore feſto commentabimur.

IIII P S AFRODISII ET CGREGATIO EIVS

TAcent de his Martyribus Latinorum libri, ut & Baſilii Menologium. At in Synaxario Claromontani Collegii S. J. Pariſienſis in hunc modum S. Aphrodiſii ſocii (quos Kalendarii noſtri auctor (3) *congregationem* vocat) deſcribuntur: *Ea-*

[2] *MERITO igitur* (ait Papebrochius heic num. 25.) *Jo: Fronto ... cenſuit, tale feſtum poſt annum 720. celebrari coepiſſe i. e. inter univerſalis Eccleſiae feſta communia numerari.*

[3] Vox *Congregatio* noſtri marmoris reſpondet Graecae Σύναξις, quam ſaepiſſime uſurpant Moſcor. effigiatae Ephemerides (a Papebr. editae to. 1. Maii) quotics de Martyrum multitudine agitur, ut in XL. Martyribus Sebaſtenis, & alibi paſſim.

Digitized by Google

Eadem die (IV. Maii) *certamen SS. Martyrum Aphrodisii, Meldae, Macrobii, Valeriani, Leontii, Antonini, & multitudinis sanctorum, cum hisce Scythopoli* (ea urbs est Palaestinae ad meridiem lacus Genesareth) *martyrium passorum.* Si quaeras, quid sua referre Neapolitani putarint, de his Palaestinae Martyribus festum agere; rationem pro me reddet idem Synaxarium, ubi in hunc modum sequitur: *Quorum festivitas celebratur in venerando Apostolio* (Αποστολείῳ) *sancti . . . Jacobi fratris Domini, constituto intra augustam aedem sanctissimae ... Virginis Mariae in Chalcopratiis* : quod templum Codinus in Orig. CPol. a Theodosio Juniore conditum, ac mox terraemotu quassatum, ab Justino restitutum refert. Ex eo, inquam, quod haec festivitas celeberrima esset in urbe Regia, putarunt Neapolitani sua interesse, urbi Principali ejusq. Ecclesiae in horum sanctorum cultu concinere. Qui quidem, praeter nominatos, alii numero LX. fuisse dicuntur in uno ex MSS. Taurinensibus (apud Bolland. to. 1. Maii p. 753. in quo post eorum, quos supra adscripsimus, nomina additur: *καὶ τῶν Σκυθοπολιτῶν ἑξήκοντα, &* (aliorum martyrum) *Scythopolitarum LX.* In nominibus ipsis est nonnulla in MSS. scripturae varietas, ut quod *Antoninus*, alibi vocatur *Antonius* (de cujus nominis consueta variatione vide alibi dicta) & quod *Valerianus* alibi est *Adrianus*; & alia minoris momenti. Adhaec in MSS. Menaeis Chiffletianis, etiam versiculi adduntur, per quos declaratur, Aphrodisium datis cervicibus gladio caesum, sicuti & Leontium cum duobus aliis: at reliquos duos igne consumptos fuisse, non sine miraculo concameratae super ipsos in modum fornicis flammae. Eos versiculos vide apud Henschenium hoc die p. 459.

V NT S ANANIE AP̄LI

S Ananias is, qui Doctorem gentium sacro fonte expiavit, quod heic *Apostolus* inscribatur, id Graecorum more fit, apud quos etiam Christi discipuli hoc titulo insigniuntur. Itaque in Basilii Menologio Kalendis Octobris (quo die vulgo a Graecis colitur) is & *hieromartyr*, & Ἀπόστολος *Apostolus*, & *Episcopus Damasci* vocatur.

De martyrio autem non liquere Tillemontius contendit, parum scil. fidens Actis a Metaphraste conscriptis, in quibus ejus passio copiose narratur. At saltem Graecorum libri liturgici plus aliquid habent roboris, quippe quos antiquiores Ecclesiae Graecae traditiones secutos oportet. In his autem S. Ananiae martyrium (& eodem ferme modo atque in Metaphraste) narratur.

Augustinus quidem (apud Tillemontium in S. Paulo artic. 4.) Ecclesiae Sacerdotium huic Ananiae recte tribuit, quippe uni ex LXX. discipulis, inter quos eum Graeci referunt. Sed utrum re vera Episcopus Damasci fuerit, quis praestare ausit?

Ad diem festum quod attinet; videbantur Neapolitani, quibus Graecorum vestigia premere sollemne fuit, eum Kal. Octobris celebrare cum Graecis debuisse. Ac sane eo die coluissent, nisi ex ea sede Ananiam *Depositio S. Adeodati* Episcopi depulisset. Hinc quum S. Ananias die non suo signetur, ei nota N. h.e. *natalis* praefixa fuit. At Latini jam inde a parvi Rom. Mrologii, quod Rosweidus edidit, aevo (cujus Mrologii vestigiis Ado, Vsuardus, Notkerus insliterunt) de Anania agunt die XXV. Jan. quo & Pauli Conversio celebratur.

Antequam de Anania finiam; non erit silentio praetereundum, quod in Basilii Menologio de eo sic scribitur: *Saulum baptizavit* [*μετονομάσας αὐτὸν Παῦλον*] *mutato nomine Paulum eum appellans.* Paria in Metaphrastae Actis (apud Boll. die 25. Januar.) num. 3. & 5. leguntur. Quod quidem singulare est: etsi simile quiddam in S. Asterio Or. 8. & in quodam sermo-

Digitized by Google

sermone, qui S. Ambrosio tribuitur, occurrit; ex quibus intelligas statim a conversione id ei nomen tributum fuisse. Sed tamen alia omnia complures gravissimi patres senserunt: de quibus lectorem ad Tillemontium [to. 1. in S. Paulo not. 3.] & Actorum Apostolorum enarratores rejicio.

VI N S MATHEI APLI

CONsentiunt Hieronymiani Martyrologii apographa celeberrima: in quorum antiquissimo Epternacensi *Matheus* cum simplici muta, aeque ut in hoc marmore, scribitur. Et quidem Lucense, quod edidit Florentinius, hoc die sic incipit: *In Persida Natalis Sancti Matthaei Apostoli & Evangelistae. Et primi initiorum martyrum*. Hoc posterius membrum sic legi jubet Florentinius: *Et primitiae martyrum*: quippe agi heic putans de primis martyribus ab Nerone interemptis; de quo & eruditam Exercitationem inseruit. Adhaec in Corbejensi apographo de Matthaeo quidem totidem verbis legitur; at abest illud *Et primi* &c. Postremo in Epternacensi vetustissimo eod. die sic scriptum fuit: *In Persida Mathei Apostoli, & primi* (4). Habes hactenus, cur hoc die in nostris Fastis *Natalis Matthaei Apostoli* celebretur: quo ipso die in Rom. Martyrologio colitur Translatio corporis S. Matthaei Salernum; de qua vide ibi Baronium. Colitur in his Fastis Matthaeus iterum die XVI. Novembr. Confer ibi adnotanda.

VII NT S SAMVHELIS PROPHETE

HVjus prophetae nomen in Mss. codicibus cum inserta aspiratione saepissime [haud secus atque in hisce Fastis marmoreis] legi testatur Sollerius ad Vsuardi Mrologium ad 20. Augusti. Nec aliter in veteribus musivis scribi solet. Ea vero aspiratio usurpatur interdum ab antiquis in Judaicis nominibus loco litterae gutturalis *Aleph*, quae ultimam hujus prophetae nominis syllabam inchoat.

Ejusdem elogium tum plures alii, tum ultimo Bailletus, & Bollandista Pinius ad 20. Augusti ex Scripturis pertexuerunt: ad quos harum rerum cupidos rejicio.

Restat de die festo dicendum; qui apud Graecos omnes aeque ac Latinos non hodiernus dies est, sed Augusti vigesimus. De Latinis fidem facient Romanum parvum, ac Bedae Mrologium, deinde Adonis, Rabani, Vsuardi, Wandelberti &c. de

(4) Verum de iis verbis *Et primi* &c. (in quibus Florentinius martyrum *primitias* sibi cernere visus est) longe aliud judicavit aevi sequioris barbaries. Nam in Adonis apographo auctiore (quod laudat Henschenius hoc die pag. 103) sic legitur: *Et eo die in civitate Tarentina Sanctor. Matthaei & Primi*. Ambo hi Sancti, sed sine loco, proponuntur hoc die in MS. Martyrologio Aquisgranensi, & in Greveni auctariis Vsuardinis. Ac palam est, duos istos *Matthaeum & Primum* [sive Tarento adscribantur, sive secus] ex illo Hieronymiano Martyrologio, forte ceterorum, manasse; cui Martyrologio nostrum hoc marmor in Matthaeo consentit. Nisi vero Tarentini cives documenta aliquando proferant, quibus de Matthaeo ac Primo Tarentinis, certiores efficiantur. Verum haec quemadmodum sint componenda, liberum esto penes eosdem Tarentinos judicium.

Post haec scripta, animadverti a Bollandianis (to. ult. Maii in *Appendice ad VI. Maii* pag. 613. col. 2. num. 2.) admoneri lectores, Tarentinos a se de his duobus sanctis interpellatos, respondisse an. 1686. se de iis nihil umquam ne fando quidem audivisse. Proinde non est dubium quin hi *Matthaeus & Primus* ex Hieronymianis Martyrologiis manarint. Cur aliquis postmodum malesanae mentis illud *In Civitate Tarentina* addiderit, alii viderint. In Dominici Georgii Adone (quem a se egregie supra quam dici potest nuperrime illustratum mihi dono misit) nullum hujus additamenti vestigium cerno.

Digitized by Google

de Graecis vero libri omnes liturgici. Sed tamen cave credas verſiculo illi, qui in Menaeis legitur,

Βὶς δ' ὁράων μέλλοντα Σαμουὴλ εἰκάδι ἦλθεν.

Praeſcius hinc Samuel bis dena luce migravit.

Nam familiare Graecis recentioribus eſt, ut diem quemlibet feſto conſecratum, diem emortualem interpretentur. Ceterum ſiquid auctoritati eſt tribuendum; Judaeis potius prophetae popularibus credendum erat. Atqui in horum Kalendario quod edidit Genebrardus, Samuelis mors in exeuntem Aprilem incidit. Nam die XXIX. menſis Jiar ſic ſcribitur: *Jejunium, quod eo die obdormiverit Samuel* &c. A quo die proxime Neapolitanum Kalendarium abeſt, in quo is propheta die VII. Maii ſignatur; non ſine tamen NT i. e. *Natalis* nota, quod eum diem non eſſe ſuum, Noſtri intelligerent.

Quamquam, ſi verum quaerimus, non tam Judaeorum (quibus res ſibi ſuas habere facile Neapolitani ſinebant) quam Graecorum ſuorum ſtudio crediderim noſtros S. Samuelis feſtum in menſem Maium conjeciſſe. Qua de cauſa? quia eo maxime menſe, etſi diverſo die, Prophetae Reliquiae anno 406. CPolim primum apportatae fuerunt: quemadmodum in Chronico Paſchali, (aliter (5) Alexandrino) narratur; in quo ſcribitur, *Arcadio Aug. & Probo Coſſ.* eam Translationem maxima pompa fuiſſe factam [& quidem *A. D. XIV. Kal. Junii* h. e. die XIX. Maii] eaſque Reliquias, *in magna Eccleſia ad tempus fuiſſe repoſitas.* Recte *ad tempus* ibi ait fuiſſe collocatas; quia poſtmodum ſub eod. Arcadio eae Reliquiae *in Eccleſia ejuſdem prophetae prope Hebdomum A.D. XII. Kal. Julii* (h.e. die XX. Junii) perpetuam nactae ſunt ſepulturam, uti narrat Theodorus Lector. Legendus de his Tillemontius in Arcadio Aug.

Videntur igitur Neapolitani id egiſſe, ut ſive diem emortualem ab Judaeis traditum, ſive potius CPolitanae Translationis diem in hoc feſto aſſignando proxime attingerent. Nam plerumque noſtri Faſti conſueverunt feſta in dies impeditos incurrentia non quibuslibet vacuis diebus, ſed proximis reponere; id quod paſſim ex hoc marmore liquet.

Quid ſi poſtremo ex urbe Regia pars aliqua Reliquiarum Samuelis Neapolim advecta hoc die fuiſſet, aut ejuſdem Eccleſia eo die dedicata; eaque de cauſa Samuelis feſtum huic diei affigi placuiſſet? At hujus rei documenta deſunt.

VIII APP̄AR S ANGELI PR̄OP

Vide ſimul omnia ad diem XXIX. Septembris.

VIIII N S CRISTOFORI ET ESAIE

De Chriſtophoro dicemus ad XXIV. Julii, quo die a Noſtris is iterum ſignatur. Cur bis, ibi exponetur. At Graeci in omnibus ſuis libris eccleſiaſticis, Arabo-Aegyptii, ac Moſcovitae eum hoc die conjunctim cum Iſaia colunt; quibus iidem Moſcovitae in ſuo Kalendario effigiato Nicolaum tertium adjungunt.

Ad Iſaiam privatim quod attinet; eum Latini [poſt Bedam, Roſweidanum Mrologium, Adonem, Rabanum, Vſuardum, Wandelbertum, alios] in diem VI. Julii conjecerunt: at Graeci cum Arabo-Aegyptiis ac Ruſſis, uti dixi, in hunc maxime diem.

Ac de hoc maximo propheta eodemque

(5) Id non monerem, niſi vir eruditus, uti dixi, ad XX. Auguſti S. Samuelis geſta retexuit, Chronicon Paſchale, & Alexandrinum, ſic tamquam duo diverſa opera citaſſet, quae poſtmodum aliis fraudi fuiſſe, animadvertiſſem. Sed nemo ignorat, idem monumentum, quod olim ſub nomine *Chronici Alexandrini* vulgaverat Matthaeus Raderus S. J. id poſtea ſub *Chronici Paſchalis* titulo in lucem fuiſſe productum ab eruditis. Cangio.

Digitized by Google

que Martyre qui plura volet, adeat Bailletum in SS.V.T. & Bollandianos ad VI. Julii, ut & Bibliorum explanatores. Ejus quidem nomini quum Graeci interpretes litteram *Eta* sive E longum praeposuissent; hinc non tantum in hisce Fastis, sed & in plerisque antiquis scriptoribus non tantum Graecis verum etiam Latinis eadem scribendi ratio invaluit. Ceterum quum elementum *Eta* ab aliis per I efferretur; hinc in hodierna Vulgata, & scriptoribus posterioris aevi *Isaias* pro *Esaia* scribitur.

Quum autem prophetae dies obitus incertus haberetur; hinc merito Nostri NT i. e. *Natalis* notam praeposuerunt: quae quidem etiam in Adone ad VI. Julii [eodem opinor significatu] praefigitur.

X DEP EVSTATHII EPI NRI

IS in Jo: Diacono auctore chronici nostrorum Episcoporum scribitur EVSTHASIVS. Quin, si vera de eo narrat Chioccarellus, ejus *Sacrum corpus... religiose colitur in marmorea & antiqua urna repositum, cum hac inscriptione, HIC REQVIESCIT CORPVS SANCTI EVSTASII* (ubi vides cum S non cum TH scribi) CONFESSORIS. Eadem in Ant. Caracciolo reperies. Sed utrum ea inscriptio antiquitus scalpta fuerit, non dicit. Sed nolo heic de (6) mero nomine tricas serere. De ejus autem translatione & inventione vide inferne (7) adnotata. Ceterum Joannes Diac. hunc Episcopum septimum ab Asprenate ponit, inter Agrippinum & Ephebum. Aetas etsi incerta est, tamen nec antiquior fine secundi saeculi, nec posterior exeunte tertio, aut summum ineunte quarto fuisse mihi omnino videtur. Desunt certe in Jo: Diacono haud pauci priorum trium saeculorum antistites.

Ad cultum autem quod attinet, etsi constans fuerit, quippe is uti sanctus sub Altari positus colebatur: tamen mirabitur aliquis, eccur de eo postmodum intermissum officium fuerit; quando is Sanctus Kalendario huic marmoreo olim inserebatur. Sed & de hoc & aliis pluribus Sanctis, quibus eadem vicissitudo accidit, mirari desinet, qui quantum rerum ac temporum conversiones in rebus humanis possint, secum reputaverit. Deinde illud magis obstupescemus, quod quum ante hos paullo plus centum annos Decius

(6) Sed tamen longe integriorem hujus marmoris antiquissimi (antiquioris certe Jo: Diacono) quam scriptorum codicum depravationibus obnoxiorum, fidem esse, nemo non sentit. Imo Jo: Diaconus cum hisce Fastis scripserat, ut arbitror, *Eustathius*: sed postea librarii *Eustathasius* supposuerunt: aspiratione luxata in signum prioris orthographiae adhuc restante.

(7) Jo: Diaconus de hoc Episcopo sic habet: *Eustathasius Episcopus in altario B. Dei Genetricis semperque Virg. Mariae, quae dicitur Cosmidi, populi devotio exequentes* (Decius Card. Carafa Archiep. Neap. in libello infra laudando haec tria ultima verba sic posuit, *populis devote exequentibus*, ex ingenio, opinor, non ex hde codicis: ex eo factum, ut Vghellus deinde eod. modo haec recitaverit: at Chioccarellus Decio posterior, sed Vghello antiquior, sic posuit, *populi devotionem exequentes*; ex codicis fort. sui vestigiis: at ne sic quidem ea haerent cum ceteris: equidem cum quam minima mutatione correxerim, *populi devotione exsequente* h. e. instante ut illuc transferretur) *conditus est atque translatus*. Quampridem ea translatio facta fuerit, non reperitur scriptum. De inventione autem haec habet Caesar de Engenio ubi agit de Ecclesia *S. Mariae Portae Novae* quae aliter dicebatur *S. Maria in Cosmedin*, pag. 50. *Sotto l' Altar maggiore dentro un'urna di marmo si conservavano le reliquie di S. Eustasio Vescovo di Napoli . . . Pochi anni sono* [edidit suum librum Auctor an. 1623. non 1593. ut apud Bollandistas legitur ad diem 29. Martii] *furono ritrovate e riconosciute queste sagre reliquie ad istanza di detto Gio: Simone Moccia* [patroni ejus Altaris] *... che perciò ad onor suo fè un bel teschio d' argento ... collocandovi dentro parte del suo cranio*. At vero Ant. Caracciolus, & ex eo Vghellus Eustasii reliquias inventas prodidit anno 1616. XVI. Kal. Xbris.

cius Card. Carafa Archiep. Sancti hujus officium [8] fieri jussisset; id tamen nec hodie fit, nec patrum nostrorum memoria fiebat: quo minus mirandum, si de aliquot Neapolitanis Episcopis, qui huic Kalendario inseruntur, cultus postmodum intermortuus deprehendatur.

Et quidem laudatus Archiepiscopus *Eustasii* sive Eustathii festum diei XXIX. Martii affixit. Cur ei potissimum? Respondet Antonius Caracciolus, & ex eo Vghellus, quum *Natalis ejus dies ignoretur, ideo hoc die* (29. Martii) *quo etiam Divi Eustasii Ab. Luxovienſis natalitia celebrantur, coli.* Nam hoc sollemne in Kalendariis & Martyrologiis est, ut cujus Sancti dies depositionis ignoretur, is in eum diem conjiciatur, in quem aliquis cognominis sanctus concurrat. At vero si quando Eminentiss. Archiep. JOSEPH Card. SPINELLVS inducat animum *Eustathii* hujus festum revocare, nae is pro sua maxima eruditione prudentiaque non dubitabit ejus festum diei X. Maii adnectere, in quem diem ante nongentos annos ejus festum incidebat, quem etiam diem Eustathio emortualem fuisse, vox *Depositio*, quae in his Fastis usurpatur, declarat. Agunt de hoc Eustasio nostro breviter Bollandistae die XXIX. Martii, (qui dies olim jussu Decii ei assignatus fuerat) pag. 768.

XI NT S ILARIONIS MŌN

DE hodierni diei Hilarione alibi opportunior mihi erit dicendi locus. Quare ad ea quae sequuntur progredior.

XII N S EPIPHANII EP̄I

QVis Epiphanius hic sit, ostenditur ex Basilii Menologio, aliisque Graecorum libris, in quibus hoc die *Epiphanius Episcopus Cypri* cum Germano Patr. CPolitano jungitur. De utroque etiam hoc die in Moscor. effigiato Kalendario. Et Epiphanium quidem Metricae Graecorum Ephemerides hoc die mortuum praedicant hoc maxime hexametro:

Τῇ δύο καὶ δεκάτῃ Ἐπιφάνιον ὁ μόρος εἷλε.

Fato urgente dies duodena Epiphanion aufert.

At circumspectius Neapolitani Fasti se gerunt, dum non *Depositionem* hoc die notarunt (quae quo die acciderit, incertum est) sed *Natale* i. e. festum. Obiit enim Epiphanius anno 403. & quidem ita ut *Majum aegre attigerit*, si recte calculos iniit Papebrochius hoc die pag. 45. num. 42. Miror, cur Graeculus ille, qui Epiphanii vitam continuavit (quam Neapolitanos ad manum habuisse, compertum habeo) dum maria & montes de Epiphanio loquitur, non etiam ejus diem emortualem prodiderit. Quod si ille feciſſet, haberemus in hoc marmore Epiphanii *depositionem* die suo notatam.

XIII N S POLIBII EP̄I

SVspicor, hunc S. Epiphanii discipulum fuisse. Qua de re alibi accuratius a me disputabitur.

(8) Decius Card. Carafa Archiep. Neap. in Catalogo Sanctorum de quibus in tota sua Dioecesi officium fieri *de praecepto*, uti loquuntur, sancivit [quem catalogum etiam typis vulgavit an. 1619.] diei XXIX. Martii, hunc Sanctum assignavit his verbis: *S. Eustasius Episcopus Neapolitanus. Duplex. Omnia de communi Confessoris Pontif. & Missa fit sine Credo.* Deinde diverso charactere recitatis, quae de eo Jo: Diaconus scripsit, subjungit: *Sacra ejus ossa novissime* [i. e. ante tres annos, uti praediximus] *reperta sunt atque recondita sub eodem Altari S. Mariae Cosmedin, quae alio nomine dicitur Portae Novae: vigetque in ea Ecclesia cultus hujus sancti Praesulis.*

Digitized by Google

XIIII N S BONIFATII MĀR.

HIc eſt ille celeberrimus Chriſti athleta, qui hodieque in Romano Breviario hoc die colitur ritu ſimplici. Ejus Acta Latina ad plures MSS. codices emendata dederant L. Holſtenius, atque hoc die Henſchenius. Deinde eadem Graece edidit Em. Bigotius. Poſtremo in repetita Actorum ſinceror. Ruinarti editione Hollandica eadem Paſſio Graece ſimul ac Latine exhibita fuit: ex cujus collatione poſſit per ſe lector dijudicare (quod Holſtenius ac Bigotius in medio reliquerunt, ab aliis decidendum) utrum Graeca ex Latinis expreſſa fuerint, an vero contra: quod alterum ego certum habeo.

Ad diem Paſſionis, quod attinet, non videbatur dubitandum, quin is inciderit in XIV. Maii. Nam in Actis Latinis ſect. 16. (edit. Ruinarti) ſic legitur: *Martyrizatus eſt autem B. Boniſatius pridie Idus Majas apud Tarſum Metropolim Ciliciae, & ſepultus eſt Romae Nonis Junii*. Quae verba etiam apud Adonem & Notkerum ad Nonas Junii reperiuntur. Hinc in Romanis Breviariis excuſis & MSS. & pluribus Mrologiis (veluti Bellini, Greveni, Molani, Maurolici, Galeſinii, hodierno Romano &c.) feſtum huic diei affigitur. Haec quum ita ſint; videntur hoc ſaltem loco Faſti marmorei fallere, qui hoc die *Natalis* (h. e. feſti cujuslibet) non vero *Paſſionis* notam appoſuerunt. Verum illi non falluntur, ita me Deus adjuvet. Etenim verba ſupra recitata abſunt a Graecis Actis, quae primigenia eſſe, in ſubjecto Schediaſmate abunde demonſtravi; etſi de eo alii in utramque partem differi poſſe putarint, ac praeterea Henſchenius pag. 279. n. 3. (cui videtur aſſentiri Bailletus in Tab. crit.) Graeca ex Latinis expreſſa fuiſſe, ſibi falſo perſuaſerit. Adhaec in Latinis Actis ex MS. Cod. S. Maximini (apud Henſchenium num. 2.) non XIV. die Maii, ſed dicitur *martyrizatus Nonis Junii*. Poſtremo Graeci in Menaeis & in Synaxario Coll. Claromontani Pariſ. S. J. de S. Bonifatio agunt die XIX. Decembris; et in Baſilii Menologio die XX. ejuſdem menſ. Et quidem inſcriptio in eodem Baſilii Menologio incipit: Ἄθλησις, h. e. *Certamen* ſive *Paſſio*, non autem, Μνήμη h. e. *Memoria*.

Haec quum ita ſe habeant; Graecis magis accedo, *Paſſionem* conferentibus in XIX. aut XX. Decembris, quam Latinorum libris (quorum alii XIV. Maii, alii V. Junii de eo agunt) quibus impoſuit additamentum haud valde antiquum Latinis Actis adſutum. Adde quod iſtud additamentum non tantum ab Actis Graecis (ex quibus Latina expreſſa fuerunt) abeſt, verum etiam ipſum per ſe eſt abſurdiſſimum. Eſtne enim credibile, Bonifatium prid. Id. Majas in Cilicia paſſum, potuiſſe intra paucos dies Tarſo Romam deferri, deinde ab Aglae aedificari ſepulcrum via Latina, ac ſic poſtremo Nonis Junii (h. e. XXII. a paſſione die) in eo ſepulcro recondi? At vero ſi S. Martyr die XIX. aut XX. Decembris decertaverit, ut Graeci volunt; ſatis erit inter paſſionem ac ſepulturam ſpatii. Vides jam quanto judicio a noſtro hoc marmore abſit hoc die *Paſſionis* nota, cujus loco *Natale* ſubſtituitur. Putarunt enim Neapolitani, Romanos (ad quos ſe conformare in feſto celebrando conveniens putarunt) die non ſuo h. e. non θανασίμῳ, de eō Martyre agere.

Quid jam ergo cauſae fuit, cur ei potiſſimum diei feſtum a Romana Eccleſia (a qua ceteri Latini eum diem didicerunt) affixum fuerit? Non alia certe fuit, quam quod die XIV. Maii S. Bonifatii reliquias ex via Latina in Eccleſiam ſibi dicatam in colle Aventino translatas fuiſſe oporteat: de qua Eccleſia videatur Aringhus tom. 2. Rom. ſubt. l. 4. c. 6. n. 7. Quonam Chriſti ſaeculo ea Eccleſia conſtructa fuerit, latet. Verum X. ſaeculo eidem Eccleſiae (quae jam *SS. Boniſatii & Alexii* dicebatur, ob allatas

Digitized by Google

latus eo poſtea S.Alexii reliquias) adjunctum Monaſterium erat; quo in Monaſterio ſaec.decimo S.Adalbertus Ep. Pragenſis quinquennio vitam monaſticam tranſegit, uti ex duplici ejus vita conſtat apud Bollandianos die XXIII. Aprilis. Verum S. Bonifacii Eccleſia longe antiquior ſeculo X. fuit. Ergo ne dubita, quin ea Translatio ac ſimul novae Eccleſiae Dedicatio(quae dedicatio primitus tota fere in condendis Martyrum reliquiis conſiſtebat) in XIV. Maii inciderit: eaque de cauſa in hoc noſtro marmore hoc die non *Paſſio* ſed *Natale* ſignatur.

Atque haec ad Kalendarii penſum ſatis erant. Verum dum in Acta S.Bonifacii attentius inquirerem, Schediaſma quoddam in ea Acta (non tam ſedulo conſcriptum atque elimatum, quam opera ſubitaria interim domi natum) non fuit cur heic deſiderari ab harum rerum cupidis paterer.

SCHEDIASMA

In Acta S. Bonifacii M.

§. 1. *Acta Graeca quae nunc exſtant, habenda eſſe pro primigeniis; & ex iis poſtea Latina expreſſa fuiſſe. Ex occaſione de* Aſſiſto, *&* Aſſiſtor, *&* Παρίσημι: *de* aſcetriis *&* ſanctimonialibus *inter ſe aevo ſequiore confuſis: de* divis *ſive* divinis apicibus: *de Helleniſtica horum Actorum dialecto, & id genus aliis.*

PRimus qui quaeſtionem de his Actis propoſuerit, Graece ne an Latine ſcripta ab initio fuerint, Lucas Holſtenius fuit, qui in ſua ad haec Acta praefatione, *Affirmare* ſe non audere, dixit, *utrum Graeca a Latinis, an vice verſa haec ab illis promanarint: nam* (ait) *in utramque partem argumenta ſuppetunt*. Idque alii poſtea ſecuti fuerunt. At mihi contra prorſus non dubitandum videtur, quin Latina e Graecis transfuſa fuerint.

I. Ac primum Graeca dictio praeLatina eſt magis propria, ac multo magis nativa fluit. Cujuſmodi illud eſt, quod τῷ ΟΤΙ ἐξηγητικῷ in Latinis hiſce nunc particula *Quoniam*, nunc *Quia* reſpondet ex more Vulgati Scripturae interpretis, ut ſect. 2. (9) *Dicentium*, *QVONIAM* (Gr. ὅτι) *ſiquis* &c. Sic ſaepe alias. Atqui οὐ eo ſenſu eſt bene Graecum: *Quia* aut *Quoniam* non item probe Latinum: quod & interpretem ſervum prodit.

Jam vero ſtatim initio ſectionis 1. & alibi ſemper matronae Aglaidis nomen in Graeco eſt ἀναλογικὸν (*ex analogiae regulis factum*) quid enim magis regulare, quam Ἀγλαΐς, Ἀγλαΐδος? At in Latinis *Aglaes* hujus *Aglaes* anomalum eſt. Dices, hoc flecti in modum nominis *Agnes* (pro *Agne*) hujus *Agnes*, aut *Agnetis*, & aliorum id genus, de quibus ad XXI. Januar. plura diximus. At illa, de quibus ibi diſputavimus, ex Graecis ſecundae declinationis veniunt: quum contra Graecum hujus feminae nomen fuerit quintae. Itaque ex Graeco Ἀγλαΐς, Ἀγλαΐδος, Latine fiebat *Aglais*, *Aglaidis*. Verum quid moror? Iſtud *Aglaes* hujus *Aglaes*, inde fort. fluxit, quod ſolerent Latini Graecam diphthongum AΪ per ſuam AE reddere. Ergo ex Ἀγλαΐς factum initio eſt *Aglas*, tamquam ſi utrumque diſyllabum eſſet, & diphthongum in altera ſyllaba gereret (etſi utrumque ut triſyllabum efferri poſtea placuit) quod ipſum oſtendit, Latina deGraecis manaſſe. In compendio horum Actor. apud Adonem Non.Junii, *Aglahes* hujus *Aglahes* aſpiratione interpoſita id nomen ſcribitur.

Verſus finem ejuſdem ſect.1.Bonifacius inter tot vitia, τρία εἶχε κακοφθάσματα (ſatis hoc eleganter) nim.hoſpitalitatem, libe-

(9) Numeros ſectionum eos ſequor, qui in Ruinarto editionis Hollandicae occurrunt.

Digitized by Google

liberalitatem, misericordiam : at quod his Latine respondet, *Tria rectitudinis opera*, id Graecae locutionis elegantiam non assequitur, nec satis Latine dictum, ac non nisi interpretandi gratia adscitum.

Deinde sect. 2. v. 6. Θεῷ παραστῆναι forense est verbum satis probum : at in Latinis *Deo assistere* non idem plane significat ; cujus loco dicere debuisset, *Ante Deum* (aut *ante Dei tribunal*) *stisti*, aut neutraliter *sistere*. Nam contra illud *Assistere alicui* re vera est ei *patrocinari*. Plinius (cujus heic exempla potissimum profero, quippe ab aureo Latini sermonis saeculo paullo remotioris) VII. ep. 6. *Assistebam Vareno jam tantum ut amicus, & tacere decreveram* : Et X. 85. *Archippus* (*cui Eumolpus, sicut Prusae, assistebat*) *dicit se libellum daturum*. At Latinus Actor. scriptor non aliter *Assistere* usurpavit, quam ut verbum verbo appenderet : nam τῷ Παρίστημι suum consuetum παράλληλον (nempe verbum *Assisto*) e regione posuisse contentus, ceterum de sensu securum se praebuit. Idem tamen Latinus sect. XI. paullo religiosior fuit, ubi in eadem locutione eodem Latino verbo, sed tamen passivo utitur ; sic enim incipit : *Judex pro tribunali jussit* (παραστῆναι) *assisti sibi* (ead. syntaxi ac *sisti sibi*) *sanctum Martyrem*. Nec id prorsus nove. In Actis *SS. Rogatiani & Don.* apud Ruinart. n. 6. *Praeses pro tribunali residens ... Confessores praecepit assisti*.

Ad finem ejusdem sect. ὀυκτηρίως οἶκος homo Graecus recte dixerit : at Latinus *Oratorias domos* non alia de causa usurpavit, quam quia verbum verbo appendere voluit, alioqui *Oratoria* dicturus, si suomet non alieno ductu scripsisset. Ab eadem est causa, quod verbo ἀγωνίζομαι (*decerto*) Latinus verbum *Agonizor* respondere fecit, aeque ac Latinus Ecclesiastici interpres. At hoc in interprete toleramus facilius, quam in scripto quod (αὐτόφυες) genuinum haberi posse, vulgo (temere tamen) contendunt.

Sect. 3. χαριέντως appositе dictum pro *facete* : at quod Latinus ibi posuit, *Gratulanter*, nec tantumdem est, neque heic locum habet, nec postremo id aliunde usurpavit auctor, quam ut propius Graeco accederet. Putavit enim, ut a χάρις fit χαριέντως, sic a *Gratia* eadem notione dici *Gratulanter*. Mitto illud quod pro λείψανον tum heic tum sect. 2. legitur *Reliquias ideſt corpora* : nam alterum hoc nomen non puto interpretis fuisse, sed glossema adsutum.

Sect. 13. v. 3. Bonifacius antequam feriretur, μικρὰν ὥραν h. e. non *parvam horam* (quod totidem verbis Latinus heic posuit, servilem interpretem agens) sed *pauxillulum temporis*, ad orandum petiit.

Sect. 16. initio hortatur Angelus Aglaidem, ut S. Bonifacii reliquias *honeste* sepeliat : ἀναπαυσον, inquit, καλῶς : ubi καλῶς ad *honorificam* sepulturam pertinet. At interpres obviam ejus adverbii notionem secutus, reddidit, *Reconde eum bene*. Plura hujusmodi libens praetereo.

Ecquod porro manifestius indicium, quam quod Sect. 16. sepulcri ab urbe Roma distantia per *stadia* tum in Graecis, tum etiam Latinis Actis colligitur ? At id, siquid aliud, primigenium scriptorem Graecum fuisse ostendit. Quid enim magis absonum foret, quam si Latinus homo suo Marte haec scribens Graeco intervalli nomine uteretur ? At vero quod pro πεντήκοντα σταδίοις *quinquaginta stadiis* (quot scil. Graecus collegit) Latinus *quinque* tantum stadia admensus fuerit : id quam (10) habuerit causam, haud scio. Jam

(10) B. Aglais S. Bonifacium deposuit ὡς ἀπὸ σταδίων πεντήκοντα τῆς πόλεως Ῥώμης h. e. *quinquagesimo circiter ab urbe Roma stadio* : sicque in utroque Graeco Ms. [Vatic. & Colbertino] legitur ; sic etiam in sua Metaphrasi Simeon Logotheta posuit. At in Latinis omnibus [uno dumtaxat codice apud Bollandistas excepto, in quo numerus stadiorum nec cum Graeca nec cum Latina lectione consentit] in hunc modum scribitur : *Stadiis ab urbe Roma quinque* : mox additur praeter Actorum Graecorum fidem : *In via quae Latina nuncupatur*. In Adonis quoq. compendio stadia non plus quinque colliguntur. Unde vero ea variatio contigerit,

Digitized by Google

Jam vero sect. 17. sic scribitur: *Supervixit autem beata Aglaes in habitu sanctimonialis annos tredecim*. Atqui *sanctimoniales* quarto incipiente saeculo nullae erant; nec earum nomen ante quintum saeculum reperio usurpatum. Quo solo indicio textus Latini aetas fit manifesta. At in Graeco longe alia est locutio, eaque Aglaidis aevo conveniens: ἐωτιζήσατο δὲ ἡ μακαρία ἐν τῇ ἀσκήσει ἐπιδιατρία &c. Ex quibus vides Aglaen *Asceteriam* fuisse non *Sanctimonialem*: quod alterum nomen tunc inauditum erat. At quo saeculo versio Latina adornata fuit, ea jam vocabula confundebantur. Sic & apud Photium in Nomocanone tit. IX. cap. 1. Μοναστρία [i. e. *sanctimonialis*] & ἀσκητρία [*asceteria*] pro eodem ponuntur. Ex hoc jam vides, Acta Graeca & αὐτοφυῆς (*genuinum*) opus fuisse, nec diu post S. Aglaes excessum compositum: at vero Latina ex Graecis fuisse expressa, nec ante saeculum V.

Sane vero Graecis quoque Actis pauca quaedam ex posteriore manu accessisse videntur: cujusmodi illud est, quod initio ejusdem sect. 17. Aglais suas omnes substantias non tantum egenis distribuisse dicitur, sed & εἰς μοναστήρια καὶ ξενῶνας: quod quia nec tempori illi convenit [quo nondum hujusmodi loca erant] & ab interpretatione Latina abest, ex aliena manu postea accessisse, certum habeo.

II. Est & illud argumentum meo judicio gravissimum, quod ex Actorum utrorumque collatione perspicitur. Palam est enim plura in Latinis esse, quam in Graecis: solent autem quae breviora sunt, eadem & antiquiora censeri. Verum hoc levius: illud gravius, quod quae Latine tantum leguntur, ea [si quidem Acta Graeca ex Latinis traducta fuissent] plerumque majoris momenti videri debuissent, quam ut praetermitti ab interprete Graeco impune possent: cujus generis est praefatio Actis Latinis praevia, quae tempus motae persecutionis aperit, nim. Diocletiano IV. Maximiano III. Cos: quae temporis notatio vera ne sit, an mendosa, non interpretor. Sed utut est: si Graecus Latina sibi traducenda proposuit [non contra] quo piaculo temporis notationem omisisset? Adhaec eadem Latina praefatio judicis nomen depromit, quem *Simplicium*(11) vocat. Vt & initio sect. 8. qui in Graecis Actis appellative ἄρχων vocatur, is in Latinis nomine suo *Simplicius* nuncupatur. Postremo in Latinis ad finem sect. 16. dies tum passionis, tum sepulturae, hujusque locus Viâ Latinâ sedulo adscribitur: & sect. 17. de Aglaidis apud martyrem Bonifacium sepultura fit sermo: quae omnia a Graecis absunt: non abfutura, si haec posteriora Latinis essent, imo & ex Latinis transfusa. Etenim Graecus Scriptor, si quidem se interpretem gessisset, quidvis potius omisisset, quam temporum notationes, nomina impp. atque judicis, adhaec diem passionis ac sepulturae, hujusque locum Viâ Latinâ. Quae quum a Graecis absint; necesse est Graecum scriptorem fuisse antiquiorem, & ex Graecis Latina expressa fuisse, eaque eodem tempore ab interprete nonnullis accessionibus opimiora facta. Eodem, inquam tempore Latina & ex Graeco translata, & simul aucta fuere: nam in omnibus MSS. eaedem illae accessiones constanter leguntur. Et praefationis in primis stylus antiquitatem parem Latinitati

geris, haud queo dicere.

Sed tamen illud Latinorum Actorum de *Via Latina* additamentum [quod Graecus non omisisset, ut obiter moneam, si se gessisset interpretem] probum est. Nam viâ Latinâ S. Aglais obviam procedens Reliquiis, quippe ex Transmarino itinere venientibus [poterat & Appiâ procedere: at Latina infrequentior, eoque visa opportunior] eâdem illas recondidit: ex quo priore sepulcro postea in Ecclesiam S. Bonifacii in Colle Aventino translatio corporis facta fuit.

(11) Occurrit alicubi [si probe memini] *Simplicius* quidam Vrbis praefectus. Et est ceteroqui usitatum Romanis nomen, notum ex indice Gruteri & Muratorii. In hoc posteriore occurrit prae ceteris p. 1498. quidam *C. Simplicius C. F. Cluvia* tribu.

Digitized by Google

nitati totius ſcriptionis prodit: idemque de aliis additamentis judicium. Itaque quum S. Bonifatii ſumma Romae propter ejus reliquias exiſtimatio eſſet; exſtitit aliquis (idque facile quinto ſaeculo, quantum ex ſtylo poteſt conjici) qui Graeca Acta ita Latine redderet, ut etiam auctiora faceret iis partibus, quas maxime neceſſarias judicavit, quaeque Graeci ſcriptoris diligentiam effugiſſent.

Quod de ſtylo Praefationis a ceteris Actis non abhorrente modo monebam, poteſt & ex his intelligi, quae heic adſcribam. *Qui etiam Tyranni miſerunt ex perſonis ſuis, una cum divis apicibus ſuis, judicem atrociſſimum... Simplicium nomine, in partes Orientis, in Tarſum civitatem* &c. Illud *ex perſonis* (aliter *ex perſona*) *ſuis* eſt ex Graeca Scripturar. tranſlatione petitum, ubi non raro mittendi verbum jungitur cum ἀπὸ προσώπου, addito pronomine convenienti, quod in Vulgata redditur, *A facie ſua*, aut *ejus* &c. At illud *cum divis apicibus ſuis* cur quidam minus intellexerint, non video: niſi quod *divinis* [pro *divis*] *apicibus* longe uſitatius eſt: nam *divus* ad perſonam facilius, quam ad rem referri ſolet. Res autem ad principem pertinentes conſueta adulatione *divinae* aut *divales* vocabantur. Itaque Divini apices paſſim in Jure ſunt imperatorum epiſtolae; quae interdum etiam *ſacri* aut *caeleſtes* aut *noſtrae ſerenitatis apices* vocabantur: de quibus tritis appellationib. vide Juretum ad Symmachum, & Savaronem ad Sidonium. Quamquam & *divus* pro *divinus* uſurpatur in Actis S. Reſtitutae (infra expendendis ad XVI. Maii) in quibus ſect. 3. & 10. legitur *diva poteſtas*, & in epiſtola Theodori apud Baron. in adnot. ad XVI. Jun. hoc ipſum legitur *Divis apicibus*. Cur demum epiſtolae non tantum imperiales, ſed & aliorum, *Apices* vocarentur, ad Acta S. Reſtitutae [ad quae infra ad XVI. hujus menſis commentabimur] ratio deprometur.

III. Poſtremo & illud accedit, quod Graecorum Actorum ſtylus talis eſt, ut aperte prae ſe ferat, ea ab Judaeo aliquo Helleniſta fuiſſe conſcripta: id quod & antiquitatem non mediocrem ei ſcripto conciliat, ac ſimul oſtendit, Latina a Graecis fluxiſſe, non contra. De dialecto Helleniſtica ſcripti hujus adeat qui volet inferne [12] adnotata.

§. 2.

(12) *De Actorum Graecorum Helleniſtica dialecto.*

Ab Judaeo Helleniſta hoc ſcriptum prodiiſſe, non tam ex Biblica phraſeologia ab initio ad calcem uſurpata oſtenditur [quid enim? an non poterat quivis alius Chriſtianus eas locutiones uſurpare?] quam ex Judaicis ſyntaxibus. Cujuſmodi illa eſt frequens repetitio pronominis Αὐτὸς per obliquos caſus, ita ſuffixo Hebraeorum pronomini reſpondens, ut dubitare de Judaeo auctore non queas. Et ea quidem pronominis tertiae perſonae Judaica inculcatio per totam hanc ſcriptionem ad nauſeam uſque regnat. Adhaec plenoaſmus ejuſd. pronominis ita Judaeorum peculiaris eſt, ut neminem alium habere auctorem potuerit: cujuſmodi eſt illud ſect. 4. δι' ὃς [ὁδοῦ] ἐγὼ πορεύομαι ἐν αὐτῇ, *per quam* [viam] *ego ambulo in ea*: quod ſimile eſt illi ſyntaxi, *Quorum non audiantur voces eorum*; quae ſyntaxis eſt prorſus inſolens Graeciae. Adde & praepoſitionem ἐν cum motus ſignificantia uſurpatam ſect. 5. ἐλθὼν ἐν πέρσῳ, tamquam ſi Latine dicas, *Veniens in Tarſo*: & ſect. 6. v. 1. ἀναπεσὼν ἐν τῷ ταδίῳ. Cui & illud ſimile eſt, quod Επὶ cum motus ſignificantia cum genitivo jungitur ſect. 8. ἀχθήτω ἐπὶ τοῦ βήματος, tamquam ſi diceres, *ducatur in tribunali*. Atqui Judaeos graeciſſantes ea conſtructione delectatos, oſtendi ad XXV. April. ad Acta S. Marci. Sed & illa ſyntaxis nihilo minus Judaica eſt ſect. X. ἀνάθεμα τὰ εἴδωλα. Poſtremo illud ſect. 3. ἐπεὶ τὸ ἐμὸν λείψανον ἐὰν ἔλθῃ, εἰς ὄνομα μάρτυρος δείχῃ αὐτῷ, haud facile expediveris, niſi illud ἐὰν pro δυνατῷ μορίῳ [*potentiali particula*] more Judaico accipias, ἐὰν ſcil. pro ἄν; ac rurſus intelligas, iſtud ἐὰν ſive ἄν, per tmeſin ab ἐπεί ſejunctum, cum eodem necti (κατὰ διάνοιαν) oportere, ut fiat ἐπειδὰν *poſtquam*, ac totidem verbis interpretere: *Poſtquam vero meum corpus venerit, in nomine martyris accipis* [pro *accipies*] *illud*? In quo & praeſens pro paullo poſt futuro, & τὸ *In nomine* loco praepoſitionis *Pro*, ſunt omnia ex Judaeorum Helleniſtarum ingenio.

Sed jam videor e ſyntaxibus ad Judaicas locu-

Digitized by Google

§. 2.

Respondetur objectis. Quid sit γένος λαμπρὸν, & *de* clarissimatu: *quid* καντιδᾶτον φαίνειν, & Candidam agere *seu* gerere, *ac de Codicis Th.* Candidatu: *fuisse dignitatum titulos cum uxoribus quadamtenus communicatos*.

Quaenam Holstenius pro adversa parte argumenta habuerit [ut qui praefatur, sibi *in utramque partem argumenta suppetere*] non satis video. Nisi vero hoc illum perpulit, ut ita scriberet, quod quidam in Graecis Actis Latinismi sint, qui videantur ex Latinis Actis manasse. Sic statim initio Aglais dicitur filia Ακακίου, γένους λαμπροῦ; quod fort. expressum sit ex eo, quod Latine scribitur, *Acacii, genere.. clari*. Verum τὸ Λαμπρὸν heic dignitatis nomen est, eoq. retineri a Graeco scriptore immutatum debuit; sicuti & Latini Graecas Aulae CPolitanae dignitates ἀπερμηνεύτους [*integras*] usurpant: Porro *CLARA persona* est senator, vel ejus uxor l. 5. D. *de cur. fur.* Eodemque pertinet *clara dignitas* in l. ult. D. *quod met. caus.* Vt & *Clarissimi* & *Clarissimatus* eodem sunt referendi. Ceterum quod proxime sequitur, *Quondam proconsulis*, id multo felicius in Graeco dicitur, ἀπὸ ἀνθυπάτων: quod debuisset interpres κυρίως [*proprie*] reddere, *ex proconsule*, aut *ex proconsulibus* [quomodo in utroque Codice & Ammiano dignitates olim gestae efferuntur] si quidem aevo feliciore vixisset.

Sunt praeterea & illi Latinismi: ut num. 13. σωσκυλάτωρ [etiam Marci VI. 27. Graece & Latine usurpatum] & n. 14. κομμεντάρησιος: quorum in Latinis illud est *spiculator*, hoc *commentariensis*. At haec quoque passim apud illius saeculi Graecos scriptores κατὰ τεχνικὴν γλῶτταν usurpata reperias.

Quid quod e contrario num. 6. illud βάκλοις respondet *fustibus*, & πάλον redditur *stipite*; & n. 3. λεκτίκια [qua voce & Alex. Trallianus utitur] vocat Latinus *basternas*? Annon hinc palam fit, illas voces [quas dixeris ex Latino Graecas] non ex Latinis Actis [in quibus diversae omnino sunt] manasse, sed fuisse jampridem Graecis vulgo usurpatas?

Est & ille Latinismus haud paullo difficilior num. 1. αὐτὸν δὲ τρίτον ΚΑΝΔΙΔΑ ἐφαξεν ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ἐπαρχόπατα: quae Latine satis infeliciter explicantur in hunc modum, *Haec* (Aglais) *ergo ter CANDIDAM egerat apud urbem Romam ex Praefectura*: quod nihil est: etsi olim scriptum fuisse suspicor, & *praefecturam*. Et Henschenius quidem in adnotatis ad Acta Latina quaedam ex conjectura de suo supplens, sic eum locum restituit: *Haec erat vidua N.* [alicujus scil. cujus nomen vetustas deleverit] *qui ter candidam egerat*, & quae deinceps sequuntur: ratus scilicet, honores istos viris non feminis convenire. Verum Latinorum Graecorumque omnium MSS. consensus vulgatam scripturam sollicitari vetat. Nec verum est, honorificos saltem dignitatum titulos ita virorum fuisse proprios, ut cum feminis non communicarentur: nam *clarissimatus* etiam ad uxores pertinebat, ut & aliae quaedam honorum nomenclationes. Verum ne lectorem morer: res, uti suspicor, ita se habuit. Actorum Graecorum scriptori

cutiones transiviſſe: cujus generis ſexcentae ſunt in hac hiſtoria: cujuſmodi duae ſunt illae inſignes, una ſect. 8. [κοινὸν ὄνομα, *commune nomen*] altera ſect. 11. de *odore ignis*: de quibus dicam §. 3. Adde quod ſect. 15. σκήνωμα [*tabernaculum*] pro *corpore* uſurpatur. Adde & illud quod ſtatim initio Aglais γυνὴ μεγάλη [*mulier magna* i. e. *potens*] eadem notione dicitur, qua Job *vir magnus inter orientales*. Et quod ſect. 2. Καὶ νῦν ἰδοὺ (& *nunc ecce*) μεταβᾶσα &c. tranſitio eſt Judaeis uſitatiſſima.

Sect. 14. initio, ἤρξαντο λέγειν, *coeperunt dicere* [pro *dicebant*] *ad invicem*. Verum quid pluribus opus eſt, ubi res ipſa loquitur, haec non niſi aliquem ex Judaeo Helleniſta Chriſtianum iſto modo balbutiviſſe? Hinc autem diſcimus, quarto ſaeculo [quo haec Acta prodiiſſe oportuit] Helleniſticam, uti vocant, dialectum adhuc Judaeis in uſu fuiſſe. Sed tamen Helleniſtica monumenta tertio & quarto ſaeculo rariora eſſe coeperunt: quae primo & altero ſane quam frequentia fuerant.

Digitized by Google

ri nomen mariti Aglaidis ignotum fuit [quid enim mirum, homini Asiano quae Romae gesta fuerant latuisse?] sciebat autem, eum ter praetorem & praefectum urbis fuisse. Atqui earum dignitatum appellationes sub posterioribus principibus etiam uxoribus communes interdum fiebant, ferme in eum modum, quo nunc quoque proregis uxor *Viceregina*, & gubernatoris *Gubernatrix* vocatur: ut de imperiali domo taceam, in qua etiam ad principum conjuges honorifici tituli quidam derivabantur. Hinc Graecus Actorum scriptor partim quod mariti nomen nesciret, partim brevitati studens, quod dicendum de marito fuerat, id uxori non ineleganter tribuit. *Haec*, inquit, *tertium* (καὶνδίδα) *Candida* [ea est praetura] *Romae & praefecturam gessit*.

Jam vero quod dixi, illud Καὶνδίδα esse praeturam, id didici ex l. 21. C. Theod. *de praet. & quaest.* ubi *Candidatus* substantiva notione est praetura. *Qui per singulos annos ad CANDIDATVM atque honores certos noscuntur*, sive potius *nominantur*, quo modo recte J. Gothofr. ex Ms. restituit; quem ibi vide. Atqui substantivum *Candidatus* Graecis, opinor, Καὶνδίδα, ut hinc constat, dicebatur: pro quo Latinus interpres posuisset *Candidatum*, si aevo feliciore vixisset. Nunc vero Graecum CANDIDA [pro quo forsan alii *Candidam* reposuerint] retinuit.

Quamquam si verū amamus, femininum CANDIDAM probum esse, Acta S. Eleutherii Ep. & M. suadere possunt. Exstant autem ea apocrypha S. Eleutherii Acta apud Papebrochium die XVIII. Aprilis, in quorum initio sic de Eleutherii patre scribitur: *Qui tertio CANDIDAM Romae ediderat*: sive, ut in aliis Mss. legitur, *Quum primus fuisset senator, ac ter Candidam edidisset*. Quae non est mihi dubium, quin horum Actorum fabricator ex illis S. Bonifacii desumpserit; ac proinde jam tum in his CANDIDAM lectum fuisse oportet.

His adde S. Ambrosium aequalem his Actis scriptorem. Nam quid CANDIDAM Latinus Actorum S. Bonifacii interpres appellaverit (missa Papebrochii (13) originatione vocabuli) ex Ambrosio liquet. Etenim quin *Candidam* IV. saeculo editionem ludorum Romani vocaverint, dubitare nos minime sinit Ambrosii locus serm. 81. a Gothofredo productus. *Praeparemus*, inquit, *nova & praeclarissima munera, edamus primam Candidam in vestitu nudorum, secundam vero non minus nobilem* &c. Huc etiam advocat Cangius illud, quod in Passione SS. Seraphiae & Sabinae legitur: *Filia Herodis Metallarii cujusdam, qui sub Vesp. Aug. ter in urbe Roma candidam confessionem* (Cangius reponit *editionem*: etsi nulla est scripturae similitudo) *dedit Romanis*. Quae etiam verba ex Latinis S. Bonifacii Actis adscita videntur.

Ex hactenus dictis vides, quae in Graeco Καὶνδίδα vocantur, sive accipienda esse pro *Candidatu* i. e. praetura (maxime quum ἐπαρχότητα *praefecturae* jungantur) sive pro ludorum editione, ad quam *quaestores* scil. *candidati* (vox est in Cod. Theod. & Symmacho & in lapidib. frequens) h. e. ad praeturam designati, tenebantur. Lampridius in Alex. Severo: *Quaestores candidatos ex sua pecunia jussit munera populo dare: sed ut post quaesturam praeturas acciperent, & inde provincias regerent*. Hinc ea in Kalendario Hervvartiano aevi Constantiniani XIII. Kal. Jan. vocantur plena locutione, *Munera candida* (quae scil. eo die dari consueviſſe ex eo Kalendario discimus) & in his Graecis S. Bonifacii Actis absolute Καὶνδίδα. At vero quum alibi Latine *Candidam* feminino genere legimus, ibi sive *editionem* sive quid simile subaudire licebit. Verum

(13) Ad recitatum Actorum S. Eleutherii locum suspicatus est Papebrochius, *ludos Circenses* ibi fortassis intelligi, *Quibus*, inquit, *initium dabat novus consul missa seu explicata mappa*; de quo citat Alex. VVilthemium ad Diptychon Leodiense. Ergo a mappae *candidae* explicatione CANDIDAE nomen derivat. Quin & hunc, de quo nunc disputamus, Actorum Bonifacii locum Henschenius (in Adnot.) de ludis aut congiario intelligit.

Digitized by Google

Verum (ut noſtrum maxime penſum peragamus) ſi Latinus Actorum ſcriptor ſuo illa Marte effudiſſet, numquam ſic locutus fuiſſet, *Candidam egerat*; ſed dixiſſet *ediderat*, quo tunc modo omnes loquebantur. Nunc quia interpretem egit; Graeco ἐπραξεν reſpondere fecit Latinum *Egerat*. Nam in vet. Gloſſis Πράττω plerumque redditur *Ago*, & Πράττων *Agens*. Nimis ſane improprie Latinus interpres ſe geſſit. At Graeci auctoris κυριολογία (*loquendi proprietas*) admiranda fuit in eo quod verbum πράττω uſurpavit: niſi me Gloſſarum excerpta fallunt, quae Carolus Labbeus Gloſſario Cyrilli intexuit, in quibus Πράττοντες ſunt *Candidati* h. e. ad praeturam deſignati, iidemque ludorum editores. Eodem forſitan & illud pertinet, quod in nummo Neronis Nicaeenſium apud Vaillantium in averſa parte legitur: M. TARKYITIOY. ΠΡΙΣΚ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ. *M. Tarquitio Priſco procos. faciente* [ſupple fortaſſis *ludos*] ſive uno verbo *edente*.

§. 3.

In utrumque Actorum textum paralipomena quaedam. Quid ſit κοινὸν ὄνομα, commune nomen; *& cur martyres de proprio nomine interrogati, generale* Chriſtiani *nomen obtruderent. De Baſterna. Jejunium Translationi Reliquiarum praevium. Texus haud ſemel emaculatur. Odor ignis. Κονδὸς quid.* Robuſtus *pro* Ruber, *ſive* Flavus. *De Armelauſia. Noceo cum quarto caſu. Κορμὸς. Riſus agnoſcentium proprius. Ταξεώτης. Defunctio quid ſit. Quid ſit* EXALTARE. *Gloſſis & Columellae lux.*

Jam hoc evicimus, haec Acta Graece primitus ſcripta fuiſſe, nec diu poſtea de Graeco in Latinum transfuſa, ac totidem quidem plerumque verbis. Quamquam vero ex occaſione plura paſſim in utrumque textū adnotavimus; adhuc tamen pauca reſtant animadverſione digna. Jamq.ut inde ordiar: quis illud expedierit, quod ſect. 8. legitur? *Judex autem ait ad eum: Quid vocaris? Beatus Bonifatius dixit: Jam dixi tibi, quia Chriſtianus ſum: ſi autem vis diſcere COMMVNE nomen meum* (Graece totidem verbis, ᾧ κοινὸν ὄνομά μου) *Bonifatius vocor*. Atque idem prorſus in Actis S. Thallelaei reperio (apud Papebrochium die XX. Maii p. 180. num. 2.) qui de nomine interrogatus reſpondit: Χριστιανός εἰμι· εἰ δὲ ᾧ KOINON ὄνομά μου μαθεῖν θέλεις, Θαλλέλαιος λέγομαι. *Chriſtianus ſum: quod ſi COMMVNE* (non recte interpres, *Vulgare*) *nomen meum ſcire cupis, Thallelaeus vocor*. Et ea quidem Thallelaei Acta parvi aeſtimat Tillemontius; quem vide to. 4. in S. Cajo Papa. Quorum auctor verba, quae modo adſcripſimus, ex antiquiore hac prorſus S. Bonifacii hiſtoria mutuatus, ad ſuum Thallelaeum vertit.

Eſt hoc autem in actis beatorum martyrum perquam familiare, ut de nomine quaeſiti, non aliud nomen quam *Chriſtiani* promerent. Quin & de *Sancto* M. hoc prae ceteris narrat Epiſtola Eccleſiae Vienn. & Lugd. apud Euſebium, quod *nec ſuum, nec gentis, aut civitatis ex qua eſſet oriundus, nomen, nec utrum ſervus eſſet an ingenuus, prolocutus fuerit: ſed ad omnes interrogationes Romana lingua reſpondit, CHRISTIANVS SVM. Hoc ſibi nomen, patriam, genus, omnia denique eſſe, ſubinde profitebatur.*

Verum quid illud ſibi vult, quod heic *Commune* nomen vocant? An non potius *Chriſtiani* nomen *Commune* omnibus dicendum erat, *Bonifatii* vero aut *Thallelaei* proprium? Atqui ne dubita, quin id ex conſuetudine Helleniſtarum petitum fuerit, quibus κοινὸν & *commune* tantumdem eſt, quod *profanum* & *immundum*: quod alibi *carnale nomen* dicitur, ac ſpirituali opponitur. In Actis S. Hilariani [apud Boll. ad 16. Martii] Tatianus Diac. de nomine interrogatus reſpondit: *Nomine carnali Tatianus vocor, ſpirituali vero Chriſtianus.*

Ex eo vero Bonifacii & Thallelaei reſponſo tandem ediſcimus, ecqua mens Martyribus fuerit, quando nomen priſtinum ſuum non audentes depromere, ejus loco ſe *Chriſtianos* vocarent. Nam qui ſic ſe gerebant, ii nomina ſua priſti-

Digitized by Google

na pro impuratis habebant, utpote die *luſtrico* (uti appellabant) non ſine ſacris impoſita. De ſacrificio, quod die luſtrico ſive *Nominalibus* fiebat, fidem faciunt Ariſtophanes Avibus, Euripides Electra, Suidas in Δεκαται ἱσταμεναι. Adhaec Feſtus & Macrobius *luſtricos dies* inde nuncupatos prodiderunt, quod tunc *luſtrarentur* pueri, quum eis nomina imponebantur. Is dies apud Romanos octavus femellis, nonus pueris erat: at apud Atticos decimus. Sed cetera jam ſuo quaeque ordine perſequamur.

Sect. 3. *Accepit autem puer Bonifatius... duodecim equites, & tres baſternas.* Et infra ſect. 15. Bonifatii Martyris corpus conſervi ejus *poſuerunt in una de baſternis*. Ex his vides, accepiſſe Bonifacium baſternas non aliorſum, quam ad collocandas Reliquias; nec minus quam tres, ut ſi forte plura Martyrum corpora ſibi comparare daretur, haberet ubi reponeret. Quid autem proprie *baſterna* fuerit, Graecus horum Actorum auctor declarat, apud quem utroque loco pro *baſternis* λεκτικιαι (*lecticulae*) uſurpatur. Item in Gloſſario Nomico ſic ſcribitur: Λεκτικιον, βαστερνα, κραββατον. Ex quibus liquido conſtat, *baſternam* fuiſſe tantumdem quod Graecis λεκτικιον (14) *lecticulam*. Erat igitur *baſterna* parvae lecticae genus: ſed hoc primum intererat, quod lecticae ſervorum cervicibus, baſternae binorum (15) burdonum dorſis gererentur: ut plane *baſternae* ſimillima fuerit hodiernae Italorum (16) *Lecticae*. Adhaec baſterna non niſi tecta (17) erat, ac plerumque matronale vehiculum; quum tamen lecticae etiam apertae uſurparentur, & in utriuſque ſexus uſu promiſcuo. Atque haec de baſterna animadvertiſſe contentus, lectores plura cupientes ad Salmaſium, Schefferum, Roſweidum in Onomaſt. ad vitas Patrum, Meurſium in Gloſſ. Gr., Martinium, Voſſium in Etym., & Cangium in Gloſſ. Lat. rejicio. Ex paucis enim quae heic obſervavi, & ex laudatis doctor. viror. locis non dubito quin juſta baſternae notitia hauriatur. Ceterum ex hoc loco diſcimus, antiquos Chriſtianos Martyrum Reliquias baſternis, tamquam honeſtiore vehiculo, deportare conſueviſſe. Nec enim pro re nata baſterna heic uſurpata fuit, ſed deſtinato conſilio paratae tanto ante baſternae fuerunt.

Sect. 4. Sic ſecum reputat Bonifacius: *Juſtum eſt vere, ut neque carnes contingam, neque vinum percipiam; quoniam... Corpora SS. Martyrum portare habeo.* Quae periphraſin veteris jejunii (18) complectun-

(14) Quod Graeci *Baſternam* per diminutivum λεκτικιον [*lecticulam*] redderent, id notat, baſternam minorem fuiſſe, quam pro juſtae lecticae modulo. Nec immerito, nam baſterna a binis burdonibus aut etiam mannis vehebatur; quum contra lectica plerumque a ſenis exquiſitae proceritatis mancipiis, interdum octo [unde ſunt *hexaphori* & *octophori* nomina] gereretur. Adde quod quum bini illi baſternae vectes jumenti unius ante, alterius retro, dorſo inniterentur, ex eo intelligitur, baſternam vectium illorum inter ſe intervallo non fuiſſe latiorem. At lectica patebat multo latius.

(15) Exſtat de baſterna epigramma vetus in Pithoei collectione, cujus alterum diſtichon tale eſt: *Hanc geminus portat duplici ſub robore* [duos baſternae vectes intelligit, quos *amites* vocat Palladius VII. 2.] *burdo, Provehit & modico pendula ſepta gradu.*

(16) Vide modo allatos veteris poetae verſus, in quibus non aliud, quam id quod hodie vulgo *Lecticam* dicimus, liquido cernes. Niſi quod in hodierna lectica vectores ſedent: at in baſterna cubabant. Porro Servius id ſuo tempore *baſternam* [eſt enim vocabulum inclinatae Latinitatis] dici teſtatur, quod olim *pilentum* vocabant. Atqui non prorſus idem: nam pilentum binis conſtabat rotis, quibus baſterna carebat.

(17) Id quoque ex veteris epigrammatis proxime laudati, quod Voſſius & alii protulerunt, diſticho tertio intelligitur. Adhaec in Iſidori Gloſſis *Baſterna* exponitur, *Tecta*, ſupple *lectica*. Locus ſic habet: *Baſterna, Tecta manualis.* Ex quo loco quidam probare voluerunt, manibus etiam geſtari conſueviſſe. At ſcite alii pro *Manualis* reponunt *Mannalis*; quod ſcil. non tantum a mulino genere, verum etiam a mannis portaretur.

(18) Huc pertinet illud Metaphraſtae in ſua S. Bonifacii vita, in hac ipſa narratione: νηστείας καὶ σπουδὴν ἐχόμενος, *jejunio dans operam in illo itinere.*

Digitized by Google

stuntur. Translaturi olim Sanctorum Reliquias, ad id opus jejunio se comparabant: id quod ex pluribus constat historiis. Atque hodiedum hoc mansit, ut Episcopi pridie jejunent, quam Ecclesiam consecrent: non id alia de causa, ut equidem interpretor, quam quia Reliquiarum Translatio sub Altari reponendarum prope unicus initio fuit Consecrationis ritus, qui etiamnum potissimus est. At enim (objicit Tillemontius) quo pacto haec tanta Bonifacii abstinentia cum conservorum expostulatione stat, qui (infra sect. 14.) eum *non invenientes, coeperunt dicere: Ille modo in adulterio, aut in taberna positus epulatur; & nos circuimus ubique requirentes eum*. Mox paucis interjectis ajunt: *Homo quem nos quaerimus, magis in taberna requirendus est*. Verum haec facile conciliantur, si concipiamus, in suo itinere Bonifacium, quocumque vesperi divertisset, clam conservis suis solvisse jejunium. Nam quemadmodum is sect. 5. Tarsum adveniens per causam videndorum amicorum (quorum nomine Martyres intelligebat) a conservis divertit; idem & in singulis mansionibus factitasse illum, reor. Quam secessionem conservi aliorsum accipientes, eum (clam scil. abstinentem) ad solitas voluptates animum adjicere, calumniabantur.

Sect. 6. Bonifacius inter diversa Martyrum tormenta vidit ἄλλον περιζόμενον ὑπὸ δυμίων. Atqui illud περιζόμενον nihil est: nec dubium est, quin expuncta vocali E, legendum sit φριζόμενον, ac vertendum, *Alium* (vidit) *secari a carnificibus*. Tametsi is error, ut fatear, non hodie aut nudius tertius codicem Graecum invasit. Etenim jam olim, quum versio Latina adornata fuit, Latinus interpres monstrosum istud περιζόμενον in suo codice reperisse videtur. Hinc illa portentosa interpretatio fluxit, *Alium exterminatam habentem faciem*. Ecquod enim τὸ φριζοθαι [*sectionis*] vestigium in hac tota interpretatione? Quae quum insolens ac mira prorsus sit; necesse est interpretem ad illud περιζόμενον [quod hodiedum legitur] haesisse attonitum; ac non nisi Glossarum Graeco-Latinarum [quas jam tum exstitisse, non dubito] subsidio adjutum fuisse, ut ea verba, quae supra adscripsi, exsculperet. Etenim ἰζόμαι & ἰζάνω inter cetera significat *subsidere & pessum ire*. Et in Cyrilli Glossario, quod Labbeus edidit, Περιζάνω (loco τὸ περιζάνω) redditur *Perfrixit*. Fortassis igitur in eam partem illud περιζόμενον (pro περιιζόμενον) accepit; putavit enim tamdiu illius Martyris faciem a carnificibus fuisse *perfrictam*, donec eam *exterminatam haberet*. Nam in Glossis *Extermino* idem, quod ἐξολοθρεύω, *perdo*. Vtut est; certe Latinus interpres περιζόμενον in suo codice legit. Nec aliter fortassis & Metaphrastes in suo reperit; sed tamen, qui esset apprime eruditus, statim pervidit, legendum esse φριζόμενον; unde in sua metaphrasi sic posuit, ἄλλος ἐφρίζετο, *Alius secabatur*. Hactenus dicta novum argumentum suppeditant, ex quo intelligatur, textum Graecum fuisse primitivum, ex eo vero Latinum postea transfusum fuisse.

Ibid. paullo ante finem sectionis hujus σκότος [i. e. *caligo*] metaphorice usurpatur ac nove pro eo, quod est *stupor gravissimus*. Locus sic habet: *Et erat omnino* [σκότος δεινὸν] *stupor gravis tormenta talia conspicantibus*. At Latinus interpres sensum tantum aucupatus reddidit, *Et horror magnus ac pavor intolerabilis erat his* &c. Hoc quidem leve.

At illud non inscite dictum in fine sect. XI. ὡς κηρὸς, ὅταν ὀσφρανθῇ πυρὸς, h.e. totidem verbis, *sicuti cera, ubi odorata sit ignem*, pro *igni admota*. Sed id scitamentum interpres vetus, miram locutionem ratus, neglexit: quod tamen Graecus auctor ex Jud. XVI. 9. imitatus fuerat, ubi apte Hieronymus reddidit, *Quum odorem ignis acceperit*. Simile est & illud. *Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis* [i. e. ne levis quidem afflatus] *non erit in te*. Post recitata verba in Latino sic sequitur: *Et Sanctus quidem non est molestatus* [ab igne] *incendit autem de AFFLANTIBVS viros multos*.

Illud *afflantibus* Graeco ὑπερετικόσιν [*miniſtrantibus*] non male quidem reſpondet ; ut ad *afflandum* illud ὑπηρετεῖν (*miniſterium*) pertinuerit . Tamen ne dubita , quin Latine ſcribas *aſtantibus* , maxime quum Graece παρεστῶσιν in codice Colbertino pro vulgato ὑπερετικόσιν reperiatur .

Illud gravius , quod ſect. 14. Bonifacii vultum conſervi ejus per haec ſigna diſtinguunt . *Vir eſt quadratus , craſſus , robuſtus , capillo compoſitus* . At Graece nihil τῷ *Robuſtus* reſpondet , ubi ſic legitur : Ἀνὴρ (19) τετραγωναῖος , παχὺς , ξανθὸς . An igitur *Robuſtus* ad ξανθὸν colorem pertinet ? Ita ſane . Etenim ξανθὸν Gloſſae *Rubrum* interpretantur . At antiquis *Robum* [& inde *Robuſtum*] pro *Rubro* dixiſſe Feſtus his verbis docet : *ROBVM , rubro colore . . . Hinc & homines valentes & boni coloris , ROBVSTI.* At quod in Actis ſequitur, *Capillo compoſitus* quo pertinet ? Nec enim ei quidquam Graece reſpondet . Omnino videtur legendum, *Robuſto capillo compoſitus*; hoc enim totum reſpondere voluit τῷ ξανθὸς . Nam *flavi* aut (ἰδιωτικῷ ſermone) *robuſti* ii dicebantur, qui caeſariem ejus coloris gererent . Itaque interpres , ni magnopere fallor , illud ξανθὸς reddiderat , *Robuſto* [i. e. rubro ſive flavo] *capillo compoſitus* . At deinde ſemidocti librarii eam locutionem abſurdam rati [quid enim ? an de Sampſone agebatur , cujus robur in crine erat ?] id in duo membra partiti ſcripſerunt, *Robuſtus , Capillo compoſitus* .

Statim deinde hoc ultimum inter Bonifacii διαγνωστικὰ ſigna ſubnectitur : *Coccinea armelauſia indutus* . In Graeco , ῥούσιον ἀρμιλαύσιον φορῶν . De *Armelauſia* [quam Graeci neutraliter efferunt ,] jam viri docti pleraque occuparunt . Videantur prae ceteris Salmaſius ad Trebell. Pollionem, & Cangius in Gloſſario. Vox ea a Latiniſne ad Graecos , an contra , manavit ? Etenim Suidas in Etymologico Ms. ab *armis* (ὅπλοις) quibus (20) ſuperinducebatur , dictam exiſtimat : at contra Iſidorus ab *armis* ſive humeris deducit , ex eo ſcil. quod inferne *ante & retro diviſa atque aperta*, circa *armos tantum clauſa , quaſi armiclauſa* . Atque huic formae veſtis favet hoc, quod ſcapulare monachorum eodem nomine donabatur . Gloſſae Iſidori : *Armilauſa , Scapulare monachorum* . Porro vox ea Latinis varie ſcribitur , cum E aut I , *Armelauſia* & *Armilauſia* ; & una ſyllaba minus, *Armelauſa*

(19) Heic in Cod. Colbertino pro τετραγωναῖος [i. e. *quadratus*] ſcribitur Κορδός : quam vocem nuſquam alibi , quam heic , & in Cyrilli vet. Gloſſis reperio , in quibus ea dictio exponitur *Curtus* : quae notio heic optime quadrat. Ceterum minus huc facit illud Heſychii , apud quem Ἄκορδος eſt ἄχαρις *ingratus* , ubi & hanc affert cauſam , quod Κορδὰς *gratiam* ſignificet . Κορδός igitur *Curtus* eſt .

Atqui haec codicis Colbertini lectio , quamvis conveniens huic loco ſit ; tamen novitatis ab interprete convincitur , qui *Quadratus* reddidit , utique quod in ſuo codice τέτραγωναῖος reperiſset . At vero qui Codicem Colbertinum exaravit , rem abſurdiſſimam ratus , ſi idem bis inculcaretur [etenim τετραγωναῖος *quadratus* & παχὺς *craſſus* idem plane ſignificare videntur] prius illud in Κορδός (*Curtus*) mutavit , volens Bonifacium *brevem* ſimul & *obeſum* fuiſſe .

Quamquam [ſi , quid in his Actis τετραγωναῖος ſit , ex Latina voce *Quadratus* metiri vo-

lumus] apud Columellam VII. 12. canis *quadratus* is eſt , qui nec longus nec brevis ſit . Item Celſus II. 1. *Corpus* , inquit, *habiliſſimum quadratum eſt* [h. e. mediae ſtaturae] *neque gracile, neque obeſum* . Poſteriora haec non ad *quadrati* definitionem pertinent ; verum ea corpora *habiliſſima* eſſe vult , quae nec mediocrem ſtaturam excedant , nec ſint juſto habitiora aut graciliora . Ergo non recte Colbertini codicis deſcriptor pro τετραγωναῖος [*quadratus*] κορδὸς i. e. *curtus* repoſuit ; quum prius illud non habitudinis ſed ſtaturae vox ſit , & quidem mediae , non autem brevis .

(20) Suidae verba ſic affert Meurſius in Gloſſario : Ἀρμιλαύσιον , παρὰ τὸ ἄρμα , τὸ ὑπὲρ τῶν ὅπλων . Quibus verbis ad Latinam vocem *Arma* (ὅπλα) ſpectavit : quae vox Graecis recentioribus ἄρμα ἁρμάτων inclinatur . At reliqua illius vocabuli videntur ſine Graeculi ab ἁλαύνω derivaſſe . Citat ibid. Meurſius Rigaltii Gloſſas , quas ad manus non habeo .

Digitized by Google

lausa & *Armilausa*, ut alios corruptiores scribendi modos taceam: at Graecis semper ἀρμελαύσιον. Ceterum de *coccineo* colore haud temere heic mentio facta fuit; nam & alios colores gerere poterat, quippe quum & *Armilausam prasinam* Juvenalis Scholiastes memoraverit. At puto coccineum colorem fuisse usitatiorem. Paulinus Ep. 13. *Minime monachali caliga & veste, quum praeterea facie non minus, quam armilausa RVBERET*. Hunc vero colorem, quem Graecus auctor ῥύσιον vocavit, non immerito interpres *coccineum* reddidit; nam & e contrario in Cyrilli Glossis Graeco-Latinis Κόκκινον vertitur *Rusceum* h.e. *Russeum*: *Russeum*, inquam, non *Ruseum*: nam Latini [quibus ea vox magis familiaris, quam Graecis fuit] cum duplici sibilo efferunt. Extat & in Vet. lexico [apud H. Steph. in Appendice in Ρούσιος]istud: *RVSSEVS... Coccinus color, & flammeus, vel qualis est rubricae Sinopicae.* Et quae ibid.sequuntur.

In fine ejusdem sectionis. *Quid enim VOS nocebit venire usque ad stadium, & videre si ipse est?* Nocendi verbum nonnunc primum cum accusandi casu jungitur; nam & Tertullianus in de Exhort. castitatis sic antea scripserat cap.XI. *Puto nobis non magis licere nascentem nocere* [per medicamina scil.] *quam natum*. In Actis S.Perpetuae sect.4. *Non me nocebit in nomine Domini Jesu Christi*. In Actis SS. Claudii & Asterii n.I. apud Ruinart. *Non me poteris nocere*. Eodem pertinet & illud passivum personale Justini XLIV.4. *Itaque quum non solum non noceretur, verū quarumdam uberibus aleretur*. Haec eo notavi, ne qua vis amplius inferatur lectioni Plautinae.Scripserat is Mil.Glor. Actu V. v.18.

Jura, te non nociturum esse hominem de hac re neminem.

Et ita in omnibus Mss. reperiri, testatur Taubmannus. Tamen idem Lambinum & Acidalium secutus edidit *homini nemini*: quod & alii arripuerunt. At tu ne dubita, quin accusandi casus e Comici manu fuerit.

Initio sect.15.pro σκίνωμα [h.e. *tabernaculum* : quo modo in N.T. Hellenistae Judaei *corpus* vocare amant]in Colbertino legitur pulchre τὸν κορμὸν i.e. *truncum*. Sicuti enim Virgilio corpus avulso capite *Truncus* vocatur; idem quoque loquendi genus & heic usurpatur. At Eustathius [apud Cangium in Glossar.Gr.in Κορμὸς] nimis anguste κορμὸν definit: τὸ ἀπὸ τραχήλου μέχρις αἰδοίων κύπτος τῷ σώματος δίχα τῶν χειρῶν, ὃ καὶ θώρακά τινες καλοῦσιν, ἕτεροι δὲ κορμὸν, ἰδιωτικῶς. *Qui a cervice ad genitalia modus corporis pertinet, sine manibus: quod & [θώρακα] thoracem quidam appellant, alii κορμὸν truncum, vulgari sermone scil.* Quo satis indicat, id nomen inter κιβδηλα numerasse grammaticos. Mox quod Martyris caput in conservorum suorum conspectu positum *risisse* dicitur, is habitus ac gestus est agnoscentis suos. Nam quibus loqui non licet, non id aliter, quam arrisione faciunt. Servius ad illud Ecl.4.

Incipe parve puer risu cognoscere matrem, sic adnotat: *Sicut enim majores natu se sermone cognoscunt; ita infantes, parentes risu se indicant agnòscere*. Paucis interpositis, recte Interpres *Officialem* reddidit eum, qui in Graeco est ταξιώτης; nam ea vox *apparitorem praesidis* designat,quemadmodum ea in Pandectis exponitur. At in Cyrilli Glossario ea non tantum vertitur *Apparitor*, sed & *Officialis*, aeque ut in hoc nostro interprete. Porro quod in his Actis ταξεώτης cum E ex Mss.editum fuit, id frustra editor in margine monuit legendum esse cum I ταξιώτης. Non id inquam necesse fuit; nam utroque modo scriptum reperitur. Etenim in Cyrilli Glossis cum I occurrit, at alibi passim in Mss.cum E: quod posterius magis adprobat H. Steph. in Thes. Ea variatio inde orta videtur,quod τάξις in obliquis utramque vocalem admittat. In eadem sectione extrema Interpres ait: *Glorificantes Dominum super DEFVNCTIONE sancti Martyris*. Cui Graece respondet ἐπὶ τῇ τελειώσει [h.e. *perfectione* sive *consummatione*] τοῦ ἁγίου μάρτυρος. Pulchre *defunctionem* pro *consummatione* usurpavit: sicuti

& ali-

Digitized by Google

& alicubi in Pandectis [locus is a me in *de Dedic. sub ascia* illustratus fuit : ubi & similem Ovidii locum attuli] sepulcrum *functum* dicitur, illud scil. quod jam ex illatione corporis *consummatum* aut *perfectum* vocabatur, quia jam religiosum evaserat.

At illud quid sibi vult, quod supra sectione 6. praeterieram, ubi Bonifacius inter varia Martyrum supplicia vidit *Alium stipite in collo ejus infixo, & EXALATVM in terra?* Sic enim in vet. Interprete legitur. Sed enim meo periculo corriges EXALTATVM h. e. βαθυνόμενον, sive *alte defossum*. In Cyrilli Glossis Βάθυνσις redditur *Exaltatio*, & ibidem *Exalto* respondet Graeco Βαθύνω h. e. *profunde* sive *alte deprimo*, Quo etiam spectat Columellae locus III. 13. nondum plane intellectus : *Sulcos dirigunt fodiuntque, & EXALTANT in tres pedes*. Vbi ὡς *Exaltant* vulgo interpretantur *Erigunt* : parum scite : nam contra est *alte deprimunt* sive βαθύνουσι. Nec enim sulci sursum, sed deorsum imprimuntur, quamvis in ea sulcatione ex consequenti telluris aggeres utrinque attollantur. Sed ad Actorum locum redeo: in quo non alia ab ea, quam dixi, in Graeco sententia est, si quidem recte locus capiatur. Sic autem ibi legitur: Ἄλον, πάλον εἰς τὸν τράχηλον αὐτοῦ ἐμπαγέντα, καὶ δηλαμένον ἐν τῇ γῇ. Vbi Ἄλον absolute ponitur; eoque interpungendum duxi, ne cum πάλον jungatur. Sententia vero haec est : *Quod ad ALIVM* [martyrem] *attinet* ; [vidit Bonifacius] *palum collo ejus infixum, & [eumdem palum] exaltatum in terra* i.e. alte in terra defixum. Faceret ergo illud EXALATVM, quod criticos torserat ; cui & Henschenius in sua editione aspirationem addidit, ut sit EXHALATVM.

Postquam haec scripseram, deprehendi, Adonem in suo horum Actorum compendio, quod Non. Junii inseruit, legisse in suo codice non *Exalatum*, sed *Exaltatum* ; etsi in eo falsus sit, quod *erigendi* notionem ei participio tribuerit, *Alium*, inquit, *stipitem in collo habentem infixum, & a terra ELEVATVM*, sic nim. illud *Exaltatum* exponens. At Metaphrastes non male : διὰ τῶν τραχήλου τρόπαλος ἐλαθεὶς, τῇ γῇ προσπήγνυτο, *stipes per collum transactus terrae affigebatur* : quod Graeco textui, quem supra recitavimus, optime consonat. Ac de locis utriusque textus animadversione dignis satis hactenus.

Nisi quod de Metaphrastae paraphrasi, cujus modo memini, breviter monendus est lector, sect. 2. v. 14. pro ἐιγχιτοία [quod nihil est : ad quam vocem Bollandianus adnotator expavit] facillima mutatione scribi debuisse ἀγχιτοίᾳ ; maxime quum teste eodem adnotatore Hervetus *Ingenii solertia* verterit.

§. 4.

De actorum S. Bonifacii antiquitate, dignitate, ac fide. Ex occasione autem . . .

Historia haec quondam viris magnis Baronio, Valesio, Holstenio, Bigotio, Henschenio, Ab. Claudio Floro (qui hanc totam narrationem suae Historiae Eccles. intexuit) & aliis in pretio fuit ; nec immerito. Nam ejus antiquitas tanta est, ut praestare ausim, eam Graece quidem IV. labente saeculo ab aliquo ex Judaeis Christiano prodiisse, Latine vero quinto. Nec enim locutiones illae veteres, in quas breviter animadvertimus, nisi qua dixi aetate, venire scriptoribus suis sub calamum potuissent. Adde quod stylus ubique talem se prodit, ut nativam passim simplicitatem spiret, ex qua maxime talium monumentorum pretium ac dignitas exsistit.

Tamen quum plura in hac historia difficultates non modicas crearent ; iis, credo, deterritus Ruinartus haud dignam judicavit, quam in sua *Acta sincera* inferret; etsi qui ejus operis editionem in Hollandia postea repetiverunt, non fiverunt hanc ibi desiderari. Sub haec autem vir acris judicii Tillemontius (tom. V. Not. 82. in persec. Diocl.) non leve his Actis bellum

Digitized by Google

bellum indixit, ſed eatenus tantum (ſi eum recte interpretor) ut pro *originalibus*, uti vocant, haberi ea vetaret, ac Bollandiſtas eo nomine reprehenderet, quod primitivorum actorum eis meritum tribuiſſent: quod ei libens aſſentior. At poſtremo Bailletus ex ſemita, quod ajunt, fecit viam, atque acerbiore cenſura uſus, ea non dubitavit inter Romanenſes (21) uti vocant, narratiunculas amandare.

De hoc autem ſcripto ſic eqúidem cenſeo. Graeca, uti dicebam, Acta haud ſerius IV. ſaeculo, non imponendi animo, ſed bona fide elucubrata fuerunt. Quum autem Bonifacius Roma profectus, primo Tarſum appulſu ſe ſtatim confeſſoribus immiſcuiſſet, nec diu tentus atque interrogatus, ac biduo tantum decertans vitam finiſſet; id opinor in cauſa fuit, ut ea Actorum pars, quae martyrium antecedit, haud certis ex monumentis teſtata Graeco ſcriptori fuerit, ſed ex ambiguis potius narrationibus corraſa. Eo fit, ut de Aglaidis genere ac marito parũ aut nihil exſtet, de Aglaide autem ac Bonifacio, ante quam Tarſum attingeret, vitaque utriuſque ante acta pauca admodum narrentur. At quae poſtea ab initio certaminis ad finem uſque ſcribuntur, ea meo judicio plus fidei merentur: non eo uſque tamen, ut ad Actorum, uti vocant, originalium auctoritatem aſſurgant; nec ut praeſtare quis poſſit, non aliquas Graeco textui particulas ex poſteriore manu acceſſiſſe. At Latina interpretatio (quae V. ſaeculo antiquior non eſt) longe minus auctoritatis habet in iis, quae ſupra Graecum textum admetitur; cujuſmodi illud eſt, quod in praefatione ſaevam perſecutionem anno Chriſti 290. motam fuiſſe ſcribitur. His intellectis non tantum Bailleti delicatiora faſtidia ſponte ſua concidunt, ſed in pleriſque etiam cum Tillemontio nobis conveniet.

Et ſuperiore quidem §. (in adnotatis ad ſect. 4.) ei Tillemontii objectioni, qua in Bonifacii abſtinentiam (cui ſcil. conſervorum teſtimonia ſect. 14. refragentur) inſurgit, ſatis mihi feciſſe videor: nunc ei tantum Tillemontii difficultati occurremus, qua Aglaidem ac Bonifacium, tum, quum reſipiſcere coeperunt, gentiles ratus, ἀσύστατα (*non ſibi conſtantia*) quaedam inde infert. Gentiles autem eos fuiſſe ex Actis ipſis ſect. 2. comprobat, in quibus matrona Bonifacium alloquitur ſect. 2. ἀκήκοα χριστιανῶν λεγόντων &c. *Audivi*, inquit, *a Chriſtianis quum dicerent*, nempe reliquiarum SS. Martyrum cultum profiſcere ſibi peccatoribus poſſe ad Divini Judicis indignationem declinandam. Hoc enim quum eloquitur, haud dubie ſe a Chriſtianis, ipſa nondum Chriſtiana, ſegregem facit. Quod ſi tunc adhuc in gentiliſmo haerebant; cur non a Chriſtianis de baptiſmo petendo monerentur? Is enim primus ad pietatem gradus eſſe debuit; quo ſimul etiam ab omni anteactae vitae crimine mundi evaderent. Atque in eo argumento haud mediocriter (22) exſultat vir graviſſimi judicii.

Atqui non eſt dubium, quin ambos pro Chriſtianis ſcriptor habuerit. De Aglaide certos nos facit ejus λόγος ἀφοπεμπτικός (*oratio dimiſſoria*) extrema ſect. 3. *Dominus ... qui propter noſtram ſalutem formam ſervi accipiens, proprium ſanguinem effudit ... ipſe mittat Angelum ſuum* &c. quae allocutio utrumque ſacrorum Chriſtianorum conſcium arguit. Sicuti & Bonifacii oratio ſect. 4. eum Chriſtianis haud dubie aggregat. Nec illud Aglaidis dictum ſupra

(21) Bailletus in Tab. Critica ad XIV. Maii ſic incipit: *Ses actes ... portent diverſes caracteres de ſuppoſition, quoiqu' ils ſoient anciens. Cependant il eſt difficile de croire, que le fond de l' hiſtoire ſoit abſolument faux, & de ne pas juger, que l' auteur auroit voulu ſe jouer de ſa matiere, & traveſtir la verité en ROMAN.* Idem poſt pauca ferme iis accedit, qui Graeca ex Latinis expreſſa tradiderunt: in utroq. falſus.

(22) *Cependant* (ait Tillem. Not. 82. in perſec. Diocl.) *dans le deſſein qu' ils ont de ſe ſauver, ils ne parlent point de demander le bapteſme; mais Aglaide envoie Boniface en Orient pour en apporter des reliques des Martyrs, afin de leur baſtir des egliſes. Eſt-ce là la premiere choſe que les Chrêtiens recommandoient à ceux qui embraſſoient la foy ou la penitence?*

Digitized by Google

pra recitatum, prout Graece concipitur, quidquam incommodat; nam sine controversia excidit in Graeco particula ἀνὼν, ex vetere interpretatione supplenda, in qua sic legitur, *Audivi QVOSDAM Christianorum dicentium* &c. Pro quo Simeon Logotheta in sua Graecorum Actorum metaphrasi sect. 3. sic posuit: *Audivi* (TINOΣ τῶν εὐσεβούντων) *a QVODAM piorum.* Non se igitur omnino a Christianorum grege secernit; sed QVOSDAM Christianos, ipsa utique Christiana, dicentes audivit, juvari se posse cultu SS. Martyrum ad veniam adipiscendam. Nec id vero consilium a veterum Christianorum (23) ingenio abludit: at idem consilium gentilibus dari inconveniens erat, quibus prima de baptismo cura esse debuerat. Accedit, quod si Aglais & Bonifacius pagani fuissent, eorum commercium (quippe cui satis fuisset animus (24) maritalis) crimine caruisset. At contra Christianis animus maritalis haud satis erat, nisi & nuptias Ecclesia conciliaret: quae auctoritas huic Aglaidis cum suo (25) liberto societati defuit. Imo nec facile um-

(23) Scitum est, aevo Cyprianico tantum dignationis vivis adhuc martyribus fuisse impertitum, ut eorum interventu indulgentia lapsis concederetur. De quo & plura exempla in sinceris Martyrum historiis occurrunt. Vt in Epistola Eccles. Vienn. & Lugd. de Martyrib. Lugd. (in Ruinarto sect. 12.) *Mortua jam Ecclesiae membra viventium ope atque auxilio ad vitam revocata sunt: & Martyres GRATIFICATI sunt* [pace scil. ac venia data] *iis qui fidem negaverant.* Adde & Dionysium Alex. Epist. ad Fabium Antioch. apud Euseb. VI. 42. *Hi divini Martyres, qui nunc assessores sunt Christi ... dum heic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos, & idolis sacrificasse convictos susceperunt; & conversionem illorum ac poenitentiam cernentes ... eos in coetum suum receperunt, & in orationibus ac cibo cum iis communicarunt.* Quorum praejudicatam sententiam a se ratam haberi debere, merito subdit.

Quin & adhuc in purgatorio existentibus adhuc vivi Martyres veniam impetrabant. Itaque S. Perpetua [in ejus Actis sect. 7.] Dinocratem puerum a poenis purgatorii suis precibus liberavit. *Et*, inquit, *cognovi statim, me DIGNAM esse* [h. e. dignam, quae impetrarem] *& pro eo petere debere* &c. Huc illa tanta Martyrum *Dignitas* pertinet, ut quaecumque a Deo poscerent, protinus impetrare crederentur. In eisdem Actis sect. 4. S. Perpetua sic scriptum reliquit: *Tunc dixit mihi frater meus: Domina soror, jam in magna DIGNITATE* [at in Holsteniano cod. DIGNATIONE] *es, & tanta, ut postules visionem* &c. Quae & statim eidem oblata petenti fuit.

Quod si nondum consummatis, nec de victoria securis, tantum tribuebatur; longe plus certe perfectos jam Martyres, & apud Deum aevo sempiterno fruentes, habuisse virtutis ad veniam impetrandam, non immerito persuasum fuit. Hinc in veteribus Damasi aliorumque antiquorum epigrammatibus, quae adhuc marmoribus incisa visuntur, non aliud in fine martyres [in quorum laudem illa conscripta sunt] exorantur, quam ut peccatorum indulgentiam a Deo impetrent. Exempla sunt passim obvia. Ac facile mihi persuadeo, fuisse tertio quartoque saeculo in more positum, ut qui poenitentes diutinam Martyrum Lipsanis servitutem impendissent, eis, tamquam martyres pro se interventores habentibus, eâ gratiâ poenitentiae spatia contraherentur.

(24) Romanis quidem legibus dominarum cum servis aut libertis connubia vetabantur. At eas leges saepe in desuetudinem abiisse, vel hoc meo judicio ostendit, quod eas leges saepius instaurari [non alia certe de causa, quam quia interim exoleviſſent] necesse fuit. Fabrettus certe p. 289. octo inscriptiones affert, in quibus patronae libertis iisdemque conjugibus suis sepulcra construunt. Quod quum palam fieret; necesse est, eas leges, simul ac repetebantur, mox desuetudine abolitas. Ac postremo ex eisdem inscriptionibus constat, non aliud quam animum maritalem connubia inter patronas suosque libertos constituisse.

(25) Bonifacium Aglaidis libertum potius, quam adhuc servum fuisse, est quod vehementer suspicer. Nec obest, quod in his Actis Aglais *Domina*, Bonifacius *Servus*, ceteri de familia *Conservi* nuncupentur: nam etiam aevo meliore *servorum* & *libertinorum* vocabula permutabantur. Plura exstant apud Svetonium & alios in Pallantem liberrima dicteria, quae eum adhuc servum arguerent, nisi aliunde sciremus, libertate donatum. Exemplis pluribus ab antiquitate petitis supersedeo; praesertim a marmoribus, in quorum uno Capuano nonnullos conjunctim *Servos libertos* aut *libertos servos* inscriptos me deprehendisse, memini.

Digitized by Google

umquam Ecclesia dominae cum servo aut liberto suo nuptias (quippe indecoras & legibus tunc temporis vetitas) adprobasset. Quocirca non alia de causa Aglais se sibi peccati conscium in eo commercio fatetur, quam quod eum sibi post priores legitimas nuptias copulasset, quem amore maritali complecti non poterat, quippe Ecclesia Christiana ejusmodi impares atque indecoras nuptias improbante.

Postremo Emericus Bigotius Actorum Graecorum ex Cod. Colbertino prooemium tale protulit, ex quo necessario efficitur, Bonifacium & Aglaidem peccatoribus, ne animum despondeant, in exemplum poenitentiae fuisse propositos; in exemplum inquam non conversionis ex gentilismo, sed ex peccatis post baptismum admissis. Nolo equidem contendere, Graecum illud prooemium Colbertinum parem Actis antiquitatem habuisse [imo contra stylum dissimillimum ultro agnosco] sed hinc tamen apparet, Bonifacium & Aglaidem pro lapsis, quorum sanatio difficilior, non pro gentilibus, quorum facilis curatio, habitos. Eodem pertinet, quod Simeon Metaphrastes in horum Actorum prooemio, inita comparatione martyrum innocenti vita illustrium cum iis, qui ubi Christianismum sceleribus inquinassent, ad ultimum anteacta crimina suo cruore diluissent, his posterioribus Bonifacium adnumerat, usurpata etiam Evangelica ovis errantis & cum gaudio repertae parabola.

Hac priore difficultate submota, jam facilius ei querelae respondebimus, quam idem Tillemontius adversus haec Actorum verba sect. 16. intentat. Παραλαβοῦσα (Aglais) κληρικοὺς ἐυλαβεῖς [at Latinus vetus interpres plura heic legerat in hunc modum, κληρικοὺς καὶ ἄνδρας ἐυλαβεῖς, h. e. *clericos & viros religiosos*: idque rectissimum est: vide Act. VIII. 2. & dicta ad S. Marci Acta] μετὰ λιτῆς, καὶ κηρῶν, καὶ θυμιαμάτων ὑπήντησεν τῷ ἁγίῳ λειψάνῳ. Quae totidem verbis sic sonant: Et Aglais *assumptis secum clericis virisque religiosis, cum supplicatione & cereis & suffitibus processit obviam sancto corpori*. At hunc totum exequiarum apparatum ante Constantini regnum, Romae praesertim, peragi a Christianis potuisse, negat Tillemontius. Fateor, si haec propalam fierent. At nonne clam intempesta nocte, qualiscumque is honor haberi Reliquiis illis potuit? Nam & in Actis S. Cypriani proconsularibus sect. 5. sic legitur: *Ejusque corpus propter gentilium CVRIOSITATEM* (h. e. eorum qui *curiosi*, aut *frumentarii*, pluribusque aliis vocabulis dicebantur, sedulam investigationem; sic enim heic *curiositatem* accipio) *in proximo positum* [pro tempore scil. tunc] *est. Inde per noctem sublatum cum cereis et scholacibus* [h. e. funalibus] *ad areas Macrobii . . . cum voto & triumpho magno* (en λιτήν, *supplicationem* Actorum nostrorum) *deductum est*.

XV N S ZACHARIE PROPHE

IS est ex XII. undecimus: quem Latini post Bedam sincerum die VI. Septembris colunt. Quo etiam die Vsuardus sic incipit: *Zachariae prophetae: qui de Chaldea senex in patriam reversus, juxta Ageum prophetam jacet conditus*. Eodem die a Beda, Rabano, Romano parvo, Adone, Notkero, hodierno Romano colitur. Porro quae de prophetae morte historia ex Vsuardo adscripta fuit (quae & in quibusdam Adonis apographis legitur) ea ex Pseudo-Epiphanio cap. 21. profecta, etiam in Chronico Paschali (pag. 152. edit. Cangii) reperitur.

At Graeci in Basilii Menologio non cum Latinis die VI. Septembr. sed pridie *Memoriam Zachariae prophetae* (non tamen illius XIIviri, sed *patris Jo: Baptistae*) agunt. Iidem vero ex XII. prophetis undecimum die VIII. Febr. colunt, quos & Moscovitae pro more sequuntur. Postremo iidem Graeci in MS. Synaxario (apud Bollandianos ad XVI. Maii in praetermissis pag. 560.) de eodem

Digitized by Google

hoc XII viro agunt crastino die i.e. XVI. Maii. Hoc & nostri Fasti secuti sunt, sed qua potuerunt. Nam quia sequens dies festo S. Restitutae impeditur; ob eam causam de propheta pridie occuparunt. Eoque factum ut *natalis* notam adpinxerint, quippe diei non suo. Quamquam ceteroqui emortualem prophetae diem nemo, ut arbitror, se assecuturum speret.

XVI NS RESTITVTE

Admonitio.

Hujus S. Virginis tanta est apud Neapolitanos, & proximos insulanos celebritas, ut si paullo longiorem de ea Commentarium pertexuero, nemo id, uti spero, sit in eo reprehensurus, qui in nostrorum praecipue hominum gratiam plura se commentari profiteatur.

DE S. RESTITVTA VIRG. AC MARTYRE

COMMENTARIVS

CAP. I.

De vulgatis S. Restitutae Actis.

EXstant hujus Martyris Africanae Acta apud Henschenium ad diem XVII. Maii pag. 20. quae ad eum Neapoli Antonius Beatillus Jesuita submiserat, *ex Mss. codicibus Massarellensi & Taurenae eruta*, quemadmodum titulus praeferebat.

Nuper vero V. Cl. Jacobus Castellus JCtus Neapolitanus Neapoli eadem Acta recudit, eaque non tantum uberrimis adnotationibus, verum etiam variantibus lectionibus auxit, quas ex triplici codice Bibliothecae Teatinae SS. Apostolorum hausisse se profitetur. Ex iis porro Mss. recentissimum esse, ac novitio prorsus charactere exaratum, testatur eum, ex quo exemplar illud descriptum fuit, quo Heschenius usus est: nam ei Ms. sic praescribitur: *Passio S. Restitutae . . . ex codd. Massarell. & Taurensi*, prorsus ut Henscheniana praenotatio praeferebat. At vero idem Castellus duos alios ibidem codices reperit, antiquiorem unum [ante quingentos circ. annos descriptum] eumque membranaceum, quem noster Chioccarellus ei bibliothecae dono dederat; alterum vero chartaceum, & aetatis inferioris, sed tamen eo, quem initio descripsimus, longe vetustiorem.

Sane quidem si cui haec Acta recudendi cupido incesserit, ei auctor fuerim, ut non alium Ms. quam illum veterem membranaceum [quem *primum* cum Castello appellabimus] καὶ πόδε sequatur: ita is lectionum [quas Castellus collegit] bonitate ceteris antecellit. Qui codex etiam in ipsa barbarie antiquitatem spirat, uti quod *Michi* pro *mihi*, & *Nichil* pro *nihil* perpetuo scribatur. Earum lectionum, quae majoris momenti sunt, specimina nos cap. V. suis locis proferemus.

Horum porro Actorum stylus justo ambitiosior est, ac tum sermocinationum longitudine tum fucata dictione lectorem obtundit; ut sophistam magis se exercentem, quam scriptorem veritati litantem animadvertas. Vel sic tamen nonnullam haec Acta antiquitatem praeseferunt: quam his cancellis definire posse mihi

Digitized by Google

mihi videor, ut nec antiquiora sint saeculo (26) VI. nec septimo (27) citeriora. Quamquam de nostri scriptoris aetate enucleatiora afferimus cap. 4. quod vide.

Ceterum, ubi ab allocutionibus discesseris; res ipsas bona fide partim ex antiquioribus Actis, partim etiam ex popularibus narrationibus haustas contextasque fuisse, censeo. Nam hujus quidem, quam nunc terimus, historiae Auctor ad manus habuisse antiquiorem ac sinceriorem alteram, eamque Latine (28) scriptam,

Q q 2

(26) Nam de unione Christi hypostatica ea dicuntur, quae Eutychianismi procellas jam antea motas prae se ferant. Num. 5. Martyr ait: *Sic assumpsit humanitatem ut non perderet divinitatem*. Mox Judex ex sententia virginis Christum sic describit: *Atque in divinitate sua humanam carnem veluti quoddam metallum cum alio metallo solidantem*: crasse scil., quomodo gentilem nostra explicantem inducere decuisset; sed tamen satis appositе ad Eutychianam *commixtionem* [cui opponitur *Solidatio*, seu glutinatio] retundendam. Deinde locutiones ex Scriptura petitae [quibus inepte auctor etiam judicem utentem pluribus in locis facit, sed praecipue num. 12. initio] optime cum Vulgata hodierna conveniunt, nisi sicubi sedulo auctor aliquam voculam immutavit: at Hieronymiana translatio, quae hodie Vulgata dicitur, ante VI. saeculum adoptata fuisse non videtur. Mitto locutiones quasdam satis recentes. Nam *serenitas* [quae tantum imperatoribus in utroque Codice solet tribui, a quibus & ad reges transfusa] de Eustasio praefecto usurpatur in fine epistolae ad hunc a Proclino missae num. 8. *Serenitas*, inquit, *pectoris tui*. Deinde *Famen, faminis*, quod saepe heic legitur, vox est sequioris aevi. Vt & num. 15. *Parthenope* pro *Neapolis* [de quo vide in Adnot. 29.] indicium est posterioris aevi. Tale & illud ad finem num. 13. *Coepit deprecari Tonantem* i. e. Deum verum: quod quis V. aut VI. saeculo serio dixisset? Mitto cetera novitatis argumenta. At illud minime possum praetermittere, quod postquam auctor num. 1. sub quo imperatore passa sit Virgo, exposuerat, etiam num. 2. initio quis pontifex Romanus tunc fuerit, sedulo adnotat. *Quo* [tempore] *& Rom. Ecclesiam Cajus Dei pontifex & Martyr optime gubernaret*. Atqui ea accuratio, ubi de martyre Romano agitur, non praeter morem est: at in Africana martyre est mirifica ac singularis, nec ante posteriorem aetatem usurpata. Ita Jo: Diaconus noster Antistitum Neap. vitas ita pertexit, ut numquam ferme sub quibus principibus ac Rom. pontificibus ii vixerint, adnotare omittat.

(27) Numquam horum Actorum auctorem inter IX. aut X. saeculi scriptores amandaverim, a quorum barbarie longissime abest: quem & alicubi vocibus aevi melioris usum videas. Vt num. 9. *Imperialem censuram*, & num. 10. *Secundum censuram Romanae sapientiae*: ubi *censurae* voce eo sensu utitur, quo Cyprianus & alii. Sic num. 3. & 10. *Diva* [h. e. divina] *potestas* de imperatore. Et num. 9. bis *Apices* pro epistola usurpatur. Sic alibi *Credulitas* pro Fide Christiana; & *Recordo* pro *Admoneo*, & quae plura cap. 5. & 6. in adnotatis ad Acta observabimus. Etsi horum pleraque videtur auctor ex antiquioribus Actis [uti mox dicetur] in suam μελέτην [*exercitationem*] transtudisse. Ceterum dictio universa non patitur, ut haec Acta post septimum saeculum rejiciantur. Scimus IX. ac X. saeculi scriptores, maxime nostros, Graecis vocibus ac phrasibus ad nauseam usque scatere, quae ab his Actis absunt; a quibus & solocciſmi, & consueta deterioris aevi stribligo exsulat.

At vero hujus scripti aetatem Tillemontius longe recentiorem facit; qui in Persec. Diocl. artic. 57. sic posuit: *Ils sont visiblement assez nouveaux, & paroissent faits vers le IX. ou X. siecle, lorsqu' on faisoit une elegance de mesler de bouts de vers dans la prose*. Atqui poetarum hemistichia prosae intexere & Lactantio, & aliis pluribus melioris aevi scriptoribus in more fuit. Ceterum longe est aliud quod IX. & X. saeculi auctoribus in deliciis fuit, nim. districha & integra poematia a se rudi crassaque Minerva elaborata mediis historiis infarcire: quum contra Noster nonnisi poetarum veterum versibus aut hemistichiis suam lucubrationem exornet.

(28) Antiquiora Acta [quae scriptor horum, quae nunc sunt, fastu rhetorico interpolavit] Latina fuisse non Graeca oportuit; non solum quia sic Martyrem Africanam decebat, verum etiam ex indicio vocum quarumdam melioris aevi, quas inde postea consarcinator in suum commentarium transfudit. Earum nonnullas in superiore Adnot. posui: quibus & hoc addes, quod judex hujus Martyris haud semel *Primarius* inscribitur: de qua voce [quae illius saeculi Latinitatem plane sapit] dicam cap. 5. in adnotatis ad haec Acta.

Vtrum porro priora, de quibus modo dicebam, Acta ea ipsa sint, quae hodiedum supersunt in veteris Officii S. Restitutae lectionibus, infra cap. 6. disceptabimus.

Digitized by Google

ptam, mihi videtur : ex quo priore monumento Noſter ita argumentum arripuit, ut illud tamen fucis rhetoricis & juvenili dictione exornaret. Ac de priore quidem ſcriptore prorſus nihil habeo dicere : hunc autem, quem prae manibus habemus, conſarcinatorem fuiſſe domo (29) Neapolitanum, mihi facile perſuadeo.

CAP. II.

De tempore martyrii.

David Romaeus is, qui anno 1570. *ſeptem Sanctorum urbis Neapolis Praeſidum* vitas edidit, & hunc ſecuti Paulus Regius, Ferrarius, & alii S. Reſtitutam S. Cypriani illius celeberrimi fuiſſe diſcipulam, & ſub Valeriano principe martyrium conſummaſſe tradunt. A Romaeo, ut opinor, id hauſit Baronius, qui in Mrologio Rom. de ea ſic [*] incipit: *Neapoli in Campania ſanctae Reſtitutae virginis & martyris, quae Valeriano imperante a Proculo judice in Africa varie torta.* Vide ibi reliqua. Qui & in adnotatis addit: *Haec quum dicatur paſſa ſub Valeriano imperatore; ſciendum tamen, quod in ejuſdem Officio eccleſiaſtico paſſa legitur ſub Numeriano, quod errore librariorum factum putatur.* Nec aliter Abr. Bzovius, qui & magiſterii Cyprianici meminit, ad an. 256. n. 9. *Haec* [Reſtituta] *in Chriſti fide a S. Cypriano educata, Valeriano Imperat. apud Proculum judicem accuſata eſt.* Sed totum hoc (a Romaeo certe hauſtum) cum Actis ab Henſchenio datis conciliari nequit, in quibus non tantum altum eſt de Cypriani magiſterio ſilentium, verum etiam ea ſub Diocletiano Imp. & S. Caio Papa paſſa narratur. Niſi vero volumus [quod conjecit Tillemontius in perſec. Diocl. artic. 57.] recentiores iſtos ſcriptores [quamquam de ſolo Romaeo quaeſtio eſt; nam hunc poſtea ceteri ducem habuerunt] Acta ab Henſchenianis diverſa ad manus habuiſſe. Verum non alia Romaeus vidit, quam quae hodie terimus [30]. Hactenus de ea ſententia, quae Reſtitutae martyrium in Valeriani tempora confert.

Jam vero Acta Henſcheniana, ut dixi, diſertis verbis num. 1. & 2. ſub Diocletiano

(29) Vulgatae hujus hiſtoriae auctorem Neapolitanum ſive civem ſive incolam fuiſſe, non levi indicio illud eſt, quod verſus finem ubi corpus B. Reſtitutae in inſulam Enariam pervenifſe narratur, additur, *Quae* [inſula] *diſtat a civitate Parthenope fere milliaria XXX* [ſive potius XX. uti legendum arbitror]. At vero quid magnopere intererat ſcire, quot millibus ea inſula Neapoli abfuerit? Cur non potius quot eadem inſula Puteolis [quae urbs erat multo vicinior] diſtaret, adnotatum fuit, niſi quia auctor Neapolitanus erat, aut ſaltem Neapoli degebat, aut vero in vicino Lucullanenſi monaſterio monachum agebat? Deinde quod hanc urbem non *Neapolim*, vulgato apud omnes nationes nomine, ſed *Parthenopem* vocet, id quoque peculiare ſequioris aevi ſcriptoribus fuit: qui tunc mirifice ſperabant ſe eſſe locutos, ſi hanc civitatem non *Neapolim*, ſed antiquo nomine *Parthenopem* aut *urbem Parthenopenſem* dicerent. Et ita paſſim in ſcriptoribus Neapolitanis aevi illius reperies.

(*) Dixi ea, quae de S. Reſtituta ibi leguntur, a Baronio Mrologium Romanum refingente fuiſſe addita: merito quia ceteroqui de S. Reſtituta prorſus tum Belinus, tum etiam Maurolycus ſilent: qui duo antea Mrologium in uſum Romanae Curiae reformaverant.

(30) Excepto S. Cypriani magiſterio in quo ſive ingenio ſuo, ſive populari traditioni Romaeus indulſit: nec tamen id praefracte affirmavit, contentus dixiſſe, *A Cypriano . . . informata FORTASSE*] excepto, inquam Cypriani magiſterio, &, quod conſequens eſſe debuit, paſſione ſub Valeriano conſummata, cetera Romaeo ſatis cum Vulgatis Actis conveniunt. Imo, ſi verum amamus, ne longiora quidem Acta ab Henſchenio data Romaeus vidit, ſed tantum veteres S. Reſtitutae lectiones [quas infra dabimus] ſibi paucis contrahendas propoſuit. Id quod & eadem plane in cruciatibus percenſendis verba ſuadent, & quod eo uſque brevior decurrat; ab eo vero loco ſit paullo longior, ubi Martyr naviculae imponitur, haud aliter atque in illis lectionibus. Adhaec judex in Romaei elogio aeque atque in Lectionibus *Proclius* vocatur; quum tamen idem in Actis Henſchenianis *Proclinus* nuncupetur. Poſtremo inſula, quae in Henſchenianis *Aenaria* vocatur, ea a Romaeo *Hadrima* aeque ut in lectionibus dicitur. Mitto cetera: ut quod quum veteris Officii Lectionibus Oratio ſubjiciatur; eandem Orationem & Romaeus elogio S. Reſtitutae ſubtexuit.

Digitized by Google

no & sub S. Caio Papa rem gestam narrant. Id si est; intra annum 284. & 296. [quousque scil. sub Diocletiano principe Caius vixit] Restitutae certamen contigisse oporteret.

At vero Henschenianum horum Actorum apographum, qua parte Diocletiani meminit, manifeste mendosum est. Quid enim? Si sub Diocletiano id contigit; quorsum in Actorum initio pertineret illa de Cari, Numeriani, & Carini regno ac nece altius repetita narratio? Quid ea faceret ad S. Restitutae historiam? Deinde exposita Numeriani caede, sic subjicitur: *Sed Diocletianus* [succedens in regnum] *Aprum* [Numeriani interfectorem] *interemit .... Iste igitur Diocletianus dum adhuc regnaret*, in Christianos persecutionem exercuit, qua & Restituta vexata tormentis fuit. Hem! de eo qui tum primum imperare inceperat, dicitur, *Dum adhuc regnaret*. Atqui id loquendi genus magis in Carinum convenit; aut potius in Numerianum, de cujus nece proxime dixerat. *Diocletianus*, inquit, *Aprum* [qui Numerianum occiderat] *interemit, jurans, sine suo scelere Numerianum fuisse percussum*. Mox statim sequitur: *Iste igitur Diocletianus* [inepte: sed corrige, *Numerianus*] *dum adhuc regnaret*, in Christianos saeviit.

Ac ne putes, hanc meram esse conjecturam; scito, *Numerianum* ab Antonio Caracciolo in suo codice fuisse repertum; adhaec vero in antiquioribus duobus codicibus, quos noster Castellus contulit, utroque loco *Numerianum* pro *Diocletiano* legi; in tertio vero recentioris aetatis codice priore quidem loco legi, *Iste igitur Diocletianus*, at in loco altero [num. 2.] legebatur olim *Numeriani* [cujus scripturae *non minima signa* deprehendi, Castellus testatur] sed eo postea abraso, superscriptum fuit *Diocletiani*. Sed & in Lectionibus antiqui Officii S. Restitutae [editis an. 1525.] utrobique *Numerianus*, nusquam Diocletianus visitur. Ergo si monumentis hisce stamus, sub Numeriano S. Restituta occubuerit necesse est anno 284.

Verum id aegre concoquent critici. Nam etsi in Chronico Paschali sub Carino & Numeriano Christiani vexati fuisse narrantur, & plures in Mrologiis sub eisdem passi dicuntur; adhuc tamen obstinatum animo hoc habent viri docti, hanc Numeriani persecutionem inter fabulas esse amandandam. De quo videatur prae ceteris Tillemontii judicium. Qui & in Baronii de Numeriano conjecturam se proniorem fatetur: quam si per omnia sequamur, jam parum aberit, quin exsistat quarta sententia, qua cogamur Restitutae martyrium ad Deciana tempora h. e. ad annum 250. aut 251. retrahere. At vero [ne morae sim festinantibus] hoc totum, quod ad criticorum hariolationes spectat, cupidiores rerum harum expositum (31) inferne reperient.

Atque

(31) Tillemontius tom. IV. in S. Caio Papa de ea re sic incipit. *La Chronique d' Alexandrie marque sous leur regne en l' an 284. qu' il y eut une persecution dans la quelle beaucoup de Chretiens furent couronnez du martyre. On trouve aussi dans les actes de S. Sebastien que Carin fit quelque persecution aux Chretiens a Rome ... Mais les Martyrologes marquent plusieurs Martyrs sous Numerien dans l'Orient & dans l' Occident, ce qu' il est neanmoins assez difficile de concevoir. Car Numerien avoit peu d' autorité sous son pere, estant encore fort jeune & simple Cesar. Et depuis qu' il fut Auguste, il n' eut guere le loisir de songer a autre chose, qu' à retirer l' armée de la Perse, & à la ramener jusque vers Calcedoine, où il fut tué avant le 17. de Septembre 284. Ainsi il n' a presque pas regné dans l' Orient, & point du tout dans l' Occident.*

Celà donne grand sujet de craindre qu' on n' attribue a ce Prince ce qui aura este fait sous d' autres Empereurs par quelque Officier appellé aussi Numerien, ou de quelque nom approchant. Numerius Maximus gouverneur de Cilicie (qui est quelque fois nommé Numerien dans les Mss.) fut un tres cruel persecuteur du tems de Diocletien. On trouve encore un Numere dans les Actes de S. Isidore sous Dece. C' est ce que Baronius remarque à l' egard de S. Babylas d' Antioche, qui a certainement souffert sous Dece, e que la Chronique d' Alexandrie, qui l' avoit dit apres Eusebe, marque neanmoins

encore

Atque heic nolo equidem quidquam temere aut praecipitanter affirmare. Tamen non de nihilo hoc est, quod tot Martyres in Mrologiis & antiquis monumentis ad Numeriani persecutionem referantur. Cui persecutioni praeterea Acta S. Hilariani Aquilejensis, quae non spernenda videntur, magnifice adstipulantur. Verum de hac persecutione vide subjectam (32) Adnotationem.

Itaq.

encore entre les Martyrs de ce temps ci. Il y a aussi quelque lieu de croire, que S. Chrysanthe le plus celebre de ceux, qu' on met sous Numerien, a souffert au plus tard des l'an 257. Pour la Chronique d' Alexandrie, elle fait tant de fautes en cet endroit, qu' il n' y a pas moyen de s' y arrester. Mais quoi qu' il puisse estre des Martyrs, qu' on met sous Numerien, nous rammasserons ici ce qu' on en trouve de plus important. Deinde Martyrum, qui sub Numeriano passi perhibentur, catalogum pertexit.

Sed & idem Not. 3. in S. Babylam (quem Philostorgius, Chron. Paschale, & alii sub Numeriano passum dixerunt) de eadem re in hunc modum ratiocinatur. *Je ne scay que c' est que tous les Martyrs, que l' on met sous Numerien. Car comme l' histoire nous apprend, Numerien ne fut que Cesar tant que Carus fut pere vécut. Il l'accompagnoit mesme dans le voyage de Perse: de sort qu' il n' estoit pas en etat de rien faire alors de luy mesme: & quoiqu' il ait esté empereur aprés la mort de Carus, ce ne fut neanmoins que durant fort peu de mois, durant les quels il estoit mesme enfermé dans sa littiere abatu par la douleur de la mort de son pere, e par un mal d'yeux . . . Cependant le Martyrologes nous donnent je ne scay combien de Martyrs sous Numerien sans parler peut estre jamais de Carus. De sorte que la conjecture de Baronius est assez raisonable, qui est que l'on a attribué a l'empereur Numerien ce qui a esté fait par le General Numerius, qui persecutoit tres cruellement les Chretiens sous Dece comme nous l' apprenons de Actes de S. Isidore de Chio. Cette faute estoit d' autant plus aisée a faire a l'egard des S. Babylas &c.*

Jam vero liceat nunc Baronii sententiam ex ipsomet eruditissimo Cardinale cognoscere. Is ad ann. 284. num. VI. de Martyribus sub Numeriano caesis dicere exorsus, nullum adversus eam qualemcumque persecutionem controversiam movet, imo revera plures illi, quos ibi recenset, quin fuerint *sub Numeriano passi, ipsorum* (inquit) *Acta declarant, consignata testificatione antiquorum scriptorum.* Et num. X. *Insuper ad Numeriani quoque persecutionem spectare videntur, quae in exordio Actor. S. Sebastiani Mart. conscripta habentur usque ad imperium Carini & Diocletiani ibi notatum. Sunt quidem ipsa Acta legitima, conscripta a notariis S. R. Ecclesiae.* Ex quibus actis mox ea depromit, quae ad hanc persecutionem pertinent. Nullum igitur is de Numeriani persecutione scrupulum movet. Quid ergo illud est, quod Baronio Tillemontius imputat? Id quidem privatim ad Babylae martyrium pertinet: quod quum Eusebius, Epiphanius, Hieronymus sub Decio contigisse prodiderint, merito quaerit, eccur alii postea illud idem sub Numeriano consignaverint. *Fortasse* (inquit ad ann. 253. num. 126.) *inde error irrepsit, quod tempore Decii erat Numerius exercitus dux, qui Christianos saevissime persequebatur, de quo in Actis Isidori militis ac martyris mentio habetur.* Exstant ea Isidori Acta apud Bollandistas die XV. Maii Graece ac Latine, in quibus Numerius is Graece στρατάρχης i. e. *militum magister* vocatur. *Numerii* autem & *Numeriani* nomina promiscue usurpabantur, ut *Constantii* & *Constantini*, & alia plura, de quibus ad XVII. Jan. diximus.

Ex dictis vides Baronii conjecturam non ad enervandam Numeriani persecutionem fuisse ab eo propositam, sed tantum ad confirmandum Babylae sub Decio certamen. Nec id Tillemontii locus posterior a me descriptus dissimulat: at ejusdem prior locus supra in medium productus eam conjectionem latissime pertinere jubet, eamque ad omnes Numeriani Imperatoris martyres protendit. Est hoc vero credibile tot Christi pugiles qui in diversissimis terrarum partibus sub eo principe coronati produntur, eos inquam omnes sive a Numerio magistro militum sub Decio, sive a Numeriano Ciliciae sub Diocletiano praeside, sive cuquis alius forte ejus nominis fuerit, fuisse interfectos, eoque in ambiguo lusisse omnes tot Actorum scriptores, quasi qui dedita opera in id conspiraverint, etsi in variis orbis regionibus suas historias edidissent? Est hoc quidem incredibile: at illud propius fidem est, revera sub Numeriano in Christianos fuisse saevitum, quando in id tot testes locis ac temporibus diversi consentiunt. Verum de hac persecutione vide sequentem Adnotationem.

(32) *Pro Numeriani persecutione amplius adversus Tillemontium decertatur.*

Hanc persecutionem modis omnibus labefactare

Digitized by Google

care Tillemontius satagit: quem vide tum in Persec. Dioclet. Artic. 1. tum copiosius in locis a me in superiore Adnotatione in medium prolatis. Quum autem viro gravissimi judicii, ut ita statueret, prora ac puppis Eusebius sit; perpendendum eum Eusebii locum mihi censeo, in quo praecipue exsultat Criticus. Ille igitur in VIII. Hist. Eccl. 4. aperte praefert, ab eo tempore, quod Decii & Valeriani persecutiones & Diocletiani procellam intercessit, diabolum tamquam altissimo somno correptum ita interquievisse, ut mira illa Ecclesiae pax exsisteret, quam cap. 1. copiose descripserat. Ita Numerianum & Carinum de numero persecutorum eximi necesse erit.

Atqui hoc argumentum nimis probat. Quod si valeret, etiam Aurelianum ex eodem numero detrahere oportebit: de cujus tamen persecutione [etsi brevissima] luculenta exstat apud eumdem Eusebium mentio lib. VII. cap. 30. ext remo. Fuit igitur inter Valerianum & Diocletianum caedibus locus, sed rarioribus, ita ut paci, quam bello, totum id tempus similius fuerit. Verum ipsa Caesariensis antistitis verba protulisse proderit; qui VIII. 4. sic incipit: *Quippe quam plurimos referre possumus, qui pro vero supremi Numinis cultu admirabilem* [θρυμμίαν] *strenuitatem declararunt: idque non solum ex quo adversus omnes Christianos excitata erat persecutio, sed & multo antea, quum pax adhuc vigeret* [illa scil. quam cap. 1. descripserat, inter Valerianum & Diocletianum intermedia]. *Tunc enim quum princeps mundi hujus* [diabolos] *tamquam ex altissimo sopore excitari primum coepisset; quumque post illud temporis intervallum, quod persecutionem Decii ac Valeriani subsecutum est, clam adhuc & occulte insidiaretur Ecclesiae* &c. Ex quibus vides, pacem illam, quam supra cap. 1. descripserat, fuisse insidam & ex intervallo caedibus cruentatam, tum sub Aureliano & sub Numeriano, tum etiam ipsis Diocletiani initiis.

Ceterum Numeriani & Carini persecutionis meminit Chronicon Paschale, uti supra monuimus: cujus verba sic habent ad Carini II. & Numeriani consulatum [qui fuit an. 284.] *Facta est Christianorum persecutio, in qua multi Martyrum vitam finierunt, atq. in iis S. Georgius & S. Babylas.* Nec refert, quod Georgium Acta apud Hollandistas sub Diocletiano passum narrant [nam ea acta non unius assis aestimavit Tillemontius; etsi idem nescio cur Georgium non inter Numeriani, sed Diocletiani martyres retulit] nec quod Babylam sub Decio passum, idem Chronicon supra narraverat: nam (nisi vero Babylas duplex fuit) certe ejus tempus varie ab antiquis signatum est: quippe Babylam Episc. Antiochenum sub Numeriano Imp. passum & Acta ejus terna [apud Boll. ad 24. Jan.] & Philostorgius, & Suidas dixerunt. Quod etsi falsum sit; at id saltem elicitur, Numerianum a Philostorgio & aliis pro persecutore fuisse habitum.

Sed & insuper ejusdem Numeriani persecutionis meminere historiae complurium Martyrum, qui sub eo decertasse dicuntur; quorum indiculum Baronius & Tillemontius contexuerunt. Meminere autem in primis SS. Hilariani Episc. Aquilejensis & Tatiani diaconi Acta apud Bollandum die XVI. Martii: quae Acta tametsi nec uti praesidialia, nec uti ab aequali scriptore elucubrata haberi posse fateor; at esse tamen antiquissima, stylus eorumdem prope exserta voce clamat: quaeque omnino, naevis aliquot exceptis, haud parvae mihi auctoritatis videntur esse. In eis igitur num. 3. sic legitur: *Eodem itaque tempore quum a Numeriano Caesare jussio venisset, ut Christiani idolis sacrificarent; apud civitatem Aquileiam ordinatus est Beronius* [fort. *Veronius*] *praeses* &c.

At obstat, inquit Tillemontius, brevitas principatus Numeriani. Atqui eo id tantum efficitur, ut pauciores caesi sint, non ut procella prorsus non detonuerit. Nec repugnaverim, quin eorum martyrum nonnulli forsan ad Diocletiani initia revocari possint, etsi sub Numeriano ideo consignentur, quia hic scil. persecutionem movisset: sicuti & Diocletiano in veteribus monumentis passiones complurium Martyrum tribuuntur, quas tamen scimus post Diocletiani abdicationem contigisse.

Addit & hoc Tillemontius, praeter brevissimum Numeriani imperium, hoc insuper obstitisse, quo minus is de promulgandis in Christianos edictis cogitaret, quod totum id tempus in reducendo e Perside exercitu, morbo ipse implicitus, impenderit.

Tamen, inquam, passim Numeriano Martyres plurimi tribuuntur. Quid ergo est? nisi quod ubi factum videmus, frustra id fieri non quivisse, calumniamur? At ne id quidem magnopere video cur id fieri nequiverit. Numerianus quidem reducendo exercitu, & oculorum dolore distinebatur. At quanti id laboris erat edicta in Christicolas dictari jubere? Id, inquit, calamitates, quibus opprimebatur, non siverunt. At equidem existimo, ex his ipsis calamitatibus arreptam fuisse a gentilibus ansam, ut optimum adolescentem, ceterum non firmi consilii & forsitan perrecti speciem *cereum* [ut ille ait] *in vitium flecti*, adversus Christi cultores incitarent; quum non aliunde haec tot adversa imperio juxta ac

ipsis

Itaq. donec certiora doceamur, licebit hanc Martyrem ad Numeriani tempus rejicere h.e. ad annum 284. quo anno mense Septembri [qui ei octavus mensis, & quod excurrit, imperii fuit] Numerianus occisus periit. Poterit etiam ad annum sequentem referri, nondum forsan edictis, si qua fuerunt, sublatis.

Atque haec jam scripseram, quum in Pagii judicium incidi, quod ad annum 284. num. IX. hisce verbis concipitur: *Multos tamen Numeriano imperante praeter eos, quorum Baronius meminit* (catalogum Martyrum sub Numeriano caesorum, quos Baronius ad an. 284. recensuit, intelligit) *martyrium passos esse CERTVM esse debet*. Cui nos judicio adquievimus.

CAP. III.

De loco Martyrii.

Certaminis locus in his Actis sect. 2. *Ponizarius* dicitur; nec aliter in tribus Mss. quos Castellus contulit, & in antiquis lectionibus Officii S. Restitutae id nomen ipsis Imperatoribus accidisse contenderent, quam ab iratis propter contemptas Romanas religiones diis; nec aliud tot malis fore remedium, quam si caedibus publicae religionis hostium iisdem litaretur. Scimus has aut similes voces ab idolorum sacerdotibus fuisse maxime in afflictis reip. rebus jactatas, quo principes ceteroqui pios atque moratos adversus Christi Ecclesiam incenderent.

Sed & obstare hoc alius dixerit, quod Africam, in qua S. Restituta dimicarit, sub Carino, non sub Numeriano fuisse oporteat, scribente Flavio Vopisco in hunc modum: *Hic* [Carinus] *quum Caesar, decretis sibi Galliis, atque Italia, Illyrico, Hispaniis, & Britanniis, & Africa, relictus a patre* [ad Galliae munimentum scil. ut alibi Vopiscus] *Caesarianum teneret imperium, sed ea lege, ut omnia faceret quae Augusti faciunt; enormibus se vitiis & ingenti foeditate maculavit*. Ergo Restitutae martyrium Carino potius, sub quo Africa, quam Numeriano adscribendum erat.

Respondeo, quoties edicta in Christianos proponebantur, iis utriusque imperatoris [si duo essent] nomina fuisse praescripta, ita ut utriusque auctoritate in Christianos desaeviretur. Haec igitur persecutio Carini & Numeriani proprie dicenda fuit. Itaque in Actis S. Hilariani, quae modo laudavimus, num. 9. utrique eorum edictum tribuitur: *Praeceptum enim Dominorum nostrorum imperatorum* [Carini scil. & Numeriani] *continet, ut siquis ex Christianis fuerit inventus, percunctatus puniatur*. Et tamen in eisdem Actis num. 3. soli Numeriano id totum tribuitur, idque Aquileiae, h.e. in Italia, quae una ex Carini provinciis erat. *Quum*, inquit, *a Numeriano Caesare jussio venisset, ut Christiani idolis sacrificarent*. Quo pacto haec conciliari inter se possunt, nisi quo modo templum Castorum dicebatur, quod re vera Castoris & Pollucis erat; & quo modo Caesaris unius consulatus erat in ore omnium, praetermisso collega Bibulo? Itaque in Actis quidem publicis *Carinum & Numerianum* praescribi necesse erat: at interim portentosa Carini scelera [in primis autem socordia tanta, ut teste Vopisco, prae subscribendi fastidio *impurum quemdam ... ad subscribendum poneret*: vide cetera apud eumdem historicum, & Cari praesertim de Carino judicium, abrogare eidem imperium cogitantis] ea inquam Carini desidia in causa fuit, ut quae communiter fierent, ea tamquam unius Numeriani nomine geri vulgo dicerentur. Hinc factum, ut ea persecutio in edictis quidem & Actis publicis utrique Caesari, at in ore vulgi uni Numeriano, tamquam si is unus omnia nutu suo administraret, tribueretur, omisso impurissimo ac desidiosissimo imperii collega. Atqui hoc loquendi genus secuti sunt historiarum Martyrum scriptores; ita ut non tantum alibi, verum in ipsa Italia & Africa, quas Carino decretas scimus, Numeriani tamen jussu in Christianos animadverti diceretur. Sed & praeter Carini socordiam, hoc etiam accedit, quod hic suopte ingenio benevolus in Christianos fuit, ut in Actis S. Sebastiani legitur. Quo fiebat, ut qui Martyres in occidente fierent, ii Numeriani potius, quam alterius jussu vulgo fieri dicerentur.

Ad summam, sub Carino & Numeriano edicta persecutionis prodiisse, negari non potest: sed eadem uni Numeriano ob alterius desidiam adscribebantur. Adhaec ejusdem persecutionis brevitas in causa fuit, ut ab Eusebio (non secus atque Aureliani illa saevissima, sed tamen brevis) praeteriretur. Quocirca vix aut ne vix quidem dubitamus, quin re vera S. Restituta sub Numeriano decertaverit.

Atque equidem in aserenda Numeriani persecutione fuisse me nimium video: quo toto labore supersedissem, nisi sero Pagii (eam persecutionem pro certa haberi jubentis) judicium mihi in oculos incurrisset. Cujus verba supra ad finem hujus capitis descripta habes.

Digitized by Google

men scribitur. Atqui in tota Proconsulari Africa, ubi res gesta fuit, nullus eo nomine locus occurrit. Nec Henschenii [33] conjecturae juvant: nec demum quisquam alius repertus est, qui de *Ponizario* S. Restitutae patria e tenebris in apertum proferenda laboraverit.

Atqui is locus, uti dicebam, in Proconsulari provincia quaerendus est: quem tam vere quam fidenter ajo, non alium fuisse, quam *Hipponem Diarrhytum*, celebratissimam Africae proconsularis urbem maritimam, ab *Hippone Regio* urbe Numidiae, cui S. Augustinus praefuit, diversam. Ergo *Ponizarius* idem qui Hippo Diarrhytus. Hui! quid, inquis, simile? Et tamen certissimum est, *Hipponem Diarrhytum* & *Ponizarium* non tantum unam eamdemque urbem fuisse, sed & unum idemque urbis ejusdem nomen, nisi quod pluribus gradibus depravatum.

Gradus autem hi fuere. Initio *Hippo* seu *Hippon* cognomento [διάῤῥυτος] *Diarrhytus* h. e. irriguus [ad alterius discrimen, cui *Regii* cognomen fuit] vocabatur. Reperitur id cognomentum apud Strabonem, Ptolemaeum, Melam, utrumque Plinium, Solinum, adhaec in Concil. Carthaginensi sub S. Cypriano [cui subscripsit *Martyr Petrus ab Hippone Diarrhyto*] & apud S. Augustinum in XVI. de Civit. 8., & in Peutingeri [34] Tabula: quod etiam cognomen Gruteriano [35] marmori restituendum censeo.

Atqui qua dialecto *zabolus* pro *diabolus*, *zeta* pro *dieta*, *ZEBVS* [in inscriptionibus] pro *diebus*, & tot alia usurpabantur, eâdem prorsus pro *Diarrhytus*, primo *Zarrhytus* mox *Zaritus* pronuntiari ac scribi coepit. Itaque Antoninus *Zarrhyto* usus fuit, dum ab Hippone Regio Carthaginem hoc iter instituit [in quo distantias omisimus] *Hippone Regio Col.* [i. e. colonia] *Ad Dianam*, *Nalpoltes*, *Thabracam*, *Hipponem Zarrhytum*, *Tunizam*, *Memlonem*, *Vticam*, *Ad Gallum gallinaceum*, *Carthaginem*. Aeticus ordine contrario sic recenset: *Carthaginem*, *Vticam*, *Hippone Zarito*, *Thabracam*, *Ippone Regio*. Quod posterius scribendi genus usitatius fuit.

Hactenus ex Hippone Diarrhyto ad Hipponem Zaritum ventum est. Atqui hoc alterum multo prodigiosius postmodum variatum fuit, tum detractione [36] tũ accessione litterarum aut syllabarum.

(33) De eo loco sic Henschenius n. 1. *Fuit in eadem provincia* [proconsulari] *urbs episcopalis* Thinnissa [eadem opinor ac TVNIZA Antonini: quae scriptio Henschenii rationes promovet] *quidni & Ponnissa, seu* Poniza *aliqua, unde loco* [Ponizario] *nomen*? Hactenus eruditus Bollandista. Atqui nos quid fuerit, non quid fieri potuerit, quaerimus.

(34) Corrupte tamen in ea Tabula, *Ipponte Diarito* pro *Hippone Diarrhyto* scribitur.

(35) In Romana basi apud Gruterum p. 259. 6. titulum Imp. M. Aurelio Pii F. ponunt HIPPONENSES ..... EX. AFRICA. Atqui in ea lacuna cognomen erat in hunc modum DIARRVTI h. e. *Diarrhytenses* [quo modo in Collatione Carthag. cap. 139. edit. Baluzii mentio fit *Florentini Episcopi Ecclesiae catholicae Hipponensium-Zaritorum* pro *Diarrhytorum*: quo modo etiam cap. 179. *Episcopus Hipponensis-Diarrytorum*, seu potius *Hipponensium-Diarrhytorum*] nam Regius alter Hippo non *ex Africa*, sed ex Numidia erat. Cognomen illud cum V potius quam cum Y scripsimus, Plinium V. 4. secuti, in quo sic viri docti legi jubent: *Hipponem Diarrutum* [in vulgatis *Dirutum*: falso quia tum quum maxime florebat] *vocant*, Διάῤῥυτος *a Graecis dictum*.

Atqui & *Hipponensis regionis* meminit fragmentum lapidis Casinatis apud Muratorium p. 1049. 5. quam ibi vir idem clarissimus *Hipponem Regium* Augustini sedem refert: parum accurate, quia Regius Hippo non Africae fuit [id quod lapis requirit] sed Numidiae. CVRATORI. (inquit) ... AFRICAE. REGIONIS HIPPONENSIS. Atque hinc etiam Hipponis Diarrhyti praestantiam vides, ut qui regionis, cui nomen dederat, tamquam metropolis haberetur. Ac fortasse HIPPONA sine addito apud Reinesium XI. 105. non est alia quam *Diarrhytus*, quippe & antiquior & clarior, ut per excellentiam *Hippon* absolute vocari potuerit.

(36) Ad detractionem illud referri potest, quod in Notitia Africae, quae Victori Vitensi subnectitur, in provincia Proconsulari quinto loco memoratur *Marianus HIPPZARITENSIS*: quod tamen aperte mendosum est.

Digitized by Google

At in his variationibus nihil sollemnius est interjectione syllabae NE. Nam quia in itinerum tabulis *Hippone Zarito* auferendi casu scribebatur; postquam ex duabus vocibus una confieri coepit, mansit NE terminale prioris partis. Hinc in Anonymo Ravennate lib. III. n. 6. recto casu *Hippone-zarestion*, & lib. V. n. 5. *Yppone-zarestum* scribitur. Cui simile est illud Hipponis alterius derivativum apud Victorem Vitensem *Hippone-regiorum* [37] *civitas*, ab ablativo *Hippone Regio*.

Sed & illud NE alicubi in cognatum NI transiit. Sic epistolae synodicae proconsularis Africae praesulum in Conc. Lateranensi subscripsit *Donatus gratia Dei episcopus S. Ecclesiae IPPONIZARITENSIS*. Atqui si ex hoc ultimo derivativo ad substantivum suum pedem referas, reperies jam hujus urbis nomen aevo sequiore fuisse *Ipponizaritus*, ac demum [sive amanuensium, sive vulgaris pronuntiationis vitio] *Ipponizarius*, & amputata [quod sollemne est] primore vocali, PONIZARIVS: de quo tamdiu quaerimus. Quod dixi, aevo posteriore regnasse in propriis vocabulis aphaeresim; ejus consuetudinis exempla sunt prope innumera, ut *Spania* pro Hispania, *Gubium* pro Eugubio, *Spellum* pro Hispello etc. Tale & illud est, quod in Actis SS. Claudii & Astii MM. apud Ruinartum *Lycia* pro *Cilicia* ponitur, sicuti et in Hieronymiano Florentinii Mrologio die 23. Augusti de eisdem martyrib. *In provincia Liciae Natalis SS... Claudi, Steri &c.* Ubi & *Steri* pro *Asteri* eodem pertinet. Usuardus eod. die, *Apud Liciam civitate Egea SS. Claudii* &c. Nec aliter Rabanus. Atqui Aegea Ciliciae non Lyciae fuit. Verum siquis ejus moris exempla ἐσα ψάμμον cognoscere cupiet, idem Hieronymianum Mrologium in manus sumat: nullo non die plura locorum hominumque nomina capite minuta reperiet. Sed & in his ipsis S. Restitutae Actis num. 15. quae insula in vulgatis *Aenaria* vocatur, ea in Mss. *Adrima* scribitur h. e. *Arima* pro integro *Inarima*. Vt plane non sit dubitandum, quin *Ponizarius*, seu *Ponizaritus* vitio temporum pro *Hipponizaritus* positum fuerit, h. e. pro *Hippone Diarrhyto*, ut jam initio monuimus. Quam urbem eamdem nunc haberi, ajunt, atque id quod hodie vocant *Biserta Vecchia*; etsi Harduinus ad Plinium cum hodierno *Tamacrata* hunc Hipponem confundit.

De *Hipponis* veriloquio prorsus Bochartí sententiae accedo; quem videsis in I. de Phoenicum Coloniis c. 24. [38] Ejusdem vero urbis claritas ex supra dictis ostenditur. Quocirca immerito Romaeus noster

(37) Is olim locus in antiquiore editione sic legebatur lib. I. c. 3. *Qua tempestate HIPPONE-REGIORVM obsessa est civitas; quam omni laude dignus B. Augustinus, librorum multorum confector, pontifex gubernabat*. At Ruinartus in repetita Victoris editione pro *Hippone-Regiorum* edidit (credo ex aliis codicib.) *Hipporegium*. Non optime: nam solebat ad *Civitas* genitivum populi potius regere, quam cum primitivo urbis nomine per appositionem jungi; ut *Civitas Andegavorum* potius quam *civitas Andegavum* &c. Itaque nihil elegantius vetere scriptura fuit, *Hippone-Regiorum obsessa est civitas*. Nec Victor (non inelegans scriptor) *Hipporegium*, sed *Hippo Regius*, uti decebat, scripsisset, si quidem primitivo nomine uti voluisset. Quare sicubi in Mss. *Hipporegium* forte scribitur, id ex vetere lectione *Hippone-regiorum* depravatum fuit.

(38) *De Hipponis etymologia. Hippone seu Vibone in Brutiis.*

Summa huc redit. Hipponem Sallustius inter Phoenicum colonias recenset. Quocirca Phoeniciis ei nomen esse debuit. Situs autem utriusq. Hipponis talis fuit, ut in sui uterque *finus* recessu jaceret. Atqui [illegible] *Vbo* Syris hoc ipsum (h. e. *finum*) notat. Sed Graeci postmodum eam vocem proxime ad sua origines, ut assolent, detorserunt, atque ex *Vbone Hipponem* effecerunt, non sine affinitate *equitum* conditorum urbis fabella, cujus Solinus meminit. Atque ea est viri summi originatio, quam is modeste *conjecturam* appellat.

Sed licebit eam conjecturam clarioribus argumentis ita fulcire, ut tandem certa persuasio videatur. Nam praeter Hippones in Africa duos proferri tertius in Brutiis potest is, qui postmodum, receptis colonis Romanis, *Vibo-*

Digitized by Google

noſter *Ponizarium* Reſtitutae patriam *pagum* nuncupavit. Vide & finem Adnot. 35.

CAP. IV.

In difficilem horum Actorum locum, ex cujus explanatione vera ſcriptoris hujus aetas in lucem proferetur.

Cur Euſtaſius, qui Carthagini praeerat, non proconſul, *ſed* Praefectus *nuncupetur. Tres explicationes producuntur ac ſimul rejiciuntur; ac demum quarta propugnatur. Ex occaſione obſervationes diverſae inſpergunter. Praefecti nomine nequit Vicarius intelligi Vicario Italiae in Africae proconſulem nullum jus. Locus difficilis Actor. SS. Typhonis & Reſp. enodatur. Anulinus in eiſdem Actis non errore interpretis Praefectus vocatur, ſed re vera praefectus praet. Orientis erat, Bithyniamque* [*tunc ſedem ſuam*] *regebat, tamquam praefectoriam provinciam. In Actis Reſtitutae Euſtaſius idcirco* Praefectus [*pro* Proconſul] *inſcribitur, quia ſaeculo VII.* [*quando auctor haec ſcripſiſſe videtur*] *peculiaris praefectus praet. Carthaginis erat, ab Juſtiniano primum inſtitutus. Hinc auctoris hujus aetas intra VI. exeuntis ſaeculi, totiuſque prope ſeptimi cancellos vagatur. Difficultas proponitur ac ſimul diluitur.*

Venio nunc ad difficilem, ſiquis alius, horum Actorum locum. Quid enim hoc ſibi vult, quod Euſtathius ſive Euſtaſius is, qui Carthagini praeerat, *Praefectus* inſcribitur? Novum ſane id magiſtratus provincialis nomen eſt: nec alibi prorſus (ubi certe a *Praefecto Auguſtali* diſceſſeris, qui Alexandriam & Aegyptum moderabatur) alibi in provinciarum rectoribus uſurpatum. At vero qui Carthaginem & Africam regebant, ii proprie *proconſules* [a quo & ea provincia *Proconſularis* dicta] vocabantur, aut ſaltem *praeſides* generali vocabulo. Itaque hujus difficultatis ſolutiones, quae venire in mentem potuerunt, ita in medium proferam, ut

tia vocari coepit, hodie *Monte-Leone*. Atqui id etiam oppidum in quodam ſinu objacebat, qui inde *Sinus* (Σηραυνιος) *Hipponiates* vocabatur: ut plane non ſit dubitandum, quin ea vox dialecto Phalegica (quam ſcil. antiquiſſimi conditores uſurpabant) *ſinum* ſignificaverit.

At ex hac urbe id etiam commodi capimus, quod genuinam ejus vocabuli pronuntiationem aſſequimur, cujuſmodi in omnium erat ore, antequam a Graecis corrumperetur. Nam primitus illud Brutiorum, de quo loquimur, oppidum VIBO vocabatur, h. e. ipſiſſimum Chaldaicum ac Syrum ביבו: quod nunc quidem (ex appoſitis motionibus) *Vbo* pronuntiatur, at olim poſt V etiam I inſertum ab illis primis terrarum habitatoribus fuiſſe, antiqua *Vibonis* pronuntiatio ſuadet. Nec aliter & duo illa Africana oppida initio, quam *Vbones* aut *Vibones* fuiſſe dictos (proxime ſuam originem ſcil.) crediderim. Sed Graeci poſtea, dum voces omnes ad ſuas origines pertrahunt, pro VIBO h. e. *ſinus*, ΙΠΠΩΝΑΣ nobis h. e. *equilia* propinarunt. Vel ſic tamen in tono aberrarunt: nam *equilia* quidem circumflecti oportuerat, ut ſit ἱππών, ἱππῶνος: nunc quia Ἵππων ipſi προπαροξύνειν [*in antepenultima acuere*] moris habent; vel hoc ipſo peregrinitatis ea vox manifeſta evadit.

Objecerit aliquis, hactenus dicta evaneſcere, quia Strabo [Λοκρῶν κτίσμα] *a Locrenſibus conditam* hanc urbem refert: ridiculum vero eſt a Graecis Locrenſibus Phoenicium nomen fuiſſe impoſitum. Audio. At Locrenſes Epizephyrios initio Graecum, ac non potius Phalegicum [ante ſcil. quam Graece loqui coepiſſent] ſermonem uſurpaſſe, id vero pernego. Aut ſi jam tum Graece balbutiebant, adhuc tamen quamplurimas Phalegicae linguae reliquias retinuerant; quibus & poſteriores Graeci Italienſes ſcatebant ſupra ceteros: id quod alibi oſtendimus.

Fortaſſis & illud oppones, vocem HIPPON fuiſſe alterâ VIBO antiquiorem, proinde hanc ex illa fuiſſe potius depravatam. Mela II. 4. *Hippo, nunc Vibon*. Verum exiſtimavit Mela, *Vibonis* nomen colonia Romana [quae auctore Livio anno 561. deducta fuit] antiquius non fuiſſe. Falſo: nam tunc temporis non *Vibonis* nomen ei de novo acceſſit, ſed *Valentiae* vocabulum cum primitivo *Vibonis* conjunctum fuit, pro more ſcil. quo in cognominandis coloniis Romani utebantur. Plinius caſtigatius dixit: *Hippo, quod nunc Vibonem Valentiam appellamus*. In vocabulorum enim conjunctione, non in *Vibone* inerat novitas. Nec aliter Strabo locutus fuit; qui ab Romanis deductam coloniam Οὐιβώνα Οὐαλεντίαν *Vibonam Valentiam* (novo cognomine ſcil. veteri nomini adjuncto) vocatam refert.

Digitized by Google

tamen ultimam ceteris anteponam.

Ac primum videri possit, Eustathium istum non ordinarium Africae rectorem fuisse, sed extra ordinem, in hoc scil. destinatum, ut Christianorum sectam in Africa eradicaret. Jam enim in his Actis sect. 1. praedictum fuerat: *Iste igitur Numerianus, dum adhuc viveret ... per omnes provincias ... judices ac PRAEFECTOS destinare studuit, praecipiendo crudeliter, ut ubicumque Christi cultores invenire valerent, igne, ferro, fame, ceterisque poenarum generibus laniando trucidarent* &c. Quibus ea ipsa consonant, quae hac sect. scribuntur, ubi Proclinus primarius *Suggessit PRAEFECTO Eustasio, qui civitati Carthagini AD TALE FACINUS* (vexandor. Christicolarum) *PATRANDUM illis temporibus* praeerat. Ex his vides, huic magistratui extra ordinem constituto extraordinarium Praefecti nomen fuisse impositum. Et huic quidem interpretationi ante hos duos annos adquieveram, quam & schedae commiseram, ad illustrandum hunc Actorum locum usui futuram. At ea nunc contentus esse non possum. Quid enim? Numerianus octo vix menses post patris decessum imperium tenuit, eosque reducendo exercitu & adversa valetudine distentus. Ob eam sane causam eum ex persecutorum numero prorsus eximendum esse censuit Tillemontius, quasi cui satis vacui temporis ad persecutionem movendam non fuerit. At ei jam supra cap. 2. respondimus, nullius molestiae negotium fuisse Imperatori jubere tantum edicta proponi. Eae quidem jussiones ad praefectos praet. primum dirigebantur; a quibus ita edicta componebantur, ut eis imperatorum sive jussa sive epistolae praeponerentur: de quo vide finem epistolae Maximini de finienda persecutione apud Euseb. IX. 9. & ibi Valesium. Ergo ubi imperialis sive lex sive praeceptum ad praefectos perlatum erat, ab his edicta componebantur: quae ubi ad rectores provinciarum delata essent, jam totum persecutionis negotium (usu praesertim praecedentium saeculorum confirmatum) in proclivi erat. Et hactenus ea responsio recte procedere videbatur: at non item si eo usque id negotium urgeas, ut praefectos per singulas orbis Romani provincias extra ordinem miseris. Quid enim? judicio primum acerrimo opus fuisset in viris industriis ac strenuis deligendis, isque delectus diu Principem occupasset: deinde antequam praefecti illi se compararent, & ad suam quisque provinciam accederent, diuturnius tempus intercessisset, quam ut vivo ac vidente Numeriano judiciis cruentissimis daretur initium. Postremo accedit Cassianum illud CVI BONO: praesertim quum per tramites usitatos res expediri quã citissime potuisset.

Sed & alteram Castellus vir amiciss. in adnotatis ad haec Acta hujus difficultatis solutionem posuit: quem vide pag. 80. & seq. Vbi *praefecti* nomine Africae vicarium jubet intelligi. Etenim praefectura praetoriana Italiae [ad quam Africa pertinebat] plures vicarios complectebatur, inter quos & *Africae Vicarius* [ita enim peculiariter dicebatur] fuit; cui plures provinciae suberant, inter quas praecipua esse debuit Africa. Itaque ubi *praefectum* Eustasium audis [si quidem viro Cl. credimus] Africae vicarium debes accipere. Atqui vicarii passim *Propraefectis* vocabantur [ex eo scil. quod praefector. praetorio vicem gererent] cur non & *Praefecti* (saltem καταχρηστικῶς) vocarentur? Plura apud virum eruditum invenies.

At bona cum viri docti venia nusquam erit, ut inveniatur Vicarius aliquis *Praefecti* nomen arripuisse, sed tantũ *Propraefectis* aut aequipollente alio nomine: nec in eo Baronio (39) do manus, quem Noster pro se laudat. Sed & illud accedit, in

(39) Eruditiss. Baronius ad an. 260. 8. recitato Cypriani ex epist. ad Successum loco [qui talis est: *Sed & huic persecutioni quotidie insistunt PRAEFECTI in urbe, ut siqui sibi oblati fuerint, animadvertantur*] *praefectorum* nomine intelligit tum praefectum urbanum, tum etiam

in quo caput eſt, quod *Africae vicario* jus nullum in Proconſularem Africam fuit: id quod ex Notitia Imperii (40) clarum eſſe perſpicio.

Poterat & illud dici, *Praefecti* nomen hoc loco tantumdem quod *Praeſidis* fuiſſe. Nam in SS. Tryphonis & Reſpicii Actis, ſi viris (41) eruditis credimus, rector Bithyniae [in qua ii certe decertarunt] paſſim *Praefectus* appellatur. At poſtea deprehendi non rectorem ſed praetorianum praefectum in iis Actis eſſe capiendum: de quo vide inferne (42) adnotata.

Po-

etiam qui vicariam gereret praefecturam [vicarium ſcil. praefecti praetorio Romae morantem] aut etiam procuraturam. Vide eumdem etiam ad an. 284. 15. Heic ego de praetura haud facile Baronio aſſentiar. At Vicarius urbis Romae quia a Cypriano permixte cum praefecto urbano deſignabatur, facile uterque poterat plurativo *praefectorum* nomine deſignari, quum uterque re vera praefectoriam poteſtatem obtineret, etſi alter tantum vicariam. Ne ergo Cyprianus circuitione illa [*inſiſtunt Praefectus urbis & vicarius praefecti praetorio*] uti cogeretur, ſatius duxit *Inſiſtunt praefecti* dicere. Ceterum ubi de uno Vicario praefecti ſermo eſt, tum vero haud aliter reperies, quam uſitata locutione illa uſos, *Pro-praefectis*.

(40) Si recte *Notitiam Dignitatum . . . in partibus occidentis* capio, Africa proconſularis non modo ſub nullius vicarii diſpoſitione erat, ſed vix ſub ullius praefecti praetorio. In Labbeana Notitiae editione ſectio XXXIV. [a qua Occidentis dignitates incipiunt] ita primarias initio dignitates enumerat:

Praefectus praetorio Italiae,

Praefectus praetorio Galliarum,

Praefectus Vrbis Romae &c. Deinde ſequitur:

PROCONSVL AFRICAE VNVS,

Vicarii ſex. Inter quos *Vicarius Africae* cum ſubjectis ſibi provinciis ita ponitur, ut inter eas provincias deſit *Proconſularis Africa*. Ex quibus oſtenditur, Africae proconſulem nulli vicario fuiſſe ſubjectum, ac fortaſſis ne praefecto quidem, quocum forſan aequo paſſu gradiebatur: maxime quum in ſequ. ſectione *Africa proconſularis* inter eas Afras provincias, quae ſub diſpoſitione praefecti praetorio Italiae erant, non numeretur, ſed tantum provinciae quinque [Byzacium, Numidia, Duae Mauretaniae, Tripolis] etſi ſeptem in ſummate proponantur, quo numerus ſcil. Afrarum provinciarum integraretur. Scio quidem ex Cod. Th. me alicubi didiciſſe, Africae proconſules ſub diſpoſitione praefecti praetorio Italiae fuiſſe: verum fieri poteſt [nec enim praeſtare id audeo] ut Honorianis temporibus, ad quae *Notitia Dignitatum* refertur, haec parte variatum fuerit.

Verum age: detur ſane, Africae proconſulem ſub praefecto praetorio fuiſſe; at vicario quidem certe nihil juris in Africam proconſularem fuit. Id liquido ex ſect. XLIV. & XLVI. conſtat: illius titulus talis eſt: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis proconſulis Africae*: hujus vero: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Vicarii Africae*. Ex quibus vides, eos non modo pari greſſu procedere, verum etiam Africae proconſulem huic anteponi. Deinde ſicuti proconſuli *Provinciae conſularis* [alibi paſſim *proconſularis*] *legati ejus duo*, ſic vicario conſulares provinciarum duo treſque praeſides ſubſunt. Ex quibus vides Africae Vicario nihil fuiſſe in Carthaginem aut provinciam Proconſularem juris.

(41) Quos vide in ſeq. Adnotatione.

(42) *Qua notione Judex SS. Tryphonis & Reſpicii PRAEFECTVS in Actis dicatur. Locus Actorum difficilis enucleatur. Ruinarti, Tillemontii, Bailleti hallucinationes. Praeſidum ac praefectorum diſpertita fuiſſe nomina; nec umquam aliud ἐπὶ τῆς ἀρχῆς* [*cujuſmodi Aquilinus erat*] *quam* praefectum *notaſſe. Orientis praefectus ſub Decio in Bithynia conſidebat, eamque peculiariter (ſic quaſi praefectoriam provinciam: quod genus & in Actis Reſtitutae obſervatur) regebat. De Eminentiſſimatu. Gruteriano lapidi lux.*

Habuit Baronius [ad 10. Novemb.] horum Martyrum Acta, quorum profert initium, ex quibus actis conſtare ait, eos Nicaeae ſub Decio imp. & Aquilino *praefecto* paſſos. Ex quo indicio liquet eadem fuiſſe Baroniana Acta, ac quae poſtea edidit Jeſuita Octavius Cajetanus, & ex eo Ruinartus. In iis initio ſic horum Martyrum comprehenſionis occaſio narratur: *Cum regnaret Decius, relatus eſt Aquilino Praefecto Orientis, quod ſcientiae divinae cultura* [legendum duco *Culturam*] *haberent erga ſanctos Tryphonem atque Reſpicium*: h. e. [ut obiter notem] . . *culturam haberent SS. Tryphon & Reſpicius*. Cur ita interpreter, rationem accipe. Haec Acta de Graeco transfuſa fuiſſe antiquitus,

Digitized by Google

quitur, nemo dubitat. Etsi autem Graeco nunc textu careamus; tamen meo periculo haec sic Graece concipiebantur: ὅτε σὺν θείᾳ γνώμῃ ὁ (aut ἁγιωτάτῳ) θεραπείων (aut ἐπιμελητῶν) ἴσχυσεν οἱ περὶ Τρύφωνα καὶ Ῥεστίκιον. Id vero reddendum erat, *Quod scientiae culturam haberent sancti Tryphon atque Respicius*. Nam quis nescit illud οἱ περὶ Τρύφωνα idem esse quod recto casu *Tryphon*? At interpres, redactus ad incitas, verbum verbo appendit; quumque veteres Glossas in subsidium adhibuisset, in quibus Περὶ tantumdem est quod *Erga* [in Philoxeni Glossis: *Erga*, Περὶ] hinc totidem verbis reddidit: *quod Scientiae culturam haberent ERGA* (i.e. περὶ) *sanctos Tryphonem atque Respicium*. Verum haec obiter.

Sed illud negotium facessit, quod Aquilinus [cujus infra num. 2. plena nomenclatio fuit *Tiberius Gracchus Claudius Aquilinus*] ubique *Praefectus* inscribitur; in ipso autem exordio, uti vidimus, *Praefectus Orientis*: quum tamen hi Martyres Nicaeae depugnaverint. *Non enim* [ait Ruinartus in Admon. n. 2.] *in tota Syria aut vicinis provinciis quae ad ORIENTEM pertinebant*, ulla est Nicaea, in qua certum est hos Sanctos decertasse; quae urbs non alibi quam in Bithynia fuit. Nodum vero vir eruditus in hunc modum denique solvit: *Praefectus vero orientis, qui hos Martyres damnasse memoratur, non Orienti proprie dicto praeerat, sed alicui ex illis provinciis, quae ad Orientem late sumptum pertinebant, uti certe erat Bithynia, quam ad orientem eo modo dictum spectasse* (credidit) *qui haec acta ... transtulit. Inde etiam Praefecti nomen in eadem acta invectum est, qua voce non utebantur veteres ad designandos rectores provinciarum*.

Paria ferme in Tillemontio reperies tom. 3. Not. 13. ad persec. Decii. *Jene sçai mesme, pourquoi le juge Aquilin y est appellé Prefet d'Orient. Le titre de Prefet ne nous embaraſſe pas parce que cette piece eſt viſiblement traduite du Grec. Mais ce gouverneur jugea le Saint a Nicee & ... il n'y en a aucune* (Nicee) *dans la Syrie, ni dans les Provinces voiſines, qui compoſoient ce que les Romains appelloient proprement l'Orient, & le Comté d'Orient*. Ex his vides nec Ruinartum nec Tillemontium dubitasse, quin *Praefecti* nomen pro *Praeside* hoc ab interprete positum fuerit [unde & Tillemontius in horum Martyrum historia Aquilinum semper *Gouverneur de la Bithynie*, sicuti & Bailletus ad 10. Novemb. vocant] cur autem non tantum *Praefectus*, sed & *Orientis* vocetur, Ruinartianam ejus difficultatis solutionem Tillemontio non se probasse, satius habenti difficultatem insolutam relinquere. Atque hic ille insignis naevus est, quem Bailletus in Tab. Crit. his Actis insidere conqueritur.

Verum ne dubita, quin vetus interpres *Praefecti* nomen ex vero usurpaverit. Nec enim Aquilinus in Graeco Actorum textu, quo caremus, ἄρχων aut ἡγεμὼν [quae *rectorem* provinciae notant] sed ἔπαρχος h. e. *praefectus praetorio* vocabatur. Qui scis? inquis. Quia in Basilii Menologio Kal. Febr. [quo die Graeci Tryphonem colunt] Tryphon tentus παρὰ Ἀκυλίνου τοῦ ἐπάρχου h. e. *ab Aquilino praefecto* dicitur: quae sine dubio ab Actis Graecis fluxerunt, in quibus Aquilinum ἔπαρχον [quod *praefectum* non vero *praesidem* notat] nuncupatum fuisse oportet.

Atque ut haec penitius percipiantur; sciendum est, *praefectos* & provinciarum *rectores* dispertita habuisse suae dignitatis vocabula tum Graece tum etiam Latine. Nam Graece quidem illi haud aliterquam ἔπαρχοι aut ὕπαρχοι vocabantur; hi vero communi quidem nomine sive ἄρχοντες sive ἡγεμόνες, speciali vero sive ἀνθύπατοι, sive ἀνθυπατεύοντες aut quo alio nomine pro ratione provinciarum dicebantur: Latine vero ἐπάρχους quidem *Praefectorum* vox respondebat [cujus ambitu tum praetoriani tum urbani *praefecti* continebantur] posterioribus vero vocibus *praesidum* aut *rectorum* commune nomen, aut speciale *consularium*, *proconsulum*, *propraetorum* aequivalebat. Atque eas voces numquam aliter ac dixi acceptas fuisse tum constans scriptorum usus, tum etiam Glossae veteres docent [quas ex pluribus indiciis scio veteribus interpretibus ad manus fuisse] in quibus etsi ἐπαρχία sit *Provincia*; ἔπαρχος tamen [sicuti & ὕπαρχος] non provinciae *rectorem* notat, sed tantum *Praefectum*; sicuti vocibus ἄρχων & ἡγεμὼν & *Praesidis* & *Rectoris* & *Judicis* nomen respondet. De vocibus ἔπαρχος aut ὕπαρχος [sunt enim synonyma] vide Valesium ad IV. Euseb. *de vita Constant.* c. 1. necnon Nic. Alemannum ad Procopii Anecdota, & alios. Nefas ergo fuisset Aquilinum [si quidem is non aliud quam rector Bithyniae fuisset] sive Graece ἔπαρχον aut ὕπαρχον, sive Latine *Praefectum* vocari, multo minus *Praefectum orientis*, quae una ex praefecturis praetorianis erat.

At, inquis, quid *Orientis* [cujus nomine in Notitia venit Syria cum aliquot vicinis provinciis] cum Bithynia [in qua hos Martyres Aquilinus interrogavit] commune habuit? Respondeo, etiamsi *Notitiae* scitis stare velimus, in ejus sectione 1. & alibi passim Bithyniam, etsi

Digitized by Google

Postremo perpensis omnibus eo mihi tandem deveniendum putavi, ut hoc loco *Praefecti* nomine non alium quam praefectum praetorio designari putarem: non quod Eustasius ille, qui in his Actis *praefectus* inscribitur, re vera praefectus praetorio fuerit tempore Restitutae h. e. tertio exeunte saeculo (jam enim supra Adnot. 40. conjiciebam, praefecto praetorio Italiae vix forsitan aliquid juris in Africam proconsularem fuisse) sed quod horum, quae nunc terimus Actorum scriptor eo tempore vixerit, quo peculiaris praefectus praetorio Africae assignatus, ejusque sedes Carthagine fixa fuerit: quo factum, ut hic scriptor eum, qui tunc Carthagine jus dicebat,

extra *Orientis* dioecesim sit, tamen ad provincias Praefecti Orientis pertinere, quia sub hujus dispositione *Pontica* erat, quae Bithyniam sub se continebat. Et tamen *Notitia dignitatum* est duob. prope saeculis recentior aevo Decii; sub quo Praefectura Orientis multo latius diffundebatur, nondum stabiliter auctо praefectorum numero.

Non parum autem commodi ex horum Martyrum Actis capimus in eo, quod inde discimus, sub Decio praefecti orientis sedem in Bithynia ac proprie in ejus metropoli Nicaea fuisse. Sic enim hujus historiae auctor sect. IV. orditur: *In ipsis diebus Praefectus profectus est ad alias civitates*. Ex quibus hoc etiam discis, praefectos in assignata sibi sede h. e. in *praefectoria* provincia (nam fuisse interdum provincias, quas *praefectorias* vocare liceat, quod peculiariter a praefecto praetoriano administrarentur, ex his & S. Restitutae Actis, nunc primum mecum viri eruditi discent) id omne fecisse, quod in ceteris praesidialibus provinciis sui rectores facerent. Nam sicuti in his hiberno tempore praesides provinciam circumibant, conventum acturi, & civilem urbium statum emendaturi; sic praefectus iste suae provinciae urbes per hiemem (qua hos Martyres passos esse, Acta docent, ubi de *glaciali tempore*, & *asperitate hiemis* loquuntur) publicis necessitatibus provisurus lustrabat. Statim vero sequitur: *Et post aliquot dies reversus Nicaeam CIVITATEM SVAM* (hinc vides sedem Praefecti Nicaeam fuisse) *jussit sibi Sanctos Dei praesentari*. Nec immerito Nicaeae consistebant. Nam Nicaea Straboni μητρόπολις τῆς Βιθυνίας *Metropolis Bithyniae* vocatur; & in nummis ejusdem urbis cives ΠΡΩΤΟΙ ΤΗΣ ΕΠΑΡΧΕΙΑΣ, *primi* ejus *provinciae* inscribuntur. Etsi postea Diocletianus Nicomediae sibi sedem delegit; sicuti & Constantinus, quandiu certe Nova Roma aedificabatur: eoque Nicomediam praeferri Nicaeae necesse fuit.

Sed nescio quo pacto & alia duo argumenta omiseram, quibus praefectoria dignitas Aquilino vindicetur. Nam sect. I. ubi scriptor dixisset, hos Sanctos fuisse comprehensos, hanc affert rationem: *Hoc autem erat indictum a praefectis*. Optime: nam ab Imperatore ad praefectos epistolae deferebantur, quibus legum aut praeceptorum tanquam informatio quaedam continebatur: mox a praefectis (qui ante Constantinum communiter & quasi in solidum suo munere fungebantur) edicta publicabantur: eoque dicitur, *Hoc* fuisse *indictum a praefectis*, e quorum numero unus erat hic Aquilinus.

At argumentum alterum multo est validius, quod Pompejanus primi scrinius sect. 2. sic loquitur: *Adsunt, o Praefecte, Sancti* (hanc *Sanctorum* appellationem ipsi ne gentiles Martyribus tribuebant, quod scil. sic vulgo a Christianis vocarentur; an scriptor, utpote Christianus, de suo id vocabulum usurpat? primum malim) . . . *appliciti circa EMINENTISSIMVM & ILLVSTRE tuae potestatis tribunal interrogandi*. Quibus verbis nulla inest assentatio; nam hi tituli erant praefectoriae dignitatis. Sane praefecti praetorio non aliud initio quam *viri clarissimi* dicebantur. At postea & *Illustres viri* (quod plus est) imo & *Eminentissimi viri* audiverunt: quae posterior appellatio ipsis tantum & Magistris militum competebat. Vide de eo titulo tum plures codicis leges, tum Panciroli um I. Var. lect. 4. & Brissonium in de Verb. signif. Hinc discе quid illud sit, quod apud Grut. 1028. 2. basis inscribitur *L. Petronio Tauro Volusiano* ... PRAEF. PRAET. EM. V. h. e. *praefecto praetorio, eminentissimo viro*. Quumque ea inscriptio saltem tertium saeculum spiret; ex eo *Eminentissimatus* antiquitatem *facile* intelliges.

Et hactenus satis molestam difficultatem a Tryphonis Actis sustulimus. Quamquam difficultas nulla fuisset, si quidem viri docti *Praefecti* nomine praetorianum praefectum, (id quod res erat) accepissent, praesertim quum *Orientis* additamento. Nunc eos antecepta opinio transversos tulit, ratos, non ab alio quam a praeside Bithyniae (non a praefecto praetorio) illos fuisse judicatos; praesertim quum consueta munia praesidis in Aquilino animadverterent.

Digitized by Google

vebat, eodem dignitatis titulo donaverit, quem, dum haec scriberet, re vera usurpabat.

Rem paullo altius repetam. Justinianus Aug. devictis Vandalis Africaque recuperata, nihil habuit antiquius, quamut in futurum prospiceret, ac tali munimento eam dioecesim sepiret, per quod contineri semper sub imperio posset. Inter cetera quum ad eam diem quatuor per orbem Romanum praefecti praetoriani fuissent omnibus noti, ipse quintum Africae peculiarem addidit. Exstat ea constitutio lib. 1. Cod. tit. 27. qui inscribitur, *De officio praefecti praetorio Africae*. Cujus Constitutionis §. 1. sic legitur: *Sancimus, ut omnis Africa... propriam habent praefecturam: cujus SEDEM jubemus esse CARTHAGINEM.* Atque ea politia post ann. 534. (in quem celebris Belisarii victoria incidit) incepta, ad usque medium saeculum septimum h. e. usque ad (43) annum 647. perduravit: a quo tempore ea pars imperii florentissima Saracenorum invasioni patuit; per quos mox duraturum ibi regnum stabilitum fuit. Ergo post hoc tempus nullus amplius Carthagine imperialis Praefectus fuit, qui per centum plus annos ibibem confederat.

Jam supra vero cap. 1. ex non uno indicio conjeceram, hunc, qui Restitutae hodierna Acta composuit, sexto septimove saeculo id scriptum emisisse. At ex hoc loco, in quem commentamur, intra angustiores cancellos hujus lucubrationis aetatem coercere cogimur, intra finem scil. sexti saeculi septimique medietatem. Quum igitur hic scriptor eum, qui Carthagine jus dicebat, *Praefectum praetorio* (aut absolute *praefectum*: sic enim loquendi consuetudo ferebat) vocari animadverteret, nec aliter aevo Restitutae se rem habuisse suspicaretur (quî vero poterat, antiquitatis & criticae subsidio, quae tunc hominum erat ruditas, destitutus?) hinc Eustathium, qui Carthagine summam obtinebat potestatem, putavit praefectoria dignitate polluisse aeque ac suo tempore moris erat. Hinc intelligimus, quid illud sit, quod sect. 1. Noster scripserat: *Per omnes provincias suae ditioni subjectas* (Numerianus) *Judices ac praefectos destinare* (hoc autem heic non significat *mittere* sed [44] *delegare & negotium dare*) *studuit, ut Christi cultores... laniando trucidarent*. Quo loco *Judicum* nomine praesides (quod omnes sciunt) provinciarum veniunt; *praefectorum* vero nomine tum urbani, tum etiam praetoriani praefecti, inter quos quia aevo scriptoris praefectus Carthaginensis numerabatur, putavit hoc idem & sub Numeriano valuisse. Nec aliter Noster hoc loco, quem tractamus, loquitur: *Suggessit* (primarius) *praefecto* (praetoriano) *Eustasio, qui civitati Carthagini ad tale facinus* (persecutionis, ex delegatione imperialis edicti) *patrandum praeesse videbatur*.

Credo equidem me criticis probasse causam. Tamen ut ceteris satisfecerim, at mihi ipse non dum feci satis. Non enim sub Justiniano primum Africae praefectos fuisse institutos, sed jam olim sub Valentinianis prioribus Africam sibi praefectum praet. peculiarem habuisse, ex non una Sex. Petronii Probi (45) inscriptio-

(43) Imo proprie usq. ad ann. 646. quo anno Gregorius praefectus Carthaginis occupata tyrannide, ab Imperatore desivit. Qui mox anno sequente a Saracenis occisus est.

(44) *Destinare* etsi alibi est *Mittere*, at hoc loco est *praecipere* aut *delegare*. Nam in veterib. Glossis *Destinare* non tantum redditur ἀποστέλλειν (quod est *mittere*) sed etiam προστάττειν, quod est *praecipere*. Rursus in Philoxeni Glossis *Destinor* est ἀφορίζομαι, & *Destinat*, ἀφορίζει. At istud Ἀφορίζω in Cyrilli Glossis & alibi est *Delego, Deputo*.

(45) De Sex. Petronio Probo, qui anno 371. cum Gratiano consul ordinarius fuit, exstant plures inscriptiones, in quibus is Praefectus praet. Africae fuisse proditur. Ac de eo quidem apud Muratorium initio tomi 4. pag. 10. num. 1. sic narratur: PRAEFECTO PRAETORIO PER ILLYRICVM ITALIAM ET AFRICAM. Ac ne quis suspicetur in ea epigra-

Digitized by Google

scriptione intelligitur. Cur non & sub Carino & Numeriano idem obtinuerit, ut in his Actis Restitutae legitur? Aut saltem si sub duobus Valentinianis id primum est usurpatum, ut quatuor in occidente praefecturae discretae (quas vide in superiore Adnot.) & inter eas Africana, numerarentur; cur non dicemus, scriptorem nostrum (si modo is ex suo tempore aestimare tempora Numeriani voluit) quarto exeunte saeculo aut saltem quinto haec Acta scripsisse; aut certe in ea, quae nunc terimus, ex antiquioribus quarti saeculi Actis hanc de praefecto Carthaginis narrationem fuisse propagatam?

Tamen in sententia persisto. Nam ille quidem scrupulus de praefectura Africana tempore Numeriani facile eximitur; quia nusquam neque apud scriptores, nec lapides ullum est ejus rei vestigium. Deinde si sub Numeriano tot numero praefecti fuissent, numquam Zosimus Constantino quadripartitam praefecturam, quae antea tantum duplex (46) fuerit, auctori tribuisset.

Ergo quantum equidem video, sub Valentiniano, quippe primo Occidentis (tum primum ab Oriente sciissi) Imperatore, ea primum novitas contigit, ut quatuor in Occidentis partibus praefecti essent, inter quos Africanus. Nec videtur id postea observatum, silentibus ea de re scriptoribus ac marmorum monumentis. Sub Arcadio certe & Honorio (sub quibus *Notitia dignitatum* scripta dicitur) quatuor omnino totus orbis Romanus praefectos praet. numerabat; nec de praefecto Africano vola aut vestigium. Ergo ad Valentiniani unius tempora singulare illud quaternionis praefecturarum in uno Occidente exemplum est conferendum. Quocirca nemini sub Valentiniano scribenti in mentem venisset de *Carthaginis praefecto* meminisse, quia nec ante Valentinianum nec postea tale quidpiam fuit.

Obiter autem heic mecum notabis, in eo quod Africae praefectum Justinianus *Carthagine* considere jubet lib. 1. Cod. tit. 27. §. 1. (*Cujus* inquit *sedem jubemus esse Carthaginem*) *Carthaginis* nomine non urbem tantum illam Romae aemulam intelligendam esse, sed totam *Proconsularem* provinciam, ipso Justiniano interprete §. 2. ubi Africam in septem provincias praefecto isti subjiciendas divisurus, sic eas enumerat: *Tingi, & (quae PROCONSULARIS antea vocabatur) CARTHAGO, & Byzacium, ac Tripolis .... Numidia & Mauritania, & Sardinia.* Vbi parenthesi interposui ea, quae in editis ita confunduntur, ut plane nescias utrum *Proconsularis* sit octava quaedam provin-

S s cia,

graphe dioeceses tres uni eidemque praefecto subjectas numerari; adeat Gruterianas plures inscriptiones pag. 450. ex quibus clare elicitur, eas tunc fuisse tres dispertitas praefecturas aeque ac quartam Galliarum. Ergo in Grut. p. 450. 2. sic legitur: *Sex. Petronio Probo V. C. proconsuli Africae praefecto praetorio QVATER* (notabis hoc numerale adverbium, ex quo praefecturarum quaternio demonstratur) *Italiae Illyrici Africae Galliarum* (hanc ultimam praefecturam nondum gesserat anno 378. quo anno, *Muratorianus lapis*, ut ex VALENTE VI. ET VALENTINIANO AVGG CONS ibi adscriptis constat, scalpebatur) *Consuli ordinario* &c. Eadem eisdem verbis in eadem pag. num. 3. scribuntur, ubi & hoc praeterea reperies, hunc Probum *Anicianae domus Culmen* nuncupari. Exstant ibid. num. 4. & 5. de eodem Probo epigrammata duo, in quorum priore sic refertur v. 5. *Praefectus QVARTVM toto dilectus ab orbe*, in altero vero sic v. 7. canitur: *BIS GEMINA populos PRAEFECTVS sede gubernans*, non simul, sed deinceps & ex ordine.

Atque hinc obiter notaveris, in inscriptione apud Grut. p. 1102. 2. pertinente ad ann. 387. (quae ponitur *Vettio Agorio Praetextato Praef. praetorio II Italiae & Illyrici*) illud II. (h. e. *bis*) itidem ostendere, tunc Italiae praefecturam ab Illyrici occidentalis praefectura abstractam fuisse, ut etiam ex superioribus constat.

(46) Non nego tamen interdum sub Constantini decessoribus plures duobus fuisse praefectos: at id siquando accidit, temporaneum ac mutabile, numquam vero constans & stabile fuit, donec Constantinus totum Imperium in quatuor praefecturas dispescuit.

Digitized by Google

cia, an alio sit referenda. Ergo quae antea *Proconsularis* vocabatur, sub Justiniano *Carthago* dicebatur; ut & quae Tingitana, *Tingi*; & quae Byzacena, *Byzacium*. Quare in his Actis ad finem sect. 7. ubi Proclinus suggessisse scribitur *Praefecto Eustasio, qui civitati Carthagini ... illis temporibus praeesse videbatur* (h. e. praeerat) illud CIVITATI quod *Carthagini* praeponitur, inducendum videtur. Est enim, opinor, glossema ab semidocto librario serius adjectum, cui scil. urbs tantum ejus nominis celebratissima innotesceret, provincia vero *Carthago* sub Justiniano appellata (quae olim *Proconsularis* vocabatur) penitus inaudita esset.

Atq. haec de hoc loco satis: in quo enarrando eo longior fui, quod inde scriptoris aetas eluceat. Qui certe videtur haec tum maxime scribere debuisse, quando prior Carthaginis politia, per quam proconsuli paruerat, jam ex hominum memoria elapsa fuisset; h. e. non ante finem VI. saeculi aut potius septimi initium. Qui certe haec eadem de Carthaginensi *praefecto* non tantum quamdiu is perduravit (h. e. usque ad septimi saec. dimidium) scribere poterat, sed & aliquamdiu postea, quamdiu scil. *praefectorum Carthaginensium* recordari homines potuissent: ita ut intra saeculi VII. fines aetas scripti hujus coerceri debeat.

CAP. V.

Ad vulgata S. Restitutae Acta animadversiones aliquot.

§. 1. *Ad priores tres sectiones. De habitu Religionis, & velo virginali. De curialibus & eorum primariis, quibus exsecutiones a praesidibus demandabantur: lex Cod. Th. & Ammianus in partes vocantur. Loci Ammiani de cultu Martyrum recta interpretatio. RECORDO pro* In mentem revoco.

Et hactenus quidem plura in medium attulimus, ex quibus Henscheniana Acta illustriora fiant. Nunc siqua mihi forte adhuc veluti in transcursu observanda superfunt, in unum veluti fasciculum colligemus.

Sect. 1. *Carinus praelio victus apud Argium occiditur.*] In antiquissimo omnium codice [quem deinceps *primum* vocabimus; sicuti *secundum* & *tertium*, ut singulorum aetatis praerogativa ad illum primum accedit] non *Argium*, sed *Argum* legitur: cui si M ab initio addideris, exsistet jam *Margum*; quod nomen oppido fuit in Moesia superiore ad quod Carinus devictus cecidit.

Ibid. *Iste igitur Diocletianus.*] In cod. primo & sec. & in antiquis lectionibus, *Numerianus*, uti cap. 2. monuimus.

Sect. 2. In loco, qui dicitur *Ponizarius.* Vide cap. 3.

Ibid. *Virgo ... nobili genere exorta, & sacrae Scripturae studiis optime erudita, nomine Restituta.*] De nobilitate & Scripturae studiis eadem prorsus verba occurrunt in antiquis Lectionibus. Hinc credo occasionem arripuit Romaeus, Restitutam ab ipso Cypriano edoctam fuisse, conjiciendi. Et si Romaeus, uti dixi, conjectura tenus stetit: *Doctissima*, inquit, *puella ... a Cypriano ... informata fortasse.* At ceteri eum secuti, Paulus Regius, Bzovius, Ferrarius id sine ambagibus affirmarunt.

Sane quidem de Scripturae studiis haud aegre his Actis assentior; maxime cum Lectiones adstipulentur. Hinc autem noster hic sive auctor sive interpolator, ut ex verisimili suae scriptioni copiam adsciscere, Restitutam longis concionibus utentem facit, & ex sanctis Scripturis plurima passim proferentem. Sic enim Noster in hoc suo poemate serviturū se τῷ πρέποντι [decoro] speravit.

Statim deinde sequitur: *Haec itaq. .... sacri baptismatis sacramento renata, & sanctae RELIGIONIS habitu induta, virgo corpore & animo.* Eadem omnia in antiquis lectionibus eisdem verbis leguntur. *Religionis* vox apud Salvianum & sequentes scriptores vitam monasticam significat: quo sensu & hoc loco eam accepit scriptor, nescius scilicet, Restitutae aevo asceterias quidem fuisse plurimas, monasteria vero non dum ullas. Sane quidem cre-

Digitized by Google

crediderint, in priore S. Reſtitutae hiſtoria fuiſſe de ejus virginali velamine mentionem injectam: id quod Acta, quae nunc ſunt, ad *Religionis habitum*, qui nullus tunc erat, tranſtulerunt. De ſacro Virginum velo, ejuſque antiquitate videatur Baronius ad VII. Maii, Valeſius ad Euſebii *Mart. Palaeſt.* cap. 9. Cangius in Gloſſario in *Velum*.

Ibid. *Igitur dum Primarius provinciae* [dixiſſet melius *Regionis*, nim. *Hipponenſis*; ut eſt in inſcriptione, quam ſupra Adnot. 35. expoſuimus] *illius, nomine Proclinus, ed ex juſſis praedicti Caeſaris Diocletiani inquirendo tranſiret . . .*] Et heic pro *Diocletiani* reponendum eſt *Numeriani*, ut in pr. & ſec., imo & in tertio legitur; etſi in hoc ultimo, abraſo τῷ *Numeriani* ſuperſcriptum recentiore manu ſit *Diocletiani*. Qui porro in Vulgatis Actis [& quidem ex fide codicum] *Proclinus* vocatur, is in Lectionibus & Romaeo *Proclius*, a Ferrario *Procalus* (errore utique typographico pro *Proculus*) in Mrologio Rom. & Bzovio *Proculus* nuncupatur: quorum ultimum magis Romanum eſt.

Jam vero *Primarius* [quae dignitas etiam in Lectionibus Proclino ſeu *Proclio* tribuitur] quid ſibi velit, docet nos l. 39. cod. Theod. *de decur.* quae his verbis concipitur: *Sancimus ut citra injuriam corporis* [*quod in ſervis etiam probroſum atque poſtremum eſt*] *cuncti Primarii & curiales praecepta a judicibus exſequantur. Frequenti ergo monitione atque hortatu tam primarios curiae, quam hos qui magiſtratus geſſerunt, ſinceritas tua incitare debebit, ut promptius praecepta ſuſcipiant, omnis corporalis contumeliae timore ſublato.* Ex verbis hujus legis intelligitur, *primarios* fuiſſe municipalem dignitatem, nec aliud eſſe *primarios*, quam qui alibi *primates* aut *principales*, Symmacho *Summates*, Ammiano *vertices ordinis*, [nam *ordo* abſolute decuriones ſive curiam deſignat] Graecis vero οἱ πρῶτοι aut πρωτεύοντες vocantur: in Gloſſis enim duo haec vocabula *primatibus* aut *primoribus* reſpondent. Legeſis porro, quae in eam legem opportune adnotat Gotofredus. Summa eo redit. Curialibus, praeſertim curiae primariis, inter cetera id incumbebat, ut judicum ſive rectorum provinciarum juſſa atq. ſententias quam citiſſimae exſecutioni mandarent. Id vero ut honorificum, ita periculoſum curialibus erat; quibus ea de cauſa non leves irrogabantur injuriae. Hac igitur lege immunitati curialium & magiſtratuum conſulitur; ſimulque praecipitur, ut eo timore ſublato ne ſegniores evadant, ſed tanto alacrius juſſa praeſidum exſequantur. Eam legem cognoviſſe non pigebit, haud parum his Actis, & Proclini hujus delegatae juriſdictioni lucis allaturam. Interim ne ſic quidem curialium ſecuritati ſatis proſpectum fuit. Nam ubi ea lex anno 349. lata eſſet; deinde anno 368. Valentinianus, in iram pronior princeps, *in negotio Maxentii cujuſdam Pannonii* (cui Valentinianus favebat) *ob exſecutionem a judice recte maturari praeceptam, trium oppidorum ordines mactari* juſſit, teſte Ammiano lib. XXVII. cap. 7. Quod factum Eupraxio quaeſtori liberiorem hanc vocem expreſſit: *Parcius agito, piiſſime principum: hos enim quos interfici, tamquam noxios jubes, ut Martyras, id eſt divinitati acceptos, colit religio Chriſtiana.* Qui ubi *Martyras ideſt divinitati acceptos* ait, non eam vocem grammatice interpretatur [quotus enim quiſque quid μάρτυρας Graeci vocarent, ignorabat?] ſed quo loco *Martyres* apud Chriſtianos eſſent, ſubnectit. Ait igitur eos *divinitati* [h. e. *in divinitatem*] *acceptos* [non vero θεοφιλεῖς i. e. *Deo gratos*, ut Valeſius explicat] ac tamquam deorum loco habitos. Hoc illud eſt quod millies in Martyrum Actis legitur, eorum corpora a gentilibus in mare aut in profluentem fuiſſe demerſa, aut aliter diſſipata, ne eorum reliquiae divinos honores [uti falſo ſcil. interpretabantur] conſequerentur. Nonnumquam & a confeſſorum caedibus abſtinebant, non clementiae gratia, ſed ne deos ex hominibus [quod falſo credebant] efficerent. Sed & id quoque ex Eupraxii dicto diſcimus, non tantum qui fidei gratia, ſed et

Digitized by Google

qui juſtitiae aut cujuslibet recte facti cauſa caeſi fuiſſent, pro Martyribus a Chriſtianis habitos: id quod & quorumdam Martyrum hiſtoriae, & iſta Eupraxii objurgatio confirmat. Nec enim fidei cauſa curiales[quibuſcū Chriſtianos is comparavit] interierant, ſed innocentiae & recte factorum intuitu: cujuſmodi homines, *ut Martyras*, inquit, *colit religio Chriſtiana*. Huc etiam pertinet exemplum de quatuor innocenter enectis, quod proxime (47) antea idem Marcellinus protulerat. Sed jam e diverticulo in viam.

Sect. 3. *Cumque* (Reſtituta) *ſuiſſet ante conſpectum praefati Judicis* (Proclini primarii ſcil., quem paſſim *Judicem* vocat, ex delegata juriſdictione ſcil.) *perducta, his verbis eam alloqui coepit: Diva* (h. e. *Divina*, ſicuti *Divi apices* pro *divini* &c.) *poteſtas Romani imperii . . . totum orbem . . . de quadam ſecta cujuſdam Crucifixi nequiſſima emundare . . . ſtuduerunt.* Plurativum iſtud *ſtuduerunt* in omnibus Mss. legitur; nec aliter ferri poteſt, quam ſi praecedens *Poteſtas* pro collectivo nomine, quod imperatores duos Carinum & Numerianum complectitur, ſumatur. Etſi tamen non tantum ſupra anius Numeriani meminerat, ſed & infra ſect. 4. *Vt inter amicos Imperatoris glorioſe inviteris.*

Ibid. *Vt qui homo* (pro *homo* reſcribe *hoc*, duce Ms. pr.) *ſua ſponte adimplere voluerit.* Ibid. *Scias, quidquid defuerit, adimplere curabo.* Poſt *ſcias* inſere ex pr. conjunctionem *Vt*: deinde pro *curabo* corrige ex pr. & ſec. *Curemus.*

Poſt pauca: *Si eſt alius Deus . . . innoteſce, & trade.* In pr. *Innoteſcere ſtude.* Apud mediae aetatis ſcriptores trita eſt activa ſignificatio verbi *Innoteſco*; qua & S. Auguſtinus utitur, & Gregorius M. & alii.

Et pluribus interjectis: *Et quia me rationis capacem . . . eſſe profiteor, ſupplico & exoro.* In MS. pr. & ſec. pro *exoro* legitur *Recordor.* At auctor mihi videtur ſcripſiſſe *Recordo*, i. e. moneo, aut in memoriam tuam revoco. Idque probum eſt; nam in Philoxeni Gloſſis ſic legitur: *Recordat*, ἀναμιμνήσκει. Nec dubium eſt, quin Gloſſarum auctor *Recordat* ſcripſerit, non *Recordatur*, quia Graecum verbum cum priore, non cum altero convenit. Vnde in eiſdem Gloſſis ſubjicitur: *Recordatur*, ἀναμιμνήσκεται. Ergo in his Actis legebatur antea, uti opinor, *Recordo*: at deinde amanuenſes vocis hujus inſolentiam averſati repoſuerunt *Recordor*, maxime quia aevo poſteriore hoc active ſumebatur. In ſtatutis Cartuſienſib. antiquis *Recordari Homiliam* eſt *praelegere*, quia legendo memoriae ſuggeritur, & ibidem ſaepe *Recordatio* eſt praelectio.

Deinde judex ait: *Nil tibi aſperum imponimus* (deinde in pr. & ſec. inſeritur: *reli-*

(47) Ante modo recitata verba Ammianus in hunc modum narraverat: *Eminuit per id tempus . . mors . . . Diodori ex Agente in rebus, triumque Apparitorum poteſtatis Vicariae per Italiam, ob id necatorum atrociter, quod apud eum* [Valentinianum] *queſtus eſt Comes, Diodorum quidem adverſus ſe civiliter imploraſſe juris auxilium, Officiales vero* [h. e. illos apparitores tres] *juſſu judicis auſos monere* [Comitem] *proficiſcentem, ut reſponderet ex lege. Quorum memoriam apud Mediolanum colentes nunc uſque Chriſtiani, locum ubi ſepulti ſunt, AD INNOCENTES appellant.* Nimirum res ſic ſe habuit. Diodorus adverſus comitem juris auxilium apud Vicarium [cujus ſedes tunc Mediolani erat] imploraverat. Hinc Vicarii juſſu apparitores tres comitem proficiſcentem [fort. ad comitatum] monuerant, ut ſe in judicio ſiſteret, ex lege reſponſurus. Vtrumque id Comes apud Valentinianum conqueſtus eſt. At princeps, qui comitem ad Vicarium remittere debuiſſet, Agentem ſimul & officiales illos tres necari fecit. Hunc vero *Innocentium* quaternionem a Chriſtianis cultos fuiſſe hiſtoricus refert. Et eos quidem, uti Martyres honoratos, interpretari videtur Tillemontius in Valentiniano artic. 17. illis uſus verbis, *Arriver a la couronne du martyre.* At idem vir accuratiſſimus in Not. 31. melius ſe explicat: eum vide. Omnino crediderim, eos privatim a Chriſtianis cultos fuiſſe uti Martyres: at defuiſſe publicum Epiſcopi cum ſuo presbyterio judicium, quo fuiſſet opus, ut pro Martyribus *vindicatis* [uti Cyprianus appellat] haberentur. Hinc de eo quaternione Mrologia & cetera Eccleſiae monumenta ſilent.

Digitized by Google

religionem inquirimus : quod in Henſcheniano deeſt, quamvis probum ſit) *culturam deorum inveſtigamus*. *Hoc itaque juſte finito, non adverſus te* (at in pr.& ſec.*Non adverſa*, *quod nefas* &c.) *quod nefas eſt, irrogamus*.

Ad ſectionis finem : *Ad quem Sancta* : *Et dixi & dico* (rectius in pr. *Ad quem Sancta dixit* : *Dico*) *& adorare* (fort. auctor prior ſcripſerat *Orare* pro *concionari* : quod non intelligens poſterior hic declamator,repoſuit *Adorare*, quod heic locum non habet) *non ceſſo* : *quoniam &* (induc copulam *&*, auctore pr.) *alius ſimilis ei non eſt*.

§. 2. *Ad ſect. 4. 5. 6. 7. Textus paſſim ex Mss. aut ex ingenio caſtigatur*. Credulitas *pro* Fide. EX *pro* DE. *Fuſtigatio levior quam flagellatio* : *illa liberorum*, *haec ſervorum fuit*. *Quid fuſtes*, *quidve a ceteris inſtrumentis differant*. *Quid* Humanitas. *Quid ſit* Suggerere *&* Suggeſtio. *Aevo ſequiore* Euſtathii *nomen prius in Euſtatium*, *mox in* Euſtaſium *tranſiit*.

Sect. 4. initio judex ait : *Confido &* (pr. & ſec. pro *Et* rectius *In*) *potentia & divinitate illius* &c. *Quis eſt enim* [pr.& ſec. pro ἀπολογικῶς *Enim* iterat *Quis*] *in caelo & in terra, quam patrator caeli & terrae magnus ille Jupiter?* Rectius in pr. & ſec. *In caelo & in terra? quis patrator caeli & terrae niſi magnus ille Juppiter?*

Pergit judex : *Si hunc profeſſa fueris, jam nihil aliud reſtat, niſi pacis concordia, niſi amor charitatis* [inepte ethnicum hominem Chriſtianis locutionibus paſſim utentem facit] *& ut inter amicos Imperatoris* (dixiſſet rectius *Imperatorum*) *glorioſe inviteris*. Principum amicitia paſſim confeſſoribus promiſſa legitur.

Poſt pauca Virgo ait : *Speravi lucrari animam meam*. Corr. *tuam*, ducibus pr. & ſec.

Mox judex : *Sed quia ſacra lex* (h. e. principalis lex : nihil eo eſt in jure uſitatius, quam quod principales conſtitutiones *ſacrae* dicuntur, & quidquid ad principes pertinet, *ſacrum*) *praecipit, ut nemo judicum iracundiae particeps eſſe debeat*. Huc quidem pertinet, l. 14., C. Th. *Quorum appellat. non recip.* l. IX. tit. 36. quae ſic incipit : *Gravis iſta commotio eſt, ac non ferenda iracundia judicis, quae effuſione humani ſanguinis expiatur*. At ad eam legem noſter Reſtitutae judex digitum intendere non poterat, quippe a Conſtantio Aug. an. 361. datam ad Flavianum proconſulem Africae : ut multo facilius ſit primum hujus hiſtoriae ſcriptorem (ſi quidem Africanus fuerit) ad eam legem in Africa celebrem in confingendis ſuopte ingenio allocutionibus ſpectare potuiſſe. Quamquam quotacumque pars principalium conſtitutionum ſupereſt? Aut quid impedit, quo minus Proclinus antiquiorem aevo ſuo aliquam conſtitutionem, qua judicum iracundia compeſcebatur, ob oculos habuerit? Sic porro modo inchoata Proclini periodus continuatur : *Imo potius quatuor virtutes animae tenacius teneat*. Quas mox eaſdem illas enumerat, quas Eccleſiae ſcriptores *cardinales* vocant. At de his exſtitiſſe aliquam legem imperialem, aegre crediderim. Itaque hoc ſaltem unum eſt ex poſterioris hujus confarcinatoris pannis priori purpurae aſſutis. Ac ſtatim ſequitur : *Donec te convictam aut ſacrae fidei* (hem! Imperatorum religionem inire prorſus *Sacram fidem* appellat, Chriſtiano *fidei* vocabulo ad ethnicam religionem deſignandam abuſus : quod certe additoris eſt) *aut atrociſſimae morti tradam* (in pr.& ſec. *tradamus*) &c.

Sect. 5. ſic Virgo incipit : *Si Deum meum . . . jam tuae inquiſitioni non eſſet demonſtratum* &c. Sic in omnibus tribus Mss. niſi quod tantum in pr. *demonſtratus* legitur. At hoc cum *Deum meum* non cohaeret. Caſtellus noſter corrigit, *Deus meus . . . demonſtratus*. Verum non eſt neceſſe; nam vulgata lectio, cui & ſcripti adſtipulantur, proba eſt; quia *Eſſet demonſtratum* eſt imperſonale paſſivum non ſine ſuo caſu retento, cujuſmodi exempla apud antiquos haud pauca occurrunt. Africani his loquendi generibus ſcatebant : nam facile haec lacinia ex priore Africani ſcriptoris hiſtoria in hanc diffuſiorem transfuſa fuit.

Poſt

Digitized by Google

Post non pauca: *Sic assumpsit humanitatem, ut non perderet* [pro *amitteret*: cujusmodi notione utitur Tertullianus *de pudic.* c. 15. *Ut poenitentiam perderent*; sed & antiqui utebantur] *divinitatem, ac per hoc perfectus Deus inseparabiliter in aeternū exsisteret.* Sane post *Perfectus Deus* in pr. Ms. additur, *Et perfectus homo*: quae additio ut non inutilis sit, at non est certe necessaria. Ait enim: *Sic* (Deus) *assumpsit humanitatem, ut non perderet divinitatem, ac per hoc* (ille assumptor humanitatis) *perfectus Deus inseparabiliter* (cum assumpta humanitate) *exsisteret*. Non potuit hoc nisi post Eutychianam haeresim damnatam scribi, utique ab hoc posteriore scriptore; qui & hoc ipsum mox hac ead. sect. tamquam ex ore judicis usurpavit, *In divinitate sua humanam carnem, veluti quoddam metallum cum alio metallo, solidantem.*

Ibidem mox Virgo notum poetae Christiani locum usurpat hujusmodi:

Morte sua mortem destruxit (*et*) *Tartara quassans*
Cruore pio purgavit crimina mundi.

Verum initio alterius versus ex pr. & sec. addendum est *Atque*, & versu primo delenda est conjunctio *Et* ex Ms. pr. Sic demum uterque sibi constabit hexameter.

Mox judex: *In nostra credulitate*. Vtebantur Christiani veteres *Credulitatis* vocabulo, ut *fidem* Christianam designarent, quod in Martyrum Actis sinceris sexcenties reperies. Eodemque mox sect. 6. Restituta utens inducitur. *De mea*, inquit, *religione, deque mea credulitate*. At mire hic eadem vox pro ethnica persuasione usurpatur; sicuti & supra sect. 4. *sacram fidem* pro imperatoris religione acceperat.

Sect. 6. Restituta ait: *Absit ut in ore meo resonet inaniter dicti Jovis* [in sec. *Inane decus Jovis*, at in pr. *Jupiter omnipotens*] *vel aliorum daemonum falsa laudatio*.

Versus finem judex ait: *Patientia mea in fellis amaritudinem convertetur*: at in pr. & sec. *In fel amaritudinis*; quod magis Biblicum & Hebraicum est. Ceterum inscite Biblicis passim locutionibus hominem ethnicum utentem facit.

Versu ultimo Restituta: *Quod tibi et hoc* [EX pro DE passim in hoc scriptore infra legitur] *complaceat* (recte in pr. & sec. *complacet*) *perficere stude*.

Sect. 7. judex *Jussit eam expoliari, & diutissime caedi*. Abest hic cruciatus ab antiquis lectionibus, ut & a Romaeo, ut qui a Lectionibus sua hausit. Porro in Ms. pr. sic legitur, *Et diutissime fustibus caedi*. Optime *fustium* diserta mentio inseritur: nec enim aliter decebat judicem patientem (qualem se Proclinus pluries professus est) nec aliter decebat ingenuam ex *l. In* 10. *D. de poenis*, in qua *Ex quibus causis liber fustibus caeditur, ex his servus flagellis caedi jubetur*. Item *l.* 28. §. *Non omnes*. *D. eod.* ubi liberi [& quidem tenuiores, non item honestiores, cujusmodi Restituta fuisse initio heic narratur] fustibus subjiciuntur; servi vero flagellis coercentur. Hinc *fustium admonitio* dicitur l. 7. D. *de poenis*, quae & modica castigatio alibi vocatur. Meminit *servilium verberum* Callistratus in *l. Metallum D. de jure fisc.* Quorum nomine flagra, sive flagella, & lora intelligi jubet Brissonius in III. selectar. 9. ad quem de fustium & servilium verberum discrimine ibi differentem lectorem rejicio. Et quidem *fustes* non aliud quam bacilli erant, uti constat ex Vulgato interprete qui pro ξύλοις semper *fustes* in Evangelio usurpavit. Item in Glossis *Fustis* est *βάκλον*, aut ξύλον ἐν ᾧ τύπτομεν i. e. *baculus* aut *lignum quo caedimus*. In eisdem *Fustigo* est ξυλοκοπῶ, & *Fustigatus* est *βακλισθείς*, & alia plura eodem pertinentia. At praeter fustes erant sex alia ad caedendos martyres instrumenta usitatiora, de quibus agit Gallonius in de Mart. cruciat. c. 4. *Lora* quidem coriacea erant: *Nervorum* nomine nervi bovilli veniebant: de *Fustibus* jam dictum a me fuit: *Virgae* tenuiores erant, etiam ex metallo interdum conflatae: *Flagra* tenuiora fustibus, crassiora virgis erant: *Scorpiones* dicebantur virgae spinosae aut nodosae: *Plumbatae* erant ex loris aut funiculis flagella, ex quorum extremitatibus

Digitized by Google

bus plumbeae glandes dependebant.

Mox: *Juſſit eam catenis vinctam in tenebroſo carcere trudi, & omnem humanitatem penitus ab ea arceri.* Hoc eſt inedia macerari juſſit; nam *Humanitas* eſt cibus potuſque ſuſtentandae humanitati neceſſarius, ſive eſt *Victualis ſubſtantia*, uti vocatur *l.7. Cod.Theod. de cuſtodia reor.* in qua lege *Victualem ſubſtantiam miniſtrare* atque *Humanitatem denegare* inter ſe opponuntur. Lex porro illa ſic incipit: *Vt judices omnibus Dominicis diebus productos reos e cuſtodia carcerali videant, interrogent, ne his HVMANITAS clauſis . . . denegetur: Victualem ſubſtantiam non habentibus faciant miniſtrari* &c. Ibi pro *Humanitas* Anianus poſuit *Subſtantia* i. e. victus. Ac vide quae ibi Gotofredus adnotat. Quae lex, utpote de reis in cuſtodia tentis loquens, miram huic loco lucem affundit. *Victualis* autem *ſubſtantiae* ambitu debemus etiam veſtitum comprehendere; nam ex *l.43. D.de verb. ſign.* Veſtis etiam *Victus* nomine continetur. Itaque ubi *Omnem humanitatem penitus ab ea arceri* judex jubet, crediderim & nuditatis poenam ea verborum comprehenſione contineri. De *humanitate* denegata tacent heic vet. Lectiones. Ceterum qui de tradita *Humanitatis* notione alia exempla cupit ex Patribus & poſterioris aevi ſcriptis petita, adeat Cangii Gloſſarium in ea voce. Nos eximio Cod. Th. loco (qui Cangio exciderat) contenti fuimus. Cui adde & hoc, quod in Excerptis Gloſſarum apud Car. Labbeum vox *Salarium* (quae victui neceſſaria ſignificat) redditur φιλανθρώπιον h. e. *humanitas*.

Ad finem ſectionis: *Videns igitur Proclinus tantam in puella conſtantiam . . . ſuggeſſit* (48) *ex hoc* (i. e. *De hoc*: vide proxime dicta de EX pro DE) *Praefecto Euſtaſio, qui civitati Carthagini ad tale facinus patrandum illis temporibus praeeſſe videbatur*. In ſcriptoribus mediae Latinitatis *Videor* tantumdem quod *Sum*. Hoc leve. Illud notabilius & ex vero heic poſitum, quod primarius iſte ſuae poteſtatis limites minime praeterivit. Nam modica caſtigatione [qualis illa fuſtium fuit] tenus progreſſus, ubi conſtantiam in reo animadvertit, ad ulteriora non ante tranſiit, quam rem integram ad praefectum detuliſſet. Is vero praefectus *Euſtaſius* heic vocatur: at magis eſt, ut *Euſtathio* [ſive corrupte *Euſtatio*] ei nomen fuerit. *Euſtaſium* quidem nuſquam ullum in antiquis monumentis legi, praeter *Euſtaſiam* quamdam Chriſtianam apud Grut. 1057. 8. At *Euſtathii* nomen frequentiſſimum olim fuit. Tres ejus nominis honorati viri in Proſopographia Cod. Theod. occurrunt; & *PLVTINVS EVSTATIVS Praefectus urb.* quarto medio ſaeculo apud Murat. pag. 266. 3. At *Euſtathios* facile poſtea librarii in *Euſtaſios* mutaverunt. Exemplo ſit *Euſtathius* Epiſc. Neap. quem deſcriptores Jo: Diaconi in *Euſtaſium* converterunt: de quo vide dicta ad X. menſis hujus. Jam vero quid ſibi velit, quod Euſtathius iſte, qui Carthagini praeerat, non *Proconſul* ſed *Praefectus* vocetur; id ſupra cap.4. expoſuimus; eaque ex explicatione aetatem ſcriptoris hujus elicuimus. Vide ibi dicta. §. 3. Ad ſect. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Cujuſnam ſit* Decretare. *Cur vox* Apices *epiſtolam deſignet*. *Antiquitas hodierni crucis ſignaculi, quo totus truncus ſignatur*. Irrogare *pro maledicere*. *Pulcherrima lectio*

(48) In Cyrilli Gloſſis *Suggero* eſt ὑποβάλλω, & *Suggeſtio* eſt ὑποβολὴ aut ἡ ἀναφορὰ πρὸς βασιλέα ἢ ἄρχοντα h. e. *Relatio ad Imperatorem aut praefidem ſive magiſtratum*. Sed & in Gloſſis Nomicis a Car. Labbeo editis Συγγεσιον [corr. Συγγεσιν, i. e. *ſuggeſtio*] exponitur ἀναφορὰ i. e. *relatio*. Itaque ſequens Proclini ad praefidem Africae epiſtola merito *Suggeſtio* vocabitur h. e. *Relatio*; ſicuti & epiſtolae, per quas S. Germanus Epiſc. Capuanus ſuae legationis CPolitanae Hormiſdae Papae rationem reddit, *Suggeſtiones* ab eo vocantur, etſi eaedem *Relationes* in Collectione Concilior. inſcribantur. Sic *Prima Relatio* incipit in hunc modum: *Exemplum Suggeſtionis Germani & Joannis Epiſcopor.* &c. Sexta vero ac ſeptima *Relatio* in hunc modum: *Suggeſtio Germani Epiſcopi, Felicis & Dioſcori diaconor. & Blandi presbyteri*.

Digitized by Google

lectio his Actis restituta : Rictus *pro vultu*.

Mox sectio octava Suggestionem sive relationem Proclini Eustasio factam complectitur, quae nihil de sanitate styli tertii saeculi continet, sed redolet magis septimi saeculi cupedias. Cujusmodi est initio illa praefecti laudatio, qua illum ait, idcirco in ea provincia fuisse ordinatum, *quod* (inquit) *non esset praestantior te, qui jura publica . . . DECRETARET. Decretum* in Glossis Basilic. est *sententia imperatoris aut praesidis*. Δικρετον, ἀπόφασις βασιλέως καὶ ἄρχοντος. At postea ea vocabulorum differentia invecta fuit, quam Papias sic exponit: *Decreta, instituta proprie Papae sunt, Praecepta vero Regum*. Deinde scriptor conqueritur se Restitutam *neque IN prosperis neque IN adversis flectere* valuisse, stylo scil. Biblico et Hebraico, quo IN pro PER usurpatur. Mox: *Quousque tua.n ex hoc* (EX pro DE stribligo est septimi saeculi) *prudentiam consulerem, & quidquid ex ea* (pro *de ea*) *censueris adimplerem*. *Serenitas ergo* (de *serenitatis* vocabulo heic inepte usurpato jam supra cap. 1. lectorem admonui) *pectoris tui studeat haec ordinare* (*ordinare* pro *statuere* usurpatur in Praecepto Caroli M. pro Hispanis per Baluzium edito) *& ordinatis litteris* [corr. *Et ordinata litteris*] *destinare*.

Sect. 9. epistola praefecti ad primarium continetur, quae sic incipit: *Receptis apicibus a tua prudentia destinatis*. *Destinare apices* erat mittere litteras. S. Gregorius: *Jovinus ad se sacris apicibus destinatis*. Porro *Sacri* aut *divini apices* sunt principis epistolae: at etiam privatorum epistolae *Apices* vocabantur, ut & hinc discis, & infra hac sect. *Vt missi a te apices protestantur*. Sidonius VI. ep. 8. *Apicum oblator* (tabellarium suum intelligit) *pauperem vitam . . . sustentat*. Quibus autem gradibus vox *Apex* ad hanc significationem evaserit, breviter dicam. Mitto ejus vocis originem et *apicis* flaminalis significatum. At interim in re grammatistica Apex (Graece κεραία) erat summitas aut extremitas litterae, cujusmodi in vocali tertia (I) sunt extremi duo ductus transversarii. Sed & litteras ipsas inter se connexas & colligatas (nam *Apere*, unde *Apex*, erat colligare) notabat. Eo sensu equidem Appuleii locum accipio in XI. Met. ubi libros quosdam sacros describit, *litteris ignorabilibus praenotatos . . . nodosis & in modum rotae* (currentis scil. si quidem ejus gyros satagas in charta describere) *tortuosis capreolatimque condensis apicibus*. Vbi *apices* sunt litterarum nexus ejusmodi, quibus Orientales utebantur, & quibus vetera diplomata perplexo nimis scribendi genere exarata conspiciuntur. Ac vide quae alibi fusius de hac *Apicis* notione & etymologia ad illum Matthaei v. 18. locum (*Apex unus non praeteribit a lege*) disputamus. Ex quo autem *Apex* pro integra littera usurpari coepit; hinc sicuti *Litterae* numero multitudinis *Epistolam* significabat, sic etiam & plurativum *Apices*. Verum haec nunc attigisse satis sit, quae ad Matthaeum uberius.

Sect. 10. Restituta quum e carcere ad Primarium reduceretur, inducitur *TOTVM corpus suum signo Crucis muniens*. Et id probum est, & ex prioribus legitimis Actis in haec reficta transfusum. Legitur hoc eisdem verbis in pulcherrimis S. Theodoti Actis apud Ruinartum pag. 345. ad finem sect. 21. ubi Theodotus in hunc se modum obarmat: *Totumque corpus suum signo Crucis muniens, in stadium processit animo imperterrito*. Atque usitatus quidem crucis signandae ritus Christianis *in fronte* fuit: de quo sexcenta sunt monumenta. At heic eodem plane modo Crux effigiatur, quo hodienum facimus, ubi manum a fronte ad umbilicum, mox ab humero sinistro ad dextrum ducimus. Dixeris, crucis signaculum a Theodoto & Restituta impressum latius quam hodie patuisse, quia ad *totum corpus* pertinebat. Verum & hodiernum ad totum corpus pertinet. Nam *corporis* nomine heic κορμὸν i. e. *truncum* dumtaxat decet intelligere, h. e. a capite

Digitized by Google

pite ad ventrem, ſecluſis artubus. Habes igitur σφραγίδος (*ſignaculi*) ejus, qua nunc utimur, antiquitatem. Quam vero vox illa comes, *In nomine Patris & Filii* &c. antiquitatem referat, rerum Liturgicarum ſcriptores viderint.

Poſt ſignatam Crucem & Virginis orationem, ſequitur: *Haec dicens ante tyrannum* (*tyranni* vox parum proprie infimae ſortis judici tribuitur: quae principi, olim *vel* optimo cuique, mox non niſi peſſimo, tribuebatur: etſi non raro in Actis Martyr. ea vox etiam de praefectis aut praeſidibus adhibeatur) *IMPERTERRITA ſtetit*. Haec eo adſcripſi, quod idem iſtud *Imperterritus* de Theodoto (vide paullo ſupra *locum*) mox ut ſe ſignavit, uſurpatur.

Mox ſectione media judex ſic, ad extremum perorat: *Accede igitur & reſpice.* At hoc ultimum in Ms. pr. eſt *Reſipiſce.* Poſt pauca idem judex: *Conſulta dixiſti & multa irrogaſti.* At melius in pr. & ſec. *Multa dixiſti & multa irrogaſti. Irrogare* plerumque in ſequiorem partem accipitur, uti *irrogare poenam, multam, injuriam, infamiam* &c. Ergo haec ſic accipe: *Multa* (ſupple *blaſphema* aut *contumelioſa*) *irrogaſti*. Vbi vides *Irrogare* hoc eſſe, quod *Maledicere.* Paucis interjectis: *Nunc autem* (heic inſerendum eſt *Quia* ex Ms. pr.) *illud agere ſtudes . . . jam nec obedire* &c. *volo*. Ad finem: *Quaeſo aut* (corr. *Vt* ex Ms. pr. & ſec. . . . *edicere digneris*.

Sect. 11. initio de judice ſcribitur: *Ita coepit vultu ſereno dicere*. At in Ms. pr. & ſec. *Coepit propoſita ſereno dictu differere*. Inepta locutio; nam *ſerenitas* de vultu, non de ſermone uſurpatur. Nec uſquam nomen *Dictus* quartae declinationis reperias. At tu ne dubita, quin auctor, *Sereno rictu* ſcripſerit; nec inepte: nam totum id, ex quo oris (ſive triſtis ſive laeti, ſive quidvis aliud notantis) habitus diſcernitur, Latini proprie *Rictum* dixerunt. At poſtea amanuenſes (quibus illud *Rictu* ſive inauditum eſſet, ſive de beſtiis tantum uſurpandum videretur) in *Dictu* id commutarunt. Aut potius is error ab excipiente, quae alter dictabat, initio prodiit: nam nihil facilius, quam R pro D, aut contra, exaudiri, ut fuſe in Tyrrhenicis demonſtravimus. Poſtremo autem MS. tertii auctor (ex quo, uti dixi, Henſcheniana Acta manarunt) quum plura paſſim in deterius commutaſſet, heic tamen non male defunctus opera ſua videtur, dum pro *dictu* repoſuit audacter *vultu*. At tu revoca priſtinam pulcherrimam lectionem: *Coepit propoſita ſereno rictu differere*. Scriptor hic noſter mirum quantum in vocibus inſolitis ſibi placet.

Paucis interpoſitis Judex: *Et ab hoc* (recte in pr. & ſec. *ob hoc*) *quis idoneus & intelligens humanam te aſſeret habere rationem?* In MS. pr. poſt *Intelligens* plura inſeruntur hoc modo: *humane te hoc agere dicat, humanam & aſſerat habere rationem?* Statim ſequitur: *Cum homo . . . numquam ad mortem venire appetat*. Abeſt praepoſitio *Ad* a Ms. pr. & ſec.; idque rectiſſime: nam ſenſus eſt, *Numquam ut mors veniat appetat*.

In eo qui ſequitur Reſtitutae ſermone non mediocris eſt in pr. & ſec. variatio. *Nam prudentia* (in pr. & ſec. *per prudentiam* eâdem ſyntaxi ac ea quae ſequuntur) *diſcernuntur mala a bonis . . . Quiſquis amat ſapiens ISTA* (videtur corrigendum ESSE), *cum vera ſapientia* (pro his trib. vocib. in pr. & ſec. *Sapienter* tantum ponitur) *cuncta miniſtrat*. Poſt verſus duos: *Tu autem quomodo illas virtutes retinebis? quomodo te aſſeris ſapientiae amicum, ſi per prudentiam ſic diſcreviſti* &c. At in pr. & ſec. *Tu autem ſic* (corr. Si) *iſtas virtutes retinere debes, qui* (pro *quomodo*) *te aſſeris ſapientiae amicum? ſic per prudentiam diſcreviſti* &c. Verſu ſequente: *Per juſtitiam ſic* (pro *ſic* in pr. & ſec. eſt, *Sua cuique*) *diſtribuiſti, ut . . . terram* (in pr. & ſec. *Terrena*) *deſiderem*. Poſt tres verſus: *Vere etenim* (heic in pr. inſeritur *Ille*) *ſapiens eſt, qui* &c. . . . *Qui autem aliter ſentit* (abeſt hoc verbum a

pr. & sec., nec est necessarium), *recte fatuus comprobatur*. Versu seq. pro *saeculi*, in pr. MS. est *Mundi*, ut in Vulgato Apostoli interprete. Ad finem: *Vestra sapientia & cultura nihil aliud est* (in pr. *est aliud*, in sec. abest *Est*) *nisi calliditas inimici, ut ad aeternam vos trahat flammam incendii*. At in pr. & sec. post *Calliditas inimici* sequitur: *Et aeterna flamma incendii*.

Sect. 12. initio: *Iniquitatis arbiter commotus ira & furore dicebat*. At pro *dicebat* in pr. & sec. est *agebat*: non ineleganter, si subaudias *cum Restituta*; sic enim & prisci loquebantur. Cic. de amic. *Quum saepe mecum ageres, ut ... scriberem*: et II. Fam. *Non potuit accuratius agi, quam actum est a te cum Curione de supplicatione*: & Tertullianus Apolog. c. 21. *Nec de victus exceptionibus, neque de sollemnitatibus dierum ... cum Judaeis agimus*. Versu abhinc tertio pro *In sellem amaritudinis*, pr. & sec. *In felle* &c. Post quatuor versus: *Testor namque deorum limina sacra*. Sed pr. & sec. sic versum absolvunt: *Testor namque deos, deorum limina* [sed corr. *divorum & limina*, aut *& divum limina*] *sacra*. Mox: *Jussit eum in eculeo suspendi*: at in pr. Ms. *extendi*. Sicuti & versu seq. pro *unguibus* in pr. legitur *Ungulis*. Paullo ante medium: *In similitudinem hominum factus*: at in pr. & sec. *passus*. Haud longe a fine: *Ubi est nunc ille Crucifixus, in quem dicebas te confidere?* At in pr. Ms. *In quem te credere dicebas*. Ad finem: *Si ad priora* [sec. Ms. *ad pejora*, sed recte in pr. Ms. sine ulla praepositione scribitur, *si pejora*] *adhuc alia inferre molinis, perfice*.

Sect. 13. Judex sic incipit: *Tamquam per antiphrasim miserum* [ex pr. & sec. corrige *Impium*] *fortita es nomen; non enim Restituta, sed Dissipata recte vocari debuisti* &c. Et quod pluribus interjectis legitur, *Vt te ... ab hac stultitia revocarem*, in pr. & sec. est, *ob hanc stultitiam revocarem*. Sequitur mox hexameter, *Venit tetra dies, & [corr. atque] irrevocabilis hora*. Post pauca: *Ecce quod dicis* [recte in pr. *dicimus*] *experieris*.

Ead. sect. media: *Igitur dictavit sententiam* &c. Ab hoc loco ad finem usque historiae [h. e. per reliquam sectionis hujus partem, perque sectiones 14. & 15.] omnia eadem & eisdem verbis in posterioribus septem Lectionibus veteris Officii S. Restitutae leguntur. Nam in duabus ejusdem Officii prioribus Lectionibus brevissimum compendium eorum legitur, quae huc usque in Actis fuse descripta vidimus. Eas autem lectiones seq. capite integras exhibere lectori libuit, non inutiles certe futuras ad recte de his Actis judicandum. Atque heic calamum sistimus: nam quidquid horum Actorum supereſt, id cap. seq. in septem ultimis Lectionibus ne uno commate minus reperies.

CAP. VI.

Veteres S. Restitutae Lectiones cum Actis comparatae, deque eis judicium.

Exeunte anno 1525. aliquot SS. Patronorum Neapolis antiqua Officia excusa in eadem urbe fuerunt; quorum ultimum est Officium S. Restitutae. Is vero libellus (quem ex humanitate viri sacrae antiquitatis amantissimi Cyri de Alteriis utendum habeo) quum Neapoli rarissimus habeatur; non invitus id totum officium heic subnectere statui; quid de ejus scriptionis aetate sit suspicandum, mox indicaturus. In quo recudendo editi exemplaris orthographiam per omnia expressimus: hoc tantum excepto quod quae ibi rubris minusculis perscribuntur, ea nos majusculis reddidimus. Cetera Italico, uti vocant, charactere exhibuimus, qui in ea editione pro more rotundus est. Ceterum ubicumq. ab Actis Lectiones vel minimum dissident, eas varietates non sine morosa diligentia heic adnotavimus.

IN

Digitized by Google

IN FESTO SANCTE RESTITUTE VIRGINIS ET MARTIRIS.

LECTIO PRIMA. *Tempore Numeriani* [49] *imperatoris cum esset persecutio christianorum: fuit* [50] *quedam virgo in prouincia africe in loco qui dicitur ponizarius nobili genere exorta: & sacre scripture studiis optime erudita: nomine Restituta. Hec itaque cum per dei gratiam christianam religionem comperisset, sacri baptismatis sacramento renata: & sancte religionis habitu induta: virgo corpore & animo: die noctuque in mandatis domini permanebat. Igitur dum primarius prouincie illius proclius* [51] *nomine* [52] *ex iussu predicti cesaris Numeriani inquirendo transiret: & christianum nomen penitus delere gestiret: quia secundum scripturas, nec ciuitas supra montem posita, nec lucerna super candelabrum potest abscondi: fama sanctitatis* [53] *prefate christi virginis indicante suo eam iussit aspectui presentari.* [54] *Tu.*

LECTIO ii. *Cumque fuisset ante conspectum prefati iudicis adducta his verbis eam alloqui cepit* [55]: *dic* [56] *ergo quod nomen tuum vel quem deum adoras. Beata virgo respondit: nomen mihi est Restituta: illum vero deum rationabiliter adoro: qui fecit celum: & terram: mare: & omnia que in eis esse probantur. Cernens* [57] *autem iudex immensam eius constantiam: quodnec ad modicum eius voluntati pareret: iussit eam poni in aculeo: & capillis suspendi in stipite: atque clauos in pedibus eius figi. Tu autem domine.*

LECTIO iii. *Interea* [58] *dictauit sententiam dicens: Restituta sacrilega que nostra monita deserit* [59] *ac per magicas artes tormenta superauit: diuina numina adorare contempsit: & crucifixum tota mente dilexit: iubemus vt* [60] *nauicula stuppa: qua-*

(49) De hujus persecutione non esse dubitandum, supra cap. 2. ostendimus.

(50) Hinc usque ad finem hujus lectionis omnia eisdem verbis in Actis Henschenianis sect. 2. reperies.

(51) In Actis: *Nomine Proclinus.*

(52) Heic ex Actis restitue adverbium motus *Ea*, nam sequitur *Transiret.*

(53) In Actis: *Sanctitatem.*

(54) Heic in Actis longa Restitutae oratio interponitur. Deinde in eisdem sectio tertia orditur eisdem verbis ac Lectio 2. usque ad *Alloqui coepit.*

(55) In Actis allocutio judicis longo circuitu texitur antequam veniat ad hanc clausulam [quae sola heic ponitur; etsi inepte cum particula illativa *Ergo*: quae tamen in Actis apte cum praecedentibus jungitur] *Dic ergo* &c.

(56) Hinc usque ad *probantur*, leguntur eisdem verbis in Actis sect. 3. At ibi a sect. 3. ad 12. sermocinationes longissimae judicis ac Virginis utro citroque feruntur; ut & [sect. 7.] Virginis fustigatio, & in carcere Angeli apparitio, adhaec [sect. 8. & 9.] mutuae Primarii & Praefecti Carthaginensis epistolae, ac postremo [sect. 10. 11.] repetita per verbosissimas disceptationes interrogatio judicis. Haec, inquam, omnia non tam scribuntur, quam rhetorico temporum sequiorum fastu ad ravim usque declamantur, antequam veniatur ad illud *Cernens autem judex*, quod in Actis media sectione 12. occurrit.

(57) Quae hinc usque ad finem hujus Lectionis ponuntur, eisdem verbis, uti dixi, in Actorum sect. 12. media scribuntur; hoc tantum excepto, quod heic *Poni in aculeo* [prave scilicet pro *equuleo*] ibi vero contrarium, h. e. *Deponi de eculeo* reperias. Merito: nam in Actis jam paullo superius suspensio in equuleo praecesserat illis verbis: *Jussit eam in eculeo suspendi, & totum corpus illius crudeliter unguibus lacerari.* At tormenta duo in hac Lectione nimis confertim proponuntur, nisi in secundo addas *Postea* in hunc modum: *Jussit eam poni in equuleo, & [postea depositam] capillis suspendi* &c. Hactenus Lectiones duae. Vtrum autem hae ex Actorum prioribus tredecim sectionibus contractae fuerint, an contra ex his lectionibus Acta illa prodierint, per paraphrasim nim. amplificata, ad hujus capitis finem decernemus. At reliquae septem Lectiones, quod saepe admonui, pari verborum processu cum Actis ad finem usque progrediuntur. Ad quas cum Actis collatas adlinemus variantias lectionum.

(58) In Actis Henscheniamis pro *Interea* est *Igitur*. At in Ms. pr. & sec. haud secus *Interea* scribitur.

(59) Pro *deserit* in Henschenianis Actis est *deseruit*: at in Ms. sec. *deserit*, in pr. *derisit*.

(60) In Henschenianis & pr. & sec. est *ut in navicula*; sicuti & in eisdem abest ET ante *Flammarum*.

Digitized by Google

pice : & resina : referta ponatur : & flammarum incendio concremetur : & in profundum maris proiiatur : quatenus & presentes & secuturi diligenter agnoscant [61] : qualia premia recipiant qui dictis imperialibus contradicere presumunt: & magno [62] deo ioui non certant flectere colla .

LECTIO iiii. *Hec ubi dicta dedit : tradidit eam ministris ad id opus maturius exequendum . Inter hec autem beata martyr cum se cognouisset ad dominum tocius* [63] *profecturam : expandit manus suas ad celum : &* [64] *his verbis alacriter cepit deprecare* [65] *tonantem . Domine inquiens deus deorum qui omnia verbo creasti una cum filio tuo domino nostro* [66] *iesu christo & spiritu sancto gratias ago tibi : quoniam tu* [67] *adiuuisti me: & vsque ad hoc tripudium perducere* [68] *me dignatus es . Hec cum orasset iam semiuiua & penitus exanguis* [69] *effecta : apprehenderunt eam ministri atque in nauiculam imposuerunt , &* [70] *sicut eis preceptum fuerat perficere curauerunt. Tu autem domine.*

LECTIO v. *Cunque nauigassent quasi stadia* [71] *quindecim volentes ignem supponere mox incomprehensibili & iusto dei iudicio subito inprofundum maris demersi sunt . Remansit autem virgo domini cum nauicula inqua ad cremandum posita fuerat: que cum vidisset* [72] *obstupuit cepitque mirari & dicere . O altitudo potentie & clementie tue domine , quam incomprehensibilia sunt iudicia tua : & glorificanda opera manus tue . Vbi est superbia impiorum : vbi potentia tyrannorum : ecce demersa est in profundum maris* [73] *: sicut ille condam* [74] *pharaon. Canticum ergo tibi decantent omnes in te credentes quoniam gloriose honorificatus es . Tu autem domine .*

LECTIO vi. *Sed queso te nunc omnipotens* [75] *deus , vt sicut populum tuum de abyssis* [76] *pelagi liberasti : ita & me famulam tuam eripere dignare* [77] *: & ad locum perducere vbi tue voluntati* [78] *placuerit : mitte ergo angelum tuum sanctum qui hoc perficiat : & solamen contrictionis* [79] *mee conferat . Ad hanc ergo* [80] *precem apparuit ei angelus domini confortans eam & dicens . Noli timere famula christi : ecce exaudiuit dominus orationem tuam : & misit me vt ad portum salutis te perducere debeam . Tu autem domine .*

LECTIO vii. *Cunque vidisset angelum domini talia sibi solamina proferentem gauisa est gaudio magno : &* [81] *elevans oculos cum lachrimis in celum dixit . Iube me domine istud seculum derelinquere , & in pace suscipe spiritum meum: iam enim tempus est vt corpus istud pro nomine tuo quassatum anima relinquat* [82] *: & ad tua gaudia peruenire* [83] *tandem mereatur : hec cum dixisset quieuit in domino . Peruenit autem ipsa nauicula cum beate corpusculo martyris*

(61) In eisdem *Cognoscant* .

(62) In Henschenianis *Magnifico* , at in Ms. pr. & sec. *Magno*, ut heic .

(63) Corr. *Quantocius* . At in Henschenianis , & Mss. omnibus est *Citius* .

(64) Abest istud ET a Ms. pr. & sec.

(65) In Henschenianis & pr. & sec. *Deprecari* .

(66) Abest istud *nostro* ab Henschen. & pr. & sec.

(67) In Henschen. *Me tu adjuvisti ?* at in pr. & sec. *Tu adjuvasti me* .

(68) In Ms. pr. abest *Me* .

(69) In Henseh. & pr. sec. *Esanguis* .

(70) In Ms. pr. & sec. *Vt* [pro *Et*] ad deinde *curarent* ; pro quo ultimo in Henschen. *curarunt* .

(71) Heic *stadia* usurpantur : at infra in fine VII. Lectionis milliaria .

(72) In Henseh. & pr. & sec. inseritur *Haec* .

(73) Deest istud *Maris* in Henschen. & pr. & sec.

(74) In Henseh. *Quondam Pharao* .

(75) Pro *Omnipotens* in Henseh. & pr. & sec. *Domine* .

(76) In Ms. pr. *De abbisso pelago* .

(77) In Henseh. & pr. sec. *Digneris* .

(78) In eisdem *Tuae placuerit voluntati* , & v. seq. *Ang. sanctum tuum* .

(79) In eisdem *Contritioni* .

(80) In Ms. pr. *Ad hanc itaque* .

(81) In Henseh. & pr. & sec. deest tum *Et* tum mox sequens *Et* .

(82) In eisdem *derelinquat* .

(83) In Henseh. *Tandem pervenire meretur* : at in Ms. pr. *Tandem aliquando perveniat* .

Digitized by Google

martyris in partibus campanie, [84] *ad insulam que dicitur adrima* [85] *iuxta prochitam* [86]: *ad locum vbi dicitur ad* [87] *ripas: que distat* [88] *a ciuitate* [89] *parthenope fere miliaria* [90] *triginta. Tu autem domine.*

LECTIO viii. *Eo etenim* [91] *tempore erat quedam mulier nomine Lucina* [92]: *que operibus bonis; & religione sanctissima deo omnipotenti sedulo seruiebat. Huic autem* [93] *angelus domini in visu noctis* [94] *apparuit: & qualiter beata martyr pro christo*

(84) In Henſch. & pr. ſec. *Cum beatae Mart. corpuſculo in part. Camp. in inſulam.*

(85) In Henſch. *Aenaria*: in Ms. pr. *Inarima*: in ſec. *Adrima*, ut heic. Rem altius repetam. Inſula, de qua heic agitur, initio Ἄρῑμοι dicebatur, Homero teſte, cujus hexameter incipit Εἰν Ἀρίμοις h. e. *In Arimis*. At ejus verſus [quando ſcil. Homeri poemata canebantur magis quam legebantur] auditio fecit, ut praepoſitione ſuo nomini adhaereſcente, *Inarime* pro ejus inſulae nomine uſurparetur. Quod nomen in Ms. pr. heic integrum legitur; quum contra in ſec. & in his Lectionibus aphaereſin paſſum ſit [in propriis locorum nominibus familiarem: vide ſupra cap. 3. in *Ponizarius*] ac principio *Arima* ſcriptum fuit, mox *Adrima*.

Id autem nomen Syriace [ut oſtendit Bochartus] *ſimiam* ſignificat: ex quo factum ut Graeci hanc inſulam cum finitima Prochyta vocarint Πιθηκοῦσας: quae eſt primitivi nominis interpretatio: nam πίθηκος eſt *ſimia*. Nec ſecus Latini ejuſdem primi nominis interpretationem pro ſuo captu procuderunt, dum eam *Enariam* [ſine diphthongo: etſi in libris plerumque *Aenaria* ſcribatur] nuncuparunt, a ſimiis ſcilicet: quod animal *Enares* [h. e. ſine naribus: ita ut *ſimus* & *enaris* ſint ſynonyma] veteribus fuiſſe dictum neceſſe eſt. Ergo *Inarime*, *Pithecuſae*, *Enaria* non tam tria ejuſdem inſulae diverſa nomina, quam diverſae nominis interpretationes ſunt habendae. Vide de his Bochartum: & paria exempla plura, quae nos in Tyrrhenicis inveſtigavimus.

(86) In Henſch. *juxta Placidam*. Nam ex *Prochyta* primum *Prochita* [ut in his Lect.] deinde *Procitha* [ut in Ms. pr. ubi eſt *Juxta Procithan*] ſive *Procita*; mox *Plocita*, & *Placita* [in Ms. ſec. heic legitur, *Juxta Placitam, alias Procidam*] poſtremo *Placida* [ut in Henſch.] evaſit.

(87) In Ms. pr. *Qui vocatur Ad ripas*. *Ripa* non tantum de amnibus, ſed & de mari uſurpabatur. Plinius IX. 15. de mari Pontico: *Thynni dextra ripa intrant, laeva exeunt*. De etymo ſi quaeras, poſſis ad Orientem recurrere: nam id Arabice *littus* ſignificat. Sed & aevo poſteriore *Ripa* eo ſignificatu uſurpabatur, & *Riparia*, & Italis *La Riviera di Genova*. Poſtremo hinc factum, ut eiſdem ſcriptoribus *Arripagium* ſit *portorium*, & *Adripare* aut *Arripare* ſit *Appellere*: unde eſt Italis *Arrivare*. Videtur autem heic ἀποβατήριον ſignificari, h. e. crepido aliqua, in quam facilis ſit de navi exſcenſio. Nunc quidem in tota inſula nullus eſt ejus nominis locus. At ſi ibi expoſitum Martyris corpus credamus, ubi & Eccleſia poſtea ſub ejus nomine fuit; is nunc locus dicitur *Lo Lacco*, Graeca, ut arbitror appellatione. Graecis Λάκκος eſt *Foſſa* [ſive inanis, ſive plena] unde Λάκκος in Gloſſis redditur, *Lacuna*, *Ciſterna*, *Lacus*. Omnino putarim, ibi olim Foſſam h. e. parvum portum manu excavatum ad commodiores excenſus fuiſſe: iſque Graece Λάκκος [i. e. *foſſa* aut *Lacuna*] Latine autem *Ad ripas* [h. e. ad *exſcenſum*] vocatus, opinor, fuit.

(88) In Ms. pr. *Abeſt*.

(89) Neapolitanis aevi medii ſcriptoribus pro *Neapolis*, haud ferme aliter ea civitas quam *Parthenope* aut *civitas Parthenopenſis* vocabatur.

(90) Id in Henſchen. & pr. & ſec. Ms. per notas numericas ſcribitur. At nihil facilius fuit, quam ut unius notae additione ex XX. [quot ſcil. a veteris Neapolis ſitu, paullo in orientem remotioris, abeſt Enaria] librarii XXX. fecerint. Ob eaſdem numerorum notas interpolatas mirum quot mendis Jo: Diaconi noſtri textus inquinatus reperiatur. Haec ſcriptoris ἀκρίβεια [*accuratio*] de diſtantia Neapolitana ſolliciti, hominem Neapolitanum redolet. Quamquam & illud in cauſa fuit, quod Enaria in reipublicae Neap. dominio eſſet, ut cap. ſeq. dicam.

(91) Sic etiam in Ms. pr. & ſec. At in Henſch. *Eo autem*. Aevo ſequiore *Etenim* & *Namque* tranſitioni ſerviebant non ſecus atque *Autem* & *Vero*, aut *Itaque*.

(92) Mulierem iſtam non temere ſuſpectam habet Henſchenius in ſuis adnot.

(93) In Henſc. *Huic itaque*: at in pr. & ſec. *Huic namque*. Vide de his particulis Adnot. 91.

(94) Iſtud *Noctis* deeſt in Henſchen. At in pr. & ſec. legitur.

Digitized by Google

christo passa fit [95]: *atque ad celorum gaudia migrauit* [96] *per ordinem indicauit. Insuper etiam commonuit eam ut ad prefatum locum pergeret: & corpusculum sancte martyris inueniret: atque digna veneratione reconderet. Tu autem domine.*

LECTIO viiii. *Cunque expergefacta fuisset non incredula tante reuelationis* [97] *accessit ad locum sibi demonstratum: inuenitque intra nauiculam sacre* [98] *virginis corpus niueo fulgore corruscans. Gauisa nanque* [99] *tanto munere dignis aromatibus illud condire studuit: & aduocans plebem domini sanctam cum hymnis & laudibus & magno honore sepellierunt eam in loco qui dicitur eradius* [100]: *In quo* [101] *loco prestante deo multa beneficia inuenerunt fideles: per virtutem & merita beate* [102] *ipsius martyris. Celebratur autem dies natalis* [103] *ejus sextodecimo* [104] *Kalendas Iunii* [105]: *ad laudem domini nostri iesu christi cui est honor & gloria in secula seculorum Amen.*

ORATIO [106] SANCTE RESTITVTE.

Omnipotens sempiterne deus qui terre marisque miracula tue potentie: meritis beate Restitute virginis & martyris tue operari dignatus es: quesimus [107] *ut ejus pia intercessione nobis famulis tuis in terra viuentibus portum salutis indulgeas. Per dominum nostrum.*

Habes veteris Officii lectiones. Atqui antiquitus Lectiones non aliud erant, quam integrae martyrum Passiones, aut confessorum vitae, quae (ad majus scil. ecclesiasticorum Lectorum commodum) in novem frusta (vulgo *Lectiones*) concidebantur: id quod ex innumeris constat exemplis, etiam domesticis Sanctor. Neap. His intellectis: quae jam ex his novem Lectionibus narratio confiet, de ea quaeri potest, antiquior ne Actis Henschenianis sit, an contra.

Ac primo quidem intuitu videbitur Lectionum historia usque adeo brevitate, simplicitate, ac dictionis castimonia se commendare, ut non dubitandum videatur, quin ei majoris antiquitatis praerogativa sit tribuenda. Hoc si admiserimus, tum & illud dicendum erit, auctorem Actorum ab Henschenio & Castello editorum nihil aliud dedisse operam, nisi ut primam tantum veteris historiae

(95) In Ms. sec. deest *sit, atque*.

(96) In Hensch. & pr. & sec. *Migraverit*.

(97) In Ms. pr. *Revelationi*.

(98) In Hensch. *Sanctae*: in Ms. pr. *Sanctum*.

(99) Sic etiam in Ms. pr. & sec. At in Hensch. *Itaque*. Vide Adnot. 91.

(100) Sic etiam in Ms. pr. & sec. At in Henschenianis *Eraclius*. Nihil facilius quam ut [d] et [cl] inter se permutarentur. Eadem plane variatio in *S. Heraclio*, (qui die XVII. Maii signatur in Mrologiis, eod. scil. quo S. Restituta die) a me observata fuit. Nam is quidem in Rom. Mrologio & pluribus aliis *Heradius* inscribitur; at in Hieronymianis, Beda, Vsuardo, Maurolyco idem *Heraclius* recte perscribitur. Recte, inquam, quia vox *Heradius* sive *Eradius* nihil Latine, nihil Graece significat: at *Heraclius* notum nomen est a Graeco Herculis nomine derivatum. Ergo & in his Actis *Heraclius* (quae vox aevo medio prave sine aspiratione notabatur) legendum est, rejecta scriptura altera. Est tamen, cur adhuc levi mutatione ea vox indigeat. Non enim *Heraclius* (quod familiare est hominis nomen) sed potius *Heraclium* nostro genere is locus, opinor, dicebatur. Nam Ἡρακλεῖον (*Heraclium*) *Herculis templum* significat. Ergo ea insulae regio, ubi S. Restitutae corpus sepultum fuit (quae nunc regio dicitur *Lo Lacco*, cujus vocis supra significationem tradidimus) olim vocabatur *Heraclium* ob eam causam, quod in ea regione aliquod Herculis templum fuerit. At ex ea voce amanuenses primum *Eraclius* cum sibilo, deinde & *Eradius* fecerunt.

(101) In Hensch. & pr. & sec. pro *In quo loco* est *Vbi*.

(102) In eisdem omnibus heic inseritur *Et gloriosae*.

(103) In Kalendario marmoreo hoc Festum etiam N. h. c. *Natalis* inscribitur.

(104) Hoc est die XVII. Maii. At in nostris Fastis marmoreis pridie colitur.

(105) In Hensch. & pr. & sec. *Junias*.

(106) Hanc eamdem orationem etiam in Romaeo reperies, qui ex his Lectionibus suam Restitutae elogium contraxit, ut alibi observavi.

(107) In Romaeo *Quaesumus*.

Digitized by Google

floriae partem (quousque scil. ad sententiam devenitur) variis disceptationum episodiis pingue faceret, posteriorem autem, satis jam ample explicatam, suae lucubrationi intactam ac sine additamentis adnecteret.

At re melius perpensa, duarum priorum Lectionum historia non primigenius fetus mihi videtur, sed aliunde contracta narratio, quippe quae nimis jejunam, & alicubi mancam se prodat. Quid enim? Lectione altera post primam ac simplicem Primarii interrogationem, ac brevem Virginis confessionem, statim subnectitur: *Cernens immensam ejus constantiam*. Atqui, o bone, quam constantiam Virginis praedicas, quam non dum blanditiis atque minis, nondum modica fustium castigatione tentatam, ante dixeras? Deinde statim sequitur, *Jussit eam poni in equuleo, & capillis suspendi in stipite*. Ecquis haec sic confertim inculcata non pro uno tormento acceperit? quae saltem inserta particula *Postea* (*& postea capil. suspendi* &c.) secerni debuissent. Postremo recitatis hisce tormentis, nec comperto, cessisset nec ne Virgo suppliciis, ecce tibi e vestigio (Lectionis III. initio) sententiam: *Interea dictavit sententiam*. Quid brevitatem extollimus, ubi manca est saepe narratio? At vero qui duabus primoribus Lectionibus tam e, sanguis atque exsuccus est, idem in sequentibus septem in longas Virginis precationes vagatur.

Itaque videbatur verisimilius, primas lectiones duas ex tredecim prioribus Actorum sectionibus defloratas (sed servatis eisdem verbis) fuisse: deinde ubi ad ultimum supplicium ventum fuit, quia ex parte Acta vulgata sunt solito breviora, ac minus ineptiunt; ibi eam integram narrationem ad finem usque fuisse in septem ultimas Lectiones dispertiam, eadem continentia ac tenore servato: maxime quum ex parte sacri corporis ad Enariam appulsus narretur, qui Neapolitanos fortius afficiebat, quam ut matilari quidquam decuerit.

CAP. VII.

De appulsu sacri corporis in insulam Enariam: deque Actorum fide.

Vt a posteriore hoc ordiar: jam pridem Henschenius contra veritatem Actorum S. Restitutae gravem controversiam movit; qui in adnotatis ad illa sectionis XV. verba (quibus dicitur Angelus Lucinae cuidam piae feminae insulanae noctu apparuisse, *& qualiter beata Martyr pro Christo passa sit, & ad caelorum gaudia migraverit, per ordinem indicasse*) sic breviter subnotat. *Sed haec* (apparitio Lucinae facta) *quo teste potuit asfirmari? Apparet igitur, non jam solum quae dicta* (h. e. longas sermocinationes) *sed & quae facta hic dicuntur, ab auctoris esse ingenio: a quo forte est etiam totus passionis tam prolixe enarratae ordo.*

Difficultas (quam criticus paucis attigit, sed non acu tetigit) hoc sibi vult, aut eo saltem redire debet. Videtur enim hic auctor (qui se ceterum nusquam rebus gestis interfuisse, quod impostores solent, profitetur) totam harum narrationum fidem nec ad Acta praesidialia, nec ad aliam antiquiorem historiam refundere, sed ad Angeli apparitionem Lucinae insulanae factam, cui ille totam passionis seriem exposuerit, morte ipsa & appulsu naviculae ad insulam tenus. Atqui si sic se res habet; infirmo prorsus fundamento haec tota Passio nititur, unius scil. nescio cujus feminae auctoritati, quae & prior ipsa falli, & fallere alios potuisset. Huc summa difficultatis revolvitur.

Ad ea vero sic respondeo. Hoc tantum verbis proxime recitatis sibi vult auctor, Angelum quidem Lucinae apparentem de Restitutae passione, quantum ad levem ejus notitiam satis erat, exposuisse (id quod necessarium insulanis fuit, ut scirent, eas Reliquias Restitutae Hipponizarytensis fuisse, non alterius Restitutae Mart. Africanae, cujus mentio fit in Actis SS. Saturnini, Dativi &c. apud Ruinart. n. 2. nec demum cujusvis alius) ceteras vero omnes sane quam longissimas martyrii narrationes nusquam ad Angelum

Digitized by Google

gelum auctorem referri, sed potius ad antiquiorem S. Restitutae historiam, quae tunc VII. saeculo (quo haec scribebantur) ad manus Neapolitanis esse debuit.

Ad summam Acta, quae nunc sunt, ex duabus diverso tempore scriptis historiis manasse mihi quidem videntur: quarum una in Africa scripta fuit, & Passionis cursum ad usq. mortem (quae in mari XV. stadiis, h.e. duob. vix passuum millib. procul ab Hipponizarytensi littore evenisse dicitur: cui morti plures adnavigantes (108) Africanos adfuisse, verisimile est) complectebatur; altera vero de adventu sacri corpusculi in Enariam ab aliquo nostrorum hominum conscripta fuerat. De priore historico monumento certos nos efficit tot locorum, hominum, officiorum sedula adnotatio: de posteriore vero, quod pars ea altera historiae minus longa in hisce Actis sit (quae tamen longior esse potuerat, quippe admirabilior ac magis ad exornandum idonea) ac stylo diverso, eoque tolerabiliore conscripta. Atqui ex his duabus historiis ita suam (quam nunc terimus) auctor consarcinavit, ut ex priore scripto (quod quo brevius, eo sincerius erat) argumentum tantum sibi sumpserit, quod is allocutionibus, & rhetoricando pro suo captu amplificaret: posteriorem autem, quippe in hisce partibus scriptam, ac proinde notiorem, integram prope servaret. Atque ita factum est ut prior illa pars, quae brevior fuerat, longe spissior evaserit altera, quae ab initio longa exstitit.

At longe secus in Lectionibus accidit, quas qui recensuit, ei propositum fuit partem quidem posteriorem, quae magis Neapolitanos afficiebat, itidem intactam & integram inserere, priorem vero ita concidere, ut manca evaserit. At hoc ipsum in Lectionibus hisce partium duarum discrimen non leve de duobus illis historicis monumentis indicium praebet.

Atqui ex his duabus anterioribus, quas dixi, historiis prior illa, quippe antiquior & ab Africano auctore conscripta, multo veracior erat ac sincerior altera. Nam & hodiedum si ab ea parte, qua passio describitur, longas atque ineptas disceptationes amputaveris, cetera recto stant talo. At contra pars altera, utpote serius composita, quo maxime tempore admirandis narrationibus delectari vulgo homines coeperant, vereor ut eamdem fidem mereatur. Maxime quū suspicionem injiciant tum (109) *Lucinae* (in talibus sepeliendi ministeriis Romae celebratissimae) nomen; tum naviculae suapte sponte in Campaniae oram appulsae narratio, cujus duae similes narrationes persecutionis Vandalicae tempore circumferebantur, una de Quodvultdeo cum sociis, altera de Castrensi cum pluribus aliis Episcopis. Ex quo palam fit, hanc alteram historiae partem post Vandalica tempora fuisse compositam.

Quae non eo dico, quasi mirandus ille naviculae cum Reliquiis appulsus fieri nequiverit. At longe id tamen est credibilius, primum non consuevisse a Deo sine

(108) Quemadmodum ubi SS. Theodulus & Agathopus de navicula in mare demergendi fuerunt, plurimi circum adnavigantes adfuere spectaculo. Vide apud Bollandianos ad IV. Aprilis eorum Acta Graeca num. 18.

(109) Antonius tamen Caracciolus in adnotationibus Mss. ad haec Acta apud Castellum nostrum pag. 193. sic scriptum reliquit: *Lucina vero haec, quae funus curavit, eoque in loco Ecclesiam Restitutae construxit* [atqui Acta nusquam Ecclesiae exstructionem Lucinae tribuunt, imo ejus Ecclesiae ne meminerunt quidem] *in alio codice LICINIA dicitur* [hunc codicem diversum fuisse oportet ab iis tribus, quos Castellus contulit, in quibus omnibus LVCINA vocatur, sicuti & in hymno, qui capseq. producetur] *quod magis probe: nam in Campania frequens est Liciniarum mentio.* At ubipam quaeso locorum non gentis Liciniae in marmoribus mentio plurima? nec id in sola Campania, sed vel si Caucasum inhospitalem petas. Atqui & Lucinae fuere plurimae, uti & ex indicibus inscriptionum constat, & ex Aringhi to. 1. Rom. Subter. pag. 409. 7. 451. 3. & 452. 5. quarum duae prae ceteris sepeliendorum Sanctorum studio tenebantur, senior ac junior Lucina; de quibus eumdem vide eod. to. pag. 67.

Digitized by Google

sine necessitate profundi miracula: deinde debuisse Restitutae (quae duobus ab Africano littore milliaribus exspiraverat) corpus a piis Africanis reduci, & cum honore sepeliri: deinde per Vandalicam (110) Saracenicamve tyrannidem (quo tempore facile Martyrum corpora longe lateque disseminata scimus, sive clam sublata, sive a Barbaris pretio distracta) tunc inquam S. Restitutae Reliquias in Enariam afferri facile potuisse. Quae quidem si in hunc se habuere modum, tum hanc Lipsanorum in insulam advectionem, priorem Translationem appellabimus potius, quam primam sepulturam.

Ne cui vero temere navigii Divino nutu in insulam appulsi [imo, quod magis arduum, in eam Enariae partem, quae aversa ab Africa, Crateri Neapolitano obvertitur: nam eo posito jacet *Lo Laeco*] prodigium velle enervare videar: sciendum est in inventione Reliquiarum S. Restitutae a Card. Gesualdo facta [de qua vide cap. seq. §. 1.] aliquot cruoris ampullas in eadem arca cum ossibus fuisse repertas. At quo sanguinis vascula, si quidem Virgo in mari nullo fuso cruore exanimata fuerit? Necesse est igitur, Restitutam in Africa cultro jugulum praebuisse, & ibidem cum vasis sanguineis sepultam, ac postea ejus pignora fuisse in Enariam asportata. Nec vero dicas, eum cruorem in prioribus suppliciis fuisse sparsum: nam ea extensa tantum in equuleo dicitur sine ulla unguium exaratione, quam scriptor non omisisset, si tale quidquam passa fuisset. Nec quando de capillo suo suspensa pependit, vulneri locus fuit. Postremo fac in praeviis morti suppliciis, sive dum fustibus illa caederetur, sive quandolibet, tam copiosam sanguinis scatebram ex ea profiluisse, ut plura inde vascula complerentur: cedo jam, quando illa adhuc vivens naviculae imponebatur, ecquis quaeso cruoris ampullas simul in lembum intulit? Carnifices credo id pensi habuerunt. Aut si id ridiculum; anne Africani fideles? nempe eo fine, ut & se cruoris pignoribus spoliarent, & eas ampullas, quas cum corpore mox demergendas scirent, simul perditum irent. At vero quanto facilius dictu est, amputato virginis capite, sanguinem pro more a fidelibus fuisse studiose collectum, & una cum corpore in Africa conditum: deinde Vandalicis temporibus h. e. saeculo quinto nostros homines ea pignora sustuliisse, & in Enaria honorifice sepeliviisse.

Ceterum hactenus dicta conjecturarum tantum loco haberi volo: maxime quum non nostrum sit miraculis modum imponere, aut eorum rationes expendere. Ergo ut ut est: certe S. Restitutae corpus vere in insula, dum haec scribebantur, fuisse non est dubitandum. Nam auctor historiae hujus de praesentia Reliquiarum in ea insula, tamquam de re omnibus nota ac testata loquitur, ad haec addens: *Vbi praestante Deo, multa beneficia invenerunt fideles per virtutem & merita beatae & gloriosae ipsius Martyris.*

CAP. VIII.

De Translatione Neapolitana.

§. 1. *Ejus Translationis certitudo.*

S. Restitutae corpus in Vetere Neapolitana Basilica, quae de ejus nomine dicitur, hodie requiescere, non est dubitandum. I. Quum enim ab Joannis usque diaconi tempore, uti postea dicam, ea Basilica

(110) **Sed magis est, ut per Vandalica tempora S. Restitutae Lipsana surrepta fuerint. Aderant tunc in Campania Africani praesules plurimi, quos Divina huc providentia compulerat. Ab his & allici nostri homines & discere potuerunt, quonam loco S. Restitutae corpus jaceret, atque indiciis omnibus aguitis, illud opportune auferre. Porro quum haec Acta mente VI. saeculo, aut vero ineunte VII. aut eodem medio, sub initia scil. Saracenicae irruptionis, conscripta fuisse, supra ostenderimus; necesse est, Reliquias multo antea advectas fuisse, ac deinde & popularem ortum traditionem de prodigio sponte in Enariam appulsi navigii. Cui famae postquam credi ab omnibus coepit, eaque litteris consignari; tum demum haec Acta componi potuerunt, h. e. ducentis circiter post Vandalicam cladem annis, sive septimo saeculo.**

Digitized by Google

S. Reſtituta vocaretur ; nulla potuit eſſe cauſa cur id nomen ſibi quaeſiverit , niſi ab illato S.Reſtitutae corpore . Nam quis ſibi perſuaſerit , nobilem olim Baſilicam ab Africana Martyre , cujus Reliquias non poſſideret, nomen mutuatam ? Adde quod eadem recto caſu *S. Reſtituta* vocabatur : quod eis plerumque Eccleſiis uſuvenit , in quibus integrum corpus , non tantum pars aliqua, conditur : quod facile eſſet exemplis oſtendere .

II. Deinde idem docetur ex hymno , qui in ejus antiquo (111) Officio olim canebatur,in quo & de appulſu Reliquiarum in inſulam ,& de earumdem Translatione Neapolim agitur in hunc modum :

Tranſit rates (pro uſitatiore *Ratis*)
divino miraculo ,
Nullo duce vel gubernaculo ,
Praebens iter ſacro corpuſculo ,
Vt quieſcat proviſo loculo .
Jam Lucinae theſaurus creditur ,
Cujus manu digne reconditur ,
Inde nobis colendus traditur ,
Quo feſtivus hic dies agitur .

Nihil enim clarius illo verſiculo : *Inde* [h. e. ab Enaria inſula] *nobis* [Neapolitanis ſcil. a quibus ille Hymnus canebatur] *colendus traditur* . Merito de S. Reſtitutae corpore in cognomine Eccleſia quieſcente meminerunt Volaterranus , Mrologium Rom. & ſcriptores plurimi tum Neapolitani tum exteri .

III. Poſtremo quum exeunte ſaeculo XVI. Alphonſus Geſualdus Archiep. Neap. primariam aedis S.Reſtitutae aram ab extrema Apſide , cui adplicita erat , removiſſet, ut eam citerius, ubi nunc eſt, adduceret ; *Repertus eſt* [inquit Ant. Caracciolus in ſacr. Eccl. Neap. Mon. cap. XV. ſect.5.) *ſub terram alte defoſſus loculus marmoreus columellae marmoreae ſuperpoſitus , oſſibus & cineribus fere plenus ; in quo & phialae aliquot ſacri* (112) *cruoris , qui ob temporis longitudinem locique ſitum in pulverem rubeum jam abierat . Loco item huic propinquo capſa altera erat, qua S.Joannis Ep. Neap. oſſa tegebantur . Omnium autem quotquot illic affuerunt judicio exiſtimatum eſt , loculo illo marmoreo , tum quia ſub Ara Max. Templi Reſtitutae repertum eſt , tum etiam quia ſervatus ampullae cruor martyrium indicabat , B. Virg. & Mart. Reſtitutae ſacra pignora contineri* . Suſpicatus deinde , lapidem illum quondam litteratum fuiſſe , etſi poſtea corroſas ob vetuſtatem notas . Id vero conjecturae , ut opinor , loco ponit ; nam litterarum vel levia veſtigia apparuiſſe non dicit . Imo mihi certum videtur , id marmor ab initio illitteratum exſtitiſſe [maxime quum litterarum characteres humati perennent, auris vero expoſiti abſumantur] id quod corporibus nono ac X. ſaeculo translatis paſſim accidit . Et equidem Capuae ſub Ara max. plura anonyma corpora h.e. ſine inſcriptionibus , ſub Nic.Card. Caracciolo reperta fuiſſe memini . Pluribus exemplis paſſim obviis abſtineo .

§. 2. *In Translationis Neapolitanae tempus inquiritur* .

In S. Reſtitutae Actis de Translatione Neapolim facta ne verbum quidem.Quod eo magis mirandum , ſi , ut mihi plane perſuadeo , auctor Actorum Neapolitanus fuerit , aut ſaltem Neapoli degerit . Atque id quidem certo argumento eſt , fabuloſa eſſe quae a noſtris (113) ſcriptoribus de Conſtantino narrantur , cujus juſſu

(111) Affertur hoc hymni fragmentum ab Ant. Caracciolo in Sacr. Eccl. Neap. Mon. Quocirca crediderim in Teatinorum SS. Apoſtolorum bibliotheca aſſervari debere plenius S. Reſtitutae Officium cum ceteris SS. Neapolitanorum Officiis, totumque adeo Breviarium. Nam ab Officio S. Reſtitutae (quod cap. VI. dedimus) is hymnus aberat .

(112) Vide quae de his ſanguinis ampullis in Reſtitutae conditorio repertis cap. ſuperiore obſervavimus .

(113) Reperitur ea narratio in Chronico S. Mariae de Principio , deinde in ſcriptoribus Neapolitanis ferme omnibus, Davide Romeo, Caeſare de Engenio, Chioccarello, Ant. Caracciolo pag. 157. & aliis quod & Bollandiſtae adoptarunt . Atque ea poſtmodum narratio etiam in Rom. Mrologium redundavit , in quo hic

jussu volunt S. Restitutae corpus ab insula Neapolim fuisse translatum, atque in Basilica ab eodem Imperatore ei Martyri constructa reconditum. Quae si vera fuissent; hoccine Auctor Actorum tacuisset; nec id pigmentis rhetoricis amplificandum sumpsisset? Atqui is quo tempore eam Passionem scripsit, videtur non obscure agnoscere Reliquiarum praesentiam in eadem insula. Sic enim desinit: *Sepeliverunt eam in loco qui dicitur Eraclius, ubi, praestante Deo, multa beneficia invenerunt fideles per virtutem & merita Beatae . . . Martyris*. Hactenus non modo nullum de Translatione Neapolim vestigium, verum etiam dat intelligere, sua aetate apud Enariam illius Lipsana quievisse, ibique opem poscentibus attulisse.

Sed & quae sequuntur, id forsan demonstrant. *Celebratur autem dies natalis ejus sexto decimo Kal. Junias.* Is porro est septimus decimus Maii dies. Atqui hunc festi diem non potuit scriptor non de Enaria intelligere: de Neapoli nullo modo. Qua de causa? quia Neapoli olim S. Restitutae festum non XVII. die Maii, sed pridie celebratum fuisse, ex nostris hisce marmoreis Fastis elicitur. Ergo quo tempore scriptor Passionis haec elucubrabat, adhuc videtur Restitutae corpus apud insulanos fuisse, eaque de causa festum diei suo [sive Passionis, sive potius Translationis in Enariam] h. e. septimo decimo Maii assignabatur: dum interim Neapolitani eamdem virginem pridie colerent, nondum scil. allato corpore. Nisi si vero quis haec paullo (*) aliter componere satagat.

Sed tamen ut eo redeam: VII. saeculo, quo haec Acta prodierunt, S. Martyr in insula quiescebat. Deinde nec octavo nonove saeculo usque ad S. Athanasii obitum eadem Translatio facta usquam narratur; quae si sub aliquo illorum praesulum usq. ad S. Athanasium contigisset (eo enim usq. Jo: Diaconi Chronicon pertinet) id homo non indiligens rem dignam existimasset, quam in commentarios referret. Quo fit, ne declinante quidem nono saeculo [h. e. usque ad ann. 872. quo S. Athanasius obiit] S. Restitutae Reliquias Neapolim fuisse transvectas.

sic legitur die XVII. Maii. *Neapoli in Campania S. Restitutae Virg. & Mart., quae Valeriano imperante a Proculo judice in Africa varie torta, & in navicula pice & stupa referta, ut in mari combureretur, impositа, immisso igne, cum in incensores flamma converteretur, ipsa in oratione spiritum Deo reddidit: cujus corpus cum eadem navicula Dei nutu ad Aenariam insulam prope Neapolim devectum a Christianis magna veneratione susceptum est, & in ejus honorem Constantinus M. Basilicam postea Neapoli erigendam curavit.* In adnotatis autem Baronius sic posuit: *Exstat adhuc Neapoli vetus Ecclesia in hujus, de qua hic agimus, Restitutae honorem erecta, ut ferunt, a Constantino imperatore; quae amplioribus spatiis sic aucta est, ut tamen egregium pristinum illud vetustatis monumentum in suo statu integrum perseveret.*

Ac de Restituta quidem silebant antea Mrologia communia (nam de Ecclesiarum peculiaribus dicam cap. seq.) abest enim tum a ceteris, tum etiam ab Vsuardo, Belino, Maurolyco, qui hodierni Mrologii Rom. uti fontes habentur. Nec Molanus quidem & Galesinius (quorum ille Vsuardi, hic Romanum Mrologium amplificavit) Restitutae meminerunt. Quocirca non est dubitandum, quin primus omnium Baronius eam in Rom. Mrologium intulerit.

Est autem notandum, apud Chioccarellum pag. 31. eam, quam modo recitavi Mrologii Rom. periocham paullo diversis verbis exhiberi: ut quod post illud *A Proculo judice* deest *In Africa*: & post *Igne* sequitur, *Flamma in incensores conversa*. Et mox, *Ipsa illaesa in oratione* &c. Deinde: *Dei nutu ad Adrinam* (pro *Adriam*, ex errore scil. typographico sive Chioccarelli, sive ipsius Mrologii) *insulam Neapolim prope delatum*. In fine: *Constant. M. basil. postea* (deest *Neapoli*) *erigendam curavit*. Mitto ceteras varietates. Quae quantulacumque diversitas ex eo videtur orta, quod Chioccarellus ea verba descripserit ex prima Baroniani Mrologii Romani editione, quae Romae ann. 1584. evulgata fuit sine notis: quam editionem ad manus non habeo. At biennio post idem Baronius suo Mrologium locis pluribus a se curis secundis refictum cum adnotationibus eruditissimis Romae edidit: qua sola editione haud satis obvia fruor. Nam posteriores editiones plurimae ac tritae sunt.

(*) De quo accuratius cap. seq. disceptabitur.

Digitized by Google

Sed antequam ultra progrediar, heic aliquis me ineptire dicet, qui usque ad IX. saeculi lapsum vestigia Translationis hujus quaeram, quam revera sub Constantino factam oportuit [ut eo redeam, unde haec disputatio coepta fuit] quippe quum Jo: Diaconus in Zosimo [quem Constantino & S. Sylvestro parem facit] meminerit Ecclesiae *S. Restitutae* a Constantino aedificatae; quae non aliunde, quam ab illato corpore, adipisci id nomen potuit.

Verum si ars critica in consilium adhibebitur, eam appellationem non sub Zosimo, sed sub Diacono ipso Chronographo inductam, reperiemus; eâque Diaconum κατὰ πρόληψιν [*per anticipationem*] usum. Quod ut probe intelligatur, atque eâdem opera epocha Translationis, quam quaerimus, detegatur, res est paullo altius repetenda.

§. 3. *Trium episcoporum, Athanasii II. Stephani III. & Athanasii III. tempora recensentur; simulque tempus scripti ab Jo: Diacono chronici conjicitur.*

Jam primum omnium recensenda mihi esse video trium maxime praesulum, qui post S. Athanasium Neapoli sederunt [ii sunt Athanasius junior sive II., Stephanus III. atque Athanasius III.] tempora. Ac S. quidem Athanasium anno Christi 872. ad caelum migrasse consentiunt. Id etsi nondum plane expendi, interim pro concesso habeamus. Si anno igitur 872. medio [nec enim hodie solum, sed & in antiquis Kalendariis die XV. Julii colitur] S. Antistes obiit, eodem procedente anno ei Athanasius II. fratris filius in episcopatu successerit. Huic autem Petri subdiaconi appendix annos XXII. ac menses V. imputat. Sed vitiatos eos numeros necesse est, ac legendum esse tantum *Annos XX. mens. V.* Quid ita? quia anno 893. exeunte [de quo videsis inferne (114) adnotata] mense Octobri jam ei Stephanus III. successerat. Ergo non ultra vitam protulisse junior Athanasius potuit, quam ad usque initia anni 893.

Hic Stephanum III. fratrem ac successorem, uti dixi, habuit: qui vulgo creditur ab anno 895. ad annum saltem 920. vivendo processisse. Sed uterque terminus falsus est. De priore modo in-

Ad-

(114) *De anno Translationis S. Severini ex Lucullano Neapolim. Aliquot virorum doctorum hallucinationes.*

Eam Translationem Johannes Diaconus (in ejus Translationis Actis apud Bollandum tom. I. in Addendis ad VIII. Jan. pag. 1098.) factam dicit *Anno vigesimoquarto Leonis & Alexandri imperatorum*. Nec dubium est, quin hi numeri recte positi sint; quia S. Procopii martyrium [apud Murat. tom. I. Scriptor. Ital. par. 2. p. 269.] eodem prorsus anno 24. Leonis & Alexandri consignatur, quem alioqui Procopium eodem anno passum constat, quo S. Severinus translatus fuit.

Porro autem annus Leonis XXIV. si a morte Basilii numeretur i. e. ab anno 886. erit annus 920. quo plures eam translationem male posuisse, scio. Verum si idem annus XXIV. putari inceperit ab eo anno, quo vivente patre Leo & Alexander die Theophaniorum coronati fuere [h. e. ab ann. 870. incunte] tum erit annus 893. desinens, quia die X. Octob. ea Translatio contigit.

At Octavius Cajetanus ad *Martyrium S. Procopii* [apud Muratorium tom. I. scriptor. Ital. par. 2. pag. 269.] annum illorum imperatorum XXIV. concurrere jubet cum anno Christi 901. Sed non dubito, quin ann. 903. pro 893. [*salva re*] acceperit scriptor cetera accuratissimus. Vide eum Cajetani locum ad initium laudati Martyrii, in quo idem annus 24. Leonis & Alexandri signatur. Ab anno enim 903. exeunte si retro annos XXIV. numeres, initium epochae reperietur in anno Christi 880. ineunte a quo cur annos Leonis & Alexandri numerari placuerit, nulla est causa.

Verum quid plura? Ab ineunte quidem anno 870. annos Leonis & Alexandri numerandos esse, nobiscum fatetur Cajetanus, ceterum in colligenda summa hallucinatus, ob eam facile causam, quod Petrus diac. Casinensis [a Cajetano productus Not. 12.] *Urbem Tauromenium ad solum usque a Saracenis fuisse prostratam anno Domini 903. per errorem* scripserit. Ejus vero urbis eversio eodem anno, quo translatio S. Severini, contigit. At contra certum est, haec omnia anno 893. evenisse. qui annus erat XXIV. a Theophaniis anni 870. quo Leo coronatus fuit. Haec adnotasse non piguit, quippe

quum

Adnot. 114. vidimus. Posterior eo tantum nititur fundamento, quod anno 920. ejus permissu Translatio S. Sosii Mart. facta fuerit: nisi forte volunt, eo anno ejusdem jussu ab Jo: diacono eā Translationem scriptam fuisse. At utrumque falsissimum est: illud vero certum arbitror, anno 899. exeunte, h. e. mense Decembri, jam Athanasium III. Stephano subrogatum reperiri in quodam Praecepto ejusdem Athanasii: cujus chronologicas notas nondum intellectas, inferne (115) enodatas

quum Cajetani παράφραμα plures abripuerit: ut omittam quod in consignanda S. Severini translatione omnes ad hunc diem, sed alii aliter, erraverint. Nos ipsi ad VIII. Jan. [pag. 6. col. 1. media] eam in annum 910. cum aliquibus conjecimus a morte scil. Basilii patris imperium filii auspicati.

Interim Martyrium Sancti Procopii Oct. Cajetanus eidem Jo. Diacono tribuit (nec temere, sed auctore titulo, qui talis est: *Scriptore Joanne diacono Neapolitano*) a quo ego valde dissentio, quum illius opusculi stylus sit ad miraculum usque elegantissimus ac ferme aureo saeculo dignissimus, a ceteris vero Diaconi opusculis diversissimus. Atqui error inde manare potuit, quod quum Translatio S. Severini, & Martyrium S. Procopii [quippe ad eundem annum, & ad eandem causam pertinentes] in unum volumen compactae fuissent [uti testatur Cajetanus] eidem auctori tributae non praeter morem fuerunt. In eodem S. Procopii Martyrio plura leguntur de Lucullano everso judiu Gregorii contulis, ne Saracenorum excursioni pateret, timulque de Translatione S. Severini. Eodem enim ut dixi anno S. Procopius martyrium subiit, & S. Severini reliquiae translatae fuerunt.

Haec ubi scripseram, observavi, Historiam Translationis S. Severini a Jo: Diacono scriptam eumdem ordinem narrationum, de Saracenica clade, imo & easdem saepe locutiones complecti, ac in martyrio S. Procopii; sed ab hujus elegantia adhuc multum abesse. Hinc illud Martyrium tribui potuit Jo: Diacono. Utrumque autem opusculum conferenti facile innotescet, uter ab altero hauserit. Mihi id interim non vacat. Sed verisimilius videtur, res in Sicilia & vicina Calabria gestas ab aliquo erudito insulano primum fuisse scriptas, ac mox inde protecisse nostrum diaconum; cui aliena scrinia compilare non insolens fuisse, ejus Chronicon declarat.

(115) *De tempore Praecepti Athanasii III. pro Monasterio S. Severini, quod male Chioccarellus ad ann. 937. conjicit, quum ad annum 899. pertineat.*

Praeceptum illud sic incipit: *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Imperantibus dominis Leone & Alexandro a Deo coronatis magnis imperatoribus anno tricesimo, die septima decima mensis Decembris, Indictione II. Neapoli.* Indictio secunda in annum 899. incidit. Atqui in eumdem annum etiam tricesimus Leonis incurrit; qui ab Epiphania anni 870. orsus [nam eo anno in Theophaniis vivente patre coronatum Leonem vidimus] in Epiphaniam anni 900. desinit. Proinde mensis December anni tricesimi Leonis pertinet ad exeuntem annum 899.

Protulit id Praeceptum omnium primus Bartholom. Chioccarellus in Athanasio III., & ex eo Ughellus. Et quia id monumentum sic desinit, *Per indictionem suprascriptam undecimam*; hinc notas illas initio Praecepti positas *Indict. II.* Chioccarellus & Ughellus, pro notis credo Arabicis h. e. pro XI. habuerunt. At Muratorius in praefat. ad Jo. diac. Chronicon longius provectus, non tantum eas notas pro Arabicis habuit, verum etiam in Romanas transmutans pro *Indict. II.* exhibuit *Indictione XI.* Hinc vir eruditus de harum chronologicarum notarum tenebris conqueritur, quas tamen ipse ea permutatione spissiores effecit.

Res vero ita se habet. Manuscriptum, ex quo Praeceptum illud edidit Chioccarellus, recens opinor fuit: nec enim ibi Notter de antiquitate apographi praefatur, quod semper alibi consuevit. Atqui in recentis hujus Ms. auctore inerudito tota confusionis culpa residet. Is in autographo notas numerales ita exaratas reperit, ut supra versum non assurgerent [sic enim in vet. Ms. passim observatur] nec porro aliter eas in suo exemplo exhibuit; sicuti nec aliter Chioccarellus: nisi quod hic eas ita terminalibus transversis lineolis insignivit, ut haud dubie prodyade accipi debeant; certe quia sic in suo Ms. reperit. At vero is idem amanuensis [in quo ista cudendi est faba] eas notas, quum supra versum non assurgere animadvertisset, pro notis Arabicis h. e. pro *undecim* habuit. Hinc ubi idem ad finem ejus Praecepti describendi venit, in quo numerum indictionis vetustate corruptum reperit, antecepta opinione sua deceptus, audacter integris litteris *Undecimam* scripsit. Nec dubium est, quin ita, uti conjeci, se res habuerit: nec enim in alicujus antiquitatis Mss.

illus

datas habes. Ergo Stephanus III. mihi videtur annos septem non solidos in episcopatu exegisse, h.e. ab initiis anni 893. ad usque annum 899. sive labentem sive exeuntem.

Restat Athanasius III. Errare autem mihi graviter Chioccarellus & ex eo Vghellus videntur, qui anno dumtaxat 937. hujus praesulis reperiri vestigium censuerunt: illud inquam monumentum, quod nos [in superiore Adnot. 115.] ad ann. 899. exeuntem pertinere contendimus, ipsi vero nescio qua de causa anno 937. signatum voluerunt.

Atqui, inquies, si ab usque anno 899. finiente arcessenda sunt Athanasi III. initia, is annos saltem unum ac sexaginta sedisse reperietur; totidem enim fluxere anni ab fine anni 899. ad Kalendas Novembres anni 960. quando is cum Barbaria Abbatissa subscripsisse reperitur cuidam diplomati, quod Chioccarellus & ex eo Vghellus memorant.

Atqui utinam istud monumentū Chioccarellus exscripsisset: nam ex ejus tenore facile conjiceremus, num re vera ad Athanasium III. sit referendum. Subscriptio quidem [quam solam Chioccarellus exhibet] sic habet *Ego Athanasius Episc. consensi ita & subscripsi*. Sicuti autem in subscriptione nullus numerus nomini ejus subjicitur, idem & in ipsius monumenti continentia forsitan factum fuit: nam II. aut III. &c. nonnisi postea addi nominibus in sollemnibus chartis coeperunt. Quod si ab hoc Athanasio abest in ea membrana *Tertii* additamentum; tum facile contendere possumus, hunc Athanasium, qui anno 960. cum illa Abbatissa subscripsit, fuisse diversum a superiore Athanasio, ac dicendum esse *Quartum*, novum scil. ignotumq. adhuc Episcopum.

Verum age: is ipse *Tertius* fuerit, proinde is annos minimum LXI. sederit: imo & LXII. si vera sit temporum consignatio, quam affert Chioccarellus pag. 110. ex quadam Homilia: quam tamen XII. circiter saeculo scriptam, non dubito, ut in Diatriba praeliminari diximus, & infra ad finem Adnot. 116. Quid tum? Scimus, decimo saeculo plures [virorum maxime principum filios] adhuc pueros fuisse electos episcopos. Cur non idem tertio Athanasio, ex ducibus Neapolitanis orto, contigerit? Maxime, quum is in Praecepto [in quod Adnot. 115. inquisivimus] se *Praesulem* [quae vox etiam electis convenit) non *episcopum* subscribat. Fac vero vicenarium electum fuisse. Is ergo anno 960. octogenarius fuerit: quod non est absonum.

Age vero constitutis episcoporum trium temporibus, inquiramus nunc quo tempore Johannes Diaconus Chronicon episcoporum scripserit. Nec enim ex eo quod in S. Athanasii obitu [h. e. ann. 872.] terminum scriptioni posuerit, continuo sequitur; eodem illum tempore ei componendo vacasse. Imo suspicor, Diaconum moriente S. Athanasio vix infantulum fuisse; qui ceteroqui non alia de causa in Athanasio desiit, quam ut in viro sanctissimo finem scribendi faceret, omisso Athanasio II. vitae deterioris Antistite, sub quo videtur mihi chronographus pueritiam & adolescentiam transmisisse. Verum ne multa: videtur sane Jo: Diaconus haud diu ante Christi annum nongentesimum Chronicon suum illud scripsisse: cujus rei argumenta, si cui cupi-

ullus est notarum Arabicarum usus. Imo ne ut Arabicas quidem eas exhibuit amanuensis [sicuti nec Chioccarellus] sed tamen quia eas pro Arabicis habuit, hinc mancum in fine locum perverse, uti vidimus, supplevit.

At tu ne dubita, quin ea Indictio *secunda* fuerit, primum quia notae a Chioccarello exhibitae *secundam* designant; deinde quia cum tricesimo Leonis anno non nisi Indictio secunda concurrit. Est autem observandum, in hoc monumento Indictionem non a praecedente Septembre decurrere [alioqui cum tricesimo Leonis anno & mense Decembre Indictio tertia componenda fuisset] sed plane vulgari modo. Quod si quem forte offenderit (quippe tunc Neapolitanis Indictionem a Septembri ferme inchoantibus) tunc facile dictu fuerit, & hoc amanuensem peccasse, quod fugiente autographo usus, III. in II. transmutaverit. Interim *tricesimus* Leonis annus integris litteris scriptus numquam erit ut fallat.

Digitized by Google

cupido sit, inferne (116) exposita cognoscere poterit.

§. 4. *Propius ad conjiciendum tempus Neapolitanae translationis acceditur.*

Jam vero detecta illius Chronici [praeter propter] aetate, duo termini exsistunt, intra quos S. Restitutae Translationem contigisse oporteat. Non enim ante S. Athanasii obitum h.e. an. 872. ea contigit [id quod ex Actis Restitutam in Enaria recondentibus, & ex hoc Kalendario consignante festivitatem extra diem suum

(116) *De epocha scripti ab Jo: Diacono chronici. Per occasionem vetus ejusdem scriptoris nomen detegitur.*

Inter plura chronographi nostri opera [de quibus vide, si libet, Muratorium in praefat. ad Chronicon Episc. Neap.] quaedam ab Joanne adhuc adolescente scripta fuisse, discimus ex Actis SS. Sosii & Januarii, quibus sic idem Joannes eorum auctor praefatur: *Post nonnulla tirocinii mei opuscula, quibus aliquantisper IVVENILEM animum caritatis exercuisse videbar imperio* &c. Ac duo prae ceteris sunt, quae ab eo adhuc juvene composita fuisse oportet. Vnum est hoc, de quo agimus, Episcoporum Chronicon, in quo is in S. Joanne IV. [penultimo eorum praesulum, quos in catalogum retulit] sic incipit: *Si enim hujus vitam . . . scribere tentavero, non dico meae ADOLESCENTIAE, cujus sensus propter aetatem adhuc intercludit, verum etiam sagacioribus ineri fuerit.* Alterum sunt Acta SS. Eustratii & socior. de Graeco in Latinum transfusa, quorum meminit magnus Baronius ad XIII. Decembr. his verbis: *In his* (Actis) *quae habemus apud nos, aperitur & nomen auctoris, qui ea latinitate donavit. Fuit is IOANNES SERVVS S. IANVARII* [*sic enim inscribitur*] *qui vixit Neapoli temporibus Athanasii junioris ejus sedis episcopi. Haec enim habet auctor in praefatione: Athanasius junior Parthenopensis Ecclesiae praesul, patrui sui magnifici praesulis studia secutus, me impulit* &c. Haec igitur interpretatio, quia Athanasii II. jussu suscepta, ab eo juvene scripta fuit.

Sed tamen hanc Actor. S. Eustratii Interpretationem Bollandiani Joanni nostro abjudicant, ex eo adducti, quod in Barberiniano cod. antiquissimo eorum interpres non *Joannes* sed *Guarimpotus* inscribatur. Eamdem etiam *Guarimpoti* epigraphen Chioccarellus reperit in suo antiquissimo apographo Actorum SS. Eustratii & soc., quorum idem est initium; nisi quod quaedam [quae scil. in parenthesi interposita vides] praeterea inseruntur: *Athanasius* &c. . . [*cujus* § *mirabilis acuminis ingenio pollens, imperio suo me Guarimpotum*] *impulit, ut de Graeca in Latinam vocem vitam sanctiss. Eustratii transfundere minime recusarem.* Nec dubium est, quin idem sit opus tam illud a Baronio, quam hoc a Bollandistis & Chioccarello visum, uti patet ex eodem initio, ejusdemque praesulis jussu. Quid ergo hoc sibi vult, quod in uno codice *Joannes SERVVS S. IANVARII* [quae est ipsissima chronographi nostri inscriptio saepe alibi repetita; quippe qui a celebri Diaconia S. Januarii cui affixus erat, eum titulum sumpsit] in altero *Guarimpotus* auctor agnoscitur? Vtrumque verum est. Nam necesse est, proprium Joannis nostri nomen fuisse *Guarimpotum*; fortassis enim generis Langobardici erat, nam talis huic nomini indoles insidet. At idem nomen suum in *Joannis* nomen mutavit, ab *Joanne*, uti reor, Abbate S. Severini [quem *patrem* suum *spiritalem* in praef. ad Acta SS. XL. Martyrum vocat] ita transnominatus. Atque ea nominis commutatio tum credo facta fuit, quando diaconus diaconiae S. Januarii est ordinatus: solebant enim in ordinationibus nomina barbara aut absurda commutari. Ergo quando Noster jussu Athanasii II. illa Acta convertit, adhuc *Guarimpotus* vocabatur, nondum scil. ordinatus illius Ecclesiae Diaconus, ideoque in duobus illis antiquiss. Codicibus nomen suum vetus retinet. At vero ubi primum exscribi ea interpretatio coepit, quidam amanuenses qui scirent Guarimpotum illum non esse alium ab *Joanne servo S. Januarii*, hanc inscriptionem illi priori substituerunt, προλαπτικῶς [*per anticipationem*] scilicet. Itaque videmur, ni fallor, vetus hujus Chronographi nomen in transcursu aucupari.

Atqui ex his discimus, Actorũ S. Eustratii interpretationem aut primum chronographi nostri fuisse *tirocinium* [ut ejus verbo utar] aut certe anterius chronico Episcoporum fuisse: nam & sub Athanasio II. [qui usque ad annum 893. ineuntem sedit] ea Acta transtulit, & dum adhuc *Guarimpotus* esset, nondum scil. *Joannes servus S. Januarii*: quum contra chronographiam Episcopor. jam ei Diaconiae affixus scripserit, uti & ex titulo constat, & quod in Agnello eam Diaconiam [quippe suam] fuse praeter morem describat. Ergo S. Eustratii Acta aliquamdiu ante annum 893. [qui annus Athanasii II. ultimus videtur] est interpretatus sub jun. Athanasio; chronicon vero paullo ante annum Christi

ſuum ſupra collegimus, ac demum ex ſilentio Jo: Diaconi maxime in vitis Tiberii, S. Joannis IV. & S. Athanaſii] nec vero poſt Chronicon Diaconi ſcriptum [h.e. ſub annum Chriſti 900.] quippe quum hic Chronographus in Zoſimi vita Eccleſiae *S. Reſtitutae* mentionem faciat; quae nonniſi poſt illatas reliquias id nomen ſibi quaeſivit. Ergo per hos intermedios annos prope triginta quaerenda eſt ejus Translationis epocha. Quam, ne lectorem diutius morer, ſive ſub ineunte epiſcopatum Athanaſio juniore, ſive in Stephani III. pontificatus initiis (nam ſub his duobus Epiſcopis fratribus totum illud trieennale ſpatium decurrit) figere poſſe mihi videor non levibus de cauſis. A poſteriore ordiar.

Etenim ſi Stephani tertii pauciſſima geſta, quae Chioccarelli collegit induſtria, inſpexerimus; ejus Epiſcopatum in Sanctorum Reliquiis Neapolim aſportandis fuiſſe occupatum, paſſim reperiemus. Nam ann. 893. (*) imminente Chriſtiani nominis hoſtium irruptione, petente Joanne Monaſterii S. Severini Abbate, corpus S. Severini ex Lucullano in Eccleſiam dicti Monaſterii tranſtulit, & ſub Altari recondidit. Deinde ſub idem ferme tempus (non vero (117) anno 920.

Chriſti nongenteſimum facile ſcripſerit: omnino autem ſub Athanaſii ſucceſore Stephano III.

At, inquis, ſi ſub Stephano III. Chronicon ſcripſit Joannes, cur in Athanaſio I. deſiit, nec Athanaſio II. nec Stephano III. in catalogum relatis? Quia, inquam, in ſanctiſſimo praeſule ſtylum iſtere maluit, quam Athanaſii II. illaudati antiſtitis res tangere; quem ſive laudando, in aſſentationis notam incurriſſet, ſive vituperando, ejus germani fratris Stephani III. animum offendiſſet.

At vero Translationem S. Soſii [ſicuti & ejuſdem certamen] anno circiter 910. edidiſſe videtur. Cur ſic putem dicetur mox in Adnotat. 117.

Quouſque autem idem Chronographus vitam prorogarit, haud equidem queo dicere. Atqui ſi quae Ant. Caracciolus in Eccl. Neap. Monum. p. 137. ſcripſit, conſiſtere ullo modo poſſent, dicendum eſſet, Jo: Diaconum uſque ad ann. 960. ac porro, vitam produxiſſe. Nam ibi vir eruditus Joannem hunc cujuſdam homiliae de miraculis S. Agrippini ex conjectura auctorem facit, quam homiliam anno 960. conſcriptam exiſtimat.

Verum etſi terminum vitae hujus Joannis ignoramus; fieri tamen vix poteſt, ut ad ann. uſque 960. vitam produxerit. Nam is ſub annum 890. ab Athanaſio Acta S. Euſtratii interpretari juſſus fuit. Ergo tunc annos ſaltem 20. numerabat: proinde ann. 960. idem nonagenarius fuiſſet.

Quid quod ex Caraccioli ratiocinatione nihil efficitur? Nam neque ſtylus illius Homiliae Chronographi dictionem ſubolet, aut cum ſcriptis ab eodem Joanne de S. Agrippino in epiſcoporum chronico ſtare poteſt; nec poſtremo eadem homilia antiquior eſt XII. aut XIII. ſaeculo: uti jam ſupra demonſtravimus in Diatriba *de aetate Marmorei Kalendarii* (quam menſi Januario praepoſuimus) pag. XXII. in Adnot. V. Hoc optimi Caraccioli παράδοξα adnotaſſe non piguit, quod ejus auctoritas plures viros doctos abduxerit. Aegre igitur Chronographus noſter medium decimum ſaeculum pertigiſſe potuit.

(*) Vide ſupra Adnot. 114.

(117) *De anno Translationis S. Soſii.*

Noſter Chioccarellus in Stephanum III S. Soſii translationem *eodem anno* atque illam S. Severini factam docet, h.e. *anno* 920. in hunc enim S. Severini Translationem proxime contulerat. Sed in notis Arabicis peccatum a typographo ſuſpicor, ac re vera ſcripſiſſe Chioccarellum *anno* 910. ut qui annum Leonis XXIV. [qui initio Translationis S. Severini notatur] ab exceſſu patris numeraverit. Interim tamen Vghellus inconſulte eum errorem adoptavit, anno 920. translatum S. Soſii corpus ſcribens: ac plures deinde alii, uti fit, caeco id ductu ſecuti fuerunt.

At vero ſi S. Soſii translatio eodem ac S. Severini contigit, in annum 893. conjicienda erit, uti in Adnotat. 114. docuimus. Verum non eſt dubitandum, quin translatio S. Severini prior aliquanto fuerit. Etenim occaſionem inventionis S. Soſii hunc in modum ordiatur Jo: Diaconus in ejus translationis hiſtoria. *Cum memoratus Abbas* [Johannes] *corpus S. Severini meruiſſet adipiſci .... dum ... inveſtigaret ſecubi tanto operi* (Baſilicae quam in honorem S. Severini aedificare volebat] *valeret invenire materiem, ad Miſenate direxit caſtellum*, jam antea dirutum. Ea vero occaſione corpus S. Soſii invenerunt. Sed non diu poſt S. Severinum Soſius Martyr translatus fuit. Illius enim anno 893. trans-

Digitized by Google

910.) idem Praesul S.Sofii Martyris (qui S. Januarii socius in certamine fuit) Reliquias ex Misseni diu antea a Saracenis diruti ruderibus in eamdem Ecclesiam transvehendi eidem Abbati potestatem fecit. Et utriusque Translationis historia exstat ab eodem Joanne Diacono conscripta. Ac vix dubito, quin ob easdem causas (sive imminentis, sive illati jam vicinis regionibus excidii) plura ex vicinis locis Sanctorum corpora eodem tempore Neapolim illata fuerint; quod tamen ignorare cogimur, non ignoraturi, si aut Jo: Chronographus seriem usque ad Stephanum III. produxisset, aut Acta Translationum nobis temporis injuria non invidisset. Ergo S. Restituta sub eo maxime antistite videtur Neapolim avecta fuisse. Erat ea insula jam ab Augusti tempore sub Neapolitanorum dominatu (uti mox §. 3. dicam) imo & sub Neapolitani Episcopi (118) regimine. Saraceni autem eidem insulae cladem, opinor, aut intentabant, aut intulerant. Quare nihil propius fidem cogitari potest, quam ut sicuti & ex Lucullanensi Monasterio, & ex Misenatibus ruinis Sanctor. Reliquias in urbem Praesul is Neapolitanus intulit; sic idem in S. Restituta praestiterit, maxime quū ea insula Neapolitani juris esset.

Ne autem ab Athanasio facta ea translatio fuerit, dissuadet indoles Athanasii, ad bella potius, quam ad sacra munia attendentis [quippe ducis simul & episcopi] quem praeterea ab Joanne Papa & objurgatum, & excommunicatum fuisse scimus. Contra vero sub Stephani III. initiis eamdem contigisse, suadet & transferendi necessitas (quia per id tempus Saracenorum vastationibus littoralis Campania cum insulis patuit) & quod translationes duas uno eodemq. tempore ob eamdem causam sub eodem factas scimus. Quod si sub Stephano Neapolitani ea pignora sunt assecuti, maxime ineunte ejus Pontificatu id fieri debuit, h.e. paullo post annum 893. Cur tum maxime? quia Jo: diaconus, qui haud diu ante ann. 900. suum chronicon scripsit, Ecclesiae *S. Restitutae* meminit, haud dubie ab illato corpore sic vocatae.

Et hoc quidem uti dixi, verisimile est. Ceterum si quis ab Athanasio II. asportatas eas Reliquias malit, libens assentiar; sed ita tamen ut initio sui episcopatus id praestiterit Athanasius. Etenim hujus initia (quamdiu certe episcopus tantum, nondum arrepto ducatus clavo, fuit) bona sane fuerunt; quantum quidem ex fragmento vitae a Petro subdiac.

translatio contigit, hujus autem anno sequente, die [uti Chioccarellus scripsit] 27. Augusti.

At vero ejus Translationis historiam non eodem tempore scriptam ab Jo: diacono puto. Nam etsi Stephani III. jussu id opus susceperit (ut in praefatione, quae *Certamini* praeit fatetur) nō ante tamen ann. 910. id edidisse videtur, hac maxime de causa. Johannes diac. statim ab initio sic scribit: *Nam SEXAGINTA evolutos jam pene per annos ab Hismaelitis erat demolitum oppidum illud* [Misenas]. Contigit autem ea devastatio sub S. Athanasio I. & Sergio duce ejusdem Athanasii patre. *Eodem quoq. tempore* (ait Jo: Diac. in S. Athanasio) *Misenatis Ecclesia peccatis exigentibus a paganis devastata est. Cujus omnes paene immobiles res, hoc praesule supplicante, genitor ejus Sergius dux* (cujus ducatus ad initia ejus pontificatus est referendus: nam ei Gregorius successit, cui postea alter Sergius, qui S. Athanasium est insectatus) *Neapolitano concessit Episcopio*. Et hodienum Archiepiscopus ea latifundia possidet.

Ergo demolitio Misenatis oppidi paullo post ann. 850. contigit. A quo si numeres annos illos *sexaginta*, ii nos ducent ad annum paullo plus 910. quo scil. Iohannes opusculum hoc suum edidit. Etsi inconsulte ita loquatur, quasi si illi anni in Inventione S. Sofii terminentur.

(118) Enariam insulam olim Neapolitanis Episcopis paruisse ex eo intelligi potest, quod ante annum 1179. quo Petrus ejus insulae Episcopus Concilio Lateranensi post Sergium Metropolitam suum subscripsit, nullum alium ejus sedis Antistitem Vghelli diligentia repererit. Imo sub S. Gregorio M. eam insulam Neapolitano Episcopo paruisse, colligitur ex hujus Papae epist. 84. & 85. lib. VII. ubi Fortunatus Neapolitanus Antistes jubetur a Gregorio consecrare Oratorium in *Massa Furiana* [id oppidum nunc *Furla* penult. longa dicitur] a Januaria religiosa femina aedificatum.

Digitized by Google

conſcriptae (quae chronico Joannis ſubjunxit) & aliis monumentis diſcere licet. Eumdem ſcimus quinto ſui pontificatus anno ſui patrui Athanaſii corpus ex Caſinenſi monaſterio Neapolim tranſtuliſſe : imo & de inveniendo S. Soſii corpore ſuiſſe ſollicitum, uti teſtatur Stephanus III.(apud Jo: diac. in hiſtoria Translat. S. Soſii haud longe ab initio) his verbis: *Poſtmodum quoque Dominus Athanaſius Epiſc. s. mem. germanus meus ſumma probitate , hujus Margaritae inveſtigator exſtitit : ſed nec ipſi collatum fuit.* Cur non tantundem per idem tempus in Reſtitutae oſſibus fecerit ? Immo multo mihi commodius haec ſententia cedet, propterea quia ſic Reſtitutae translatio a chronici epiſcoporum ſcriptione viginti & amplius annis removetur : per quod ſcil. vicennale ſpatium eccleſiae, in quam eae reliquiae illatae fuerunt, novum ex *S. Reſtituta* nomen quaeri, idque ſenſim uſu firmari potuit, ita ut uſurpare id nomen Jo: chronographus quiverit, quum chronicon ſuum ſcriberet. Ergo in poſteriore ſententia tanto mihi magis placeo, quanto ea mihi videtur in omnes partes commodior.

Jam vero novo illo *S. Reſtitutae* nomine non invitus uſus eſt Joannes Diaconus in Zoſimo Epiſcopo (quem ſub Conſtantino ponit) his verbis: *Quique* [Conſtantinus) *inter alias conſtructas Eccleſias, etiam in urbe Neapoli Baſilicam fecit , aſſerentibus multis* (119) *quod SANCTA RESTITVTA fuiſſet*. Atqui ea verba nihil aliud ſignificant, quam aevo Joannis Diaconi *a multis* h. e. a multitudine exiſtimatum fuiſſe, Baſilicam a Conſtantino Neapoli aedificatam (cujus mentio eſt apud Anaſtaſium & alios) non aliam fuiſſe quam illam, quae ejuſdem Diaconi aevo vulgo *S. Reſtituta* dicebatur. Id quidem tantum Chronographus ſibi voluit ; quod , & veriſſimum cenſeo ; nec enim illa Baſilica ἀνάκτορος a Conſtantino (apud Anaſtaſium in S. Sylveſtro) heic aedificata, alia a Cathedrali eſſe debuit, ut alibi (120) oſtendetur. At ſera poſteritas aliorſum Diaconi verba accepit. Putavit enim, Conſtantinum in hac urbe aedificaſſe Eccleſiam ſub nomine S. Reſtitutae, & ad ejuſdem honorem. Quod ubi ſemel imbiberunt, etiam alterum admittere debuerunt, nim. aevo Conſtantini, imo & ejuſdem juſſu ſanctae Martyris corpuſculum ex Enaria inſula in hanc urbem abductum fuiſſe. Quae fama ubi ſemel radices egit ; jam pro certa hiſtoria haberi coepit, uti fit apud pronum ad pietatem vulgus, apud quod aliquid de popularibus traditionibus, etiam ἀσυσίας, detrahere impietati vertitur. Hinc non miror, eam ſub Conſtantino Tranſlationem non tantum a ſcriptoribus noſtris fuiſſe plenis buccis decantatam, verum etiam in Romano Martyrologio (quod ex ſingularum Eccleſiarum receptis opinionibus auctum ſubinde fuit) poſitam reperiri.

Sed antequam hinc abeam, volo equidem ſincere pro more meo agere. Nam tradita Translationis epocha conjectura quidem perquam probabili nititur. Sed interim [ſiquis neutri acquieverit epochae, ſive ſcil. Athanaſii II. ſive Stephani III. ineuntium] duo tamen adhuc certa manerent, tum non ante Actorum ſcriptionem [h. e. ante VII. ſaeculum] tum non poſt annum Chriſti nongenteſimum (quando Epiſcoporum chronographia prodiit) eas Reliquias Neapolim advectas fuiſſe. Itaque intra eos ducentos, & quod excurrit, annos ejus Translationis epocha incerta fluctuaret. Nec tamen quaquaverſum vaga : nam ex his ducentis annis eximendum eſt ferme ſeſquiſaeculum morti S. Athanaſii (in qua terminatur Joannis chronicon) propius, per quod ſcriptor notitias pinguiores & accura-

[119] MVLTIS heic Graeco ſignificatu accipiendum eſſe pro οἱ πολλοὶ, infra ad XXI. Maii adnotabitur. Apud Graecos autem οἱ πολλοὶ *multitudinem* ſignificat. Eamd. in partem accipi debet auctor vitae S. Athanaſii de quo mox ad XXI. Maii.

[120] Plura hujus rei documenta leges infra ad XXI. Maii.

Digitized by Google

curatiores habuit, ac vitas diffusiores edidit, nec tamen usquam ejusmodi Translationis, quam nosse debuisset, meminit. Quocirca hoc unum denique relinquitur, ut si non sub finem saeculi noni [sub initiis scil. alterutrius episcoporum fratrum] ea translatio inciderit, eadem ad illud maxime tempus sit referenda, quod Actorum scriptionem proxime subsecutum fuit. Quid enim ? Vbi primum S. Restitutae historia isthaec magnifice conscripta prodiit, nihil propius esse potuit, quam ut ejus lectione Neapolitani ad assequenda ejus pignora incenderentur, idque re ipsa perfecerint. Quum autem ejus Translationis Acta aut scripta non fuerint, aut deperdita ; hinc ejusdem in episcoporum Chronico silentium. Quare si minus exeunte nono, at certe, aut medio aut declinante saeculo septimo ea corporis transvectio contigisse potuit. Quocirca ita eadem epocha intra illos quos dixi ducentos, & quod excurrit, annos vagabitur, ut tamen alterutri termino sit proxime admovenda ; sed tamen posteriori forsan verisimilius, tum ob ea quae diximus, tum quae cap. sequ. §. 2. dicentur. Ac de translationis tempore hactenus.

Ceterum adhuc insulani in suo S. Restitutae templo beatae Martyris sepulcrum, tamquam tanto thesauro onustum colunt (etsi ei persuasioni eos haud mordicus affixos esse, animadverti) nec abnuit Ant. Caracciolus, quin forsan ibidem aliquot ossicula remanserint. Ea nunc aedes a Carmelitis possidetur : sed Neapolitani se S. Virginis aedituos gerunt.

§. 5. *De Neapolitanorum dominio in Enariam insulam. Tum digressio de Leucogaeo colle ab Augusto Campanis dato.*

Quod supra a me dictum fuit, jure suo Neapolitanos ex Enaria corpus B. Restitutae repetivisse, id altiorem habet originem ab Augusti usque aetate ducendam. De quo Svetonius in Octavio cap. 92. sic scripsit. *Apud insulam Capreas, veterrimae ilicis demissos jam ad terram languentesque ramos convaluisse adventu suo, adeo laetatus est, ut eas cum republica Neapolitanorum permutaverit, Enaria data.* Tangit eamdem historiam tum Dio in fine lib. 52. tum Strabo lib. V. pag. 248. ubi Phitecusas antiquitus Neapolitanorum fuisse dicit, postea bello ab eisdem amissas, tandem vero permutatione illa, quam dixi, recuperatas. Ab illo vero tempore Enaria cum vicina Prochyta in reip. Neapolitanorum dominio mansit. Sicuti & utraque olim insula praesulibus Neapolitanis parebat : quibus postea Prochyte sola mansit, postquam ultimis temporibus Enaria (hodie *Ischia*) in episcopatum evecta fuit, ut in Adnot. 118. praediximus.

Atque haec attigisse, huic quidem loco satis erat, at hominum exspectationi nondum satis. Quandoquidem enim clariss. JCtus mihique amicis. Jacobus Castellus in suis ad S. Restitutae Acta enarrationibus, memorata hac Augusti permutatione, digressionem prorsus alienam, nec ad id loci ullo modo pertinentem, *de colle Leucogaeo* inseruit, nec id prorsus alia de causa, nisi uti me amice reprehenderet ; a me vicissim ejusdem argumenti digressionem ἀπολογητικὴν heic exspectari reor, non illam quidem supervacaneam, sed maxime necessariam extituram. Nam si numquam S. Restitutae Acta commentando attigissem, poteram ea responsione supersedere : at postquam ad id loci ventum fuit, ut etiam de Enariae dominio mihi loquendum fuerit ; huic consertam defensionem negligere, justamque causam in totum deserere vereor ne aut uti nimis superbum, aut uti professae convictionis argumentum sint homines interpretaturi. Has vero quascumque vindicias eo in extremam (121) libri oram contuli, ut nec morae

(121) *Apologeticus pro collis Leucogaei dominio Campanis asserendo.*

In Commentario ad mutilum Camp. Amphith. titulum quum in Campanae perticae finibus

bus designandis essem, videbar & ad colles usque Leucogaeos eam protendisse, motus auctoritate Plinii lib. XVIII. c. XI. ubi in alica conficienda cretam quamdam esse adhibendam, praefatus, sic pergit. *Invenitur haec* (creta) *inter Puteolos, & Neapolim in colle Leucogaeo* (hodie vocant *La lumera*, si Cam. Peregrinio credimus: quod nomen facile ab *Alumine* venit) *appellato. Exstatque Divi Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo* (supple colle Leucogaeo) *numerari jussit e fisco suo, coloniam deducens Capuam. Adjecitque causam afferendi, quoniam negassent Campani, alicam confici sine eo metallo posse.* Cui Pliniano loco sic ibi subjeceram: *Satis ex hoc percipitur, collem ipsum, non tantum effodiendae cretae potestatem, Campanis adtributum, quoniam PRO EO annua vicena millia jussit annumerari.*

Sed insurgit Jac. Castellus vir clariss. in suis Enarrationib. ad S. Restitutae Acta pag. 181. in hunc modum: *Cumque . . . mercedis loco annua vicena millia numerarentur locati & conducti nomine, ut fodiendi metalli jus colonis esset, doctissimus vir* (nempe is ego sum; agoque pro honorifica appellatione gratias) *collem Leucogaeum Campanae perticae applicare . . . intensissima cura studiosus, Plinium etsi invitum ACCESSIONE ALIQVOT VERBORVM ad suam sententiam trahere nititur, & ita legit: Exstatque* &c. . . . *pro eo* (*supple colle Leucogaeo*) *numerari jussit* &c.

A posteriore crimine, quo me uti falsarium (honor sit auribus) accusat, purgationem ordiar. Nempe de *accessione aliquot verborum* querelam instituit, quo scil. Plinium a me interpolatum in meas partes pertraherem invitum. Atqui Commentarii illius mei exemplaria sunt in omnium manibus. Ibi voculas illas (tantum interpretandi, non adulterandi Plinii causa a me usurpatas) non tantum intra parenthesim interposueram, sed diverso prorsus charactere, uti mea a Plinianis vel lusitiosus quisquis secerneret. Et ubinam non isto modo non ego tantum, sed & optimus quisque, falsarii sumus?

Sed alterum crimen prae priore, quod diluendum ivi, est longe levius. Est enim pietatis in patriam crimen, sed nimiae tamen pietatis, uti quidem Noster interpretatur. Nempe me tamquam *intensissima cura studiosum* Campanae perticae amplificandae traducit. Atqui adderes, vir optime, me in eo utilius operam fuisse positurum, ut meae reculae potius, quam ut Campanae perticae promovendae, ipse interim mei negligens, studerem. Sed amoto joco, siquid ego in hac tota causa accusandus sui, praevaricationis potius, quam nimii in coloniam Campanam clientam meam studii, accusandus eram. Quid ita? Quia potueram (fateorque id crimen) producto altero irrecusabili ejusdem Plinii testimonio, collem Leucogaeum clientae meae certissime asserere: nunc vero (pretio videlicet a Neapolitanorum republica corruptus) eo testimonio superfederim. Ecquod tandem illud testimonium? Exstat id apud Plinium XXXV. c. 15. *In Italia quoque invenitur* (sulphur) *in NEAPOLITANO, CAMPANOQVE AGRO, collibus qui vocantur Leucogaei.* Eccur enim agrum illum, in quo colles Leucogaei jacebant, *Neapolitanum* simul *Campanumque* appellat, nisi quia ejus agri pars in Neapolitanorum dominio manserat, pars vero altera in Campanorum jura transierat, Augusto pretium persolvente, uti supra XVIII. 2. idem narraverat? Ac vide auctoris diligentissimi accurationem. Heic *colles Leucogaeos* plurative vocat, quia revera plures erant, inter Neapolitanos Campanosque dividui: at ibi COLLE LEVCOGAEO singulo numero scribere satis habuerat: cur? quia is collis (qui scil. cretae ad alicam idoneae secundus erat, eaque gratia Campanis ab Augusto datus) unus erat e pluribus Leucogaeis. Itaq. Leucogaeis suis latifundiis fruantur Neapolitani, per me licebit, modo ne jureconsultos summittant, qui de modico uno Leucogaeo colliculo miseros Campanos deturbent. Sed (ut eo redeam (modo praevaricationis (h. e. impietatis, quippe in patriae causa) crimen effugerim; non moror, quin ejusdem *intensissima cura studiosus*, a viro praesertim mei studiosissimo accuser; quin & ab eodem (pag. 583. post medium) sic *ardentis in* meam *coloniam amoris* insimuler, tamquam si triste bidental incestus moverim.

Pergit mei studiosissimus accusator in hunc modum. *At Plinius magis fidus sui interpres vocem eam non colli, sed METALLO referendam duxit. ADJECIT QVE inquit CAUSAM . . . . QVONIAM NEGASSENT* &c. *SINE EO METALLO POSSE.* Atqui, amabo te, in Plinianis verbis supra recitatis, illud *Colle Leucogaeo* proxime antecesserat, contra vero illud METALLO nusquam praedictum fuerat, sed aliquanto post sequitur. Eccui vero auditum est, pronomen relativum (*pro EO*) non ad proxime antecedens, sed ad subsequens substantivum referri? Grammatici certe reclamant: quorum sanctissima jussa contemnere vide ne nimis imperiosum fuerit.

Jam vero jugulum causae petit. *Quod si*, inquit, *Augustus collem emptum vellet, & Campanae perticae applicitum; pretium rei*

emptae

emptae numeraſſet .... ANNVA VICENA MILLIA non pro pretio collis veniunt, neque pro pretii non ſoluti Kalendariis uſuris (quas compenſativas ... in foro dicimus) ſed afferuntur equidem pro annua mercede conducti metalli quotannis effodiendi (dixiſſet melius *Conductae metalli-fodinae*; nec enim creta, ſive metallum conducitur, ſed ejus fodina, ſicuti nec aurum, ſed auraria conducitur aut locatur: deinde ne additamentum quidem illud, *Metalli quotannis effodiendi*, Caſtellianam phraſeologiam probam efficit, nam *conducere aliquid faciendum* ad redemptores, vulgo *Appaldatori*, pertinet, qui adeo nihil ſolvunt, ut eis potius merces numeretur: ſed tricarum ſatis) *alicae perficiendae gratia. Collem ... retinuere Neapolitani, cretam* (imo *cretariam fodinam*, uti modo monebam) *Campanis locavere coloni, Auguſto numerante e fiſco ſuo annuam mercedem.*

Hactenus Clariſſ. Caſtelli Achilles. Quo nunc me verti? At ſcio, eũ collem a Plinio lib. XXXV. c. 15. (cujus verba ſupra recitavimus) diſerte Campanis attribui: ceterũ cur idem lib. XVIII. c. 11. quum ejus dominii panderet originem, *annua vicena millia* ab Auguſto ſolvi juſſa dixerit, uſurarum ne nomine, an alterius rei gratia, in petitorio judicio poſtea viderimus, modo interim Campanos bonae fidei poſſeſſores ex Plin. XXXV. 15. oſtenderimus. Atqui poſſeſſorum commoda haec ſunt, quod probandi onus in adverſarios transfertur, & quod in pari cauſa poſſeſſor abſolvitur. Quamquam quid eſt *pari*? Nec enim par eſt cauſa, ſed Capuae multo potior, quia Plinius diſerte uno loco eum fundum Campanis adjudicat; altero cur obſcura phraſi ſit uſus, litigatur.

Quid ſi clare oſtendo, Plinium non ſic ſcripſiſſe, uti edita exemplaria hodie praeferunt? An non etiam in petitorio Campani vincent? Experiamur. Jam pridem quidem editiones ve optimae ſic eum locum exhibent, uti ſupra recitavimus: at ſcripti codices & veteres editiones longe ſecus. Tres equidem optimas Plinii editiones poſſideo; quarum Hollandica una (ann. 1669. cum not. varior.) & altera Hardviniana nihilo quidem ſecius habent, *Quo annua vicena millia*, ſed utrobique tamen adnotatores monent, in Mſs. eſſe *Quo anno ad vicena mill.* Sed & tertiam antiquiſſimam ἐκδοσιν ejuſdem ſummi ſcriptoris cariſſimam habeo, anno 1507. ab *Alexandro Benedicto Veronenſi phyſico* ſumma cura emendatam. In ea diſerte legitur: *Exſtatque Auguſti decretum, QVO ANNO AD VICENA millia &c. numerari juſſit.* Ex his vides, quid e Plinii manu ſuerit, quid poſtea editores interpolaverint. Non fuit igitur ea merces annua, ſed unica pretii numeratio. Sententia loci haec eſt. Exſtabant Auguſti res geſtae ac decreta per conſules digeſta. Ibi meminerat Plinius ſe decretum illud legiſſe, ſed QVO ANNO id contigiſſet, aut non meminerat, aut ſuſque deque habuit. Hinc illa vere Pliniana breviloquentia: *Exſtatque Auguſti decretum, QVO ANNO AD vicena millia &c. numerari juſſit.*

Credo jam etiam in petitorio judicio Campanos a judicibus vel ſeveriſſimis abſolutum iri. At eos equidem (vel Catone ſeverior periculo meo, & Caſtellianae procellae jactatione factus) nondum abſolvo. Cur inquis? Primum quia contractus hic laeſione ultra dimidium (ex beneficio ſcil. *l. 2. C. de reſcindenda venditione*) laborat: nam *vicena millia* [ſupple, *ſeſtertium*] quingenti noſtris ſcrutatis reſpondent. Quantulum id porro prae Collis tam ad alicam neceſſarii integro pretio! Deinde quod illud AD heic quidem non videtur Plinianum? Eſt ne credibile homini accuratiſſimo ignotam eam fuiſſe ſummam, ut proinde particula AD i.e. *circiter* uteretur?

Verum pro *ad vicena* videtur ſcripſiſſe Plinius DVCENA, *Quo anno ducena millia* &c. Scio quidem id jam alios ante me tentaſſe [vide Harduinum, & Plin. cum not. var.] ſed ii tamen *Quo annua ducena* corrigebant pro *Quo anno ducena*. Ergo ſi legas *Quo anno ducena* &c. jam pretium decuplo majus evadet, ei colii haud credo impar, maxime ſi Auguſti gratia Neapolitani haud ſe ſordidos praeberent, nec id quanti plurimi vellent vendere, quod propter ſterilitatem (vix enim ibi Noſter pag. 182. media aliud praeclari reperit, quam *ſylvas, ſaltus, dumeta, carecta*: quamquam ne haec quidem in illa tanta ſoli macie erant) parum ſibi utile, Campanis neceſſarium ſoret.

Et haec ſatis eſſe poterant. Verum age: volo in hac cauſa cum petitore liberaliter agere. Petitor exclamat, hodiernam Plinii lectionem (*quo annua vicena* &c.) eſſe retinendam. Reus dat tamiſper manus, modo ne id ei fraudi ſit futurum. Legamus ergo (uti vulgo ſit) *Quo* (decreto) *annua vicena millia ... numerari juſſit* &c. Quid tum vero poſtea? An continuo ea annuae mercedis nomine pro conducto numerabantur? Minime gentium. Nam quo pacto conductum dicemus, quod in perpetuum tempus coloniae inſerviturum erat [quum contra locatio conductio ad tempus fieret] imo quod in coloniae dominium tranſiit, id quod ex Plinio XXXV. 15. evicimus? Quo ergo annua vicena

Digitized by Google

fim properantibus, & satis interim cupidissimo cuique fiat.

CAP. IX.

De cultu, ac die festo S. Restitutae.

§. 1. *Cultus.*

De cultu haec habet Ant. Caracciolus in Eccl. Neap. Monum. p. 158. *De nostra hac Restituta agunt vetera Kalendaria Neapolitanae Ecclesiae* (122) *& Martyrologium Patriciorum* [ex Parthenone S. Patriciae, ubi autographum asservatur, sic appellatum] *ad XVII. Maii. Quin etiam Litaniae antiquissimae Beneventanae Ecclesiae nostram invocant Restitutam. Ejusdem mentio*

numerabantur? haud dubie pensitationis emphyteuticae, seu annui canonis nomine. Tolle, queso te, *locati conducti* vocabula, eorumque loco *Emphyteusim* substitue: jam belle, mihi crede, omnia procedent. Sic enim & pensitationis modus fundo pulchre respondebit: &, in quo rei caput est, Plinio constabit fides, eum agrum, de quo quaerimus, *Neapolitanum* simul *Campanumque* appellanti; non quia parte una *Neapolitanus*, altera *Campanus* fuit, sed quia directum penes Neapolitanos mansit, utile vero dominium ad Campanos emphyteutas transiit.

Imo ne sic quoque Pintiani emendationi pulcherrimae quidquam decedet; qui in iis verbis, *Adjecitque causam afferendi*, pro *Afferendi*, inquit, *magis est ut legatur AVFERENDI*, tum propinquitate soni duarum litterarum, quae a priscis confundebantur, motus, tum etiam quia id verbum Plinii scopus requirit. At Castellus intercedit exclamans: *Inepte quidam Plinium corrupit, & pro Afferendi legit Auferendi*. Sed viri summi maxima in Plinium & litteras merita testatiora sunt, quam ut ex hac contumelia quidquam ei detrahatur. Abstulit a Neapolitanis sive in totum Augustus dominium, si quidem integrum rei pretium numeravit, sive [quod mihi se probare incipit] tantum utile dominium abstulit: sed tamen *auferendi* causam [quae civilitas principis fuit] decreto adjecit. Nihil usitatius in jure nostro, quam *Auferre dominium*, & similia. Itaque non debuit id loquendi genus Noster *insolens* appellare. At fortasse non *insolitum* sed *arrogans* intellexit. At ubinam arrogantia in eo, qui quum omnia pro imperio posset facere; tamen heic *auferendi causam* decreto summa cum civilitate adjecit?

Id unum postremo restat, ut difficultati cuidam egomet, non citatus, ultro obviam occurram. Nam dixerint, *Emphyteuseos* contractum a Zenone Imp. fuisse excogitatum, qui emphyteusi ab emptione aliisque contractibus distincta, novo huic contractui originem dederit, *l. 1. C. de jure emphyt.* Alii a Costantini aetate *emphyteuseos*, & *canonis* nomina arcessunt. At quantus ad hos ab Augusto hiatus est temporum! Verum facilis est responsio. Nomina *emphyteuseos* atque *canonis* recentiora sunt, at res ab usque liberae reip. temporibus repetenda. Nisi quod interest sane plurimum. I. Nomine: nam qui nunc fundus emphyteuticus dicitur, antiquitus *ager vectigalis* vocabatur. Sunt autem agri vectigales, qui municipiis permittebantur, ut ex eorum reditu onera publica sustinerent: de quibus agit Pandectes lib. VI. tit. 3. qui inscribitur: *Si ager vectigalis* [*ideſt emphyteuticarius*] *petatur*: ubi quae interposui, sunt e collectorum ingenio. II. Qui nunc *Canon*, olim *vectigal* vocabatur. III. Nunc praedia etiam privata in emphyteusim concedantur, olim publica tantum. Nisi quod sensim id ad praedia urbium [de quibus exstat *l. 1. D. si ager vectigalis*] atque templorum, ad patrimonialia principis, postremo & privatorum extensum fuit. At habes heic antiquissimum sub Augusto emphyteuseos [h. e. agri vectigalis] exemplum in civitatum gratiam usurpatum.

Cum hactenus dictis conferatur Imperator lib. 3. Instit. tit. 24. §. 3. emphyteuseos naturam atque historiam paucis elucidans; ubi & causas Theophilus adjicit, cur emphyteusis perquam similis venditioni sit, *διατὶ διάζευξε επὶ κληρονόμους* &c. *quod ad heredes transiret, & variis modis alienaretur*. Adde hoc etiam, quod non nisi sterilia ferme praedia emphyteutico jure perpetuo fruenda dabantur; cujusmodi certe Leucogaei colles erant.

Summa eorum, quae disceptavimus, eo redit, ut si codicum Mss. & veterum editionum auctoritas (in quibus non QVO ANNVA, sed QVO ANNO legitur) sit valitura, non possit non Leucogaei emptio venditio intelligi: sin contra QVO ANNVA magis placeat, tum vero Campani saltem emphyteutae sive perpetuarii h. e. domini utiles evadent. Quae raptim a me scripta nostrum virum optimum atque clarissimum aequi bonique daturum esse, certo scio.

(122) Ex his Kalendariis Mss. solum ad manus habeo illud, quod Rituali Ecclesiae Neap. praeibat, in quo die XVII. Maii sic legitur: *Restitutae Virg. & Mart.* Sed omnium Kalendariorum instar esse debent hi Fasti marmorei, in quos commentamur.

Digitized by Google

mentio est in Indiculo Reliquiarum Ecclesiae Montis Virginis, ubi & capillos complures B. Restitutae nunc esse, scribit Costus in historia ejus Monasterii superioribus annis typis expressa. Idem in adnotationibus Mss. ad Restitutae Acta [apud Castellum nostrum p. 194.] sic posuit: *B. Restitutae meminerunt non solum Neapolitanae Ecclesiae monumenta, sed etiam Mrologia, & Kalendaria Capuana* (123), *Casinensia* (124) *& Beneventana.*

Jam vero in Mrologio Siculo Octavii Cajetani S. J. die XVII. Maii sic notatur: *Panormi in coenobio Virginum S. Clarae celebritas Imaginis S. Restitutae*, propter miraculum scil. a S. Restituta editum, quod idem Cajetanus tom. 2. de vitis SS. Siculor. narrat, & ex Cajetano Henschenius hoc die in praenotatis ad S. Restitutae Acta num. 4. Adhaec Joannes de Joanne Panormitanae Ecclesiae Canonicus in *De divinis Siculorum Officiis* pag. 361. sic habet. *Die XVII.* [Maii] *Collectarium seu Orationale Panormitanae Ecclesiae, ejusque antiquum Breviarium exhibent Natale S. Restitutae Virg. & Martyris.*

Adhaec quod in Fastis Sanctor. a Rosweido editis legitur ad XVII. Maii *Restitutae Virginis, & Martyris translatio ex Italia in Franciam*, id eidem Caracciolo pag. 158. *Nihil aliud significat, nisi quod aliquod ossiculum Neapoli in Franciam fuerit translatum.* Quamquam & *Restituta* quaedam *Martyr* Sorana fuit, quae die XXVII. ejusdem Maii colitur, ex qua auferri Reliquiae potuissent.

Postremo Ferrarius in indice Lipsanorum, quem praefixit operi de SS. Italiae, hujus Restitutae Reliquias in Cathedrali Pisana servari testatur. Sed loc. cit. Caracciolus ad S. Restitutam matrem S. Eusebii Vercellensis referri eas Reliquias debere suspicatur: quem vide loc. cit. Ea est *Restituta Martyr*, quae a Caralitanis eodem die XVII. Maii [quippe id in SS. ὁμωνύμοις usuvenit, ut passim in eumdem diem collati reperiantur] celebratur: de qua videatur longus Papebrochii commentarius tom. VII. Maii in supplementis ad hunc diem XVII. pag. 796.

§. 2. *De festivitatis die.*

In die festo ultro citroque variatum reperio. Nam si Actis S. Restitutae credimus, id festum haud secus ac hodie die XVII. Maii agitabatur ab insulanis. At vero Neapolitani, quamdiu Restitutae corpore caruerunt, id festum pridie antevertebant, ut ex hoc marmore noni saeculi teste deprehenditur; idque ob eam causam, quia dies XVII. cuidam S. Marci Evangelistae festo assignatus reperiebatur, cui S. Restitutam concedere conveniens fuit. At postquā nono uti diximus exeunte saeculo Reliquias Sanctae Martyris adepti fuimus; jam tum oportuit ejus festum diei suo [h. e. XVII. Maii] restitui. Hinc in omnibus Kalendariis, Mrologiis aliisque liturgicis libris Neapolitanis ac vicinarum ecclesiarum postea conscriptis id festum die XVII. consignatur; idque hodiedum apud Neapolitanos & in Romano Martyrologio obtinet.

Et ita quidem hanc diei festi variationem olim interpretabar, ex eaque variatione tum Translationis S. Restitutae (125) epocham, tum & Kalendarii marmo-

(123) At in nullo eorum Kalendariorum Ecclesiae Capuanae, quae edidit Mich. Monachus, S. Restituta signatur. Fortassis ea a Mrologio Capuano, quod periit, non aberat.

(124) In Excerptis tamen Mrologii & Kalendarii Casinensis apud Muratorium tom. VII. Italicor. scriptor. pag. 936. & seq. nihil de nostra Restituta.

(125) Vide cap. superius §. 2. Nempe eo redit. In Fastis Marmoreis Restitutae Natalis signatur die XVI. Maii (non XVII. quo in Enaria colebatur) fortassis quia par fuit S. Restitutam a Neapolitanis, quamdiu Reliquiis caruere, in gratiam Marci Evangelistae [cujus nescio quod festum die XVII. colebatur] die suo dejici, ac pridie celebrari. At si medio saeculo IX. [ante quod tempus Fastos marmoreos non fuisse scalptos, in Diatriba praeliminari docuimus] Reliquiae Neapolim translatae jam fuissent, decuisset eam celebrari die suo [h. e. XVII.] maxime

morei (126) aetatem conjici posse augurabar.

Verum re melius considerata non multum ea variatione nos niti debere animadverti. Nam experimento didici, dies natalium, qui in Sanctor. Actis ad calcem signantur, saepe fallaces esse, quippe recens haud raro additos. Ex eis igitur non aliud effici, nisi ut quo tempore ejus diei notatio Actis accesserit, de eo tempore dumtaxat verum sit, hoc aut illo die Natalem illius celebrari. Ac ne a S. Restituta abeam, quae de die Natali in XVII. Maii incidente in S. Restitutae extremis Actis leguntur, eadem ne una littera minus ad finem nonae Lectionis antiqui Officii S. Restitutae [quod Cap. VII. dedimus] reperiuntur. Nihil ergo est dictu facilius, quam ea verba ex Lectionibus ad Actorum finem propagata fuisse potius, quam ex Actis in Lectiones. Quod si est; tū vero argumenta illa, quae in Adnot. 125. & 126. adumbravimus, parum procedent; ac potius dicendum erit, jam inde a primis temporibus S. Restitutae festum non tantum apud Neapolitanos, sed & apud insulanos die XVI. celebratum fuisse, idque etiam tum obtinuisse, quando medio nono saeculo Marmorei Fasti constructi fuerunt: at postea [quo tempore, & qua de causa, incertum] in sequentem diem fuisse translatum. Quamquam quo se modo res olim habuerit, praestare non possumus.

Dies autem, quo S. Restituta colebatur, non P. aut PAS. [h. e. *Passio*] in marmoreis Fastis inscribitur [quo pacto solet, quando dies passionis honoratur] sed N. h. e. *Natalis*, quam vocem etiam Acta & Lectiones usurpant. Videtur ergo dies XVI. Maii in marmore notatus eum diem designare, quo S. Restitutae Reliquiae [per Vandalica tempora, uti conjiciebam] in Enariam translatae fuerunt; eoque is dies cujuslibet *Natalis* [sive cujuscumque festi, praecipue Translationis] fuerit, oportet.

Verum age videamus si quo pacto argumenta duo [quae in Adnot. 125. & 126. exposuimus] procedere possint. Saeculo nono medio adhuc *natale* S. Restitutae die XVI. celebrabatur (eodem forsan, quo & jam olim in Enaria) certe quia in eum diem Translatio corporis ex Africa in Enariam incidebat. At vero ex posterioribus Kalendariis librisque liturgicis animadvertimus ex die XVI. in XVII. fuisse discessum. Ac sane in extrema Lectione IX. scribitur: *Celebratur autem dies Natalis ejus XVI. Kal. Junii*, h. e. die XVII. Maii, quo & nunc colitur. Age demus, haec verba ex Lectionibus in Acta irrepsisse. Sed tamen verum erit, festum usque ad Marmoris nostri aetatem die XVI. celebratum fuisse, postea postridie. At quae umquam causa esse potuit, quare ex die XVI. in XVII. transitus fieret [in ea praesertim Caelite, cui exteri caelicolae concedere debuissent, nec eam de suo loco dejicere] nisi quia hoc posteriore die ejus Virginis pignora Neapolim translata fuissent? Ergo quamdiu Martyr in Enaria substitit, festum prioris Translationis die suo h. e. XVI. agitabatur: at postea quia ejus Ossa, ut arbitror, die XVII. ejusdem Mensis in Neapolitanam Basilicam illata fuerunt, jam tum dies *Natalis* [h. e. Translationis, non prioris, sed alterius] diei XVII. Maii affixus mansit. Ac nequis me isthaec temere prorsus augurari clamitet, hymni [quem sup. cap. VIII. §. 1. recitavi] versiculos testes produco,

xime praesente corpore, nec eam Evangelistae festo [nec quidem primario, sed secundario] concedere. Ergo medio IX. saeculo nondum Reliquiae in hanc Basilicam advenerant, ac nonnisi exeunte eodem saeculo illatae fuerunt, ante scilicet scriptum ab Io: Diacono chronicum.

(126) In superiore Adnot. id tantum mihi sumpsi [aliunde in Diatriba praeliminari *De aetate marmorei Kalendarii* probatum] haec marmora non esse antiquiora medio nono saeculo, sive anno 840. Atqui nec vergente eodem saeculo posteriora sunt. Cur? quia eo saeculo declinante Translatio S. Restitutae contigit, post quam Translationem debuit festum die suo celebrari, maxime praesente corpore. Ergo Kalendarii factio nono declinanti saeculo antecessit. Quocirca medio IX. saeculo constructum fuit.

Digitized by Google

ſuco, in quibus ad ultimum ſic legitur:

Inde nobis [Reliquiarum theſaurus] *colendus traditur*,

Quo [ſupple *die*] *feſtivus hic dies agitur*.

Habes hujus hymni praeſidio poſterioris diei cauſam, h. e. poſterioris Tranſlationis diem fortaſſis detectum. Quae ſi vera, quemadmodum mihi perſuadeo, ſunt; jam duo illa argumenta [quae in Adnot. 125. & 126. conjeci] haud inepte (127) reviviſcent.

Haec de beata Reſtituta habui dicere ad Dei omnipotentis gloriam & hujus S. Virginis decus: quam ſupplex rogo, ut meis criminibus veniam a Divino judice, dum adhuc tempus indulgentiae patet, ſuis precibus exorare ne gravetur.

XVII N S MARCI EVĀG

MIra inſcriptio. Nam hujus Paſſio die XXV. Aprilis celebrata fuit. Hoc autem die vix ullum de Evangeliſta feſti veſtigium apud Graecos Latinoſque exſtitit. Niſi quod quemdam *Marcum* hoc die in Greveni Auctario *Epiſcopum & Martyrem* reperi: qui fortaſſis idem fuerit ac *Marcus Papa*, cujus meminit hodierno die Rabanus, & Beda non ſincerus, itemque Ms. Aquiſgranenſe & Colonienſe S. Mariae ad Gradus apud Bollandianos hoc die in praetermiſſis pag. 134. Atqui in his monumentis *Marcus Papa* non Romanus eſt intelligendus, ſed opinor Alexandrinus; ut ita ad Marcum Evangeliſtam percommode rediri queat, imo debeat. Etenim in Rabano & Beda interpolato is *Marcus Papa* aliis Martyribus Alexandrinis (ex Hieronymiano Mrologio hoc die notis) medius infertur, ut omnino & ipſe *Marcus Papa* (i. e. epiſcopus) Alexandrinus vulgo intellectus fuerit. Nam ceteroqui in ſerie Alexandrinorum praeſulum nullus omnino *Marcus* Sanctis adſcriptus: imo non ante ann. 799. quidam *Marcus II.* patriarchà ordinatus cernitur.

Sive autem idem ac Evangeliſta (ut equidem cenſeo) ille revera fuerit, ſive non; at inde certe occaſionem nacti ſunt Paſti noſtri, ut hodiernum Marcum pro Evangeliſta haberent. Sed & apud Bollandiſtas hoc die in praetermiſſis loco cit. non alius quam *Marcus Evangeliſta* hoc die colitur in Ms. Auguſtano, Labbaeano, & Tamlactenſi. Cujus Marci Bollandianis *peculiaris aliquis cultus videtur hoc die fuiſſe in Anglia: num Kalendarium metricum to. x. Spicileg. Acheriani, quatuor ſolum feſta in Majo notans, ſic finit menſem: Terquinis Marcus meruit pulſare Kalendis.*

Ex hactenus dictis intelligis, omnia eo tendere, ut aliquod feſtum Marci Evangeliſtae hoc die celebrari conſueverit, non quidem Paſſionis, ſed alterius generis: unde & *Natalis* nota in his Faſtis praeſcribitur.

(127) Secundum hanc alteram hypotheſim, ante Translationem Neapolitanam tum in inſula, tum etiam Neapoli S. Reſtitutae Natale (h. e. feſtum prioris Translationis in inſulam) diei XVI. affigebatur, utique quod eo die Reliquiae in inſulam perveniſſent. Deinde quia ejus corpus ex Enaria Neapolim die XVII. Maii tranſductum fuit, ejuſdem feſtum in XVII. tranſiit. His poſitis: quum ex citata Diatriba Ephemeridis marmoreae non ante ann. 840. conditae fuerint; neceſſe eſt nec Translationem Neapolitanam ante eumdem annum fuiſſe factam, quia in his Faſtis dies feſtivus ille antiquior (h. e. diei XVI.) non recentior huic Virgini aſſignatur. Quumq. eadem translatio decimo incunte ſaeculo jam contigerit (ex auctoritate ſcil. chronici epiſcoporum) dicendum erit inter medietatem & exitum noni ſaeculi epocham Translationis figendam eſſe. Sic prior argumentatio procedit.

Poſterior in hunc modum habet. Ajo Kalendarium marmoreum (quod anno 840. antiquius non eſſe alibi oſtendimus) ejuſdem ſaeculi medietate non eſſe poſterius. Nam ex ſuperiore argumentatione Translatio Neapolitana nono in exitum vergente ſaeculo contigit. Poſt hanc vero Translationem feſtum ex die XVI. in XVII. traductum fuit. Atqui in hiſce Faſtis adhuc feſtum diei XVI. haerebat. Ergo hujus Kalendarii conſtructio Translationi Neapolitanae (h. e. IX. ſaeculo vergenti) omnino praeceſſit.

Digitized by Google

XVIII N S EPAFRODITI EP̄I

S. *Epaphroditus Apoſtolus unus ex LXX. Chriſti diſcipulis* refertur die praecedente in Mss. Menaeis Mediol. Bibliothecae Ambroſianae: at de eodem in aliis Menaeis Mss.& in Synaxario manu exarato hodie agitur; quo die & *Aphrodinus* (ſed cor. *Aphrodiſius*) *diſcipulus* memoratur in Ms. Mrologio Arabo-Aegyptio Romani Maronitar. Collegii. De eodem quoque in aliis Graecor. libris occurrit memoria die VIII. & IX. Decembris itemque die XXIX. & XXX. Martii. Videantur de his Bollandiani ad XVII. & XVIII. Maii in praetermiſſis, & copioſius ad Acta S. Epaphroditi Epiſcopi Tarracinenſis ad XXII. Martii. Sed prae ceteris videatur accuratiſſ. Tillemontius in S. Paulo Artit.43. & Not.65.

Sane quum Paulus ad Phil.II.25. Epaphroditum Philippenſium *Apoſtolum* vocaverit; *Apoſtoli* vocabulum ſic accepit Theodoretus, quaſi Philippenſium is Epiſcopus fuerit. Quod non eſt, cur improbem: idque etiam Faſti noſtri ſecuti videntur, in quibus *Epiſcopi* dignitas huic noſtro tribuitur. Etſi non ignoro, quid Judaei *Sheluhim* h. e. *Apoſtolos* appellaverint: de quibus pleni ſunt Hebraiſtarum libri. Videatur Grotius ad eum ipſum locum Phil.II. 25.

Ceterum *Natalis* nota huic & praecedentibus diebus adſcripta ſatis arguit, haec feſta ad quidvis aliud, quam ad abitionis diem pertinere.

XVIIII P S PATRICII MĀR

LAetandum nobis eſt, quod Bollandiani ſocii ad XXVIII. Aprilis hujus beatiſſimi Prusae Epiſcopi Acta protulerunt ejuſmodi, quae non tantum Ruinartus & Tillemontius, ſed & doctiſſimus quiſque pro ſinceris habuerunt. Interim dolebant eruditi viri, athletae hujus tum aetatem, tum cathedrae (quippe quum Pruſa multiplex fuerit) ac paſſionis locum incerta penitus atque incomperta eſſe. Nos ea omnia ex non obſcuris indiciis viſi deprehendiſſe, hiſce qualibuſcumque repertis non fraudabimus cupidos rerum harum lectores. Quinque omnino Diatribis rem omnem tranſigemus. Prima προπαρασκευὴν (*praeparationem*) geographicam continet de pluribus Bithyniae Pruſis. Altera de epiſcopali ſede Patricii locoque martyrii item geographica diatriba erit. Tertia chronologica in martyris aetate verſabitur. Quarta in Acta animadverſiones dabit. Vltima de thermis atque ignibus ſubterraneis tractationem ex veterum Chriſtianorum ſententia complectetur.

ADMONITIO.

Diatriba I. quae ſequitur a geographiae veteris incurioſis praeteriri tuto poteſt. Quinimo hanc tranſiliri malo, quam accuſari me moroſae diligentiae. Verum in id quum totus intenderem, quo pacto S. Patricii tum ſedem, tum certaminis locum exſculperem; haec interim Diatriba inter meditandum domi nata, praetermitti non debuit, antiquitati illuſtrandae futura non inutilis.

DIATRIBA PRIMA.

De Pruſa quincuplici.

CAP. I.

Pruſae ac Pruſiadis inane diſcrimen exploditur.

In Pruſarum numero ac diſcrimine quum non tantum inter veteres geographos, ſed & recentiores parum conveniret; ad ultimum ſibi viſi ſunt rem acu tetigiſſe Salmaſius ad Solinum, & ex eo Cellarius in deſcriptione Bithyniae. Quorum praecipue hic alter contendit mordicus, Pruſas quidem duas in mediterraneis eſſe agnoſcendas, ad Olympum unam, alteram ad flumen Hypium; tertiam vero eſſe maritimam, quae non

Pruſa,

Digitized by Google

Prusa, sed *Prusias* sit appellanda. Videsis earum descriptionem atque discrimina apud virum doctissimum. Atqui & *idem* prorsus numerus ac distinctio in Ptolemaeo editionis Bertianae, quo utor, hodie cernitur. Verum utrum Πρυσίας *Prusias* maritima in Ptolemaei textu ex auctoris sui manu sit, est quod (128) dubitem.

At equidem hoc primum statuo, *Prusae* & *Prusiadis* nomina promiscue ab antiquis usurpata fuisse. Res enim, nisi vehementer fallor, sic se habet. *Prusa* substantivum nomen est pluribus homonymis Bithyniae urbibus commune. At eaedem omnes etiam adjectiva ac veluti patronymica usurpatione Πρυσιάδες (supple πόλις) h.e. *Prusiades urbes*, ab aliquo scilicet Prusia conditore, vocabantur.

Hujus animadversionis indicium mihi primus omnium Strabo fecit: apud quem urbs illa maritima [quam ex Stephano Salmasius Cellariusque vetant vocari *Prusam*, sed omnino *Prusiadem* dici jubent] modo *Prusa*, modo plena locutione Πρυσιὰς πόλις, urbs *Prusias*, alibi absolute *Prusias* nuncupatur: de qua sic ordditur. In quo [sinu Ciano] *Prusa* [Gr. Πρῦσα: quam lectionem (129) sollicitari nolo] *est, quae olim Cius dicebatur. Cium evertit Philippus Demetrii F. Persei pater; dedit vero Prusiae Zielae filio, eversionis socio, tum hanc* [Cium] *tum Myrliam vicinam ejusdem Prusae* [Gr. heic quoque Πρῦσιν non Πρυσιάδος: & tamen de ea loquitur, quae olim *Cius* dicebatur] *quas ille ex ruderibus excitatas, Cium quidem ab se urbem Prusiadem* [Gr. Πρυσιάδα πόλιν: nunc enim primum patronymica appellatione utitur] *Myrliam vero ab uxore Apamiam vocavit. Hic est ille Prusias, qui Hannibalem post Antiochi cladem ad se confugientem recepit .... Supra Prusiadem* (Πρυσιάδος: en iterum patronymica usurpatio) *mons est, nomine Arganthonius*. Locum integrum attulisse non piguit: ex quo intelligas, maritimam illam urbem, (quam nostri nunc scil. aliter quam *Prusiadem* dici vetant) modo primitivo substantivoque nomine

(128) In Ptolemaeo editionis Bertianae [Lugd.-Bat. an. 1618.] lib. V. c. ap. 1. inter maritima Bithyniae loca [& quidem inter Ascanii fl. ostia Ascaniamque Paludem ad Boream, interque Dascylium & Apamiam ad meridiem] Πρυσίας [quam ceteri omnes ὀξυτόνως scribunt Πρυσιὰς] recensetur quidem; sed tamen in textu Latino ejus nominis interpretatio & charactere Italico scribitur, & asteriscо praenotatur in hunc modum: * *Prusias*: quod argumento mihi est, id loci nomen in probatioribus codicibus defuisse. Accedit, quod in Ptolemaicis tabulis nusquam in tota ora Propontidis *Prusias* illa comparet. Ac Strabo quidem Prusiadis hujus maritimae meminerat: sed nec Plinius eam postea recensuit [contentus dixisse, in eo littore fuisse olim *Cium*, antiquius scil. Prusiadis nomen] nec junior Plinius Bithyniae rector in suis ad Trajanum epistolis, nec alii postea. Nam Stephanum, Eustathium, & grammaticos non moror: quibus non orbis faciem suo tempore habitatem describere, sed in antiquos scriptores commentari propositum erat. Videtur ergo maritima illa Prusias postea paullatim diminuta fuisse, ut impune a Ptolemaeo Plinioque omitti potuerit. At mox ea urbs, uti fit, ex Strabone in aliquot Ptolemaei codices intrusa videtur a sciolis. Heic paene oblitus fueram Jos. Scaligerum in Eusebianis Animadv. fateri se Prusiadem in Ptolemaeo non legisse, sed tantum Prusas duas, in quo immerito vir doctus ab eruditis carpitur, ex Bertiana scil. editione, quid Ptolemaeus scripserit, aestimantibus. Atqui Scaliger, qui ante eam editionem Eusebiana scripsit, in suo Ptolemaeo Prusiadem illam non reperit.

(129) Ad marginem ultimae Straboni editionis Hollandicae adnotatur, in aliquo Ms. legi Πρυσία, alicubi Πρυσιὰς. Verum recepta lectio non tantum tot saeculorum possessione ac scriptis melioribus se tuetur, verum etiam auctore Chrestomathiarum, qui ex Strabone sic adnotat: Ὅτι ἀπὸ Πρύσης πόλεως τὸ ἐθνικὸν Πρυσιεὺς λέγεται. *Quod ab urbe Prusa gentile* Πρυσιεὺς [*Prusieus*, Latine *Prusiensis*] *ascitur*. Atqui hoc in *Prusam* Olympenam cadere non potest, a quo fit Πρυσαεὺς cum A, ac non nisi in maritimam *Prusam* sive *Prusiadem* convenit; a qua re vera Strabo gentile hoc nomen formavit, ubi de ea haec ad ultimum posuit: *Prusienses* [οἱ ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ] *quod publice Romanorum amicitiam coluissent, libertatem sunt consecuti*. Ergo auctor Chrestomathiar. Πρῦσα non Πρυσιὰς in auctore suo legit.

Digitized by Google

Prusam, modo patronymice *Prusiadem urbem*, aut absolute *Prusiadem* dici. His accedit Etymologici M. auctor, qui de eadem sic loquitur: ἡ δὲ Κίος ἐστὶ πόλις, ἡ νῦν Προῦσιας ἡ Πρῦσα. *Cius urbs est, quae nunc Prusias aut Prusa* dicitur. Quid apertius?

Vides jam, urbem ἐπιβαλάσσιον (*maritimam*) quam saepe *Prusiadem* appellabant, etiam *Prusam* nuncupari consuevisse. Nunc operae fuerit eamdem *Prusae* & *Prusiadis* promiscuam usurpationem in ceteris duabus ostendere. Quarum quae vulgo *Prusa ad Olympum* vocari solet, ea ab imp. Domitiano (130) *Prusias* distertim vocatur: sicuti & eadem urbs *PRVSLAS juxta Olympum* quarto saeculo vocabatur, cujus episcopus in Concilio Niceno memoratur. Sed & *Prusa* altera ad Hypium fl. nihilo minus in Eusebii chronico *Prusias* (131) dicitur. Quid ergo relinquitur, nisi ut ea duo vocabula non ad urbes discriminandas invecta fuerint, sed omnium communia exstiterint, ac tantumdem sit habitum substantivum *Prusa*, quod patronymicum *Prusias*?

Sed Stephanus intercedit tamen, qui sic scriptum reliquit: *Prusa a Prusiade differt. Prusias enim est urbs Bithyniae, a Prusia Zielae filio, Bithynorum rege* (sic dicta) *antea Cius vocata: cujus civis* (Προυσιεὺς) *Prusieus* (sive *Prusiensis*). *Prusa vero* (ad Olympum) *& ipsa quidem urbs* (132) *parva Bithyniae, a Prusia qui cum* (133) *Cyro bellum gessit condita. Cujus gentile* (Προυσαεὺς) *Prusaeus, ut a Nyssa Nyssaeus*. Verum Ethnicographus non aliud quam ὡς ἐπὶ τολὺ (*quod plurimum in usu* olim fuisse putavit) his dictis sequitur. Ceterum re vera ea vocabula promiscuo in usu fuisse, abunde jam supra demonstravimus. Quid si ea hallucinatio non tam Stephani fuerit, quam ejus, qui eruditissimum Ethnicographum decurtavit? cujus demum tempore Prusa Olympena absolute *Prusa* vocari solebat, at altera ad Hypium simpliciter *Prusias*: de quo mox Diatriba seq. viderimus.

Interim quod accuratissimus Stephanus de nominibus gentilibus adnotat, id accurate ab omnibus observatum in libris, nummis ac lapidibus cernitur; in quibus perpetuo Prusae Olympenae cives Πρυ-

(130) Domitianus Aug. in ea epistola, quae Plinianae X. 66. subjicitur, sic scripsit: *Flavius Archippus philosophus impetravit a me, ut agrum ei DC* [h. e. DC. millibus sestertium] *circa PRVSIADEM PATRIAM SVAM emi juberem*. Atqui *Prusias* Archippi *patria* non alia certe fuit, quam Prusa ad Olympum, in qua Archippo huic controversia cum Dione fuit; cujus idem Plinius meminit X. epist. 35. sic Trajano scribens: *Quum Prusae ad Olympum... Domine publicis negotiis.... vacarem; Asclepiades magistratus indicavit, appellatum me a Claudio Eumolpo, quum Coccejanus Dion* [idem ac ille cognomento Chrysostomus, Prusiae hujus civis: quod facile possem ostendere] *in hule adsignari civitati opus, cujus curam egerat, vellet. Tum Eumolpus adsistens ARCHIPPO dixit exigendam esse a Dione rationem operis, antequam reip. traderetur, quod aliter fecisset ac debuisset* &c. Ex quibus vides, Archippum se non aliter quam pro cive Prusae Olympenae gessisse in hac de opere publico controversia. Igitur Prusa ad Olympum patria Ei Archippi fuit; quam tamen Domitianus patronymice *Prusiadem* vocaverat.

(131) In Hieronymiano Eusebii chronico ad ultimum Olympiadis XXVII. annum sic adnotatur: *Prusias condita*. Atqui haec urbs diversa ab Olympena Prusa fuit; haec enim Prusiae illius opus exstitit, qui sive cum Croeso [ex Strabone] sive cum Cyro (ex Stephano) bellum gessit, sive potius Prusiae illius, qui *Cienum* (uti emendat Palmerius) expugnavit. Atqui utcumque statueris, certe immanis erit ab Olympiade 37. ad Prusiam Prusae Olympenae conditorem hiatus. Quocirca non alia in Eusebio urbs intelligenda venit, quam celebratissima illa ad Hypium amnem Prusa, cujus conditus (a nemine praeter Eusebium traditus) antiquissimus fuit, aequalis Anci Martii Regis Romani temporibus.

(132) Male πόλις μικρὰ (*urbs parva*) Stephano vocatur: cujus βουλὴ (*senatus*) ex centum delectis viris (teste Dione Chrys. or. XLV. pag. 515.) constabat: quae tot viros illustres protulit: in qua tot opera publica Plinius junior recensuit. Nisi quod Stephani aetate eam valde imminutam fuisse necesse est.

(133) Pro Κύρου legendum esse Κίγου contendit Palmerius: de quo infra.

Digitized by Google

Πρυσαεῖς (134) vocantur, aliarum vero cognominum urbium Πρυσιεῖς. Hactenus de nomine quaestio.

CAP. II.

De quincuplici Prusa Bithyniae.

Ad numerum Prusarum transeo. Vulgo, uti dicebam, tres ex Salmasio & Cellario recensentur: una in ora Propontidis (quam *Prusam* appellari vetant, *Prusiadem* vero jubent: immerito, ut ostendimus) in mediterraneis vero duae, quarum una *Ad Olympum* discriminis causa cognominatur, altera *Ad Hypium*. Atqui duas praeterea alias incertae positionis ut admittamus, marmor Ligorianum (haud dubie (135) sincerum) omnino cogit. Refertur id marmor a Muratorio pag. 1073. 5. 6. & 1074. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Totidem enim praegrandis tabulae (quae in S. Laurentii in Lucina exstitisse dicitur) fragmenta erant: quae frusta totidem periochas complectuntur, in quarum singulis singulae Bithyniae urbes cum quodam (cujus praenomen *Lucius*, cognomen *Rufus* alicubi est) in patronum adscito jura clientelae ineunt, intervenientibus civitatium singularum legatis.

Ac duo prima fragmenta sic habent, ... RVFO. PRVSAIS (recto casu plurali, Graeco more) AB. OLYMPO. PATRONO. Deinde hoc ipsum verbis aliis Graece in hunc modum ponitur: ΤΙΩΙ (136) Πρυσαεις απο (137) Ολυμπου· πατρωνι (138) και ευεργετη· πρεσβευοντος Δημοφιλου Ασκληπιαδου. H. e. *Filio Prusaei ab Olympo patrono & benefactori, legatum agente Demophilo Asclepiadis* (139) *filio*.

Tertium fragmentum tale est. PRV-SIEN-

(134) Nisi quod Philostratus hujus urbis novum gentile nomen usurpavit, cui Dion Chrysostomus Πρυσαιος dicitur; qui tamen aliis omnibus rectius Πρυσαεις nuncupatur.

(135) Hoc non adnotarem, nisi Ligorianis monumentis vulgo a viris doctis obtrectari cernerem. Verum haec saltem fragmenta eas pro se habent sinceritatis notas, quae vix in alio quocunque monumento deprehenderis. Mitto quod unum ex his fragmentis inter Doniani marmora dederit Gorius pag. 206.

(136) Istud Τιῳ (*filio*) quod non semel legitur, ostendit, patrem simul ac filium in patronos adscitos. Vide infra ad illud *Asiuic* fragmento IV.

(137) Semper ΑΠΟ in his marmoribus ponitur pro eo quod in ceteris Πρὸς Ολύμπῳ, Προς Ὑπίῳ scribitur. Hic est Ολυμπος Μύσιος (Mysius Olympus) uti Strabo loquitur.

(138) Πατρωνος h. e. *Firmi Patroni* ac Bithyniae proconsulis mentio fit in nummo Claudii a Nicomediensibus cusi. In Cyrilli Glossis Πάτρων est quod Latinis *Patronus* dicitur.

(139) Prusae ad Olympum non unum Asclepiadem inclaruisse reperio. *Asclepiadis* cujusdam *magistratus* meminit Plinius X. ep. 85. fuit & ex eadem urbe medicus ille Asclepiades (qui si non est idem ac praecedens Plinianus, at certe concivis & aequalis fuit, quia utrique sub Trajano vixit) cujus meminit Reinesii [XI. 4.] inscriptio ejusmodi: *C. Calpurnius Asclepiades PRVSA AD OLYMPVM medicus, parentibus & sibi & fratribus civitates VII. a Divo Trajano impetravit, natus III. Nonas Martias Domitiano XIII. Cos. Eodem die quo & uxor ejus Veronia Chelidon. cum qua vixit ann. LI. studiorum & morum causa probatus a viris clariss. adsedit magistratibus pop. R. ita ut in aliis & in prov. Asia custodiar. . . . . in urna judicum. Vixit ann. LXX.* Videndus in eam inscriptionem pulcherrimus Reinesii commentarius, in quo & suae *Historiae Medicorum* meminit, quam maximo reip. damno amissimus, non secus ac Dominici Aulisii eruditissimi J. C. Neapolitani doctissimam Medicinae historiam, quam auctoris manu exaratam memini ante annos XX. me aliquando vidisse. Nunc quid ea factum sit ignoramus: nisi quod in V. C. Blasii Garofani, nuper denati, manus eam perveniisse dicitant. Ad Reinesium redeo; qui in hujus elogii commentario sex nobiles Medicos nomine Asclepiades recensuit; quorum quartum hunc C. Calpurnium (de quo marmor suum loquitur) ponit. Eorum autem primus ille est, cujus meminit Galenus in Isagoge: Ασκληπιαδης, βιθυνὸς Κιανὸς, ὃς καὶ Πρυσιεὺς ἐκαλεῖτο. *Asclepiades, Bithynus, Cianus, qui & Prusiensis dicebatur*, nobilissimus sane medicus. At hujus illum, de quo marmor Reinesii loquitur, Asclepiadem non tantum *gentilem* & *for-*

SIENSES. AB . . . . . PATRONO. Mox ſtatim Graece ſic ſequitur. ΤΙΩΙ . . . . υοι πατρωνι και ευεργετη διατηρησβιευσας Αρτεμιδωρου του Αρτεμιδωρου. h. e. *Filio . . . . . ni* (fort. in marmore erat ΠΡΟΥΣΗΝΟΙ (140) *Pruſeni*] *patrono & benefactori, legatum agente Artemidoro Artemidori filio.*

Quarti fragmenti verſus primus ejuſmodi ponitur,

. . . . . O. L. F. H. . . . . (141)

Mox verſus alii ſic concipiuntur: PRVSIEN-

fortaſſe nepotem (quorum utrumque haud aegre fieri potuit) ſed & *civem* Reineſius facit. Falſo. Nec enim vir doctus animadvertit, quid interſit inter Pruſam ſive Pruſiadem maritimam, quae antea *Cius* vocabatur, cujus gentile eſt Προυσιεύς; & inter Pruſam Olympenam, cujus ἐθνικὸν ſit cum Α Προυσαεύς: hujus civis Calpurnius Aſclepiades fuit, illius autem Galenicus Aſclepiades; qui proinde ſive *Cianus*, ſive Προυσιεύς (*Pruſienſis*) nuncupabatur. Nam etſi *Cius* jubente Pruſia illo Hannibalis hoſpite in *Pruſiadis* nomen tranſierat; tamen vetus nomen ferme praevaluit: quo fit ut Mela, Plinius, Procopius in ora Propontidis *Cii* meminerint, de *Pruſiae* aut *Pruſiadis* nova appellatione non meminerint.

(140) Illud . . . . NOI ut Προυσηνοὶ legi poſſit, illud facit, quod ſupra in eodem fragmento Latine eſt PRVSIENSES: cui voci ſuum gentile Graecanicum mox reſpondere oportuit. Pertinet igitur hoc ſtruſtum ad *Pruſam* aliquam, cujus gentile Προυσηνὸς (*Pruſenus*) fuerit, diverſam ſane ab iis tribus Pruſis, quas adhuc novimus.

(141) *De eo, cui haec marmora inſcribuntur, conjectio.*

Doleo, quod verſu primo tum gentilitii nominis, tum etiam cognominis patroni hujus jactura facta eſt; ſervato tantum praenomine *Lucii*, quod & pater ejus, & ipſe quoque gerebat, uti conſtat ex eo, quod mox ſequitur, Λευκίου. Sed & cognomen RVFVS ſi minus in hoc fragmine, at in aliis certe pluribus ſervatum fuit. Porro illud H. quod hoc primo verſu legitur, videtur ad tribum pertinere, quae in hujus generis elogiis raro omittitur. Eaque HORatia eſſe debuit, quae ſola ab aſpiratione incipit. At nomen gentilitium reſtituere difficillimum fuerit; praeſertim quum *Rufi* cognomen non unius aut alterius gentis, ſed plurium commune exſtiterit.

Sed tamen quia anno Chriſti XCVII. cum Imp. Nerva III. conſule *L.* [non *P.* ut in Muratorianis Faſtis pag. 315. legitur] *Verginius Rufus* conſul & ipſe III. proceſſit [qui & eodem anno occubuit, immortalis memoriae vir] videndum an non huic poſita haec elogia fuerint; ſi modo ad unum omnia ſint referenda. Itaque dum certiora quis attulerit, poterimus interim hoc ſupplemento uti, quo tamquam temporario tigillo primus hic verſus [a quo videntur omnia haec fragmenta initium cepiſſe] ſulciatur; qui ſic legi poteſt. *L. Verginio L. F. Horatia* [tribu] *Rufo*. Sed interim alia ſupplementa tentemus.

Quid ſi enim potius de Rufo aliquo ſit cogitandum, qui proconſul Bithyniae fuerit? Nam provinciarum rectores bene adminiſtrata provincia, aditum ſibi facilem ad patronatum pateſaciebant. Sane ſub Trajano inter centeſimum Chriſti annum & Plinii legationem Bithynicam quidam *Varenus Rufus* in ejuſdem Plinii epiſtolis memoratur. Verum ad hunc marmor Ligorianum referri non poteſt; quia Varenus ex provincia reus rediit, provincialibus accuſantibus, ut ex pluribus Plinianis epiſtolis colligitur.

Quare multo demum eſt veriſimilius, ad *Gellium Rufum* fragmenta iſthaec eſſe referenda. Hunc enim ſub Claudio principe Bithyniae fuiſſe rectorem, oſtendit Meſſalinae nummus pulcherrimus apud Vaillantium in hunc modum inſcriptus: Γέλλιος Ρουφος ανθυπατος Νικαεων, *Gellius Rufus proconſul. Nicaeenſium*. Quare licebit eum verſum ſic conſtituere: *L. Gellio L. F. Horatia Rufo*.

Etſi vero hujus Gellii Rufi praenomen neſcitur; ſatis tamen veriſimile fit, fuiſſe praenominatum *Lucium*, ac fortaſſis ad L. Gellium illum, qui anno ante Chriſtum LXXII. cum Cn. Lentulo conſul fuit, genus ſuum retuliſſe. Vtut eſt, de hoc Gellio Rufo Bithyniae, uti dixi, proconſule ſuſpicor haec fragmenta loqui; a quo fortaſſis provincia bene adminiſtrata, a Bithynis aliquot civitatibus ipſe cum ſuo filio cooptati in patronos fuerint. Sicuti & in ejuſdem Claudii nummo [apud Vaillant.] *Firmus* quidam occurrit, qui non tantum Bithyniae proconſul ſed & Nicomedienſium patronus inſcribitur in hunc modum: Επι φιρμου ανθυπατου πατρωνος της μητροπολεως Νικαεων. h. e. *Sub Firmo proconſule patrono Metropolis Nicomedienſium*. Quod ſiquis illum Gellium Rufum ex Horatia tribu fuiſſe oſtendere poſſit, tum demum huic ſupplemento fides major accederet. Interim & Verginii Rufi, de quo ſupra, nihilo minus incerta eſt tribus.

Digitized by Google

SIENSES. AB. HYPIO. PATRONO. Ac ſtatim Graece ſic ſequitur: Λευκίῳ (142) Προυσιεις απο Τιτιων των τατρωνι και ευεργετηι, πρεσβευοντων Μενεμαχου του Κασσανδρου Αριστονικου Τιμοκρατους. h.e. *LVCII* (ad cujus ſcil. honorem haec periocha pertinere ſignificatur) *Pruſienſes ab Hypio patrono & benefactori, legatione ſungentibus Menemacho Caſſandri* filio, *Ariſtonico Timocratis* filio.

Quintum ejuſmodi eſt. PRVSIENSES. AB . . . . . PATRONO. Ac ſtatim adſcribitur. Προυσιεις απο . . . . . τατρωνι και ευεργετηι πρεσβ . . . . Δημητρ . . . . . Αναχ . . . . . *Pruſienſes ab . . . . patrono & benefactori, legatione ſungentibus Demetrio . . . . . Anach. . . . . .*

Sextum ſic incipit. PRO . . . . . PRVSIENSES. AB. MARE. PATRONO. Graece ſtatim adſcribitur: Ρουφωι Προυσιεις απο θαλασσης τατρωνι και ευεργετηι πρεσβευοντος Αγριαν του Ζωιλου. h.e. *Ruſo Pruſienſes ab mare patrono & benefactori, legatum agente Agria Zoili filio.*

Mox ſeptimo & octavo fragmento eadem de (143) *Antiochenſibus*, *Apamenis*, & *Nicomedienſibus* notantur, quae ad rem noſtram nihil attinent.

Interim vides ex hoc marmore quinque *Pruſas* ſive *Pruſiades* memorari, quarum quae ad Olympum fuit, ea tantum gentile ſuum προυσαις per A efficiebat, Stephano teſte: quocirca recte in marmore cives ejus urbis non tantum Graece προυσαις, ſed & Latine PRVSAIS inſcribuntur. At ceterarum quatuor urbium gentile Latinum commune omnium PRVSIENSES eſt, Graecum vero προυσαις per I. Niſi quod fragmento tertio illud . . . . NOI videtur fuiſſe προυσυνοι.

Et illae quidem, quae integre ſcribuntur, notae ſunt urbes. Nec enim obſcura eſt *Pruſa ad Olympum*, *Pruſa* ſeu *Pruſias ad mare*, ac *Pruſa ad Hypium*; etſi in hoc marmore pro AD ſive προς eleganter AB & απο uſurpatur, non praeter morem. At ceterae duae, in quibus diſcriminans illud additamentum invidit aetas, difficiles ad inveniendum ſunt. Sed tamen tentemus aliquid.

Harum unam inveniſſe Palmerius videri poteſt, illam ſcil. quae antea *Cierus*, Memnone teſte, vocabatur: de quo videnda omnino ſunt, quae vir doctus adnotat ad Strabonis lib. XII. ubi de Bithynia. Sed ut rem univerſam in pauca contraham: Memnon apud Photium narrat in hunc modum: *Pruſias Bithynorum rex* (primus, qui cognominatus eſt (144) *Claudus*) *ſtrenuus* (Gr. δραστηριος) *ac multis clarus facinoribus, cum ceteris* (urbi-

(142) Λευκίῳ i. e. *Lucii*, illius ſcil. quem ſibi patronum Pruſienſes cooptarunt. Sollemne hoc eſt in dedicatoriis titulis, nomen ejus, cui titulus ponitur, initio praeponere caſui patrio.

(143) Mirum quod cum Apamenis Antiocheni junguntur in hunc modum, ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΑΠΑΜΕΙΣ ΠΑΤΡΩΝΙ &c. *Antiocheni Apameni patrono* &c. Et *Apamenos* quidem in Bithynia novimus. At in eadem provincia Antiochiam nullam noſſem, niſi [quidquid eſt antiquitatis ſilente] tantum vetus illa Peutingeri tabula in Propontide prope os Boſpori mihi quamdam inſulam e regione Apameae offenderet cum hac epigraphe: INS. ANTIOCHIA. Merito in hoc marmore Antiocheni cum Apameis nectuntur.

Nec vero obſcura haec inſulana Antiochia fuit: nam ibi duae Codicis Th. leges datae fuerunt . . . .

(144) Tres non amplius Bithynorum reges nomine *Pruſias* ex antiquitatis teſtimonio novimus. Primus ex Memnone apud Photium innotuit, qui Χωλῶ [*Claudi*] cognomen ex lapſu quodam conſecutus, δραστήριος ab eodem vocatur. Alter Zielae filius, & Hannibalis hoſpes, is eſt, qui cum Philippo urbes Cium & Myrleam evertit, qui mox illam *Pruſam*, hanc *Apamiam* tranſnominavit; ut ex Strabone diſcimus. Tertius ille eſt, qui Κυνηγὸς cognominatus fuit; qui, ut ex Appiani Mithridaticis diſcimus, pileatus ac raſo capite, ſeque uti libertum populi Rom. gerens, riſus de ſe praebuit, regis nomine ac faſtigio indigniſſimus. Videatur de his tribus Pruſiis Alex. Tollius ad Appiani Mithridaticum pag. 170. & Spanhemius Diſſert. VIII. de praeſt. & uſu num. pag. 513. & 514. Ac plura ſunt *Pruſiarum* regum numiſmata, ſed ſine ullo inſcriptionum diſcrimine; ſub diverſis tamen vultibus, ita ut facile diverſos fuiſſe principes agnoſcas.

Digitized by Google

(urbibus) *etiam* [Κίεφον] *Cierum Heracleotarum ſibi bello ſubjecit, eam pro Ciero* [de ſe] *Pruſiadem vocari jubens.*

At heic vero reclamant poſt Caſaubonum viri docti, putantes in Memnonis textu male nunc Κίεφον *Cierum* legi, quum re vera Κίον legendum ſit, teſte [uti volunt] Strabone lib. XII. in Bithynia ubi ſic ſcribit: *Aſtaceno ſinui adius eſt contiguus, maxime verſus orientem ſolem penetrans: in eo Pruſa eſt, quae olim* Κῖος *Cius dicebatur. Cium evertit Philippus Demetrii filius, Perſei pater. Dedit vero Pruſiae Zelae* [imo *Zielae*, Ζιήλα, ut in Stephano & alibi recte legitur] *filio, qui in ea evertenda ipſum juverat, tum hanc* [Cium] *tum Myrliam urbem Pruſae* [Olympenae] *vicinam. At ille* [Pruſias] *ambas e ruderibus excitatas, Cium quidem ab ſe Pruſiadem, Myrliam vero ab uxore Apamiam cognominavit.* De eadem re videndus eſt Stephanus, apud quem Κῖος cum diphthongo ſcribitur.

At hanc objectionem Palmerius diluit, contendens, aliam fuiſſe *Cium*, quam Pruſias Zielae filius *Pruſam* aut *Pruſiadem* tranſnominavit; aliam *Cierum* Heracleoticam, quam alter antiquior Pruſias a ſe expugnatam *Pruſiadem* cognominaverit. At hic antiquior Pruſias non tantum *Cieri* nomen in Pruſiadem commutavit, verum etiam *Pruſam* illam Olympenam omnibus notiſſimam a fundamentis condidit: de qua ſic Strabo ſcriptum reliquit. *Pruſa alia ad Olympum Myſiae poſita eſt, urbs optimis* (145) *utens legibus, Phrygibus Myſiſque finitima, ab illo Pruſia condita, qui contra Croeſum bellum geſſit.* Haec ultima Graece ſic ſcribuntur, ἣ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντα. At Stephanus in πρώσα pro Κροῖσον habet Κῦρον, haud dubie, quia ſua aetate ſic in Strabone legebatur. Sed neutrum verum eſſe, docet Palmerius, quia nec Croeſi nec Cyri [ne junioris quidem] aevo ullus erat Bithynorum rex, non modo Pruſias ullus. Quocirca non dubitat, quin Κίεφον ſit in Strabone atque Stephano reſtituendum ex Memnone. Ex Κίεφον [ignota librariis urbe] factum eſt prius Κῦρον: ex quo poſtmodum alii Κροῖσον fecerunt.

Ergo triplex admittenda eſt ſive *Pruſa* ſive *Pruſias*, una παραβαλάσσιος, ab juniore *Pruſia* ſic vocata, quum antea Cius diceretur, altera ab ſeniore Pruſia Claudo ad Olympum condita, tertia vero ab eodem hoc rege *Pruſias* tranſnominata, quum antea *Cierus* vocaretur. Verum ne ſic quidem auximus *Pruſarum* numerum, ſi Palmerii rationibus ſtamus; qui hanc ultimam eamdem facit, atque illam, quae *Hypio* [Hippiam male vocat Palmerius] flumini immineba[illegible]. Nec ſimilitudo veri deeſt, quia *Cierus* illa Heracleotis ſuberat, a quibus *Pruſa ad Hypium* haud longe aberat. Verum quum marmor Ligorianum quinque diverſas *Pruſas* ſive *Pruſiades* adſtruat; potuit ſane illa ex Ciero poſtmodum dicta *Pruſias* fuiſſe diverſa a Pruſa ad Hypium, ſed huic tamen vicina, ac facile inter hanc atque Heracleam [cui antea ſubjacebat] ſita. Accedit & illa potior multo ratio, quod Pruſa ad Hypium antiquiſſimae (146) fundationis erat, incidens in Anci Martii aetatem; a qua ad Pruſiae Claudi aevum [qui ex Ciero Pruſiadem tranſnomina-

(145) Graece eſt πόλις εὐνομμένη i. e. *optime inſtituta civitas*: quod verum fuiſſe oſtendunt tum Plinianae epiſtolae [X. 85. & quae cum ea cognationem habent] tum Dionis orationes illae, quae in patria dictae fuerunt, praecipue ubi or. 45. de centumvirorum, ex quibus bule conſtabat, pauca tangit.

(146) Equidem ſic ſtatuo Pruſam illam, ſive Pruſiadem, cujus conditum Euſebius ad Olympiadem XXVII. refert, non aliam fuiſſe, quam illam, quae Hypio amni inſidebat. Vt ſic cenſeam, non illa tantum me movet ratio, quod ceterarum initium eſt valde recens, quia ad diquem ex Pruſiis [uti ſupra oſtendimus] refertur: verum id potiſſimum, quod in Euſebii chronico abſolute *Pruſias* ſine additamento vocatur. Atqui ſola illa ad Hypium, quippe ceterarum cognominum mater [unde in Triſtani nummo ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ob antiquitatis praerogativam inſcribitur] abſolute *Pruſa* ſive *Pruſias* vocabatur: id quod infra §. 2. ex Plinio utroque oſtendetur.

Digitized by Google

minavit] abnormis est temporum hiatus. Quocirca a Prusa ad Hypium [antiquissima omnium ejusdem nominis urbium] diversa prorsus habenda est Prusias illa, quae antea Cierus vocabatur; sed haec tamen in eadem vicinia fuerit oportet, quia Heracleotis [qui proximi ad ortum habitabant] fuberat. Atque haec fortassis Prusa illa fuit, quam Plinius, antequam ei vulnus ab Harduino correctore imponeretur, sub *Hippio monte* posuerat, diversam a celebriore Prusa, quam proxime recensuerat. De eo Plinii loco vide ad finem §. hujus. Hoc modo Prusiadem quartam lucrati videbimur, neglectam geographis, quod forsitan sub Caesaribus infrequens & obscurior evasisset.

De quinta nunc cogitandum. Plinius V. 32. *A Cio intus in Bithynia PRVSA ab Hannibale sub Olympo condita*. Atqui heic falli Plinium viri docti expostulant; quia Prusam Olympenam non Hannibal, sed Prusias condiderat, ut ante diximus. Imo ne ille quidem Prusias, qui Hannibalis aequalis fuit [ne forte obtendas eidem urbi utrumque operam impendisse; eoque factum ut illam alii Hannibali, alii ejus hospiti Prusiae tribuerint] eam fundavit, sed ille senior Claudus, qui Cierum expugnaverat. Quid ergo est? falsus ne Plinius fuit? Non puto. Equidem in Peutingeri tabulis segmento VI. qua parte Bithynia exhibetur, *Prusiadem* quamdam in mediterraneis reperio positu tali, ut ea tum a maritima Prusiade sive Cio, tum etiam ab Olympena Prusa sit omnino (147) distinguenda. Haec ergo illa Prusa sive Prusias fuit, quam Hannibal condidit. Sive ut clarius dicam, duplex sub Olympo Prusa fuit: propior & celebrior una, Prusiae Claudi opus, *σύνομμα* Straboni appellata: altera remotior, Hannibalis opus & ignobilior. At Plinius sive ignobilioris tantum meminit; sive utramque confudit. Sed utut est; Peutingeriana *Prusias* diversa omnino est tum ab Olympena Prusa, Prusiae senioris opere, tum a Prusa sive Prusiade maritima, quae antea Cius vocabatur. En qua potuimus, quinque diversas Prusas adseruimus, Ligoriano marmori illustrando perneccessarias. Eadem vero opera *Prusae* ac *Prusiadis* inane prorsus discrimen de medio sustulimus, male a Stephano Ethnicographo invectum. Nulla enim ex quinque his urbibus est, quae non promiscue modo *Prusa*, modo *Prusias* vocata reperiatur: quod exempla, quae recitavimus, palam faciunt.

Vtinam vero pari fiducia, qua ceteras Prusas duas in obscuro latitantes in apertum protulimus, possemus & notas discriminantes eas, quae post Απο aut post AB in fragmentis Ligorianis sequebantur, eidem marmori restituere. Verum si datur augurio locus; in uno fragmento legi potest

(147) In Peutingerianae tab. segmento VI. hoc ordine legitur: LAC. ASSON. [i. e. Lacus Ascanius] CIO XV. PRVS. AD OLYMPVM. Infra vero lacum Ascanium hoc ordine: LAMASCO XX. PRVSIAS XXI. Ex his vides, eam quae ibi PRVSIAS appellatur, diversam esse tum a Prusa Olympena, tum etiam a CIO h. e. Prusiade maritima. Nec refert, quod illud CIO in mediterraneis ponitur; nam quum illud CIO auferendi casu scribatur, non situm ibi designat, sed distantiae notandae servit.

Quod ad hanc *Cium* attinet; obiter adnoto, non immerito in hac tabula [quae aevo Theodosiano facta creditur] *Cium* potius vetere nomine, quam *Prusiam* aut *Prusiadem* novo dici. Sic enim se res habet. Illa olim *Cius* vocabatur. At Prusias Hannibalis hospes ex *Cio Prusiadem* vocari jussit. Interim quia inter tot Prusas id confusionem pariebat, vetus nomen alii usurpare malebant, uti Mela ac Plinius; alii utrumque jungebant, uti Galenus supra testis productus, ubi de medico Asclepiade. At postea IV. labente saeculo Nicenae I. Synodo *Cyrillus episc. Cii* subscripsit, & in CPolitana sub Agapito & Menna *Hediscus* ejusdem *Cii* se episcopum facit. Atque aevo potissimum Theodosiano ac deinceps solum *Cii* nomen invaluit, uti constat non tantum ex Peutingeri tabula [in qua *Cio*, non *Prusiade* scribitur] verum etiam ex Hieroclis *Synecdemo*, aliisque Graecis Notitiis, in quibus in Bithynia *Cius* [non *Prusias*] recensetur. Nam *Prusa* quae in eisdem legitur, est illa ad Olympum, quae hodie *Bursa* vocari fertur.

Digitized by Google

teſt *AB Lacu*, Aſcanio ſcil. infra quem lacum PRVSIAS Peutingeri tabulae ſeſe offert. Altero vero ſuppleri forſan poſſit *AB Hippio* [ſeu *Hypio*] *monte*, duce Plinio, qui Pruſam quamdam ejus additamento montis diſcriminaverat his verbis: *Item altera* [Pruſa] *ſub Hippio monte*. Verum hic locus quia non uno modo diſtinguitur, diligentiorem curam a me requirit.

Apud Plinium V. 32. in Harduini editione [ſegm. 43.] ſic legitur ac diſtinguitur: *Inde Nicaeam XXV. millia paſſuum, interveniente Aſcanio lacu. Deinde Nicaea in ultimo Aſcanio ſinu, quae prius Olbia: & Pruſa item altera ſub Hypio monte.* Eadem diſtinctione haec ultima verba donavit Salmaſius ad Solinum [pag. 877. edit. Pariſ.] & [ne quid diſſimulem] elegans & perantiqua Plinii editio curante Alex. Benedicto Veronenſe ann. 1507. edita, quae apud me eſt, haud ſecus diſtinguit. At ultima Plinii verba in aliis editionibus, ac praeſertim in Leidenſi Hackiana cum notis Var. [an. 1669.] multo aliter diſtinguebantur in hunc modum: *Nicaea .... quae prius Olbia, & Pruſa: item altera* [Pruſa ſcil.] *ſub Hippio monte*.

Heic ego, quod Salmaſius, & mox Harduinus pro *Hippio* excuderint *Hypio*, minus queror: etſi poterat eſſe mons *Hippius* (148) ſive diverſus ab amne & monte *Hypio*, ſive unum idemque nomen diverſe ſcribi, quod in geographicis nominibus uſuvenit: & omnino ſcriptis omnibus, in quibus eſt *Hippio*, debebatur haec reverentia, ne quid ſecus ſcriberetur, niſi lectore ſaltem in notis admonito. Verum id non queror. At quod diſtinctione tranſpoſita, Pruſa una textui Pliniano deperierit, in eo queror, debuiſſe ſaltem admoneri lectorem diſtinctionis alterius, nec fas eſſe editoribus cuncta pro imperio adminiſtrare, ſed dandum eſſe lectoribus, ut in re integra pro ſe quiſque de lectione aut diſtinctione judicet.

Omnino autem ut ad rem noſtram deveniam, Ligorianum marmor, uti dicebam, praeter notiores tres Pruſas, duabus aliis indiget. Earum unam ex Peutingeri tabula, lacus Aſcanii nota jam diſcriminavimus. Alteram poteramus ex hoc Plinii loco, ad *Hippium* [ſeu ſi mavis *Hypium*] *montem* διορίζειν; ſi modo antiquus diſtinguendi modus retineatur hujuſmodi, *Et Pruſa item altera ſub Hippio monte*. Nam re vera videtur Plinius praeter Olympenam Pruſam a ſe initio deſcriptam, duas alias agnoviſſe, unam abſolute & ſine διορισικῷ additamento *Pruſam* vocatam [quam eſſe celeberrimam illam & antiquiſſimam ad flumen *Hypium*, mox Diatr. II. conjiciemus ex Plinio Juniore, cui eadem abſolute *Pruſa* vocatur] alteram vero obſcuriorem ſub monte ſive *Hippio* ſive *Hypio*. Nam quemadmodum duas Nicaeas proxime deſcripſerat, praeter ceterorum geographorum opinionem, unam agnoſcentium; ſic duabus Nicaeis [veris an falſis, mea nunc non intereſt] ſubjecit & Pruſas duas, conſueta utens breviloquentia hujuſmodi: *Et* [illa ad Hypium flumen] *Pruſa: item altera ſub Hippio monte*.

Haec

(148) Potuit quidem mons *Hippius* eſſe. At interim quia Apollonii Scholiaſtes montes quoſdam agnovit *Hypios* a quibus *Hypius* amnis deferatur; non gravabor ſi in Plinio pro *Hippio* ſcribatur *Hypio*, modo id praemonito lectore fiat. Scholiaſtes ille ad Apollonii lib. II. v. 397. *Hypius amnis ſic appellatur* [ἀπὸ τῶν καταῤῥεόντων ἀπὸ τῶν Τπίων ὀρῶν] *quod ab Hypiis montibus deferatur*. Sed & Stephanus in Τμῶλος, praeter amnem ejus nominis, etiam Τμῶλον [*Hypium*] urbem, & Τμῶλα ὄρη (*montes Hypios*) memorat.

Ceterum quum in ſcriptis veterum auctorum codicibus, ubi hujus amnis aut montis eſt mentio, id nomen modo ſaepius cum I, modo etſi rarius cum Υ initiali ſcribatur, utraque vero ſcriptura modo ΠΙ duplicet, modo ſimplici conſona gaudeat; nihil prohibet, quo minus utraque ſcribendi ratio olim uſurpata videatur: nec in nominibus geographicis multiplici ſcribendi modo quidquam eſt familiarius. Sed & Veri nummum laudat Salmaſius inſcriptum, ΠΡΟΥΣΙΑΝ ΠΡΟΣ ΤΜΩΛΩ: quem tamen in Vaillantii nummis L. Veri non reperio.

Digitized by Google

Haec autem [quae per notam Hippii montis discriminatur] eadem fuisse mihi quidem videtur, atque illa, quam supra ex Memnone adstruximus, quae *Cierus* antea vocabatur; quam mox Prusias ejus nominis primus, cognomento *Claudus*, a se expugnatam, *Prusam* seu *Prusiadem* transnominavit. Nam quia Cierus illa *Heracleotis* suberat, in Heracleae vicinia esse debuit. Habes hactenus Prusas diversas quinque non tantum auctoritate constabilitas, sed & suis notis distinctas, Ligoriano marmori intelligendo peropportunas.

Atqui eas jam licebit omnes uno sub aspectu proponere. Vna est omnium antiquissima ad amnem *Hypium*, quae in Chronico Eusebii Olympiade 27. condita dicitur. Huic proxima illa est, quam Plinius *sub Hippio monte* statuit, Prusiae Claudi opus, qui eam ex *Cierо* Prusam transnominavit. Atqui & idem Prusias Claudus tertiam illam celebratissimam ad Olympum condidit. Huic quarta subjacet, quam Peutingeri tabula Ascanio lacui admovet, quae fuisse mihi videtur illa, cujus conditum Plinius Hannibali tribuit. Quinta tandem erit illa *ad mare*, quam Prusias Zielae filius [Hannibalis hospitio celeber] ex *Cio* mutato nomine *Prusam* sive *Prusiadem urbem* nominavit, quae postea priore nomine *Cium* dici [illegible] maluit.

DIATRIBA II.

De cathedra ac palaestra Patricii.

CAP. I.

Quaenam ex hisce cognominibus urbibus S. Patricii sedes fuerit.

Ex huc usque recensitis homonymis urbibus duae supra ceteras eminebant, Prusa ad Olympum, & altera ad amnem Hypium: quantum quidem ex nummis (149) & ex Plinii epistolis potest intelligi. Sed & utraque tempore Nicenae Synodi sedes (150) episcopalis erat. Quum ergo & in Actorum S. Patricii titulo (nam in tota Actorum continentia de cathedrane γεὺ quidem) & in omnium Graecorum libris liturgicis martyr Patricius *Prusae Episcopus* inscribatur; certe in harum quas dixi duarum alterutra Patricii cathedra requirenda est. Vtra tamen re vera fuerit, haud facile dictu videbitur.

Sed nescio quomodo in Prusam ad Hypium olim mihi videbar inclinatior, quam in Olympenam, ob hoc ipsum scil. quod in horum Actorum titulo & in Graecorum libris Patricius *Prusae episcopus* dicitur, sed sine ullo additamento discriminis. Etenim observabam in epistolis Plinii, ubi de Prusa Olympena sermo est, addi *Ad* (151) *Olympum*, ubi vero de illa

(149) Nummos vide apud Vaillantium in Graecis imperatorum nummis. Et Prusaeorum quidem ad Olympum numismata duntaxat ΠΡΟΥΣΑΕΩΝ sine alio additamento inscribuntur; quia ex quinque Bithynorum Prusis tantum Olympena suum gentile ΠΡΟΥΣΑΕΥΣ per A efficiebat: quo circa haec Prusa suo se tantum gentili nomine sine alio additamento discriminabat. Ac tales profecto [illegible] nummos Trajani, Commodi, Severi, Jul. Domnae, Caracallae, Getae, Macrini, Diadumeniani, Barbiae Orbianae, Maximi, & Treb. Galli habemus. At in Prusae ad Hypium nummis non satis erat scalpsisse ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ, sed addebatur [illegible], quia gentile [illegible] commune & aliis Prusis erat. Alia Prusae ad Hypium numismata Antonini Pii, M. Aurelii, Faustinae, L. Veri, Caracallae, Getae, Macrini, Diadumeniani, Maximi, Galieni, similiter inscripta omnia, circumferuntur. Nisi quod sunt tamen Severi & Jul. Domnae nummi, in quibus tantum [illegible] scalpitur; quos nihilo minus Vaillantius ad Prusam ad Hypium refert: de quibus infra.

(150) In Concil. Niceno subscripsit tum *Georgius Prusiadis juxta Olympum montem*, tum etiam *Hesychius Prusensis juxta Hypium fluvium*. Vbi etiam obiter adnotabis, Olympenam Prusam hoc vocari *Prusiadem*, aeque ut in Domitiani epistola, quam supra in superiore Diatriba produximus. At postea V. saeculo invaluit, ut illa ad Olympum PRVSA, altera ad Hypium PRVSIAS [utraque sine additamento] discriminis causa appellaretur: de quo infra dicemus.

(151) Plinius X. 85. sic incipit: *Quam Prusae ad Olympum, Domine, publicis negotiis ... vacarem.*

Digitized by Google

altera ad amnem Hypium, eam absolute (152) *Prusam* vocari. Hoc ipsum & ex seniore Plinio ad finem superioris Diatribæ demonstravi. In Eusebii chronico *Prusias condita* (absolute sic dicta) non alia quam illa ad Hypium vetustissima fuit, ut in Diatr. I. edisserui. Idem vero & ex nummis (153) possem ostendere. Nam revera illa Hypio imposita & antiquissima fuit omnium, ut ex Eusebii chronico supra demonstravi, eaque gratia *Metropolis* (154) non quidem Bithyniae, sed *Prusiensium* ceterorum dicta. Et ita quidem aliquamdiu suspicabar.

Verum longe aliter se rem habere, postea animadverti. Nam etiamsi illam ad Hypium vetustissimam urbem appellatam fuisse absolute *Prusam* sine discriminante adjuncto, ex utroque Plinio, & undeunde forsitan demonstretur; at in sequentibus tamen saeculis hoc inter Prusam Olympenam & alteram ad Hypium interfuit; ut illa ἁπλῶς (*absolute*) PRVSA vocaretur, haec vero item absolute PRVSIAS. Ea discriminandi consuetudo saltem initio V. saeculi jam passim obtinebat, quo tempore *Honorias* (155) provincia ab Honorio nomen ac fines accepit: quae provincia praeter Ponticae portionem, & Paphlagoniae laciniam, etiam Bithyniae proximam Heracleae partem complectebatur cum illa ad Hypium Prusa sive (peculiari scil. nomine) *Prusiade*. Hoc quod dixi intelligitur ex Hieroclis Synecdemo, & altera Graeca Notitia (in Geogr. Sac. Caroli a S. Paulo) in quibus in Bithynia quidem *Prusa* (haud dubie Olympena) sub Nicomediensi metropoli recensetur; at in Honoriade non *Prusa* sed *Prusias* (illa utique ad Hypium) sub Claudiopoli metropoli ponitur. Sed & hoc ipsum ex conciliorum subscriptionibus licebit deprehendere. Ac missis quarti saeculi (156) subscriptionibus, a quinto ordior, quando Ephesinae Synodo an. 431. *Petrus Prusae Bithyniae* subscripsit. Vt & an. 460. in concilio CPolitano *Stephanus* (Προυσαίων) *Prusaensium* episc. reperitur. Eodem vero saeculo de Prusiade illa altera nihil reperio praeter *Olympium Prusiadis* in Calchedonensi synodo an. 451. & alterum cognominem, qui Olym-

(152) At idem Bithyniae propraetor X. 75. sic orditur: *Quaerenti mihi, Domine, Prusae* [sine ullo discriminis additamento] *ubi posses balineum, quod indulsisti* [indulserat autem id Trajanus supra epist. 35.] *fieri, placuit locus in quo* &c. Heic quum *Prusae* sine διοριστικῷ, (*discriminante*) additamento scribatur illa mihi intelligenda videtur, quae in Tristani nummo MHTP. i. e. *Metropolis Prusiensium* dicitur, quippe Prusarum omnium antiquissima. Hinc *Dignitas civitatis* hujus ab eodem Plinio X. 34. obtendebatur, ut ei balinei beneficium a Trajano impetraret. Dignitas autem Prusae ad amnem Hypium eo spectabat, quod ceteris antiquitate praeibat, & quod [si verus est Trajani nummus] metropoleos jura affectabat. Ex his vides *Prusam* ad Hypium solam absolute sic dici consuevisse κατ' ἐξοχήν [*per excellentiam*]. Quamquam vero haud praestare usquequaque possim, ibi Plinium de Prusa ad Hypium, ac non potius de Olympena, loqui; tamen praeter expositas, plures habeo causas idoneas, cur de priore intelligam.

(153) Nam etsi in Prusae ad Hypium nummis ita solet Προυσιέων scribi, ut addatur πρὸς Τῷ. At sunt tamen Severi & Jul. Domnae numismata sine illo *Hypii* additamento. Et hos tamen ipsos non ad alios refert Vaillantius, quam ad Prusae ad Hypium cives.

(154) Jam hoc supra attigi, in Macrini apud Tristanum nummo [qui sic inscribitur, Μητρ. Προυσιέων πρὸς ὑπιῳ, *Metropolis Prusiensium ad Hypium*] hanc Prusam non totius ἐπαρχίας [*provinciae*] metropolitica jura affectasse [quae peculiaria Nicaeae & Nicomediae erant] sed tantum Prusiensium omnium se primam ac metropolim jactitasse, quippe Olympiade 27. [si chronico Eusebii credimus] conditam.

(155) De provinciae Honoriadis institutione & finibus videatur Petrus de Marca in II. de Conc. Sac. & Imp. c. 9. n. 3.

(156) In Oecumenica synodo CPolit. I. ann. 381. reperitur *Eusthasius Prusensis*, sed utrius *Prusae* haud facile dixerim. Nam ante 53. annos in Nicena synodo urbs Olympena *Prusiadis* nomen obtinet, altera vero *Prusae* [contra quam V. saeculo fiebat] & utraque ab altera per adjuncta discriminatur. Itaque primus, quod adhuc sciam, Hieronymus in chronico illam ad Hypium absolute *Prusiadem* nuncupasse reperietur.

Digitized by Google

Olympius Prusiadensis in Concilio Rom. an. 503. vocatur. Sed jam ad VI. Synodum me confero, in qua *Domitius Prusiadis* haud dubie ad illam ad Hypium refertur, at in eadem *Polychronius Prusae* ad Olympenam spectat. Similiter VII. Synodo tum *Theodorus* (πρύσης) *Prusae*, tum etiam *Theophilus* (πρυσιάδος) *Prusiadis* interfuit. Ex quibus animadvertis in una eademq. tum VI. tum VII. Synodo non alia fuisse duarum cognominum urbium discrimina, quam quod illa ad Olympum *Prusa*, altera *Prusias* vocaretur, ac sola nominum inflexio diversa ambarum inter se urbium discrimina faceret. Id quod jam tum saltem obtinuisse necesse est, quando in Eusebii chronico ad Olymp. 27. scriptum sive ab ipso Eusebio, sive potius ab Hieronymo fuit, *Prusias condita*: quod ad illam Hypio flumini impositam pertinere, jam supra animadversum fuit.

Jam vero quum in omnibus Graecorum libris ecclesiasticis Patricius episcopus πρύσης [*Prusae*] non πρυσιάδος [*Prusiadis*] aeque ac in Actorum martyrii titulo inscribatur, habendum pro certo est, eam ab omnibus urbem fuisse intellectam, quae jam inde ab exeunte saltem IV. saeculo ac deinceps, absolute *Prusa* vocabatur, h.e. Prusam ad montem Olympum positam, non illam alteram Honoriadis, quae Hypio imminebat, quaeque discriminis causa *Prusias* ab omnibus vocabatur.

Et haec quidem esse clarissima, nemo non videt. Nam titulus Actorum [in quo Patricius πρύσης *Prusae* episcopus inscribitur] non aequalem habet ipsis Actis antiquitatem: quod & in aliis Actis usuvenit. Non igitur quarto exeunte aut etiam quinto saeculo is titulus fuerit antiquior; quando jam usu firmata erat illa *Prusae* & *Prusiadis* discriminatio. Ergo quo tempore is titulus Actis S. Patricii accessit; hoc Graecorum traditio ferebat, Patricii cathedram fuisse Prusam Olympenam, quae absolute tunc *Prusa* vocabatur. Idem & de Graecorum Officiorum libris dicendum, in quibus omnibus is *Prusae* non *Prusiadis* episcopus nuncupatur. Ceterum etsi id solum satis sit ad ostendendam Patricii cathedram; tamen & ex loco martyrii, de quo mox, etiam sedes episcopalis magis firmabitur.

CAP. II.

De loco passionis S. Patricii.

Altum est in Actis S. Patricii de athletae hujus palaestra silentium. Nisi quod tantum aliquid extundere mihi posse videbar ex historiae hujus exordio, quod tale est: *Diebus illis quum Julius proconsul provinciae rector esset ..... ad thermas veniens, Aesculapio & Hygiae* [τῷ Ασκληπιῷ καὶ τῇ Υγιείᾳ] *sacrificavit. Qui ubi se calidae fonte* [ἐν πηγαῖς τῶν ζεμάτων] *oblectasset, tribunal parari sibi, ac sedens S. Patricium perduci jussit.* Qui locus indicare videtur, ad eas thermas sive templum sive aram Aesculapii & Hygiae fuisse, sive omnino celebrem ibidem eisdem cultum fuisse impensum; quibus proinde Julius antequam calida se confoveret, sacrificavit. Nec absonum est, ibi maxime hanc deorum bigam peculiari religione cultam, ubi fontes salubritate pollentes prosiliebant. Quo pertinent proconsulis Patricium alloquentis verba sect. 1. *Vide* [τὸ πατρὸς ἡμῶν Ασκληπιοῦ] *patris nostri Aesculapii gratiam & virtutem* [cujus scil. beneficio thermas illas tribuebat] *eumque adora*. Nam quod Aesculapium *patrem nostrum* appellat, id peculiarem procul dubio Aesculapii & ejus filiae Hygiae eo loci cultum arguit. Quare sicubi forte in Bithynia peculiarem Aesculapii [sive serpentis Aesculapii symboli] & Hygiae religionem detexerimus, ibidem & thermas, de quibus Acta, fuisse necesse erit.

Exstant autem apud Vaillantium numismata Diadumeniani duo ad id, quod dixi, docendum peridonea. In eorum altero inscribitur ΠΡΟΥΣΕΩΝ ΠΡΟΣ ΥΠΙ h. e. *Prusiensium ad Hypium* [flumen] ibidem vero scalpitur *Hygia* tunicata stans, ac dextera porrigens pateram, in qua serpentem [Aesculapii symbolum] pascit, quem sinistra tenet. In altero vero exhibetur

Digitized by Google

betur calix oblongus, in quo ſerpens lambit, cum eadem epigraphe προυσιέων πρὸς Τπ. *Pruſienſium ad Hypium*. Atque ea duo numiſmata videbantur palam facere, non alibi, quam Pruſae ad Hypium Aeſculapii & Hygiae religionem ſingularem viguiſſe, credo ob aquarum ibi erumpentium ſalubritatem: proinde non aliam pugili noſtro palaeſtram eſſe quaerendam. Quibus accedit quod vox *Hypius* (157) non ineptam τῶν ζεμάτων i.e. *calidarum aquarum* notionem complecti videbatur, ſi quidem id nomen ex primitiva Nuachidarum dialecto interpretari aggrediamur.

Verum ſtatim ac me recepi, haec quae dixi, pro leviculis habui. I. Primum enim eſto Pruſae ad Hypium ſingularis quaedam Aeſculapii atque Hygiae religio vigeret: at ubinam quaeſo ea duo numina nō impenſe colebantur? Porro ſi nummorum fide ſtamus; etiam πρυσαέων (i.e. *Pruſaenſium* Olympenorum) numiſma Commodi a Vaillantio deſcribitur, in cujus averſa parte baculus, cui ſerpens implicatur (notiſſimum ſcil. Aeſculapii ſymbolum) exhibetur.

II. Fac deinde ex eo quem dixi cultu, & ex deſcriptis ſupra nummis, poſtremo & ex *Hypii* voce, ſi id forte quaeris, oſtendi poſſe, in ea regione calidas prorupiſſe: at eas ipſas fuiſſe, quas Acta Patricii memorant, quis amabo praeſtabit?

III. Adhaec ſuperiore §. abunde demonſtravimus, Patricii epiſcopalem cathedram in Olympena Pruſa fuiſſe. At acta martyrii nuſquam dant intelligere, eum de ſede ſua alio quovis abductum fuiſſe interrogandum ac porro necandum. Quocirca Pruſae ad Olympum eum omnino occiſum dicemus, quamdiu contrarium non evincitur.

IV. Quid quod Acta prae ſe aperte ferunt, eum in ſua patria interrogatum fuiſſe? *Vide* [ait Proconſul ſect. 1.] *patris noſtri Aeſculapii gratiam & virtutem* [de thermarum virtute loquitur: vide infra Acta cum adnotationib.] *eumque adorato, ut & ex vinculis & tormentis liber evadas, ac reliquo vitae tempore bona utaris valetudine, atq. ut ſine metu PATRIAM TVAM incolas*. Ergo quum Pruſa ad Olympum cathedra Patricii [ex §. ſuperiore] ac proinde ejus patria fuerit [nec enim niſi perraro exteri fiebant epiſcopi: & ſiquando exteri, tum horum cathedra etiam *patria* dici potuit, maxime ab ignaro praeſide] ibidem & thermas fuiſſe oportet, ibidem & palaeſtram certaminis.

V. Poſtremo ne quis de Actorum ſilentio conqueratur; in iis nō poterat locus certaminis luculentius deſignari, modo attentius inſpiciantur. Acta ſic ordiuntur: *Diebus illis ſub praeſide Julio proconſule, quum is ex idolorum infamia laboraret, ad Thermas* [αἱ θερμαί] *veniens, Aeſculapio & Hygiae ſacrificavit*. Ex his vides αἱ θερμαὶ *Thermas* locum fuiſſe martyrii. Tamen id nomen a priore interprete pro appellativo eſt habitum ſic interpretato: *Ingreſſus thermas*.

Atqui

(157) Si quidem oſtendatur, in Pruſae ad Hypium vicinia fuiſſe calidarum ſcaturigines; potuit vox HYPIVS ab אפא *apha* ſive *apa* fieri: quod Hebraeis Chaldaeiſque non tantum eſt *coquere*, ſed & *fervefacere* aut *comburere*. Ea ſignificatio ſe prodit in *Tophet* loci nomine ita dicto, quod ibi parvuli cremarentur idolo Moloch: quae vox meo judicio ab eodem eſt verbo *Apha*, tantum praepoſito *Tau* formativo, & *Aleph* in *Vau* verſo pro more hujuſmodi quieſcentium.

Ergo ab aquarum fervore mons *Hypius* [ad cujus forſan ὑπορείων ii fontes ſcatebant] vocabatur: qui mons, teſte Apollonii Scholiaſte, etiam fluvio cognomini nomen indidit. Atqui & oppidum [Stephano teſte] fuit ſive *Hypius* ſive [ὑπία] *Hypia* nuncupatum.

Eadem forſan originatio & Τπερείας *Hyperiae* [cujus meminit Homerus] nomini convenit. Nam quod Hom. Od. VI. Τπερείην vocat, eamdem eſſe ac Siciliae *Camarinam* Didymus & Euſtathius conſentiunt. Familiare eſt autem ſynonymis locorum nominibus, ut eadem ſignificatione ſint praedita. Quare ſicuti *Camarina* Chaldaeis eſt a כמר *camar*, quod eſt *calefieri* & *aeſtuare* [unde *Vr* Chaldaeorum ita dictum, quod ibi coleretur ignis, Eupolemus *Camarinam* voce ſynonima appellatam tradit] ſic & Siciliae *Camarina* [paludis & urbis nomen] ſimilem aliquam appellationis cauſam habuerit neceſſe eſt, eique aequipollens *Hyperiae* nomen fuiſſe videtur. Haec obiter.

Digitized by Google

Atqui αἱ Θερμαὶ *Therma* oppidi nomen fuit ab aquarum calidarum ſcaturigine ſic appellatum; idque oppidum Pruſae Olympenae, a quo proxime aberat, attribuebatur. Sed jam, nequis gratis haec me comminiſci dicat, teſtes producam. Stephanus in *Therma*. Ἔστι καὶ βιθυνίας Θέρμα [ea vox in Stephano diſcriminis cauſa penacuitur: quocirca eodem modo & in his Actis ea vox ſcribenda erit, nam alioqui αἱ θερμαὶ oxytonum appellativum eſt *thermarum* nomen] αἱ μὲν τύθια, αἱ δὲ ἐν πρώτῃ βασιλικὰ λεγόμεναι. *Sunt quoque Bithyniae THERMA, quorum una vocantur Pythia* [quae quidem Aſtaceno ſinui ex ipſo Stephano & Procopio admovet adnotator Berkelius] *altera vero, quae Pruſae ſunt, Baſilica nuncupantur*. Idem quoque ejuſdem nominis loca recenſet in Sicilia, Cappadocia, Syria &c. Et ea omnia *Therma*, totidem fuiſſe oppida aut vicos, non eſt dubium: cur? quia eis recenſitis ſic ſubjicit Stephanus: οἱ οἰκήτορες, Θερμηνοί. Eorum *incolae Thermeni* dicuntur. Ergo *Therma Baſilica* ſtadium Hieromartyri noſtro fuerunt.

Dixeris, cuinam Pruſae Therma Baſilica ſint attribuenda, Ethnicographum non definiviſſe. Atqui non eſt dubium, quin ad Pruſam Olympenam haec Therma pertinuerint; nam nec Stephanus *Pruſae* abſolute dictae nomine [ut alibi diximus] aliam quam Olympenam ex more ſui ſaeculi intelligit; nec ſaltem Conſtantinus Porphyrogenneta qui in de Adminiſt. imp. cap. 50. ſic loquitur, αἱ δὲ ἐν πρώτῃ βασιλικὰ λεγόμεναι, *quae Therma apud Pruſam* (Olympenam ſcilicet; nam his temporibus, ut ante dixi, ſic urbs una ab altera ſecernebatur, ut Olympena abſolute *Pruſa*, altera vero ad Hypium patronymice *Pruſias* vocaretur) *ſunt, Baſilica appellata*. Is nunc locus Turcis *Caplıza* vocatur prope *Burſam* (quod hodiernum eſt Pruſae Olympenae nomen) ſuiſque veteribus (158) balneis celebratur: de quibus ad Acta ſpero me plura adnotaturum.

Ex his vides, Pruſam Olympenam & palaeſtram S. Patricii fuiſſe, ſimulque ſedem pontificalem, poſtremo (ex praeſidis verbis paullo ante recitatis) & ejuſdem patriam. Atque ea nunc civitas eſt ſupra ceteras minoris Aſiae florentiſſima, ac paullulum detorto nomine *Burſa* dicitur. Quo tempore CPolis imperatoribus Latinis paruit, in ea maxime urbe regiae Graecorum ſtirpis principes, *deſpotae Romaniae* dicti, ſibi regiam ſtatuerunt. At demum poſtquam Othomanus eamdem anno 1326. aut ſequente expugnavit, ea diu regia ſedes imperatorum Turcarum fuit.

DIATRIBA III.

De aetate Patricii Martyris.

Nemo dum hujus Martyris aevum non modo in apertum protulit, ſed ne tentando quidem moliri quidquam penſi duxit. Itaq; quaſi ſi deploratae res eſſet indaginis, ita hujus martyrii tempora in medio reliquerunt. Nec immerito; quando ſincera hujus beatiſs. pugilis Acta notas temporis afferunt nullas, praeter hanc unam, quod ſub *Julio* quodam rectore provinciae [Ponti & Bithyniae utique; quia de Pruſienſi, ut ante dictum, martyre agitur] athleta decertaverit. At tantulum hoc indicii nihil eſt: nec enim praenomen aut cognomen ejus Julii producitur, gens autem Julia tam late prorepſit, ut millenos non modo ejuſdem gentis, ſed & illuſtres viros cognomines toto paganicae crudelitatis tempore proferre poſſis. Deinde ſiquem Julium Bithyniae rectorem repereris, quis eumdem illum Patricii judicem fuiſſe praeſtabit? Vt ecce in Muratoriano marmore pag. 317. 1. occurrit quidam (159) *A. Julius Quadratus* Bithy-

(158) Martinerius in ſuo Diction. Geogr. *aux vieux Bains de Caplıza*. Ea balnea miro rorſus calore pollent: de quibus in Diatr. IV.

(159) Inſcriptio Graeca eſt Pergami reperta, quam & Sponius ediderat, in hunc modum Latine ſonans. *Gaium Antium, Aulum Julium Auli filium Quadratum iterum conſulem, proconſulem Aſiae, ſeptemvirum epulonum, fra-*

thyniae rector sub Trajano. Verum nihil huic commune cum *Julio* Patricii judice esse potest. Hic enim noster ἀνθύπατος [*proconsul*] tamquam popularis provinciae rector dicitur, quum contra ille alter *A. Julius Quadratus legatus* [Augusti] *propraetore* inscribatur.

Verum quid frustra in limine haereo? Praestabit altius provinciarum notitiam repetere, non huic tantum loco, sed aliis pluribus deserviturum. Ac I., ubi divisionem provinciarum ab Augusto factam leviter adumbravero, latius aliquanto de Bithyniae rectorum conditione ac vicibus edisseram. II. Deinde quis ille Julius fuerit, qui S. Patricium capite damnavit: III. postea annum ipsum martyrii ex anno administrationis Julii, qua potero, eliciam. IV. Postremo Julii hujus vita adumbrabitur. Ita spero, lectori perjucundum fore summam martyris hujus antiquitatem cognoscere.

CAP. I.

De partitione provinciarum ab Augusto facta, quidque in Bithyniae rectoribus postea variatum fuerit.

Stante rep. provinciarum summa divisio in consulares, in quas consules, & praetorias, in quas praetores mittebantur, initio fuit. Eisdem siquando finito magistratu prorogabatur in provincia imperium, illi *proconsules*, hi *propraetores* vocabantur. Interdum & illi proconsules aut propraetores dici coeperunt, qui consulatu aut praetura minime gestis, ad bellum gerendum in provincias mittebantur; cujusmodi apud Livium XXVI. 19. *P. Cornelius Scipio procos.* & apud Ciceronem Philip. XI. 19. & Sueton. in Octavio cap. 10. *C. Octavius propraetor*. At postremo id obtinuit, ut quotannis antequam novi consules aut praetores designarentur, provinciae duae futuris consulibus, reliquae praetoribus decernerentur; quas illi designati vel inter se sortirentur, vel compararent; ut finito magistratu in eas proficiscerentur: de quo vide Sigonium de ant. jure provinc. Sic stante rep. fuit.

At Augustus simul ac monarchiam arripuit, in eo plurimum immutavit: de quo legendus est Dio lib. LIII. Suetonius Octavio, ac Strabo extremo lib. XVII. Proderit autem Strabonis locum integrum huc afferre: qui locus eadem simul opera de Bithyniae conditione, in cujus gratiam haec scribimus, sub Augusto nos edocebit. Is locus sic incipit. *Augusto quum civitas totius imperii administrationem permisisset .... bifariam regiones omnes divisit, ita ut alias sibi vindicaret, alias populo traderet. Et sibi quidem, quaecumque militum*

fratrem Arvalem, LEGATVM ET PROPRAETOREM BITHYNIAE, legatum Asiae, legatum Augustalem provinciae Cappadociae, proconsulem Cretae & Cypri, legatum Augustalem & praetorem Lyciae & Pamphyliae, legatum & propraetorem imperatoris Nervae Trajani Caes. Aug. Germanici Dacici provinciae Syriae, senatus & populus Primorum Neocororum Pergamenorum Benefactorem [supple ἀνέθηκαν h. e. *statuae dedicatione honorat*]: *curantibus erectionem* [statuae] *militibus*. Quandoquidem autem egregium hoc elogium recitasse pensi duximus, etiam illud leviter illustrare curae fuerit.

Nam illud difficultatem eruditis creavit, quid sit quod versu primo duo diversi viri inscribantur, *C. Antius* & *A. Julius*, quum tamen qui mox honores referuntur, ii nonnisi posteriori conveniant. Verum simile est prorsus exemplum apud Grut. 407. 1. *L. Fabio M. F. Gal. Ciloni Septimino, C. Atinio Aciliano Lepido Fulginiano Cos. comiti imp. L. Septimi Severi* &c. cujus posterioris innumerae dignitates deinceps recitantur, quarum nulla ad priorem, sed omnes ad posteriorem sunt referendae. Horum prior Cos. suffectus anno Christi 193. fuit, ac multos honores gessit apud Grut. 407. 2. An igitur ut in hoc Latino Gruterianae epigrammate, sic etiam in superiore Pergamenorum Graeco; an, inquam, hoc utrobique significatur, ambobus illis junctim decretas & erectas fuisse statuas, & idcirco ambos nominatos: verum ea lege, ut cujus statua esset, is posterior inscriberetur, ejusque ordinatim honores omnes recenserentur: dum interim prioris illius dignitates in alterum elogium suae statuae subscriptum reservarentur, in quo hic vicissim priorem locum alteri largiens, posterior scalperetur, ut ei statim gesti honores seriatim subnecti possent. Ita equidem conjicio.

Digitized by Google

militum praesidio continenda essent, cujusmodi sunt barbarorum terrae, & gentibus nondum subactis finitimae . . . populo autem reliquas permisit omnes, quae pacatae facile sub imperio retinerentur. Utramque portionem in provincias numero plures dispertiit: quarum aliae Caesaris, aliae populi dicuntur. Atque in suas quidem Caesar ipse rectores mittit, nunc hoc nunc illo modo regiones partiens, ac pro tempore in commune consulens. At in suas populus praetorios aut consulares mittit: quae & ipsae diversas divisiones subeunt, prout usus postulaverit. Ex his initio consulares provincias duas fecit, Africam scil. illam, quae Romanis paret . . . . & Asiam cis Halym & montem Taurum, exceptis Galatis & gentibus Amyntae subditis, exceptaque Bithynia & Propontide. Praetorias autem decem constituit. Eas Strabo sic enumerat, ut priores duae Hispanias & Narbonensem Galliam comprehenderent, tertia Sardiniam cum Corsica, quinta & sexta Illyricum Epiro conterminum & Macedoniam, septima Aehaiam usque ad Thessaliam &c. octava Cretam cum Cyrenaica, nona Cyprum, decima Bithyniam cum Propontide & quibusdam Ponti partibus amplecteretur. Reliquas provincias Caesar tenet, in quarum alias mittit viros consulares, in alias praetorios, in alias etiam equites Romanos. Atque haec de vario provinciarum jure usque ad Augustum: quae non tantum argumento, quod est in manibus, sed & pluribus locis aliis usui futura in posterum auguror.

Ad Bithyniae vero provinciae conditionem quod attinet, ne actum agam aut aliena compilare videar, describam heic integrum eruditiss. Norisii locum ex Dissert. 2. ad Cenotaph. Pis. cap. XI., Altera, inquit, P. R. provincia in Asia erat Bithynia cum Paphlagonia, Propontide, ac quibusdam Ponti partibus. Strabo in fine lib. XVII. Bithyniam inter decem P. R. provincias praetorias numerat. Tacitus l. 1. Annal. ait: *Nec multo post Granium Marcellum praetorem Bithyniae, quaestor ipsius Caepio Crispinus majestatis postulavit*. Mercerus ac Lipsius in notis pro voce *Praetorem* contendunt *Proconsulem* reponendum, quum ex epistolis Plinii constet Bithyniam a Proconsulibus administratam. Haud tamen arbitror, textum Taciti corrigendum. Etenim Augustus senatui ac populo, teste Strabone, assignavit provincias ἀναξὶ μὲν δύο, δέκα δὲ στρατηγικὰς, duas quidem consulares, decem autem praetorias, & inter has Bithyniam recenset. Provinciae consulares erant Asia & Africa, in quas viri consulares tantum mittebantur, quum in reliquas decem senatores praetura Romae functi destinarentur; unde & *provinciae praetoriae* appellatae. Idem vero Augustus ex Dione lib. LIII. *proconsules dici voluit, non modo duos istos consulares, sed reliquos etiam praetorios, aut qui praetoriorum loco haberentur*. Suetonius etiam c. 47. de vita Aug. ait: *Provincias validiores, & quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, ipse suscepit; ceteros proconsulibus sortito permisit*. Itaque decreto Augusti rector Bithyniae *proconsul* dicebatur. At quod ii, qui in Bithyniam mittebantur, praetura, non autem consulatu defuncti fuerant, Bithynia provincia praetoria dicebatur; ac ob id rector ejusdem Granius Marcellus *praetor* Tacito nuncupatur; cui tamen lib. XVI. C. Petronius *proconsul Bithyniae & mox consul* nominatur: hic decreti Augusti, illic praetoriae provinciae rationem habuit . . . . .

Ceterum Latini scriptores in rectoribus provinciarum nominandis, vetusta liberae reip. nomina passim usurparunt, uti pluribus exemplis proxime ostendi. Plinius a Trajano Bithyniae rector impositus, X. ep. 109. petit ab eodem, quid juris habere velit Bithynas ac Ponticas civitates in pecuniis exigendis, additque: *Ego inveni a proconsulibus concessam eis protopraxiam*. Et saepius quosdam ejus provinciae *proconsules* suos decessores nominat. Verum sub Trajano Bithynia ac Pontus non amplius populi, sed im-

Digitized by Google

peratoris provinciae erant. Exstat vetus elogium Grut. p. 454.

C. PLINIVS. C. F. C. N
CAECILIVS. SECVNDVS
COS. AVGVR. LEG. PRO. PRAET
PROVINC. PONT. CONSVLARI. POTESTATE. IN. EAM. PROVINCIAM. AB
IMP. CAESARE. NERVA. TRAJANO
AVG. GERMANICO. MISSVS &c.

(160)

Recte autem dicitur *Consulari potestate*, non *imperio*, in eam provinciam missus; imperium enim absolutam belli gerendi, seu rei militaris administrandae potestatem designabat; *potestas* vero civilis jurisdictionis exercendae liberam facultatem, uti optime adnotarunt Panvinius l. 1. Fastor. ad an. 428. & Sigonius l. 3. de ant. jure prov. c. 5. Proconsules stante rep. semper cum imperio in provincias mittebantur; sub Augustis vero proconsules, quod pacatis provinciis praeficiebantur, cum consulari potestate, sed sine imperio ac exercitu, in provinciis sibi a senatu populoq. R. decretis civilem tantum jurisdictionem habebant. Tacitus l. 1. Ann. *Proconsulare imperium* latiore significatione usurpavit, cum dixit Achaiam ac Macedoniam *proconsulari imperio* levatas ac Caesari traditas, nempe imperium pro civili potestate accepit. Plinius vero quamvis legatus propraetor Trajani, Aug. quod sine exercitu sive legionibus, Bithyniam regebat, *consulari* (*) tantum *potestate* praeditus inscribitur.

Ex hactenus recitatis facile quivis intelliget, Bithyniam, quae ab Augusto usque ad Trajanum una ex decem praetoriis populi Rom. provincia fuerat, postmodum a Trajano eidem populo ereptam ac sibi vindicatam fuisse. Idque ex Plinio constat, qui legatus Augusti pro praetore eam rexit; & ex A. Julio Quadrato, qui in Pergameno marmore, quod Adnot. 159. produximus, eodem jure ei provinciae praefuit, ut alios interim taceam.

Sed scire libet quando primum ea mutatio acciderit, quisve primus Bithyniam pro Caesare rexerit. Mihi non est dubium quin Bithyniae propraetorum Plinius agmen duxerit. I. Ac primum id suadent epigrammatis suprascripti verba, in quo is dicitur LEGatus AVGusti PRO. PRAETore PROVINCiae PONTi &c. ubi mox additur AB IMP. CAESARE. NERVA. TRAIANO. AVG. GERMANICO MISSVS. Quae verba si attendas, non aliud significant, quam Plinium primum omnium in Bithyniam legatum Caesaris fuisse missum, quum antea sortito proconsules mitterentur.

II. Idem quoq. videtur innuere Trajani epistola inter Plinianas X. 29. in qua Caesar certior de adita jam a Plinio provincia factus, rescribit: *Provinciales, credo, PROSPECTVM sibi a me intelligent.*

Quae

(160) Reliqua vide apud Grut. pag. 454. 3. apud quem num. 5. alia brevior exstat ad eamdem pertinens inscriptio. At prior illa copiosior simul ac succo plenior est: quam quidem eamdem Gruterus esse ait atque illam quam affert pag. 1028. 5. Sed fallitur. Nam haec altera longe plura habet tum in medio, tum in fine potissimum: quam quidem accuratius per versus suos distinctam ex Alciati αὐτόγρα. schedis dedit nuper Cl. Muratorius pag. 732. addito & Alciati commentario non malo, sed ut illis temporibus. Atqui istud Alciateum exemplum in pluribus supplere aut emendare licebit. Versu 2. ante AVGVR. praeponendum fuit COS. Nec enim gestus consulatus deesse in marmore debuit, praesertim quum honores post consulatum gesti recensentur. Deinde v. 4. pro ET, legendum est AB, lacuna vero in hunc modum supplenda: PROVINCIAM. MISSVS. AB. IMP. CAES. Quae hic atque restituimus, ea & in Grut. p. 1028. 5. eidem medica manu indigent. Adhaec v. 8. pro MED. legendum est MIL. sicuti recte apud Grut. pag. 1028. in ead. inscriptione legitur. Sed scil. Muratorius non animadvertit, quam ipse ibi ex Alciato protulit, eamdem prorsus fuisse ac Gruterianam pag. 1028. 5.

(*) Non omnem plane vim atque effectum hujus formulae, *Consulari potestate*, Noster explicuit: de qua vide quae in seq. Diatr. in Adnot. 178. versus finem adumbrabimus.

Digitized by Google

Quae verba non alio pertinent, quam quod Vareno Rufo, Jul. Baſſo, & aliis forſitan Plinii deceſſoribus male remp. adminiſtrantibus, provinciales opem Caeſaris imploraſſent: qui ut afflictae provinciae ſubveniret, noluit eam amplius ſortitioni, ut ante fiebat, committere, ſed in ſe tranſtulit, in eamque virū integerrimum Plinium Caecilium miſit. Eodem & illud Trajani pertinet initio epiſt. 41. *Memineris idcirco te in iſtam provinciam MISSVM, quoniam multa in ea EMENDANDA apparuerint*. Hinc ſtatim ibidem pergit: *Nam & tu* [Plini] *dabis operam, ut manifeſtum ſit illis, electum te eſſe, qui ad eaſdem MEI LOCO MITTERERIS*. Vides ut Trajani epiſtolae cum Plinii inſcriptione conſentiant.

III. Hinc, quia Caeſar provinciae conditionem mutaverat, ut ejus adminiſtratio conſtabiliri poſſet, ac jam tum ab initio recte procederet; interpellari ſeſe in omnibus a Plinio paſſus eſt non invitus: id quod ex toto lib. X. conſtat. Vide finem epiſt. 109. ubi *ab aliis* [proconſulib.] *inſtituta, infirma* fore dicit, *niſi illis* Trajani *contingat auctoritas*, quippe tum primum mutata adminiſtratione provinciae. Adde initium epiſt. 40. & plures alias.

IV. His adde, quod quoties ſuos deceſſores memorat, eos ſemper *proconſules* vocat, ut epiſt. 40. *Juſſu proconſulum legatorumve* [proconſularium, non Caeſaris] *dimiſſos*. Sic epiſt. 56. 57. 109. ſemper proconſulum, numquam autem propraetorum aut legatorum Auguſti fit mentio.

V. Poſtremo tam verū eſt, Plinium primum Bithyniae legatū pro praetore fuiſſe, quam Servilium Calvum proconſulum ultimum ac proximum Plinii deceſſorem exſtitiſſe: id quod ex epiſt. 65. liquet, in qua Trajanum conſulit de relegatis a Calvo proconſule in triennium, qui etſi relegati, tamen in provincia morabantur: per quae oſtenditur, a Calvi decreto non effluxiſſe triennium, alioqui nullus futurus erat conſultationi locus. Sed & hoc ipſum ex Trajani epiſt. 65. fit manifeſtum, ubi ſe de eo proxime reſcripturum pollicetur, *quum*, inquit, *cauſas hujus facti a Calvo* [ſtatim ſcil. atque ex provincia in urbem pervenerit] *requiſiero*. Porro de anno Bithynicae Plinii praefecturae infra cap. 3. §. 4. Adnot. 170. diſputabimus.

CAP. II.

Quis ille ſit Julius Bithyniae proconſul, de quo Acta S. Patricii loquuntur.

Ex hactenus quidem diſputatis intelligere licet, *Julium* illum ſub quo Patricius decertavit, quum diſertim ἀνθύπατον [*proconſul*] aut ὑπατικὸν [*conſularis*: quae vox heic tantumdem eſt ac *proconſul*, ut ad Acta ipſa oſtendam] dicatur, non poſſe non antiquiorem Plinio propraetore fuiſſe: proinde Patricii paſſionem non debere ſerius conſignari, quam ſub prima ſaltem alterius ſaeculi Chriſtiani initia. Ac de hoc quidem non eſt ut quiſquam dubitet: ut proinde mirer ſummam martyris hujus antiquitatem nemini ad hunc diem ſuboluiſſe; quem praeſertim Ruinartus in ſua praeclara collectione inter Diocletianeae perſecutionis pugiles medium intulerit. Atqui vel Menaea conſuluiſſent: in quibus ad 28. Aprilis Patricii concio de ignibus ſubterraneis inſeritur, in cujus fine Patricius Veſuvianam eruptionem [haud dubie illam, quae ſub Tito fuit] praeſentem ſe vidiſſe teſtatur. Dixeris, hoc totum Graecorum fuiſſe commentum. Eſto. At inde diſcimus, non dubitaſſe Graecos, quin Patricius exeunte primo ſaeculo vixerit. De eo Menaeorum loco infra in Diatr. V. mihi erit commentandi opportunitas.

Dixeris, ſi Patricius ſub Tito vixit, poſſe ejus martyrium ad Domitiani perſecutionem referri. At minime id ſequitur; quia ſub Trajano primum Bithynia Chriſtianorum ſanguine redundare coepit. Ergo non ante Trajanum quaeſtio S. Patricii contigit.

Verum ut ad annum ipſum certaminis detegendum praeſtruatur mihi via, proderit prius quis ille Julius fuerit, de quo Acta meminerunt, in apertum proferre.

Digitized by Google

Quod ubi inveſtigatum fuerit, ita demum §. ſeq. in paſſionis annum inquiremus.

Ac plures equidem ab Auguſti aetate ad Plinianam legationem proconſules Bithyniae tum in urbium Bithynarum (161) nummis, tum etiam in Plinii (162) epiſtolis reperio: at neminem unum qui *Julii* nomen geſſerit, praeter *Julium Baſſum*, de quo plures epiſtolae Plinii loquuntur: cujus proconſulatus, uti videbimus, in primordia ipſa Trajani imperantis incidit. Is ergo Patricii noſtri judex fuit.

I. Id vero primum ex eo liquet, quia ex notis adhuc Bithyniae proconſulibus unus is Baſſus *Julii* nomen geſſit.

II. Idem quoq; ex eo colligere poſſumus, quod Pliniani Julii Baſſi procoſ. profeſſio cum ejus Julii, qui S. Patricium capite damnavit, charactere pulchre convenit. Nam Julium Baſſum Plinianum fuiſſe oratorem, ex Plinio ipſo diſcimus IV. 9. ſic ordiente: *Cauſam per hos dies dixit Julius Baſſus, homo laborioſus* &c. Idque multo certius eſſet, ſi Plinianus hic orator idem ille Julius (163) Baſſus rhetor eſſet, cujus multa eſt apud M. Senecam declamatorem mentio, quod tamen quoſdam (164) falſo arbitratos video. At quamvis id ratio temporum non admittat; mihi tamen veriſimillimum fit, Baſſum proconſulem Plinianum illius, quem Seneca audivit, ſive filium (165) nepotemve fuiſſe, ſive ſaltem ex eadem

(161) In Graecis Bithynarum civitatum nummis apud Vaillant. ſignantur ἀνθύπατοι (*proconſules*) plures ſub imperatoribus ante Trajanum. Itaque in Germanici Nicomedienſium nummo ſcribitur: ΕΠΙ ΣΟΥΛΛΑ ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ ΑΝΘ. *ſub Publio Vitellio proco.* Sunt & Claudii Caeſ. nummi tres ab eiſdem Nicomedienſibcuſi, in quorum uno *G. Coelius Balbus*, in altero *A. Mindius Balbus*, in tertio *Firmus*, *proconſules* omnes, leguntur. Et in ejus uxoris Meſſalinae nummo a Nicaeenſibus percuſſo exſtat *proconſul Gellius Rufus*. Eorumdem Nicaeenſium eſt numiſma Neronis, in quo *proconſul* occurrit *Attius Laco*. Sed & Nicomedienſium duo ſunt alii nummi, unus Veſpaſiani, in quo *proconſul* legitur *M. Plancius Varus*, alter Titi, in quo item *proconſul* ſignatur *M. Sulpicius* (ΑΡΧΟΝΤΟΣ) *Proculus*.

(162) Eo pertinet *Velius Paullus* proconſul (ſub quo principe, incertum) ex Plinio X. 66. Eodem *Terentius Maximus* & *L. Appius Maximus*, ad quos Domitiani Epiſtolae ſeorſum exſtant poſt Plinianam 66. lib. X. ut & *Tullius Juſtus*, ad quem Nerva ſcripſit ibid. Adhaec ſub Trajani, opinor, initiis fuit *Pomponius Rufus Varenus*, deinde *Jul. Baſſus*, mox *Anicius Max.* fortaſſis & alii: poſtremo proximus Plinii deceſſor, ac proinde proconſulum ultimus *Servilius Calvus*: de quibus ſuo loco dicetur.

(163) Julii Baſſi rhetoris M. Seneca meminit Controv. 3. 4. 12. 13. 20. 21. 30. & in praef. lib. 3. Controv.

(164) Andreas Schottus in declamatorum apud M. Senecam exſtantium collectione [ubi de Julio Baſſo] hunc errorem erravit, quem & alios poſtea imbibiſſe memini. Atqui id ſtare nullo modo poteſt. In praefat. lib. 3. ſic Seneca filios alloquitur: *Cum Baſſo certamen illi* (Oſco) *fuit, quem vos quoque audiſtis, homine diſerto*. Quum ergo ſic filios alloquitur, jam diu Baſſus fatis conceſſerat. Videtur ergo Baſſus grandior aetate M. Seneca fuiſſe; qui tamen Marcus ſub Auguſto Tiberioque florens, quamdiu poſtea vitam prorogaverit, ignoramus. Atqui Julius Baſſus Plinianus anno Chriſti 101. quando defenſus a Plinio fuit, adhuc vivebat. Vides ergo quam immanis temporum hiatus inter Senecae Baſſum interque Plinianum intercedat.

(165) Potuit quidem filius illius declamatoris eſſe, ſi fingamus animo, Plinianum Baſſum ab illo declamatore ſub ultimum vitae ſuſceptum fuiſſe, ita ut ad Trajani uſque imperium prorogare aetatem potuerit. Maxime quum anno 101. quando a Plinio defenſus fuit, ſenex jam eſſet, h. e. facile major ſeptuagenario. At nihil id neceſſe eſt, quum facilius multo ſit, ſive nepotem illius fuiſſe, ſive ex tranſverſo veniſſe.

Jam vero hujuſne Julii Baſſi Pliniani, an illius ſenioris, de quo M. Seneca, an poſtremo neutrius, filia fuerit Julia quaedam in Campano marmore memorata, haud facile dixerim. Marmor illud in hunc modum eloquitur.

ΙΟΥΛΙΑ ΜΑΡΚΕΛΛΑ
ΙΟΥΛΙΟΥ ΒΑΣΣΟΥ
ΘΥΓΑΤΗΡ
ΚΟΜΜΑΓΗΝΗ ΛΑΥΠΕ
ΧΑΙΡΕ

H. e. *Julia Marcella, Julii Baſſo filia, Com-*

Digitized by Google

eadem familia ; & non tantum nomen cum cognomine ſed & familiarem eloquentiae laudem ab eo hereditariam accepiſſe. Quae facundiae affectatio etiam in Patricii Actis ſe prodit, ubi Julius calidarum ſcaturientium ſalubritatem ad deorum beneficentiam eſſe referendam, ſuadere plane oratorie conatur. Etſi ejus Julianae concionis ſumma tantum Actis S.Patricii [vide Diatr. IV. ſect. 1.] inſerta fuit. Nec alio certe quam ad hujus Julii oratoriam profeſſionem illud referri poteſt, quod in Menaeis [editionis Venetae ann. 1629.] quibus utor, ſic S.Martyr compellatur : Ρητόρων δυνάστας, φωτὶ τῷ θείῳ καταυγαζόμενος, ἐξεφαύλισας. *Rethorum eloquentiam, Divino lumine illuſtratus, contempſiſti*. Ex quibus palam fit, Menaeorum auctores praeter haec Acta Bollandiana habuiſſe & alia monumenta prae manibus, in quibus Julii proconſulis dicendi facultas extolleretur.

III. Poſtremo ab ejuſdem Baſſi Pliniani proconſulatu [qui credo in annum Chriſti centeſimum incidit] eruptio Veſuviana ſub Tito principe proxime aberat: cujus adhuc recens memoria non immerito diſſertationi S.Patricii de ignibus ſubterraneis anſam praebuit : in quam peculiari Diatriba commentabimur.

CAP. III.

Quoto Chriſti anno Julius hic Baſſus Bithyniam rexerit, ac Patricium interfecerit.

§. 1. *Non ante annum Chriſti centeſimum id contigiſſe.*

Annum proconſulatus Julii Baſſi ſunt qui ab ultimo Nervae tempore (166) ordiantur [ita ut partem anni 97. & annum 98. occupaverit] illis Plinii verbis adducti IV. 9. de Baſſo ſic narrantis : *A Domitiano relegatus eſt. Revocatus a Nerva, ſortituſque Bithyniam, rediit reus* &c. Putarunt enim, hoc ſibi velle Plinium, ſub eodem Nerva, a quo revocatus fuit, illum ſortitum eſſe provinciam. Quum tamen Plinius ita narret ac ſi diceret, *Revocatus a Nerva, ſortituſque* [poſtea] *provinciam, rediit reus*.

Verum quid pluribus lectorem moror? Baſſum nō ante extremum annum Chriſti centeſimū de provincia deceſſiſſe(proinde menſe Maio ejus anni Patricium condemnaſſe) ſic oſtendo. Is de provincia *rediit reus*, provincialibus ſimul Romam commeantibus ad inſtruendam illius accuſationem. Atqui idem Baſſus non potuit ante annum 101. peragi reus. Quocirca non ante anni centeſimi finem de provincia redire potuerat. Jam quod non ante annum 101. cauſa Baſſi agi potuerit, ſic demonſtratur. Baſſus defenſores habuit Plinium hunc ipſum Juniorem, & L.Albinum, ambos *conſulares* [teſte eod. Plinio ibidem Theophanem impudentiae accuſante, *quod poſt duos, & CONSULARES & diſertos*, Plinium ſcil. & Albinum, *tempus ſibi & quidem laxius vindicavit*] atqui Plinius non ante Septembrem anni poſt Chriſti ortum centeſimi ſuffectus eſt conſul. Quo fit, eum non ante annum 101. *conſularem* vocatum, defendere Jul. Baſſum potuiſſe, nec huic ante annum 100. de Bithynia decedere licuiſſe.

Idem & ex dicendis de Rufo Vareno conſtabit : quem Varenum (utpote ſtatim a Baſſi judicio accuſatum) oſtenditur, inter Tullium Juſtum & Jul. Baſſum regere Bithyniam debuiſſe h. e. partem anni 98. partemque 99. ac proinde Baſſum ab anno 99. ad 100. fuiſſe proconſulem.

§. 2.

magena, bono ſis animo (gr. ἄλυπος h.e. *nullo maerore affecta*) *vale*. Sed facilius dicta eſt, ſi quidem haec domo *Commagena* fuerit, eam cujuſvis alterius Jul. Baſſi fuiſſe filiam : nam plures cognomines marmora nobis prodiderunt. Apud Grut. p. 125. 8. ſub Tiberio inter pontifices Albanos refertur quidam *C. Julius C. F. SC Aptia* (tribu) *Baſſus*. Apud eumdem p. 475. 4. inter magiſtratus Sueſſanos occurrit quidam *T. Julius Baſſus*.

(166) Ab extremis, inquam, Nervae menſibus ; quia ceteroqui *Tullio Juſto* dandus eſt ſub Nerva locus, ad quem is imperator ſcripſit epiſtolam, quae inter Plinianas lib. X. 66. exſtat.

Digitized by Google

§. 2. *Nec poſt eumdem annum centeſimum Julii Patricium damnantis proconſulatum differri poſſe. Obiter de Plinianae legationis anno.*

Vtinam vero pari felicitate poſſemus oſtendere, nec poſt eum, quem dixi, annum 101. Jul. Baſſi cauſam fuiſſe cognitam, ita ut eopte plane anno 101. Baſſus a Plinio defenſus (proindeque praecedente proconſul Bithyniae) fuerit. Et tamen de eo viri doctiſſimi Noriſius ac Tillemontius ne dubitarunt quidem: quorum ille in Epiſt. Conſul. ubi de Plinii legatione agit, ſic ſcripſit: *Idem* [Plinius] *lib. 6. epiſt. 29. narrans Quadrato ordinatim cauſas ab ſe agitatas, ait*: Accuſavi Marium Priſcum: *deinde*: tuitus ſum Julium Baſſum. *Accuſavit Marium Priſcum coram Trajano tertium conſule ann.* 100. *ex lib.* 2. *ep.* 11. *menſe Januario, quum* [ipſe] *eſſet conſul deſignatus in Kal. Septembris ex lib.* 10. *ep.* 20. *Idem lib.* 4. *ep.* 8. *narrat, ſe poſt conſulatum accepiſſe a Trajano auguratum; epiſtola vero ſeq. acta in cauſa Baſſi deſcribit. Itaque anno* 101. *Jul. Baſſi cauſa cognita fuit.* Verum haec viri ſummi argumentatio pluribus laborat incommodis. I. Nam primum lib. VI. ep. 29. inter Marii accuſationem, & Baſſi defenſionem nihil impedit, quin biennium aut quantumvis temporis, ſi neceſſe id ſit, interceſſerit. II. Deinde auguratum quidem poſt conſulatum [h. e. poſt annum 100.] accepit Plinius; ſed quamdiu poſt conſulatum, non dicit. Quin imo ſi verum eſſet Jul. Frontinum [cui mortuo Plinius in auguratu ſucceſſit] ad ann. uſque 106. vixiſſe [quod quidem in Clariſs. Poleni Prolegomenis ad Frontinum ſcriptum reperi: etſi ea mera eſt conjectura, firmiore indigem tibicine] ſequeretur, Plinium nonniſi eod. ann. 106. in Augurum collegium fuiſſe cooptatum. III. Poſtremo ex epiſtolarum ordine plura paſſim ſic colligit Noriſius, quaſi ſi illae quo nunc proſtant ordine, eodem & perſcriptae primum fuerint: quum tamen ſatis Plinius ipſe I. 1. Septicio teſtetur, ſe eas collegiſſe, *non ſervato temporis ordine . . . ſed ut quaeque in manus venerat*. Quod & in pluribus epiſtolarum locis aperte deprehendi. Quare non, quia epiſtolam de auguratu accepto proxime illa conſequitur, qua Baſſi judicium enarratur, continuo idem & rerum ordo fuit.

Atqui accuratiſs. Tillemontius in Noriſii ſententiam [quippe ſibi (167) ſatis commodam] ivit, qui & in utraq. Tab. chronologica [tum illa quam tomo 2. Caeſarum, tum quam tom. 2. Memoriarum ſubjecit] Julii Frontini mortem aeque ac Baſſi judicium in ann. 101. confert. Cujus ſententiae certitudinem magno equidem mercarer; ne Patricii ſcil. certaminis annus fluctuaret incertus, ſed anno centeſimo affixus haereret.

Ac poterat quidem ſaltem ex anno Plinianae profectionis in Bithyniam lux aliqua Baſſi judicio, ut & anno Paſſionis S. Patricii affundi, ſi certo conſtaret quo potiſſimum anno Plinius eam provinciam attigerit. Nam ſi Plinius Caecilius exeunte aeſtate anni 103. [uti cenſet Tillemontius] profectus in Bithyniam fuit; non licebit Baſſi proconſulatus finem ultra extremum annum Chriſti centeſimum prorogare; quippe quum inter Baſſum atque Plinium duo (168) ſaltem proconſules

(167) Percommodum Tillemontio fuit Baſſi cauſam non ultra annum 101. differre, quippe arbitrato, Plinianam Bithyniae legationem a Septembri anni 103. incipere; quum ceteroqui inter Baſſum & Plinium rectores aliquot interceſſiſſent, uti Noriſius oſtenderat.

(168) Inter Baſſum atque Plinium non duos dumtaxat, ſed longe plures recenſet Noriſius [in Epiſt. Conſ. pag. 69. edit. Bonon.] ac primum quemdam incertum, quem vult deſignatum videri a Plinio X. 64. deinde & *Rufum Verecundum*, & *Anicium Maximum*, & *Serviſium Calvum*, ac fortaſſis alios. Itaque quatuor minimum ejus provinciae rectores indicaſſe ſe putat, qui Baſſum inter atque Plinium interceſſerint. Verum bona cum viri ſummi venia duos tantum Baſſi ſucceſſores ante Plinium equidem exploratos habeo, Anicium Max. ac Serviſium Calvum: de ceteris nihil conſtat. Nam incertus ille, qui a Plinio X. 64. deſignatur, quid impe-

Digitized by Google

les intercesserint, oporteat. Quod si Plinii legatio ab autumno anni 109. aut 110. [uti Norisius statuit] inceperit; tum sane fas erit Patricii passionem & Bassi proconsulatus finem vel usque ad annum 103., ac fortassis aliquanto ulterius differre. Verum utri ex his annis Plinii in Bithyniam adventus sit affigendus, de eo adhuc chronologi certant: de quo mox infra pauca subjiciam in Adnot. 170. ubi post ann. 107. Plinium in suam provinciam deducemus.

Interim tamen, quia tum a Norisio (in Epist. consul. p. 69.) tum etiam a Tillemontio Bassi judicium in annum 101. conjicitur; id interim impune tenebimus [donec certe aliquis nos veriora docuerit] ac proinde Patricii passionem in Maium anni centesimi conferemus: praesertim quum in tantis temporum ambagibus lux mihi demum aliqua affulserit, cur Julii Bassi judicium haud serius anno 101. exerceri debuerit.

§. 3. *De eo, quod Bassi accusatio haud serius anno* 101. *contigerit, amplius.*

Lux vero illa ex Rufi Vareni causa proxime Bassi judicium consecuta petitur. Etenim quo tempore Vareni judicium jam processerat, Trajanus aberat [dicente Plinio VI. 13. Bithynos senatusconsultum, quo Vareno liceret pro se testes evocare, non tantum apud consules carpere, sed *etiam ABSENTI principi criminari* ausos fuisse] aberat autem haud dubie ad prius Dacicum bellum profectus, in quod sive extremo anno 101. sive anno 102. exercitum duxerat. Atqui mox sub ejusdem judicii exitum jam Trajanus Romae aderat, gratulante Plinio VII. 6. his verbis: *Adest provinciae legatus: attulit decretum consilii* [Bithynici] *ad Caesarem, attulit ad multos principes viros, attulit etiam ad nos Vareni advocatos.* Et ad ejusdem epistolae finem: *Consules .... omnia integra principi servaverunt; cujus cognitionem suspensus exspecto*; utique quod Caesaris reditus immineret. Ac demum ejusd. libri ep. 10. Caesar praesens jam interloquitur: *Finitis* [ait Plinius] *actionibus Caesar, Neutra, inquit, pars de mora queretur. Erit mihi curae explorare provinciae voluntatem*, num scil. ex animo Vareni accusationem omitteret. Haec vero Trajani interlocutio non ante, nec post annum 103. figi potest, quo tempore is Romam rediens *Dacicus* vocari coepit. Quumque ejusdem Vareni accusatio anno 102. ut ante diximus [aut, si sit opus, exeunte anno 101.] coepisset institui: ex eo fit consequens, Bassi causam, judicio Vareni

impedit, quominus prior duorum, quos dixi certos esse, fuerit? Rufus vero Varenus, si me audis, non unus ex successoribus Bassi fuit, sed unus ex decessoribus, ac facile proximus Bassi decessor. Quod sic ostendo. Bassi judicium ratum Vareni causa consecuta fuit ex VI. Ep. 29. *Tuitus*, inquit, *sum Jul. Bassum ... dixi PROXIME* [a Bassi scil. defensione] *pro Vareno*. Quod & ex V. ep. 20. confirmatur, ubi sic incipit: *Iterum Bithyni post BREVE TEMPVS a Jul. Basso, etiam Rufum Varenum protos. detulerunt: Varenum, quem NVPER adversus Bassum advocatum & postularant & acceperant*. Quibus ex verbis assequimur, Varenum non potuisse in Bithyniam proficisci post Bassi judicium, quia & ipse PROXIME eamdem subiit calamitatem. Quam calamitatem non perpeti potuit pendente judicio Bassi, quippe cui Varenus ipse ut Bithynorum advocatus interfuit: nec proxime ante Bassi accusationem; nam Bassus ex provincia *rediit reus*, uti loquitur Plinius IV. 9. & quia ex V. 20. VI. 29. Bassi causae Vareni judicium ratum successit. Omitto quod inter Bassi ex provincia decessum, ejusdemque judicium non satis intercesserit temporis, quo Varenus & legitimum administrationis tempus absolveret, & idem Romam reversus, Bithynis advocatus adversus Bassum daretur. Quocirca non aliud relinquitur, nisi ut Rufus Varenus proxime ante Bassum Bithyniam rexerit. Certe Tullio Justo, qui sub Nerva partem anni 97. partemque anni 98. Bithyniae praefuerit, successisse Varenum necesse est, qui eam reliqua anni 98. parte, ac portione anni 99. moderatus, sibi ab eod. anno 99. ad usq. labentem annum 100. Jul. Bassum successorem habuerit. An vero alios post se Bassus successores ante Plinium, praeter Anicium Max. & Servilium Calvum, habuerit, id ex Plinio non constat, sed ex anno Plinianae legationis pendet.

Digitized by Google

ni proxime praeambulam, non ultra ann. 101. produci posse, sed eopte anno 101. agi simul ac terminari debuisse. Quid ita? quoniam non uno eodemque tempore Bassi ac Vareni causae simul agi potuerunt, quia in tota Bassi causa Varenus Bithynorum adversus Jul. Bassum advocatus fuit ex initio epistolae vicesimae lib. V. ubi sic Plinius incipit: *Iterum Bithyni POST BREVE TEMPVS a Jul. Basso, etiam Rufum Varenum procons. detulerunt: Varenum, quem nuper adversus Bassum advocatum & postularant & acceperant.* Ex quibus praeterea hoc discimus, brevi post tempore & ipsum Varenum a provincialibus accusatum. Vnde & idem VI. 29. scribit: *Tuitus sum Jul. Bassum ... dixi PROXIME pro Vareno.*

Dicet fortasse aliquis, inutiliter a nobis biennium in totum judicii Vareni cursum impendi, quum ea causa satis superque uno anno 103. expediri potuerit. Quo quidem anno, si, quamdiu adhuc Caesar aberat, causam inceptam fingamus; nihil impedit, quin Caesare postmodum reverso, terminari judicium potuerit. Id si sequimur; tum vero Bassi accusatio non in annum 101. sed 102. conferetur, ejusdem vero proconsulatus non in annum 100. sed 101. Respondeo, ex iis, quae Plinius VI. 5. 13. 29. VII. 6. 19. de multiplici causae Vareni fortuna narrat, luce clarius esse, non potuisse totam eam telam uno anno pertexi. Sane quidem *Vareni causam in aliquot annos protractam* fuisse Norisius in Ep. Conf. loco cit. censuit. At verius est, eam haud ferme plus biennio solido perdurasse; quum jam anno 103. postquam [ex Plin. VII. 6.] principis [qui tum certe aberat] cognitio exspectata fuisset, tandem reverso Caesare exitum illum habuerit, quem paullo supra ex Plin. VII. 10. indicavimus.

Ergo quum ex dictis Vareni judicium totū annū 102. partemq. annor. 101. & 103 necessario occupaverit; ex eo fit consequens, Bassum haud serius anno 101. peragi reum potuisse. Atqui nē citius quidem eodem anno accusari potuit, ut ante dictum. Ergo eopte anno 101. aut [si mavis] anno 100. exeunte Jul. Bassus REVS [uti loquitur Plinius] ex provincia REDIIT; qui proinde prorsus mense Maio ejusdem anni 100. interficere S. Patricium debuit. Nam ejus provinciae administratio, quamdiu populi fuit, haud longior annua (169) fuit. Pluribus in hac(*) re supersedeo.

Atque in Bassi proconsulatu in annum Christi centesimum conferendo me justo longiorem fuisse, nondum plane poenitet. Nam praeter §. seq. dicenda, permagni intererat antiquitatem Martyris Patricii agnoscere. Quem sub finem aevi Apostolici pro Christo occubuisse [sive scil. eodem quo Joannes Evangelista anno, sive quadriennio ante ejusdem obitum: de cujus obitu vide Tillemontium in Jo: Apost. Not. 15.] non sine voluptate nunc primum addiscimus.

§. 4. *Ex occasione de Bithynicae Plinii legationis anno.*

Habes jam cur ex Bassi ac Vareni accusationibus inter se collatis Bithynica Julii administratio in annum centesimum conferri debeat. Atqui & eadem opera simul intelligere & hoc possumus, haud satis commode ab aliquibus Plinii in Bithyniam introitum in Septembrem anni 103. con-

(169) Id ex Suetonio didici in Octavio cap. 47. *Provincias validiores, & quas ANNVIS magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat* (ubi *annua magistratuum imperia* ad populi provincias pertinent) *ipse suscepit: ceteras proconsulibus sortito permisit.* Vno verbo in populi provinciis annuae sortitiones & cetera prisco more fiebant: quum contra in Caesareis tempora ad Principis nutum producerentur aut contrahe rentur.

(*) Duo sunt alia argumenta, quae sub prelo ipso heic tango, alibi exponenda. I. Ex Plinii VI. 5. adulto jam Vareni judicio, adhuc forsan Caesar Romae aderat. Ergo ann. 101. debuit Vareni judicium inchoari, & eod. ineunte, aut anno 100. exeunte Bassus accusari. II. Quas in hoc rationes inivimus, eae nituntur Norisii calculis, Trajanum anno 103. ex Dacia reducentis. At si alios plures sequimur, eum Trajani reditum in ann. 102. conferentes; non potuit Varenus serius anno 101. accusari, nec Bassus nisi anno 100. ex Bithynia decedere. Vide Append. post Diatr. V.

Digitized by Google

conjici. Etenim quando Trajanus ex Dacia redux in Vareni causa interlocutus apud Plinium VII. 10. inducitur in hunc modum, fore sibi *curae explorare provinciae voluntatem* [locum ipsum supra recitavimus] tunc annus Christi 103. agi debuit, eoq. tempore Plinius adhuc Romae commorans Vareni causam tuebatur. Non est autem verisimile, eodem anno post eam principis interlocutionem tantum superfuisse temporis, ut Caesar Pontum ac Bithyniam ex populari Caesaream efficeret, deinde ei provinciae Plinium legatum pro praetore destinaret. Qui quandoquidem medio Septembri mense [ex X. 28.] provinciam attigit; debuit aliquot ante mensibus a principe designari, quos menses ad se comparandum, & ad longae navigationis [in qua ex X. 26. & 28. *contrariis ventis retentus* fuit] terrestris itineris, & Pergamenae commorationis [ex X.28.] cursum impenderet; ita ut [X.28.] *tardius quam speraverat* i.e. XV. Kal. Oct. Bithyniam intrasse se fateatur. Sane quidem post Vareni causam a Trajano (Romam anno vergente reverso) cognitam usque ad XV. Kal. Oct. res tam multas eodem anno confertim contigisse, difficile dictu est. Illud longe facilius est, quod Tillemontius extrema Not. XVII. promovet, Trajani in orientem profectionem duplicem esse admittendam, unam extremo anno 106. alteram anno 112. aut aliquanto serius. Quo posito Plinii in Bithyniam adventus in Septembrem anni 108. aut sequentium percommode referetur: nam eo tempore Trajanum Romae fuisse necesse fuit, id quod ceteroqui Plinianae lib. X. epistolae omnino requirunt. Verum haec obiter (nam inferne (170) plura quaedam cupidis damus) ut intelligamus sub annum 110.

Pli-

(170) *Amplius de anno Plinianae legationis ex Vareni causa colligendo.*

Quae confertim de Bithynica Plinii administratione diximus, licebit ea latius deducere: maxime quum eam legationem permagnas ad Ecclesiae historiam utilitates habentem (quippe quum exinde tum Plinianae de Christianis epistolae, tum rescripti Caesarei tempus eluceat) doleant eruditi viri, nondum certa temporum statione fixam videri. Ea porro Plinii administratio tres annos non totos tenuit: nam ingressum provinciam extremo mense Septembri, toto anno sequenti, ac praeterea partem tertii perduraſſe eum in provincia ex epistolis libri X. deprehenditur.

Debet autem ea legatio in id tempus conferri, quo Trajanus maximam partem Romae fuerit; quod Plinianae epistolae libri X. praeseferunt. Porro non aliud Trajano vacuum ab externis bellis ab se administratis tempus fuisse volunt, quam sive quod inter utrumq. Dacicum bellum interceſſit, sive quod a Dacico altero ad expeditionem Parthicam medium fluxit. Proinde horum alterutri Plinianam Bithyniae administrationem alligandam esse crediderunt.

Atqui id etiam dolemus, parum inter criticos convenire, quo anno Trajanus in orientem profectus fuerit: cujus profectionis tempus haud mediocrem propraturae Plinianae certo temporis affigendae lucem affunderet. Itaque quum Norisio certum videretur, Trajani expeditionem Parthicam non ante annum 112. eveniſſe; hinc eidem commodiſſimum fuit Plinianam praefecturam extremo anno 109. aut 110. adligare: quarum utramque Pagius, non optimis rationibus fretus, haud paullo ulterius prorogavit. Contra vero accuratiſſ. Tillemontius (in Trajano Not. 17.) quum ex Actis S. Ignatii M. & ex aliis pluribus monumentis negari prorsus non posse, demonstrasset, quin Trajanus extremo anno 106. in orientem profectus, mense Januario sequentis anni Antiochiam ingressus fuerit, hinc Plinianam legationem in id tempus contulit, quod inter utrumque Dacicum bellum interceſſit. Putavit igitur, Plinium mense Septembri anni 103. Bithyniam ingressum, anno 105. ex eadem pedem retuliſse.

Atqui utinam in eo Tillemontiani calculi procederent: ex iis certe plus roboris accederet Julii Bassi proconsulatui, quem post annum Christi centesimum differri posse negavimus. Ergo Tillemontii rationes in figenda Pliniana legatione veras esse, magno mercarer. Nunc quia veritas amicior; Plinium anno 103. toto, ac forsitan etiam 104. Romae fuisse, sic ostendo.

Vareni causam, quam Plinius defendit, varia fortuna fuisse per aliquot annos (minimum duos) disceptatam, ostendunt epistolae Plinii V. 20. VI. 5. 13. 29. & VII. 6. 10. Ea porro Vareni causa Bassi judicium proxime fuerat con-

Digitized by Google

Plinium de Christianis consuluisse Trajanum, ab eoq. celebre de eisdem rescriptum elicuisse, decennio ferme post S. Patricii in eadem provincia martyrium.

CAP. IV.

De Julio Basso Plinianae aliquot narrationes.

Quandoquidem autem ea ex Plinio delibavimus, quae ad Julii Bassi proconsulatum Bithynicum anno Christi centesimo affigendum pertinerent; proderit nunc ex eodem & illa depromere, quae ejusd. Bassi vitam & ingenium leviter adumbrare possint. Sic ergo Plinius nonam lib. IV. epistolam inchoat. *Causam per hos dies dixit Jul. Bassus* [quem rhetorem fuisse, & Jul. Bassi senioris artis oratoriae heredem, hinc discimus: de quo vide supra c. 2. 33] *homo laboriosus & adversis suis clarus. Accusatus est sub Vespasiano a privatis duobus: ad senatum remissus, diu pependit; tandemq. absolutus vindicatusque est. Titum timuit, ut Domitiani amicus: a Domitiano relegatus est. Revocatus a Nerva: sortitusque* [postea, uti dixi, non sub eodem Nerva] *provinciam, rediit reus: accusatus non minus acriter, quam fideliter defensus, varias sententias habuit, plures tamen quasi mi-*

secuta. Itaque quum supra ostenderimus, Bassi causam non ante annum 101. incidisse, consequens sit, Vareni (qui Bithynorum advocatus in Bassi accusatione fuerat) judicium haud citius anno 102. (aut summum 101. exeunte) exercerí coepisse. Atqui eo judicio non tantum incipiente, verum etiam procedente (ubi jam scil. Vareno concessum fuisset testes ex Bithynia evocare) Trajanus aderat (ex VI. 5. in fine, ubi quidam litigantibus *propitium Caesarem*, praesentem utique, *ut in ludrico aliquo*, precabantur) nondum scil. ad Dacicum bellum anterius profectus. Ergo anno 102. (saltem ineunte) adhuc Trajanus Romae aderat, ac ferventibus Vareni judiciis intererat. Mox secuta est eodem omnino anno Trajani absentia [dicente Plinio VI. 13. *Bithyni senatusconsultum*, quo nempe Vareno licuit evocare testes, *apud consules carpere.. sunt ausi, atque etiam ABSENTI principi criminari*] Trajani inquam absentia ad Dacicum prius bellum profecti. Quod bellum si minus triennale, uti volunt, at biennale certe fuisse necesse est; nec ante ann. 103. perfectum, quo de Decebalo triumphatum Norisius censet. Et tamen tum adhuc de Vareno disceptabatur, uti Plinius aperte indicat ad finem epist. 6. lib. VII. *Consules.. omnia integra Principi* [jam adventanti] *servaverunt; cujus cognitionem suspensus exspecto. Nam dies ille* [adventus Caesaris] *nobis pro Vareno aut securitatem & otium dabit, aut intermissum* (causae illius) *laborem renovata sollicitudine injunget.* Postremo praesens jam Romae Trajanus in ea causa interloquitur apud eumdem Plinium VII. 10. *Acta causa hinc a Polyaeno, inde a Magio. Finitis actionibus, Caesar, Neutra, inquit, pars de mora queretur. Erit mihi curae explorare provinciae voluntatem*, omitterent ne, (uti dicebatur) accusationem, an nihilo minus persequerentur.

Ex his vides, quamdiu Vareni accusatio flagravit, Plinium, utpote rei tam illustris patronum, Romae semper substitisse, ac de profectione saltem imminente in provinciam (si quidem eam sibi Caesar destinavisset) ne cogitasse quidem, certum de continuandis ejusdem patrocinii laboribus, nisi provinciales accusationem omitterent, ut ex ejusdem epistolae fine constat. Quo pacto is igitur mense Septembri anni 103 [uti quidem volunt] Bithyniam attigit, qui eodem anno vergente Romae Vareno periclitanti opem ferebat?

Fac vero, Trajani reditum non in vergentem annum 103. sed in eum medium incidisse. Ne sic quidem mense Septembri ejus anni Plinius in Bithyniam inferre pedem potuit, ad quam provinciam saltem eo ineunte anno destinari debuerat, ut & se compararet, & longissimo itineri tempori satis esset.

Quod ergo tempus Plinii propraeturae Ponti seu Bithynicae assignabimus? Non aliud certe, quam inter annum 107. [quo anno ineunte Trajanus Antiochiae S. Ignatium damnavit, ac postmodum Romam rediisse omnino videtur] & annum 111. quo videtur Trajanus iterum in orientem reversus. De ea duplici Caesaris expeditione Parthica videatur praeter ceteros Tillemontius eadem Not. XVII. extrema: ubi idem non repugnat, quin, si cui non libeat Plinii legationem in ann. 103. conferre, possit commode eamdem in medium inter utramque Parthicam expeditionem tempus conjicere. Ergo quum supra liquido ostenderimus, Plinium majorem partem an. 103. Vareni causae vacasse; non aliud relinquitur, nisi ut illo medio, quod diximus, inter utrumque orientis iter tempore provinciam administraverit.

Digitized by Google

mitiores. Egit contra eum Pomponius Rufus [Varenus: de quo vide V.ep.20.] *vir paratus & vehemens. Rufo successit Theophanes, unus ex legatis* [Bithynis] *princeps accusationis & origo. Respondi ego. Nam mihi Bassus injunxerat, ut totius defensionis fundamenta jacerem: dicerem de ornamentis suis, quae illi & ex generis claritate* [ab Jul. scil. Basso rhetore illustri deductae] *& ex periculis ipsis magna erant; dicerem de conspiratione delatorum, quam in quaestu habebant* [unde tales dicti *quadruplatores*] *dicerem causas, quibus factiosissimum quemque, ut illum ipsum Theophanem, offendisset. Eumdem me voluerat occurrere crimini, quo maxime premebatur; in aliis enim quamvis auditu gravioribus non absolutionem modo, verum etiam laudem merebatur. Hoc illum alias onerabat, quod SIMPLEX & INCAVTVS* [idē ejus mos VI. 29. describitur] *quaedam a provincialibus ut amicis acceperat. Nam fuerat in provincia eadem quaestor. Haec accusatores furta ac rapinas; ipse munera vocabat: sed lex munera quoque accipi vetat. Hic ego quid agerem? . . . Negarem? Verebar, ne plane furtum videretur, quod confiteri timerem . . . praesertim quum reus ipse nihil integrum advocatis reliquisset. Multis enim, atque etiam Principi dixerat, sola se munuscula dumtaxat natali suo aut Saturnalibus accepisse, & plerisque misisse.* Ex qua ingenua confessione Bassi hujus simplicitatem a Plinio in eo notatam, ut & *incustoditum* & *incautum* ingenium animadvertis. Deinde defensionis suae ratione tota ac successu descripto, pergit idem Plinius. *Successit mihi Lucius Albinus tam apte, ut orationes nostrae varietatem duarum, contextum unius habuisse credantur. Respondit Herennius Pollio instanter & graviter: deinde Theophanes rursus. Fecit enim hoc quoque, ut cetera, impudentissime, quod post duos, & CONSVLARES et disertos, tempus sibi & quidem laxius vindicavit. Dixit in noctem, atque etiam nocte, illatis lucernis. Postero die egerunt pro Basso Titius Homullus & Fronto mirifice: quartum diem probationes occuparunt.* Hactenus dictio causae: mox sententiae dictae fuerunt in hunc modum. *Censuit Baebius Macer consul designatus, lege repetundarum Bassum teneri: Caepio Hispo, salva dignitate* [i.e. non adempta dignitate senatoria] *judices dandos . . . Praevaluit sententia Caepionis . . . Fuit & tertia sententia. Val. Paullinus adsensus Caepioni, hoc amplius censuit, referendum de Theophane, quum legationem renuntiasset* [nam quamdiu legatus, accusari jure non poterat] *arguebat enim multa in accusatione feciſſe, quae illa ipsa lege, qua Bassum accusaverat, tenerentur. Sed hanc sententiam consules, quamquam maximae parti senatus mire probatur, non sunt persecuti. Paullinus tamen & justitiae famam & constantiae tulit. Misso senatu, Bassus magna hominum frequentia, magno clamore, magno gaudio exceptus est. Fecerat eum favorabilem renovata discriminum vetus fama, notumque periculis nomen, & in procero corpore maesta & squalida SENECTVS.*

De eodem sic breviter VI. 29. *Tuitus sum Jul. Bassum, ut INCVSTODITVM nimis & INCAVTVM, ita minime malum. Judicibus acceptis, in senatu remansit.*

Sed & illud ad ejusdem judicii exitum pertinet, quod ejus in provinciae administratione acta rescissa fuisse narrantur X. ep.64. ubi sic Plinius Trajanum consulit. *Haec quoque species incidit in cognitionem meam. Est enim adductus ad me in perpetuum relegatus a Julio Basso procos.. Ego quia sciebam, acta Bassi rescissa, datumq. a senatu jus omnibus, de quibus ille aliquid constituisset, ex integro agendi dumtaxat per biennium, interrogavi hunc quem relegaverat, an adiisset docuisset que proconsulem* [successorem]: *negavit. Per quod effectum est, ut te consulerem, an reddendum eum poenae suae, an gravius aliquid, & quid potissimum, constituendum putares & in hunc, & in eos qui in simili forte conditione invenirentur . . . Decretum Bassi his literis subjeci.* Trajanus suo rescripto gravius in illum relegatum animadvertens, non satis esse duxit, eum poenae suae restitui, quam contumacia eluserat, sed

Digitized by Google

vinctum mittendum esse ad praefectos praetorii, Atque ea sunt quae de Julio Basso ex Plinio novimus. Cujus Julii simplex ingenium & incautum, ut a Plinio describitur, est ubi in S. Patricii Actis deprehendere queas, ut in loco notabitur.

DIATRIBA IV.

CAP. I.

Acta sincera S. Patricii cum subjectis animadversionibus.

ADMONITIO.

Graeca S. Patricii Prusae Episcopi Acta ex cod. Ms. Bibliothecae Florentinae S. Laurentii erua primi omnium Bollandiani socii ad 28. April. ediderunt, ab Jo: Ravestenio S. J. Latinitate donata: quae mox Ruinartus in sua Acta Martyrium sincera intulit. Ea vero interpretatio quum sententiae magis haereat, quam verba auctoris exprimat; non mihi visa est nostri hujus aetatis ingenio obsecundare, qua viri eruditi non sententiae tantum summam propinari sibi cupiunt, sed &, quoad fieri potest, verba ipsa cognoscere, quibus sententiae concipiuntur. Quocirca quum ceteroqui ea Acta haud longa sint; non invitus heic ea sic transtuli, ut plerumque verbum verbo fidus interpres redderem. Sectionum partitionem eam secutus sui, quae apud Bollandianos Graeco textui adhibetur: nam in Latina translatione ea partitio apud ipsos Bollandistas est paullo diversa, apud Ruinartum autem diversissima. Titulus Graece apud Bollandistas talis est, Μαρτύριον τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων Πατρικίου ἐπισκόπου Πρύσης.

MARTYRIVM SANCTI HIEROMARTYRIS PATRICII

Episcopi Prusae.

1. Diebus illis sub praeside Julio (*) proconsule, quum is ex idolorum insania (171) laboraret; ad Therma (172) veniens, Aescu-

(*) Sero animadverti, Cedrenum pag. 242. ex his Actis profecisse, ac S. Patricii concionem, quae infra sect. 45. legitur, de thermis eisdem prope verbis describsisse. Initio autem (quod huc attinet) hunc Bithyniae rectorem διαιτητὴν ἀνθύπατον *judicem proconsulem* vocat. Hoc eo notavi, nequis *proconsulis* appellationem (a qua hujus Martyris antiquitas Diatr. superiore petita fuit) heic a posteriore manu insertam calumnietur. Verum ad Cedrenum ipsum in Diatr. seq. enotabimus quae ei scriptori cum his Actis conveniunt.

(171) Salse dictum de eo, qui incommodis aliis auxilium a thermis quaerens, longe interim graviore insaniae idololatricae morbo laboraret, ne tribus quidem *Anticyris* [ut ille ait] persanabilis.

(172) Hunc Actorum locum sic transtulit prior interpres, quasi si τὸ θέρμα heic sit appellativum *thermarum* vocabulum, sic reddens: *Cum ingressus thermas, sacra Asclepio & Salutī peregisset.* Sed id nomen esse proprium sive oppidi sive vici prope Prusam Olympenum [quamvis a calidis erumpentibus inditum] cujus loci incolae Θερμηνοὶ *Thermeni* dicerentur, jam supra Diatr. 2. cap. 2. ex Stephano docuimus. Ea vero plena appellatione Θέρμα [non θερμά: nam oxytonum est appellativum, paroxytonum autem proprium loci nomen, auctore Ethnicographo: eoque modo heic Graece scribendum est] plena, inquam, appellatione Θέρμα βασιλικὰ h. e. *Therma regia* vocata fuisse, tum Stephanus, tum Constantinus Porphyrogenitus prodiderunt. Ergo illud ἐλθὼν ἕως ἐν τοῖς Θέρμοις, ἔθυσεν &c. sic totidem verbis Latine sonat, *Veniens hic* [Jul. proconsul] *ad Therma* [Basilica] *Aesculapio & Hygiae sacrificavit.* Eam vero calidarum scaturiginem hodiedum ibi-

Digitized by Google

Aeſculapio (173) & Hygiae ſacrificavit; atque ubi ſe in (174) calidae ſcaturigine (175) recreaſſet, ſtatui ſibi (176) tribunal, ac ſedens ſanctum Patricium ad ſe perduci juſſit. Quem adductum ſic (177) pro tribunali allocutus eſt Julius (178) conſularis. , Vide (179) quan-

ibidem frequentari, teſtis eſt locupletiſſimus Turneſortius in ſuo pererudito itinerario to. 2. epiſt. XXI. pag. 189. , Le 23. Novembre nous al- , limes voir les Nouveaux Bains de *Capliza* ... , a un mille de la ville (de Pruſe) & a main droi- , te du chemin de *Montania*. Les Turcs les ap- , pellent *Jani - Capliza* c' eſt a dire *Nouveaux* , *bains*. , Quorum deſcriptionem exſecutus, de- inde ſic ſubjicit Noſter. , A deux milles de Pru- , ſe & a un mille des *Bains nouveaux* ſur le , chemin qui va de Smyrne a la ville de *Cechir-* , *gè*, ſont les anciens bains de *Capliza*, que les , Turcs appellent *Eski Capliza*. Le Docteur , Marc Antoine *Cerci* nous y accompagna & , nous fit remarquer, que dans ce village il y , avoit un bel Imaret; c' eſt ſans doute celui , qui fut fonde par Mourat I. Les eaux du vieux , Capliza ſont fort chaudes & quoique le bâti- , ment ſoit a peu pres comme celui des nou- , veaux bains & par conſequent peu ancien; il y , a beaucoup d'apparence que ce ſont les eaux , chaudes Royales dont ſe ſervoient les Grecs , du tems que leur Empire floriſſoit, & dont , Conſtantin & Etienne de Byzance ont fait , mention. Mahomet I. les fit retablir & mettre , dans l' etat où elles ſont.

(173) In Gruteri, Reineſii, Fabretti, Muratorii inſcriptionibus vix uſquam *Aeſculapium* ſine *Hygia* (ejus filia) nominari videas; quae alicubi *Salus* aut *Sanitas* Latino nomine nuncupatur. Ac ſane LEX. COLLEGI. AESCVLAPI. ET. HYGIAE, quae in illuſtri marmore Barberino deſcribitur apud Fabrettum pag. 724. & apud Sponium, quae amborum religio Romae ſub Antonino Pio fuerit, docere poteſt: ut alia plura monumenta taceam. Ex hoc vero loco diſcimus, templum aut aram Aeſculapii apud Thermenos fuiſſe, deoque ſacrificare ſoluros conſueviſſe. Serpens baculo involutus (celebre Aeſculapii ſymbolum) in Pruſienſium nummis exhibebatur, ut in Diatr. 2. animadvertimus.

(174) Graece eſt, ἐν ταῖς πηγαῖς τῶν ζεμάτων. Atqui apud probos ſcriptores ζέμα eſt *decoctum*, adhuc fervens utique, quod & derivatio oſtendit. Hinc Dioſcoridi ζέμα ἀψινθίου eſt *decoctum abſinthii*. Eidem ſcriptori id ſaepius ἀπόζεμα vocatur. Apud Latinos autem aevi ſequioris ZEMA aut eſt *juſculum* (Papias *jus coquinae* interpretatur: in Gloſſis Ms. *Zema, aqua ſaginata, ubi caro coquitur*) aut quaelibet fervens aqua ſive *decoctum* (Apitius VIII. 1. *Mittitur in zema, quod eſt decoctum*; & cap. 6. *Bullienti zema, quod eſt decoctum*) aut poſtremo per ſynecdochen eſt *cacabus* ſive *caldaria, lebes*, in quibus fervefit liquor: cujus ultimae notionis vide exempla apud Cangium in Gloſſ. Lat. Etſi vero *Caldaria* eſt balneare vocabulum; tamen in his Actis vox ζέμα (ſexcenties repetita) non eſt dubium, quin fervidam balnearum aquam, ſive abſolute *calidam* notet. In Etymologico Magno Ζεμὸν (niſi legendum ſit ζέμα) exponitur τὸ θερμὸν. Ex quo vides quid in his Actis τὰ ζέματα appellaverint. Hinc etiam ad finem ſect. 3. τὸ ζέμα Julius ſtatim ἐκτεθερμασμένον ὕδωρ, *aquam fervidam* interpretatur.

(175) Julius hic ſaltus anno ſequente, quando a Bithynis repetundarum eſt accuſatus, multum aetate proceſſerat ex Plinio extrema epiſt. nona lib. X. Hinc non temere heic narratur ſe *in fontibus calidae* (ἐν ταῖς πηγαῖς τῶν ζεμάτων) reſocillaſſe: nam aquae hujuſmodi prope fontem Calidiores fluunt, quae mox in lacum collectae tepidiores evadunt. Atqui ſenes calida [maxime menſe Maio, quo haec geſta ſuerunt] juvantur, uti juvenes frigida.

(176) Graece eſt ἐκάθισεν αὐτὸν ἐπὶ θρόνου. Quae de tribunali temporario, quod ubivis a praeſide luſtrante provinciam ſtatui poterat, ſunt capienda. Nam fixum ac manſurum tribunal in metropoli, aut celebrioribus tantum in locis erat, in quibus plurimum reſidebat.

(177) Graece eſt, Ἀχθίσας δὲ αὐτὸν ἐπὶ βήματος, εἶπεν. Ionice. Sed ὑποστίγμῃ [*diſtinctio*] luxata reponenda eſt ante ἐπὶ τὸ βήματος. Nec enim ἐπὶ cum caſu patrio motum ſignificat, ſed ſtatum; ac vertendum *In tribunali*, ſive, ut Latini loquebantur, *Pro tribunali*. Prior interpres haec verba, ut & ſexcenta paſſim alia praeteriit, ſententiae unice affixus.

(178) Actorum initio Julius iſte *Proconſul* inſcribitur, quae vox (ut Diatr. 3. oſtendimus) omnibus provinciarum popularium rectoribus communis erat: at mox in tota hac hiſtoria idem non alio nomine quam ὑπατικὸς (*conſularis*) vocatur. Neque id vero lectorem turbet. Nam qui *proconſules*, iidem (ſaltem ſi conſu-

les

Digitized by Google

, quanta deorum ſit efficacia ; tu qui Chriſtum invocas , vaniſque , fabulis adhaereſcis . Vide deorum providentiam, tibique exhibi- , tam beneficentiam . Vide patris (180) noſtri Aeſculapii gratiam , ac virtutem, eumque adores , cenſeo , ut & a vinculis ac flagris , liber evadas, & quod reſtat vitae bona cum corporis (181) habi- , tudine tranſigas , ac ſine metu tuam inhabites (182) patriam .

2. Patricius epiſcopus dixit : *Quam multa paucis elocutus es mala, ac ſexcentarum peſtium ſcatebras breviſermonis circuitu* (183) *effudiſti*. Julius Conſularis dixit: , Quid enim mali locutus ſum, quamobrem , ita me, miſer, (184) captas ? an ulla eſt in iis, quae ſub aſpectum,

, ca-

les ante fuiſſent) *conſulares* nuncupabantur , teſte Strabone lib. XVII. extremo : *In ſuas provincias populus praetores aut* [ὑπατικοὺς] *conſulares mittit* . Ac paſſim videas ſub Caeſaribus illarum decem praetoriarum populi provinciarum rectores modo *praetores* , ſaepius *proconſules* , nonnumquam *conſulares* vocari . Hinc Campaniae rectores in Graecis aliquot inſcriptionibus apud Gruterum & alios vocari ἀνθυπάτους [*proconſules*] deprehendi , quibus tamen ipſe inſtitutor Hadrianus *Conſularium* nomen indidit , uti ex Spartiano liquet .

Illud magis miror , quod Atticum Syriae praeſidem ſub quo S. Simeon Hieroſol. epiſcopus martyrium pertulit, ὑπατικὸν [*conſularem*] Hegeſippus apud Euſebium III. 32. vocavit ; quum tamen Syria ſemper Caeſaris provincia fuerit . Huic difficultati, quae viros criticos adhuc exercet, abunde a nobis ad XVII. Sept. [ubi de S. Simeone] ſatisfiet. Vt vero paucis heic in anteceſſum rem omnem complectar, *Conſularis* quidem vox proprie proconſulibus ſeu popularibus rectoribus tribuebatur : eaque nomenclatione honorifica Caeſarei rectores initio caruere . Sed , ut plura in provinciis ſenſim immutata fuerunt ; ſic coepere Caeſares quoſdam legatos cum *conſulari poteſtate* in provincias mittere [vide in ſuperiore Diatriba capite I. Plinii inſcriptionem, in qua *conſulari poteſtate* is miſſus dicitur] qua qui impertiebantur [nec enim id paſſim, ſed paucis concedebatur] ii *Conſulares* , non ſecus ac proconſules , dici poterant . His adde quod nonnulli [uti Plinius] revera conſules ante fuerant ; unde & jure ſuo *conſulares* vocabantur . Sed de his ad XVII. Septemb. plura dabimus .

[179] Tota haec periocha uſque ad ſectionis finem ex rhetorum palaeſtra huic conſulari proceſſit. Ac revera Julium hunc Baſſum oratorem fuiſſe, oſtendimus Diatr. 3. §. 2. Hac ſunt ῥητόρων δεινότητος [*rhetorum eloquia*] quas redarguiſſe Patricius in Menaeis dicitur , ut ibidem animadvertimus . Ac plura fortaſſis ornate & eloquenter Julius effuderat , ex quibus ſcriptor Actorum tantum ſummam heic delibavit .

[180] *Patris* nomenclatio oſtendit , Pruſaenſes Aeſculapium inter deos tutelares adſciviſſe : quod & docet nummus, cujus ſupra commemini. Dixeris, proconſulem non fuiſſe domo Pruſaenſem . At quamdiu proconſul erat, ſe pro cive gerebat. Aut ſaltem Actorum ſcriptor conſuetam Pruſaenſibus loquendi conſuetudinem ſervavit .

[181] Graece ἐν ὑγιαθίᾳ . Quae vox etiam ὑγιείαν h. e. *bonam corporis habitudinem* notat. Plut. de praecept. ſanit. ubi de Epicureis , ait : ὁρῶ γὰρ ὑμᾶς ἐν ὑγιεινῇ σαρκὸς ὑγιαθείαν. Atque ea ſignificatio [non vero *tranquillae* vitae, quae priori interpreti placuit] heic convenit, ubi de Aeſculapio colendo rhetor perorat .

[182] His verbis oſtenditur, ibi Patricii patriam fuiſſe , ubi haec dicebantur . Ergo Pruſa Olympena [cui has calidas adhaeſiſſe , Diatr. 2. docuimus] ſimul & palaeſtra pugilis , & ſedes epiſcopi, & natale ſolum Patricii aut fuit aut ab Julio putabatur: quae ſatis ibidem explicuimus .

[183] Graece eſt ἀνομβρίσας . Verbum Ἀνομβρίω i. e. *ſcaturire facio, depromo effundo*, ter in Syracide reperitur, XVIII. 29. XXXIX. 8. L. 29. Quibus locis in aliis cod. I pro H in penultima ſcribitur , tamquam ab ἀνομβρίζω : quod & in his Actis uſurpatur .

[184] Pro *captas* Graece eſt συνελογίσω μὲ . Atqui συλλογίζομαι [quod eſt *ratiocinari*, aut *computare*] nuſquam cum accuſativo perſonae conſtruitur. An igitur e ſcriptoris manu fuerit συνελοχίσω με ? Etſi vero συλλοχίζω uſurpatur pro eo quod eſt *In centurias aut decurias colligere* ; tamen quia λόχος ſaepe inſidias notat, fieri poteſt , ut heic pro *inſidior* uſurpetur . Aut ſi ſana eſt codicis Florentini lectio , τῷ συλλογίζεσθαι cum accuſativo perſonae erit heic , captioſis argumentationibus velle iterum aliquem, aut ſimpliciter *captare* .

Digitized by Google

, cadunt , fallacia ? , Patricius dixit : *Clarissime* (185) *consularis, si quidem patienter & attente audire animum inducas, docebo te de calidae hujus origine* . Consularis dixit : , Quid scitamenti argutius excogi- , tati sis deprompturus , exspecto : age eloquere, ut quid tibi velis ediscam . , Patricius dixit : *Minime vero gentium* . Consularis dixit : , Quid ergo ? aliter ne de thermis istis narras ? , Patricius dixit : *Christianus sum; & Divinorum mysteriorum cognitio inest omnibus, qui quidem Deum verum norint . Quare & ego, peccator & Christi servus, veritatem de hisce* (calidis) *teneo* .

3. Consularis dixit . , Antiquis philosophis majorem te (186) fa- , cis ? , Patricius dixit: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum . Scriptum est enim : Qui comprehendit sapientes in astutia eorum . Et rursus gratias Patri suo agens Christus dicit : Gratias tibi ago, Pater, quoniam abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, &* (187) *revelasti ea parvulis . Ita , Pater , quoniam sic placitum fuit ante te . Et rursus Apostolus : Non cognoverunt veritatem ; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent* . Consularis dixit . , Grandia tu , quidem verba (188) crepas : vel sic tamen, quae te docturum pol- , liceris, audiemus . Age ergo, edisserе unde thermae istae exsistant ; , aut cujus virtute fervens haec aqua in tantum ebulliat . Ego enim , sic censeo , spontaneum (189) hoc lavacrum deorum providentia , ac munere ad sanitatem adipiscendam hominibus fuisse conces- , sum. ,

4. Pa-

(185) Prior interpres vertit , *Illustrissime* . At non temere mutandae sunt sollemnes verborum conceptiones . Qui Romanis *Clarissimi* [titulus is dignitatis est] ii Graecis λαμπρότατοι vocabantur . Itaque in Philoxeni Glossis *Clarissimus* exponitur λαμπρότατος .

(186) Graece: *Antiquis philosophis majorem te quemadmodum* εὐαγγέλλη (sed corr. ἐπαγγέλλῃ) εἶναι *promittis esse?* Ceterogui verbo εὐαγγέλλομαι (quod proprie est *laeta nuntiare*) simpliciter pro *nuntio* memini me in Phalaridis epistolis legisse ; ita ut id verbum tolerari possit tum hoc , tum infra hac sectione , ubi iterato legitur . Sed praestat cum Π scribere ; sicuti & supra sect. 2. ἐπαγγέλλῃ cum Π legitur .

(187) Pro ἀπεκάλυψας , quod hoc in Graeco legitur ; nemo non videt reponendum esse ἀπεκάλυψας .

(188) Graece est κομβολογεῖς , quod Bollandista adnotator censet compositum ex κόμβος [*nodus*] & λόγος [*sermo*] . Atqui κόμβος est potius rei vestiariae vocabulum , unde ἐγκομβώσασθε *induimini* 1. Pet. V. 5. Verum quid moror ? Quemadmodum pro κόμβος interdum legitur κόμματος ; sic vicissim hoc κομβολογεῖς scriptum fuit pro κομπολογεῖς . Quod verbum etsi abest a lexicis ; tamen sicuti reperitur κομπορρήμων , *grandiloquus, tumidus jactator* , & κομπολαχύθης , & κομποφαλορρήμων eodem significatu; sic & usurpatum fuisse verbum κομπολογεῖν [quod est fundere ampullas , & sesquipedalia verba] ex hoc loco discimus .

(189) Graece est αὐτόματον, supple λοῦτρον, h. e. *spontaneum* seu *naturale lavacrum* . Sicuti enim αὐτοφυῆ λουτρά Paulus Aegineta dixit, sic [quia αὐτόματος & αὐτοφυὴς sunt synonyma] eadem & αὐτόματα λουτρά dicebantur , & postea absolute τὰ αὐτόματα & τὸ αὐτόματον ; quemadmodum & τὰ θερμὰ absolute & τὸ θερμόν usurpabant, subaudito ὕδωρ aut ὕδατα. Spontanea lavacra sic ab artificiosis differunt , sicuti Theophrastus l. 3. τὰ αὐτοφυῆ opponit τοῖς διὰ τέχνης .

Digitized by Google

4. Patricius dixit : *Jube , o Consularis, attolli* (190) *vela , ut omnes exaudiant* . Quumque consularis jussu vela allevata fuissent , multitudo locum complevit . Tunc Patricius voce sublata dixit. *Omnipotens aeternus Deus , qui bonitate ac benignitate sua per unigenitum Filium suum genus hominum fecit , quique ignem & aquam ex* (191) *invisibilibus nec antea exsistentibus substantiis condidit , quum quidem ex igne lucem* (192) *& solem & luminaria cetera construxisset ; verbo praecepit, ut perque diem perque noctem facis instar praelucerent : tantumdem enim potentiae , quantum & voluntatis habet . Idem vero quum ex aquis firmamentum caeli compegisset , terramque super aquas* (193) *stabiliviſſet ; omnia, quae in eis sunt, praescia providaque sua virtute fecit, ne forte formandum a se hominem quidquam eorum deficeret, quae sunt*

(190) Velum heic intelligi , quod tribunal judicis a turbae forensis oculis removebat , non est dubium . Suidas Παραπέτασμα interpretatur τὸ λεγόμενον βῆλον , *quod* [Latine] *velum dicitur* . Velum in causis gravioribus ac potissimum criminalibus praetendebatur , quo dabatur intelligi , quaestionem diutius esse duraturam . Basilius ep. 59. ad Eustath. *Principes mundi hujus quoties reum aliquem morte sunt damnaturi* [εἱλκοντας τὰ παραπετάσματα] *adducunt vela , adscitisque peritis , in disceptando temporis multum insumunt* . In S. Clementis Constit. II. 52. *Licet confiteatur maleficus , non illico eum ad supplicium mittunt ; sed pluribus diebus , non sine frequenti concilio* [Gr. μετὰ συμβουλίου πολλῆς , quod non recte interpres, *Cum multa consultatione*] *&* [παραπετάσματος μέσου] *velo interjecto inquisitionem instituunt* . Haec eo adscripsi , ut *incautum & incusoditum* [uti Plinius IV. 9. appellat] hujus Julii Bassi ingenium agnoscas , qui Patricium vix dum leviter interrogatum morte damnavit . Qui & in eo sese *incautum* & *incusoditum* praebuit , quod levari vela Martyri indulserit . Quid enim? Inde periculum imminebat, ne quis ex multitudine se Christianae sectae adjungeret . At interim tale quid contigisse , Acta haec non produnt , tanto veraciora, quanto admirabilium narrationum abstinentiora .

Sed ad vela quod attinet, ea non nisi gravioribus in causis obducebantur . Nam leviores *levato velo* cognoscebantur . Hinc l. 5. C. *de naufrag.* ab Honorio & Theodosio scriptum fuit : *De submersis navibus decernimus , ut levato velo istae causae cognoscantur* . Plura de his velis eruditi viri dederunt , Lipsius ad Senecae epist. Gutherius , & Cangius in Glossar. qui & exempla ex Martyrum Actis quaedam affert.

(191) Τῶν ἀφανῶν [*invisibilium*] nomine chaos primigenium intelligit . Quae locutio sumpta est a Senioribus , apud quos illud Gen. I. 2. *Terra autem erat inanis & vacua* , sive [ut Hebraice legitur] *erat thohu & bohu* , redditur ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος , *erat invisibilis & incomposita* . Nec dubium est quin sermone Hellenistico *Invisibile* tantumdem quod chaos fuerit .

(192) Locus hic pulcherrimus est ad praecidendam antiquorum difficultatem , quomodo lux primigenia, quam Deus primo die protulit, per se subsisterit sine subjecta substantia . Atqui quum dicitur , *Facta est lux* , nomine אוֹר *or* [i. e. *lucis*] ignis substantiam decet intelligere [si sancto huic Martyri credimus] praesertim quum vox *Or* etiam *ignem* Hebraeis juxta ac Chaldaeis notet . Ex igne porro hoc primigenio triduana illa lux, antequam luminaria fierent , orbi emicuit : quemadmodum & Greg. Nyssenus postea disertim docuit , & post Nyssenum alii . Ergo pro *Fiat lux* poterat reddi *Fiat ignis* ; nisi in Marci Evangelio (ubi legitur διρμαυόμενος πρὸς τὸ φῶς , *calesciens se ad lucem*) *lux* pro *igne* sumatur . Postremo & ex eodem illo igne primigenio luminaria quarto die elaborata fuerunt , ut heic Martyr docet .

(193) Graece est ἐδραίωσας a verbo ἑδράζω , *stabilio, fundo*, quod Graecis V. T. interpretibus saepe usurpatum video , profanis non item . Nam quas voces verbi hujus Hesychius & Suidas suo lexico intexuerunt , eas illi a Biblicis interpretibus aut Hellenistis aliis hausisse videntur, non praeter morem . In Cyrilli Glossis ἑδράζω est *Conloco , Sedo , Stabilio* : & ἕδρασμα est *Pulvinarium* .

Digitized by Google

sunt ad usum conducibilia. Quumque rursus praesciret, fore homines qui dominum suum Deum & creatorem ad iracundiam concitarent, & relicto Deo vero, diis qui non sunt, servitutem impenderent, paravit alia loca duo, quorum unum bonis omnibus, quae nemo conjectura assequi queat, refertum, sempiterno lumine collustrari jussit, alterum vero caliginis & poenae ignis aeterni locum esse voluit: ut illi quidem, qui Deo placuerunt, bonorum post resurrectionem ex mortuis participes facti, in lucis versentur domicilio; hi vero, qui cum irritaverunt, in tenebricoso loco genus omne suppliciorum perferant.

5. (194) *Porro ubi ignem ab aquis, sicuti & lucem a tenebris, discrevisset; eorum utrumque per universas res creatas minutatim sparsit. Est enim ignis, juxta ac aqua, supra firmamentum* (195) *caeli: itemque ignis & aqua sub terris conditur. Ceteroqui & supra tellurem aquae sunt, collectae in congregationem unam, quae maria appellantur. At quae sub terris manserunt (abyssos dico) ex iis velutì siphones sursum supra terram in usus nostros protruduntur. Indidem vero & aquae calidae originem trahunt. Nam quae longius ab igne* (196) *subterraneo absunt, Dei optimi providentia, frigidiores erumpunt. At quae propiores igni sunt, ab eo fervefactae, intolerabili calore praeditae promuntur foras. Sunt & alicubi tepidae, quippe non parum sed longiuscule ab eo igne remotae. Atqui ille infernus ignis impiarum est animarum carnificina; non secus ac subterraneus frigidissimus gurges, in glaciei* (197) *glebas concretus, qui* (198) *Tartarus nuncupatur: in quo & dii vestri,*

(194) Hanc sectionem, quae dissertationem de thermarum origine continet, ex non absimilibus aliorum concionibus, et inedito quodam Graeci scriptoris loco, in seq. Diatriba illustrabimus.

(195) *Firmamentum* [sive *expansum*] est στερέωμα [uti Plato vocat] h. e. *extensio* illa, quam nos aerem vocamus. Aquas vero, quae super firmamentum sunt, nubes intellige.

(196) Τῷ κατὰ πυρός, quod heic nullo sensu legitur, mutabis in τῷ κάτω.

(197) Graece scribitur εἰς βόλως (corr. βώλως) κρυσταλλώδη στερεγέος. Quamquam si βόλως retineas; tum sumptum id erit ex Job XXXVIII. 28. ubi βόλυς δρόσου (*guttas roris*) legimus. Sed prius verissimum est.

(198) Quod Tartarum definit *frigidissimum locum*, consentientem in eo habet antiquitatem. Hinc Hesiodus in Asp. Tartarum vocat *frigidum*: ψυχῇ δ' ἀϊδόσδε κατιέν Τάρταρον εἰς ἐρεβεννὸν. . . . . *Animus demissus ad Orcum Tartara sub gelida . . .*

Ac Plutarchus in de primo frigido scribit: Τάρταρος ἔστι ὑπὸ ψυχρότητος κέκλησται, *Tartarus a frigore appellatus est.* Deinde id probat auctore Hesiodo σκότερον ὑπόεντα *Tartarum obscurum* vocante: id enim epitheton Tartaro perpetuum est apud Hesiodum & Homerum; ut non immerito Crates apud Stephanum *Tartarum* definierit *Sub polis aerem quemdam crassum, frigidum, & obscurum*, loca intelligens circa *Thulen*, quae vox Chaldaice *umbram* sive *tenebras* notat. Postremo idem Plutarchus ut fidem faciat, Tartarum a frigore appellatum, sic addit, καὶ τὸ ῥιγοῦντα σκέλεσθαι καὶ τρέμειν, ΤΑΡΤΑΡΙΖΕΙΝ: *& qui horrore concutiuntur, & contremiscunt, TARTARIZEIN* dicuntur. Eadem & in Eustathio reperias. Atqui excipit Vossius, verbum ταρταρίζω videri potius a τάραρος factum, quam contra. Verum bona cum Vossii venia Plutarchi argumentatio sic procedit. Ταρταρίζω est *algere* ac *tremere*. Quod verbum quum a suo primitivo τάραρος fluxisse oporteat, id

Digitized by Google

vestri, & qui cultum eis impenderunt, non modo nunc cruciantur, sed & in saecula saeculorum cruciabuntur. Quemadmodum & quidam (199) *vestrorum poetarum dixit:*

Qua terminus (200) *ultimus exstat*

Ter-

argumento est, ei voci subjectam olim fuisse *frigoris* notionem. Ea vero notio ex radice aliqua Phalegicae linguae manarit necesse est. Ergo sive תרר sive ראר ea radix fuerit; inde postea per notam reduplicationem verbum *Tarter* exstiterit, h. e. *frigore concussi*. Est in eo verbo etiam horroris onomatopoeia quaedam. Vtut est; vocem certe *Tartari* ab oriente venire, ostendit vox Etrusca *Tartari* fluvii, unius ex Padi ostiis: quibus omnibus nomen ab oriente quaesitum fuisse, ostendimus in Tyrrhenicis. Nec de nihilo est, quod pars Asiae gelidissima prope polum *Tartaria* haud heri aut nudius tertius vocabatur.

Jam vero, quod Martyr addit, *In quo dii vestri ... cruciantur*, consentit cum eo quod ibidem Stephanus ex Homero narrat, Tartarum τόπον εἶναι συνέχοντα τοὺς περὶ Κρόνον, καὶ ὑπὸ γῆν ὄντας. Vbi cave ne te fallat interpres ita reddens: *locum esse, qui continet Saturnum & qui sub terram sunt*. Τοὺς περὶ Κρόνον heic intellige *Saturni commilitones* (Titanas). Spectavit enim Stephanus illud Hesiodi Theog. 851.

Τιτῆνες θ' ὑποταρτάριοι, Κρόνου ἀμφὶς ἐόντες.

Saturni & commilitium, sub Tartara trusi Titanes.

Vbi οἱ ἀμφὶς eadem prorsus locutio est, atque οἱ περὶ apud Stephanum. Hinc Aeschylus Prometheo Jovem gloriantem facit, *quod suo consilio ductuque Tartari nigra specus tegat antiquum Saturnum* [Αὐτόσε συμμάχοις] *cum suis commilitonibus*, h. e. cum τοῖς περὶ Κρόνον. Porro Titanum cum diis caelestibus bellum, horum victoriam, ac Titanas sub Tartarum detrusos in Theogonia sua describit Hesiodus, ubi plurima passim est Tartari mentio.

(199) Ea citandorum poetarum ratio sumta est ex Paulo Ep. ad Titum I. 12.

(200) Hinc usque ad Πείσθην δὲ καὶ ἐν Σικελίᾳ &c. perturbarunt omnia librarii, dum scholia duo, quae margini quis illeverat, in textum admisere invita. Totus is locus nunc quidem in editione Bollandiana sic habet: Οὔρα τε γῆς καὶ πόντου [ὧδέ τε ἐς ἔσχατα πέρατα γῆς καὶ θαλάσσης] ἐστὶν Ἰαπετὸς τε Κρόνος τε ἠμένοι (ἀτὰρ τὰ ἔνθα Ἰαπετὸς, τε Κρόνος τε ἠμένοι· ἐπεὶ δὲ ὀνόματα θεῶν) ἀτὰρ ἀυγῆσιν ὑπερίονος ἠελίοιο τέρπονται, ἠδὲ τε πνοιῇσι· βαθὺς δὲ Τάρταρος περὶ αὐτῶν πάσσον ἐπέρχεται, ὅσσον ὑπερθὲν ἐς οὐρανὸν ἐστὶν. In his neque caput neque pes. Verum ubi semel intellexeris, ea quae parenthesibus inserposui, non aliud esse quam mera interpretamenta, ex libri ora in textum intrusa; facile postmodum (spuriis tamen hisce detractis ac mendis aliquot facili negotio sublatis) totus hic locus pulchre constabit; imo & hexametri illi suapte sponte exsistent, quos sanctus Martyr ex Homero deprompsit. At prior interpres nihil horum est suspicatus: qui in sua interpretatione additamentorum duorum (quorum prius nunc primum a me parenthesi coercetur: nam alterum in MS. Florentino editor idemque interpres jam antea παρεμβύσμενον interpositum reperit) sic rationem habuit, tamquam si ea sive testimonii ex poeta sumpti pars, sive Martyris verba essent. Sic ergo totum eum locum reddidit: *Quemadmodum & quidam poetarum vestrorum cecinit dicens: Fines terrae ac maris NIHIL SVNT, QVAM EORVM EXTREMI TERMINI, in quibus sedentes Iapetus & Saturnus* [*HAEC ENIM DEORVM VESTRORVM SVNT NOMINA*] *nec fulgore sereni solis, nec ventis demulcentur. Tartarus vero tanto aliis inferior est, quanto caelum supra attollitur.*

Verum quid moror? Vbi ea duo, quae dixi, scholia detraxeris, duo exsistent Homeri loca. Quorum prior ex Il. Θ. 478. sic incipit.

.... Νείατα πείρατα ....
Γαίης καὶ πόντοιο, ἵν' Ἰαπετός τε Κρόνος τε
Ἥμενοι, οὐδ' αὐγῆς ὑπερίονος ἠελίοιο
Τέρπονθ' οὐδ' ἀνέμοισι. βαθὺς δέ τε Τάρταρος ἀμφὶς.

Hoc est, *Vltimos fines Terrae & maris, ubi Japetusque Saturnusque Sedentes nec splendore Hyperionis solis Oblectantur, nec ventis: profundus enim Tartarus eos circumstat.*

Quae deinde in Graeco sequuntur, ea versum sextumdecimum ejusdem libri Homerici efficiunt, qui talis est: Τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδαο, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. *Tantum infra Orcum, quantum caelum abest a terra.*

Ad scholia vero quod attinet, prius tale est, ὧδέ

Terraeque ac pelagi, quibus Iapetusque Cronusque (*)
Fixi haerent, Hyperionia nec luce nec auris
Oblectati animos: imus nam Tartarus urget,
Tam procul infra Orcum, quam terra absistit Olympo.

Atque (haec ita se habere) *vel ex* (201) *eo, qui in* (202) *Sicilia exaestuat igne, tibi persuadeas velim.* Consularis dixit:, Ergo Christus fecit, haec & non dii?, Patricius dixit: *Christus ea fecit, quemadmodum scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt: nam dii gentium daemonia, Dominus autem caelos fecit.* Consularis dixit., Rursus ergo etiamne, caelos Christus fecit?, Patricius dixit: *Etiam* (203): *sicuti scriptum est: Quoniam videbo caelos opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quae tu fundasti.*

6. Consularis dixit., Jam si te in has thermas projecero, non, urêris, credo, quandoquidem has illius esse dicis, qui eas fecit; deos, autem contemnis., Patricius dixit: *Deos, quum non exsistant, haud equidem sperno: quod enim* (204) *nusquam est, haud quisquam carpit. Potest autem Christus verus Deus incolumem me reddere: nam si quidem hoc vult, certe potest. Quod si velit dissolutionem mei per hasce thermas fieri, & id potest, qui & omnia, quae ad me indignum ejus famulum attinent, perspecta habet. Scito adhaec,* Consularis, *ne ta-*

ἀδὶν ἢ τὰ ἔσχατα τέρατα γῆς καὶ θαλάσσης, Nihil aliud [significat illud scil. *τέρατα τέρατα* &c.] *quam ultimos fines terrae & maris.* Ex quo scholio discimus, illud *τέρατα τέρατα*, quod in Homero legitur, non defuisse in Martyris concione. At in Homero post eas duas voces sequebatur verbum *ἴσασι*, quod Martyr omisit, quippe ab scopo suo alienum.

Alterum scholion illustrat ea Homeri verba *ἵν' Ἰάπετός τε Κρόνος τε ἥμενοι*: quae scholiastes sic exponit: *ἀντὶ τοῦ Ἔνθα Ἰάπετός τε Κρόνος τε καθήμενοι. εἰσὶ δὲ ὀνόματα θεῶν.* Vult igitur, *Ἵνα* positum esse pro *ἔνθα* &c. *Ubi* (inquit) *Japetusque Saturnusque sedentes: sunt vero* (inquit) *deorum nomina.* Simul autem atque Homeri loca indicavimus, etiam facili negotio maculas omnes abstersas vides. Ac de loco isto, ad quem viri docti expaverant, hactenus.

(*) Idest Saturnus. Versus necessitas Hellenismum usurpare adegit.

(201) Graece nunc est: *Πείσθητι καὶ σὺ ἐν Σικελίᾳ πυρός.* Sed addenda est praepositio, ac legendum *ἐν ᾧ ἐν Σικελίᾳ*: ut sit constructio similis illi Plutarchi in Romulo, *ἀπιστούμενος ἐν λογίοις.*

(202) De Siciliae incendiis tantum in his Actis mentio fit: de Campania & Vesuvio nihil. Sed tamen in Menaeis [de quibus in Diatr. V. §. 6] deest de Vesuvianis eruptionib. silentio. Nec equidem quae in Menaeis sunt, vera esse omnia, praestare queo. Verum Vesuviana sub Tito eruptio omnium celebratissima viginti tantum annis S. Patricii passione antiquior fuit; quum interim Aetna per id tempus interquiesset. Quocirca Vesuvii potius quam Aetnae meminisse Martyr debuisset. Atqui salvae res sunt: nam apud Graecos *Sicilia* interdum eo usque pertinet, ut etiam Campaniae oram complectatur. Stephanus in *Prochyta*: *Προχύτη νῆσος πρὸ τῆς Σικελίας. Prochyte, insula ante Siciliam.* Verum de eo, utrum Patricius Vesuvianae eruptionis meminerit, plura in seq. Diatriba.

(203) Graece nunc scribitur, *Καὶ καθὼς γέγραπται, Et sicut scriptum est*: quod nihili est. Sed ne dubita, quin Martyr ita locutus fuerit, *Ναὶ· καθὼς γέγραπται.* Prius interroganti affirmavit, dicens, *Etiam*: deinde affirmationem scripturae testimonio roboravit: *Sicuti scriptum est* &c.

(204) De philosophorum schola petitum; quorum est hoc effatum: *Non exsistentis* (οὐκ ὄντος) *nullae sunt affectiones.* Quo effato proconsulem ludificatur.

Digitized by Google

pillum quidem de cujusquam capite absque illius voluntate periturum, sed ne avem quidem sine ejusdem decreto sese laqueo implicaturam. Persuasum sit igitur omni animae, testimonium hoc verum esse, eos vero qui tecum una lapides colunt, falso a se deos appellatos, tenebricoso Tartaro mancipari ad supplicium.

7. His auditis Julius vehementer indignatus (205) eum in ipsam ferventis aquae (206) scatebram praecipitem dari jussit. Qui quum exspoliaretur, precatus est dicens: *Domine Jesu Christe auxiliare mihi servo tuo*. Quo tandem (207) praecipitato, guttarum ex fervida scaturigine prosilientium (208) aspergine milites circum adstantes insanabili pernicie laesi fuerunt. Sanctus vero Patricius in ferventes aquas ingressus, sic tamquam nare in (209) natatoria vide-

(205) Heic quoque *incautum* & *incustoditum* Julii hujus ingenium [quod ex epistolis Plinii in Diatr. 3. cap. 4. observavimus] quis non animadvertat? Qui Patricium indemnatum, nulla judiciali sententia per juris tramites in eum pronuntiata, irae tantum laxatis habenis, ultimo affecit supplicio.

(206) In thermarum Prusaensium descriptionibus, quas Turnefortius aliique dederunt, tantum inesse aquis illis fervorem ajunt, ut injectu duarum frigidae tertiarum, ut ferri a lavantibus possint, sint temperandae (uti narrat auctor libri qui inscribitur, *Status praesens mundi*) & ut brevi tempore (minus quam 20. minutorum ex Turnefortio) conjecta in eas ova perfecte durescant. At thermas veteris *Caplina* (quae sunt hae ipsae de quibus Acta loquuntur) ceteris calore antecellere, subindicat idem ἀστραγηνάς. Fervor autem ibi maximus inest, ubi primum scaturigo prorumpit. Ergo Consularis, ut S. Patricium e medio tolleret, eum ait ipsam ebullientem scatebram demergi jussit. Idque Graeca hujus loci verba significant. *Jussit* (βληθῆναι ἐν τῷ ἀναβλύζοντι ζέματι) *in validam, qua maxime parte scaturit, projici.*

(207) Graece est ἀκοντισθέντος. Ἀκοντίζεσθαι autem est *jaculo feriri*. At heic novo significatu (ex consueta ἀκνρολογίᾳ profecto) notat *jaci, projici*, sive *jaculari* passiva notione, uti quum *jaculabile telum* dixit Ovidius.

(208) Graece est, σαγόνες ἀπερράνασαν αὐτὸν ζέματος. Porro illud ἀπερράνασαν (sive potius cum duplici canina ἀπερρ.) non aliunde venire potest, quam ab ἀπορράπτω i. e. *aspergo* (quod compositum nusquam alibi, quod sciam, usurpatur) cujus aoristus ἀπερράνασαν significabit *asperserunt*: quod heic tamen minime convenit. Quid enim hoc sibi vult? *Guttae asperserunt e thermis*. Ergo, si me audis, quam minima mutatione syllabae ν in θ, scribendum est ἀπερράθησαν, quod est a passivo ἀπορραίνομαι, *aspergor*; ita ut *guttas aspersas* intelligas, sive *guttarum aspersionem ex calidis prosilientem*.

At quod sequitur ἕλκεσιν ἀνιάτοις mollius interpretari libuit, *Insanabili pernicie laesi* &c. Nec enim morte tenus id malum processit: & ceteroqui τὸ φλέγειν apud Hesychium significat etiam βλάπτειν, *laedere*.

(209) Prior interpres nescio unde sua illa extuderit: *Ipse vero S. Patricius in balneum, velut in REFRIGERIVM ingressus*. Graeca sic habent: *Sanctus vero Patricius ingressus aquam ferventem* [ὡς εἰς νηρόφιον ἐνῆχεν] *quasi in nerophoro natabat*. De νηροφόρῳ sive potius νηροφόρεῳ *nerophoro* nunc porro videamus.

Ac sane si rata sit lectio per E in prima syllaba; poterit allucere aliquid ex Glossarum excerptis apud Car. Labbeum, ubi Νήριον tantumdem est, quod *Navilium*. Nam νήριον forsitan est pro νηΐριον. Et *Navilium* apud sequioris aevi scriptores idem quod *Navale*. Itaque vertere possis, *Tamquam in navicula supernatabat* h. e. superferebatur.

Sed magis est ut cum vocali longa Νηροφόρον scripserit auctor: quod vocabulum fit a Νηρὸς: de quo Suidas in Νηρίτης haec habet. ΝΗΡΙΤΗΣ, θαλάσσιος κόχλος. *Nerites est marina cochlea*. De nominis vero etymologia sic pergit. Ἐκ τοῦ Νέω, νῶ (τὸ κολυμβῶ) νηρὸς ἰχθὺς (καὶ νηρὸς μυχὸς παρὰ Δημοφόροις &c.) καὶ ἐκ παιδιᾶς παραγωγῆς Νηρίτης. *Ex* Νέω, νῶ (h. e. *nato*) *fit* νηρὸς i. e.

Digitized by Google

videbatur. Quum multum vero temporis effluxisset, nec damni quidquam illi aquarum fervor intulisset; animadvertens praeses id quod evenerat, ira percitus, eum inde a militibus educi, & gladio interfici jussit. Sanctus vero Patricius protensis in caelum manibus oravit dicens: *Rex omnium, Deus, qui propria virtute visibilem juxta atque invisibilem creaturam contines, qui eos, qui te in veritate invocant, audis, qui thermas hasce in justorum quidem salutem, impiorum vero supplicium comparasti; adesto mihi in fidei in te meae consummatione, ac me supernae vocationis praemio dignum effice.* Quumque completa oratione dixisset *Amen*, flexis genibus, capite obtruncatus fuit. At qui aderant Christiani sublatas Sancti reliquias (210) curaverunt, atque in (211) Euripo publico deposuerunt. Consumma-

(i. e. *natator*) *piscis* (Ὑηρὸς μυχὸς *apud Lycophronem* &c.) *& ex tali derivatione* Νηρίτης *Nerites oritur*. Vides igitur τὸ Νηρὸς a Νέω deduci & *natatorem* significare. Quo posito vox Νηροφόρος *natatoriam* piscinam significabit, eadem componendi ratione, qua λεωφόρος *via* dicitur, quia πολὺν λαὸν φέρει. Sic & *Natatio* quod urinatores multos superferret, νηροφόρος dicebatur. Apposite vero natatoriae heic mentio fit, quia ab his Prusaensibus thermis natationem non defuisse, necesse est; quae vix usquam a thermis aberat: quam ne hodie quidem a Prusaensi *Caplixa* [non *Calipso*, ut per errorem editum fuit] abesse, memorat auctor libri cui titulus *Status praesens mundi*. Videatur & Joannis Evangelium cap. V. & IX. de κολυμβήθρα, quam vetus interpres *Natatoriam* reddidit. At in Cyrilli Glossis eadem Graeca vox *Natatura* vertitur: quod non necesse est in *Natatoriam* mutare; nam plura sunt ejus terminationis vocabula non inscite derivata. De natatione, quam Acragantini Geloni regi fecerunt longam stadia septem, cubitos viginti profundam, videatur Athenaeus lib. XII. Et haec de voce Νηροφόρος, quatenus natationem heic notat, sufficere poterant.

Verum difficultatem creat Phrynichus, apud quem sic legitur Νηρὸν ὕδωρ μὴ ἴσασι ἀλλὰ φρέαρ. Quum ergo νηρὸν de aqua dici vetet, sed φρέαρ malit; ex eo fit νηρὸν tantumdem esse quod *recentem*. Fateor. Verum ea τῷ νηρὸς notio venit a νηρός. At vero ubi νηρὸς urinatorem designat, id fit a νέω. Atque haec posterior significatio latius patet. Nec enim tantum Νηρίτης [qui & Νηρίτης Hesychio dicitur] inde fit, sed & *Nereum* patrem & *Nereidas* Nymphas indidem sibi nomen quaesisse, non dubito. Et hoc vidisse antiquos grammaticos, argumento id est, quod Suidas post ea verba, quae supra recitavimus, eos reprehendit, qui τὸ Νηρίτης conchylium ἐκ τοῦ Νηρεὺς a *Nerei* nomine deducerent; nam si, inquit, inde fieret, diphthongum in penult. assumeret, ac νηρίτης dicendus esset. Verum hoc sibi grammatici illi voluerant, a νηρὸς *natator* & *Nerei* & *Nereidum* & conchylii quod *nerites* dicitur, vocabula derivari. Porro *Neriti* [h. e. urinatori conchylio] similis est, si non eadem, concha Veneria; de qua Plinius IX. 33. sic narrat: *Navigant ex his Veneriae* [pro *Veneriae* in antiquioribus editis *Neritae* legebatur] *praebenteque concavam sui partem, & aurae opponentes, per summa aequorum velificant*. De *nerite* Aristoteles IV. hist. an. 4. Oppianus I. Halieut. v. 331.

Eodem referri & Lycophronis locus debet, quem Suidas [eo loco, quem supra parenthesi concluſimus] indicat tantum, at Etymologicum affert his verbis: Ἐν χθονὸς νηροῖς μυχοῖς, quod ibi exponitur τοῖς κοίλοις ἢ τοῖς καθύγροις. Quasi νηρὸς idem sit quod *cavus, humidus*. At cum bona grammaticorum venia non video, quin vertere possis, *In natatilibus terrae finibus*; ita ut sit circumlocutio, qua non tantum lacus omnes, sed & maria designentur, quae sunt in terrae complexu aquarum συνήκτα ad nandum apta tum piscibus, tum ceteris animantibus. Atque haec de νηροφόρῳ.

(210) Καὶ κηδεύσαντες. Cur κηδεύειν curare interpretemur, pluribus dictum fuit ad XXV. April. in adnotatis ad Actorum S. Marci finem.

(211) In Graeco legitur ἐν τῷ εὐρίππῳ τῷ δημοσίῳ. Quod prior interpres, *In publica*

Digitized by Google

matus est autem sanctus (212) Patricius mense Maio, die (213) undevicesimo, gratiâ Domini nostri Jesu Christi, cui gloria & imperium una cum Patre & Spiritu Sancto, nunc & semper & in saecula saeculorum. Amen.

CAP.

lica via reddidit. Putavit enim, uti credo, vias vocari εὐρίπους, quod per eas *late equi* aut *equites* graderentur. At quanto proclivius fuit, dempto uno Π, de εὐρίπῳ *Euripo* hoc cogitare? Quae vox non tantum freta reciprocantia designat, verum etiam quasvis aquarum conceptiones. Hesychius *Euripum* interpretatur δοχὴν ὕδατων, *aquarum receptacula*, Eustathius πᾶσι πρὸς ὑποδοχὴν ὕδατων, quod eodem redit. Vtitur ea notione Josephus in Antiq. & Dionysius Halic. & alii, quibus locis interpretes *eiſternam*, lacunem aut quid simile reponere amant.

At in Cyrilli Glossis quid illud portenti est, Εὔριπος, *Columbus*? Columborum genus εὐρίπους usquam appellatos, haud usquam reperies. Quare conjiciebam, illud *Columbus* hic positum fuisse pro Graeco κολυμβος; quae vox *natationem* significat, hic tum natandi exercitamentum, tum etiam, credo, piscinam ad natandum idoneam, quae Latinis etiam *natatio* dicitur. Verum his missis, cur columbus avis εὐρίπους diceretur, rationem reddet Isidorus XII. 7. sic scribens: *Columbae dictae, quod earum colla ad singulas conversationes* [etiam ex Seneca ep. 74. al. 75. *Conversatio* pro *Conversio* affertur: aliis ibi interim *Conservatio* legentibus] *colores mutent*. Quod Isidori etymon pro ridiculo habitum scio. Nec enim in *Columbo* aliud quam primam COLoris aut COLli syllabam deprehendas. Et certe falsus est Isidorus. At ansam errori praebuit, quod Columbum a colorum in collo mutatione εὐρίπους appellatum inaudiverat [sicuti & homo instabilis εὔριπος ἄνθρωπος *Euripus homo* Graecis dicitur, ob notam freti reciprocantis inconstantiam] quod Vir sanctus minus intelligens, a *colorum* in *collo* mutatione *columbi* nomen arcessivit. At ea tantula S. Isidori hallucinatio perutilis tamen fuit; nec enim nisi Hispalensi duce nunc demum intelligimus, columbum non alia de causa in Glossis εὐρίπους nomen consecutum, quam ab ea quam dixi instabilitate colorum. Sed longiuscule a proposito digressus, in viam redeo.

Non solum autem apud Graecos, sed & apud Latinos *Euripi* vox quamvis aquarum conceptionem notat. Notus est Tullii locus in V. de leg. dicentis, *Ductus aquarum, quos isti Nilos & Euripos vocant, quis non, quum haec videat, irriserit?* Ex quo vides, putasse Ciceronem, sicuti *Nili* sic etiam *Euripi* nomen ex proprio evasisse μεταφορικὸς appellativum [alioqui nullus fuisset irrisioni locus] aut certe a significatione freti manasse ad notandas quasvis longe minora conceptacula. Sed & ductus aquarum in circo vel arena *Euripos* fuisse nuncupatos, habes apud Plinium VIII. 7. 26. Suetonium in Julio cap. 39. Lampridium in Heliogabalo c. 23. Cassiodorum III. Var. 51.

Ex his vides, S. Patricium non longe a loco certaminis nactum fuisse sepulturam. Itaque nihil verisimilius dici potest, quam prope balneas aliquam fuisse sive piscinam, sive natationem, sive cujusvis generis aquarum conceptionem, aut ductum, vulgo *Euripum publicum* appellatum; ac prope eum locum S. Patricii reliquias inhumasse Christianos.

Ceterum haud facile cum Prusa urbs alia sonitum multitudine & copia certaverit teste Turnefortio loc. cit. *Il semble que Pruse ait été faite exprés pour les Turcs; car le Mont Olympe lui fournit tant de sources, que chaque maison a ſes fontaines* [proinde is Prusam cum urbe *Granata* ea parte confert] *La plus considerable . . . fournit de l' eau de la groſſeur du corps d' un homme*, &c.

(212) Acta quidem nullos commilitones S. Patricii memorant. At in Graecorum libris tres ei socii passim adjunguntur, nim. *Acacius, Menander ac Polyaenus*. Quos quidem presbyteros fuisse, & eorum synaxin agi *in aede sanctiſſ. Dominae noſtrae quae est in Cyri*, tantum in Synaxario Clarom. apud Bollandistas legitur. At nostrorum Fastorum mos est, ut duce tantum signato, συναθληταὶ (*socii*) si qui sint, subaudiri jubeantur.

(213) Merito igitur hoc die in nostro marmoreo Kalendario praefigitur nota P. i. e. *passionis*, quippe quum die suo is Martyr colatur. Concinunt Graecorum metricae Ephemerides in hunc modum.

Ἐννέα καὶ δεκάτῃ τιμᾷ πατρίκιον ξίφος οὗτος.

Patricium undeviceno mucro abscidit ensis.

Digitized by Google

CAP. II.

Ex Graecorum libris Liturgicis Elogia S. Patricii aliquot.

Quae modo dedimus Acta, ea ſinceritatem uſquequaque ſpirare, nemo non videt. Nec quiſquam criticorum adhuc repertus eſt, qui eis (214) obloqui ſuſtinuerit. Tamen fuiſſe & Acta alia pleniora, quorum quae damus compendium videri poſſint, vix dubito. Etenim ut omittam quod quae produximus, alicubi circumſtantiis pluribus defecta videntur: quae mox ex Graecorum Officiis proferam S. Patricii elogia, ea [paucis forſitan exceptis] bonae frugis eſſe conjicio: & tamen plura in eis de Pruſae epiſcopatu, de ſapientia, de ſociis, aliaque leguntur, quae fruſtra in Florentinis Actis requiras. Adhaec διαφορος [*eloquentiae*] rhetorum, quam deviciſſe Martyr in Menaeis dicitur, vix in Actis initio leve veſtigium ſupereſt, & dictorum ab Julio quaſi ſumma capita. Illa ipſa pulcherrima Martyris concio de thermarum origine, & impiorum ſuppliciis, alicubi quibuſdam partibus copioſior legitur. Quoci rca non abuſurum me opera fuſpicor, ſi quaecumque de hoc aevi Apoſtolici Martyre praeterea reperi, ea partim hoc cap. partim in ſequ. Diatriba cum lectore communicem.

Ac primum in Baſilii Menologio die XIX. Maii totidem ex Graeco verbis ſic legitur. *Certamen S. hieromartyris Patricii Epiſcopi Pruſae, & ſociorum... Sanctus pater noſter Patricius Pruſae urbis Epiſcopus fuit. Is quum Chriſti fidem eos, qui ſe ſibi adjungebant, edoceret; captus ab idolorum cultoribus, coram Bithyniae praeſide adſtitit: a quo interrogatus, libere Chriſtum profeſſus eſt. Dicente autem praeſide, deos coli debere, Jovem, Apollinem, Baschum, quorum providentia calidae aquae in hominum beneficium erumpunt; reſpondit Sanctus, calidas aquas virtute Chriſti ſcaturire, non idolorum, hoc eſt lignorum inanimorum ac lapidum ſenſu carentium. Quamobrem quum in thermas ipſas, qua parte violenter (215) ebullirent, conjectus eſſet, incolumis evaſit, omnibus tortoribus uſtis. Ita variis primum tormentis excruciatus, poſtremum gladio occiditur una cum diſcipulis ſuis Acacio, Menandro, & Polyaeno.*

Adhaec in Menaeis Venetae editionis die XIX. Maii aliquanto longius reperitur elogium, cujus titulus talis eſt: *Sancti Hieromartyris Patricii Epiſcopi Pruſae, & ſociorum ejus Acacii, Menandri, & Polyaeni.* Mox hi verſiculi ſubjiciuntur.

Εφηρε Πατρίκιος ἐκτμηθεὶς κλέος
Ταῖς κλέος παγγενὲς πατρικίοις.
Ἐννία καὶ δεκάτῃ σὺν πατρίκιον
ξίφος ὤκι.

Patricius obtruncatus invenit decus
Supra patriciorum decus terreſtrium.
Patricii undeviceno caput abſcidit enſis.

Elogium vero quod ſubjicitur, ſic totidem fere verbis [uti meus mos eſt] reddi poteſt. *Quorum* [martyrum in titulo

(214) De his Actis Tillemontius [tom. 5. ubi de hoc S. Martyre] ſic habet: *Des Actes... qui ne paroiſſent pas mauvais, quoique l'Ecriture y ſoit un peu trop citée, & qu'il ſoit difficile de pretendre que les diſcours, qui ſont aſſez longs, ſoient originaux.* Verum de ſcripturae locis a Martyribus in ipſa interrogatione uſurpatis exempla ſunt prope innumera in actis ſincerioribus. Ac ne longiores quidem conciones exemplis carent. In Actis quidem S. Pionii plures ſunt longiſſimae Martyris in conflictu ipſo diſſertationes: quas ne putes poſtea per otium ab aliis pinguiores factas, prohibet Euſebii de earum longitudine teſtantis locus, quem in S. Pionii Actis obſervavimus. Nec S. Philippi Heracleae epiſcopi diſputationes breviores fuerunt: de quo martyre in Aprili noſtro copioſe egimus. Pluribus ſupersedeo.

Ceterum eam ipſam S. Martyris diſputationem, quae ſect. 4. & 5. legitur, quam nimiae longitudinis Tillemontius accuſat, antiquos admirationi habuiſſe, eamque paſſim imitatos, in ſeq. Diatriba obſervabimus.

(215) Sic reddendum eſſe credidi, quod Graece ſcribitur: ἐν αἷς αἱ θερμαὶ κολυμβῶσι βίᾳ. Nam βίᾳ heic non nominis vicem gerit [quaſi calidas iſtas *vi* humana ſervefactas eſſe narretur] ſed potius adverbii. Itaque iſtud βίᾳ *violenter* reddidi, ſed ita ut tantumdem ſit quod *vehementer*.

Digitized by Google

tulo recenſitorum] *Patricius propter Chriſti fidem accuſatus, coram Julio praeſide ſiſtitur. Qui quum ei ſuadere modis omnibus niteretur, & calidarum illarum obtenderet ſcaturiginem, quaſi quae deorum providentia efferveſcerent, & eorumdem beneficentia redundarent; ſanctus Martyr reſpondit, calidas quidem in* [hominum] *beneficium erumpere, ſed tamen virtute domini Jeſu: quum quidem duo loca Noſter ſtatueret, unum bonis refertum, in quo juſti requieſcerent; alterum obſitum caligine & igni, ad quem peccatores poſt mortuorum reviviſcentiam damnabuntur. Adhaec, inquit, ignem Deus in creaturis omnibus collocavit, cumque aliis elementis commiſcuit: nam & ſupra firmamentum ignis & aqua, itemque, ſub terra ignis & aqua reperiuntur: unde fontes, ſi quidem prope ignis conceptacula, calidâ, ſin ab illis longius, frigidâ ſcaturiunt. Addebat, ignem quidem ſubterraneum impiorum animorum eſſe carnificinam, infimam vero aquam in gelu concretam vocari Tartarum, in quo dii gentium ſortiti ſunt habitaculum. Quumque talia plura eloqueretur, jubente praeſide, in mediam calidarum ſcatebram immiſſus fuit. Quibus eos qui conjecerant magis, quam ipſum qui conjectus eſſet, laedentibus, Sanctus indemnis exivit. Mox accepta capitali ſententia cum Acacio, Menandro, & Polyaeno* (216) *enſe obtruncatur. Agitur eorum celebritas in aede ſanctiſſimae* (217) *Deiparae.*

In eiſdem porro Menaeis ad 28. Aprilis eſt aliud S. Patricii elogium, quod fere totum in pertexenda S. Martyris de ignibus ſubterraneis, & impiorum ſuppliciis diſputatione occupatur. Quod proinde in ſequentem Diatribam mihi reſervo. Sed & in Caniſii Menologio eodem die 28. April. de Patricio agitur; at vero die XIX. Maii de Patricio cum ſuis ſociis Acacio, Menandro & Polyaeno, & ita quidem ut utrumque elogium ex fuſioribus Menaeorum eorumdem dierum elogiis contractum, reſectis diſputationibus, videatur. Ad 19. Maii ſic idem Caniſianum in nupera editione Baſnagiana deſinit: *Agitur .. celebritas in dic(cor. aede) SS. Dei Genitricis.*

(216) Bollandiſtae admonent, in Synaxario Claromontano hos Patricii commilitones preſbyteros appellari. Miror tamen Bollandianos tum hoc Menaeorum elogium, tum alterum, quod in ſeq. Diatribam contuli, praeteriviſſe; nec porro de Cedreno quidquam ſubodoratos, ex quo plura in ſeq. Diatriba producentur.

DIATRIBA V.

De Veſuviani incendii, ceteratumque Vulcaniarum flammarum origine ex antiquorum Chriſtianorum ſententia.

S. Patricii de ignibus ſubterraneis & impiorum ſuppliciis pulcherrimam Diſſertationem [quam in ejus Actis habes ſect. 4. 5.] fuiſſe ſecutis temporibus celebratiſſimam, ex pluribus monumentis infra producendis elicio. At ei diſputationi Veſuvianam ſub Tito conflagrationem dediſſe anſam, & initio Diatr. 3. innui, & hoc loco pluribus demonſtrare aggredior.

§. 1. *Veſuvianos ignes a primi ſaeculi Chriſtianis a Gehennae promptuario fuiſſe repetitos, ex inedito Geraſimi fragmento oſtenditur. Eadem vero de Veſuvio tunc ſenſiſſe Patricium, ex Menaeis & Cedreno demonſtratur. An re vera S. Patricius Veſuvium exundantem inviſerit, eoque tempore aliquis S. Stephanus epiſc. Neapolitanus fuerit. Plura in tranſcurſu obſervantur, emendantur, illuſtrantur.*

Etenim quum ante viginti hos annos Vaticanae bibliothecae membranas (fretus maxime Caroli Majelli Archiep. Emiſſeni, ejus tunc bibliothecae praefecti, viri ſupra fidem doctiſſimi ſanctiſſimique

[217] Ex eodem Synaxario Clarom. haec ultima ſic recitantur a Bollandianis: *Agitur vero eorum ſynaxis in aede ſanctiſſ. Dominae noſtrae, quae eſt in Cyri.* Meminit ejus aedis, quam Cyrus patricius & praefectus urb. in ſuis aedibus exſtruxerat, Codinus num. 113.

Digitized by Google

simique humanitate & hospitio) excuterem, memini incidisse me in cod. Graecum 790. quo codice excerpta varia continentur. In eo pag. 98. a tergo pulcherrimae historiae fragmentum, auctore *Gerasimo* (218) *monacho chronographo* (uti titulus indicat) exstat, quod tum temporis a me descriptum nec alibi quod sciam editum, huc proferre ac Latine reddere non gravabor.

Ex chronographo Gerasimo Monacho.

Sub Tito Romanor. imperatore mons (219) *Vesbius ab ipso vertice ruptus tantum effudit ignis, ut circumpositam regionem cum urbibus concremarit. Quod contemplati gentiles, ac vehementer attoniti, quosdam eximios Christianos interrogarunt, quonam modo aut un-*

Ἐκ τοῦ χρονογράφου Γερασίμου μοναχοῦ.

Ἐπὶ Τίτου βασιλέως Ῥωμαίων τὸ βέτιον (corrige βέσβιον) ὄρος κατὰ κορυφῆς ἐγένη, πῦρ ἀνέβλησε (corrige ἀνέβλυσε) τοσοῦτον, ὡς καταφλέξαι τὴν παρακειμένην χώραν σὺν ταῖς πόλεσιν· ὅπερ θεασάμενοι οἱ Ἕλληνες, καὶ σφόδρα καταπλαγέντες, ἠρώτησάν τινας τῶν

(218) Gerasimos monachos haud multos equidem reperio. Gerasimus is, qui e monasterio Manganorum monachus, anno 1320. CPolitanus patriarcha evasit, huc non pertinet. Nec S. Gerasimus monachus Basilianus in Regno Neapolitano prope Leucopetram, cujus aetas & gesta ignorantur, nomine tenus notus; de quo vide Bollandistas ad XIV. Junii pag. 974. Nec notior est aetas aut res gestae cujusdam S. Gerasimi civis Laurentini in Rhegina Calabriae dioecesi, quem ne monachum quidem fuisse, possimus ostendere: de quo Bollandiani ad 24. Junii pag. 810. Postremo fuit & antiquior Gerasimus anachoreta celeberrimus (qui in hisce Fastis Neap. die 5. Martii colitur: vide ibi dicta) qui anno 475. ad caelum evolavit. Sed utinam praestare possemus, hunc illum esse chronographum fragmenti hujus auctorem. Hic quidem anachoreta Gerasimus in Lycia natus scribitur tum in S. Euthymii vita, tum alibi. In Lycia autem celeberrimae erant ignium eruptiones Chimaerae & Hephaestiorum montium. An igitur ob eam causam primorum Christianorum de Vesuviana flamma responsionem scriptis hic Gerasimus tradidit, ut simul ostenderet suis popularibus, etiam Lyciae ignium vomitiones ab eadem causa procedere? Hoc quidem leve est; sicuti & illud quod in hanc eamdem sententiam conjici posset, nim. quod quum sancti hujus Gerasimi de Vesuvio historiola apud Neapolitanos celebrior evasisset, id in causa fuerit, ut ejus (ceteroqui apud Graecos cultum assecuti) festum Fastis Neapolitanis inscriberetur. Nec enim ob aliam causam Philonem die 24. Januar. & Sophronium Kal. Martii a Neapolitanis fuisse signatos, quam propter scriptas ab eo vitas, quas Neapolitani terebant, ostendimus suis locis.

Verum haec non moror: nec usquam S. Gerasimum illum anachoretam simul fuisse chronographum, Graeci prodiderunt. Magis est, ut Gerasimus iste chronographus non alibi quam in regno Neapolitano monachus fuerit; in quo Graeca monasteria plura florebant. Cui conjecturae id favet, quod Vesuvianam historiolam non alium quam accolam scribere decuerit: & quod *Gerasimorum* nomen frequens in his locis fuerit.

(219) In codice scriptum erat *βέτιον*. Sed nemo non videt, legendum esse, *βέσβιον*: id quod etiam ex altero breviore fragmento ejusdem codicis constat eisdem fere verbis concepto, (quod infra adnectam) in quo *βεσβίν* (pro *βέσβιον*) legitur. Montis hujus nomen varie scribitur. In marmore Campano legitur VESVIVS cum unico V in medio; in libris autem & VESVVIVS & VESEVVS & VESBIVS (cui scriptioni Graeci velificantur, apud quos saepissime *βέσβιος* legitur) aut cum V consona in medio *Vesvius* scribitur. Ejus nominis verissimum etymon ex primigenia lingua alicubi exposui simul cum aliis pluribus Vulcaniarum insularum aliorumque hujusmodi locorum etymologiis; ex quibus perspicue elicitur, ea orientalia fuisse nomina, quibus igneae vomitiones significantur.

Digitized by Google

τῶν ἐλλογίμων χριστιανῶν, πῶς καὶ πόθεν ἐξῆλθε τὸ πῦρ ἐκ τῶν μυχετάτων (cor. μυχαιτάτων) τῆς γῆς· οἱ δὲ εἶπον, ἐκ τῆς ἡτοιμασμένης διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις καὶ πᾶσι τοῖς ἁμαρτωλοῖς καὶ ἀσεβέσιν ἀνθρώποις γεέννης ἀνεδόθη πρὸς σωφρονισμόν καὶ ἐπίγνωσιν τῶν ἁμαρτανόντων· καὶ δῆλον ἐξ ὧν ὁ περιβόητος ὑμῶν διδάσκαλος Πλάτων ἔφη διερχόμενος (ex Cedreno corr. διεξερχόμενος) ἐν τῷ Φαίδωνι περὶ τῶν λήξεων καὶ ἀποκληρώσεων τῶν ψυχῶν, ὅτι οἱ κακῶς βεβιωκότες κολάζονται ἐν κωκυτῷ (cor. κωκυτῷ) καὶ ἐν τῷ πυρὶ (possis ex Cedreno reponere πυριφλεγέθοντι) καὶ ἐν τῷ ταρτάρει (cor. ταρτάρῳ) ἅτινά ἐστιν ἐν τῷ γεέννης βάθει· Πλάτων γὰρ παρ' ἕλλησιν ἐπὶ σοφίᾳ διαβόητος, ἐν αἰγύπτῳ παρὰ τοῖς φρονίμοις τε καὶ σοφοῖς τῶν αἰγυπτίων γενόμενος πολυπειρίας καὶ σοφίας χάριν, ὡς αὐτοί οἱ ἕλλη-

undenam ignis ex imis terrae recessibus prorupisset. Hi vero ex Gehenna diabolo & ejus angelis necnon peccatoribus & impiis hominibus praeparata illum scaturivisse ad peccantium correctionem ac resipiscentiam responderunt. Idque vel ex iis posse intelligi, quae vester, inquiunt, celebris magister Plato in Phaedone (220) *de animarum judicio* (221) *ac sortitione disseruerit, statuens, eos qui sceleste vixissent, in Cocyto & Pyriphlegethonte & Tartaro torqueri, quae in imo Gehennae sunt* (222). *Etenim Plato, quem sapientiae causa Graeci celebrant, quemque cum prudentibus ac sapientibus Aegyptiorum ad multarum rerum peritiam ac sapientiam comparandam versatum, Graeci prodiderunt, plura ab Hebraeis didicit, etiam Theologus ab ipsis (* Graecis cre-

(220) In tertia & ultima Phaedonis parte, quae in edit. Serrani a pag. 107. to. 1. incipit. Sed idem argumentum copiose etiam in x. de Rep. versus finem pag. 614. & seq. tractatur.

(221) Tam λῆξις quam ἀποκλήρωσις *sortitionem* significat: sed prius saepissime est judiciale verbum ac sortes judiciorum notat. Quocirca *judicium* reddidi; praesertim quum hujus similis narratio (quam infra ex Menaeis producam) inscribatur περὶ κρίσεως, *de judicio*. At Xylandro Cedreni interpreti [apud quem Cedrenum hujus fragmenti initium eisdem verbis exstat] aqua haesit, interpretato, *de animarum ordinibus atque statu*. Nec tam Xylander culpandus est, quam corrupta exemplaria, in quibus pro posteriore ἀποκληρώσεως reperit ἀποστληρώσεως, quo modo & editi omnes habent. Hinc illa Xylándri interpretatio. Itaque ex hoc fragmento, si nihil aliud, inquinato Cedreni loco medebimur.

(222) Hoc fragmentum ab initio huc usque Cedrenus suae historiae intexuit, & quidem eisdem verbis, excepto πυριφλεγέθοντι uti notavimus, & quod in fine pro γεέννης posuit τῆς γῆς; & quod initio addidit, haec tertio Titi anno evenisse [quod tamen falsum esse, infra enotabimus] & quod in eadem prima periodo paucae sunt voculae diversae.

Porro autem ex Cedreni indicio facile est animadvertere, huc usque Christianorum responsum processisse. Nam cetera quae heic subjiciuntur, ea Gerasimus commentarii loco adtexuit. Sicuti & Cedrenus eidem Christianorum responso tum S. Patricii concionem, tum etiam quaedam alia de suo addidit. Vide infra ad Cedreni locum.

Adde quod stylus sequentium plurimum a superioribus in Graeco dissidet. Quocirca non dubito quin huc usque vetus fragmentum procedat, in quo Gerasimo cum Cedreno convenit; quae vero sequuntur ex Gerasimi ingenio prodierint.

Digitized by Google

credo, non Hebraeis) *praenuntiatus: etsi non aperte ac sincere, quemadmodum acceperat (quippe impietate gravique errore praeoccupatus) illa edisserit. Qui quum in Prophetarum libros incidisset, inde earum rerum, quas in Phaedone de animorum judicio ac sortitione scripsit, argumenta desumpsit. Impurus, inquit, & imperfectus, ubi ad inferos pervenerit, in coeno jacebit: at qui perfectus ac perpurgatus eo commigraverit, cum diis habitationem nanciscetur. Nam qui vitam juste pieque transegerit, eum morte obita in beatorum insulas abeuntem, cum omnimoda felicitate, a malis immunem, degere statuit: contra qui se injuste impieque gesserit, hunc in punitionis atque supplicio-rum locum, quem Tartarum appellant, contrudi. Quippe ex Daniele didicerat fluvium igneum* (223) *profluentem, & (224) quod ignis eorum non extinguitur, & vermis eorum non moritur.*

ἕλλανες ἱσορῦσιν, ἔμαθε παρ' ἑβραίοις, καὶ θεολόγος περὶ (cor. παρ') αὐτοῖς ἀνηγορήθη (cor. ἀνηγορεύθη). εἰ καὶ μὴ σαφέσατα καὶ ἀκρεφνῆ (cor. ἀκραιφνῆ) καθὼς παρειλήφει (διὰ γὰρ προκατέχυσαν ἀθεΐαν καὶ δεινὴν πλάνην) ἐξηγήσατο· ἐντυχὼν δὲ καὶ ταῖς προφητικαῖς βίβλοις ϗ παρ' αὐτῶν τὰς ἀφορμὰς λαβὼν ἐν τῷ φαίδωνι περὶ τῶν λήξεων ϗ ἀποκληρώσεων τῶν ψυχῶν . . . (lacunam sic explebis: ὡς ὁ) μὲν ἀκάθαρτος ϗ ἀτέλεστος εἰς ᾅδην ἀφικόμενος ἐν βορβόρῳ κεῖσεται, ὁ δὲ τετελεσμένος, ϗ κεκαθαρμένος ἐκεῖσε μεταχωρήσει, ϗ μετὰ θεῶν οἰκήσει· τὸν μὲν γὰρ τὸν βίον δικαίως διεληλυθότα ϗ ὁσίως, ἐπειδὰν τελευτήσει, εἰς μακάρων νήσους ἀπιόντα οἰκεῖν ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ κακῶν ἐκτός· τὸν δὲ ἀδίκως ϗ ἀθέως, εἰς τὸν τῆς κολάσεώς τε ϗ δίκης τόπον, ὃν δὴ τάρταρον καλοῦσιν· ἤκουσε γὰρ ϗ παρὰ τοῦ δανιὴλ τὸν ἕλκοντα ποταμὸν τοῦ πυρός, ϗ ὅτι πῦρ αὐτὸ (cor. αὐτῶν) οὐ σβέννυται ϗ ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελεῖται (cor. τελευτᾷ).

Huic vero monumento ea S. Patricii dissertatio, quam supra in ejus Actis habes, ita consonare visa fuit, ut non dubitarem, quin Patricius ex eorum Christianorum numero fuerit, qui de Vesuvianae flammae origine ea senserint, quae Gerasimus litteris consignavit. In ea vero conjectura non parum me postea confirmavit & S. Patricii elogium, quod die 28. Aprilis in Menaeis Venetae editionis reperi, quod Latine redditum huc comportari non poenitebit (*).

[223] Sumptum est ex Dan. VII. 10. ubi Graece sic legitur, ποταμὸς πυρὸς εἵλκων ἐκπορευόμενος. Vulgatus: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur.* Vbi apposite εἵλκων est *rapidum* esse. In Danielis fonte Chaldaeo reponendet verbum נגד *negad*, quod est *trahere, properare*: cujus participium interpretantur, *Profluens, manans*, h. e. *rapidus*.

[224] Haec non sunt ex Daniele, sed ex Isaia LXVI. 24. ubi ait: ὁ γὰρ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

(*) In his dum essem, accepi Matth. Raderum S. J. in Viridario Sanctor. hoc Menaeorum fragmentum Latine interpretatum. Itaque diu quae-

Eodem die [28. April.] *S. Hieromartyris Patricii episcopi Prusae, deque* (225) *judicio.*

Hic Sanctus propter innatam sibi a puero virtutem & sapientiam episcopus Prusae factus, propter Christi fidem & igneum zelum ab idololatris tentus, & coram praeside constitutus, idolorum vanitatem est insectatus. Qui multis tormentorum generibus ac (226) *poenis exercitus, gladio obtruncatur. Is cum tyranno obluctatus, quum de inferorum* (227) *punitione interrogaretur; geminas dixit sedes a Deo praeparatas fuisse, unam bonis* (228) *multis, qua justi fruuntur, alteram caligine & igne refertam; in qua peccatores cruciabuntur: ignemque a Deo non tantum per universam terram fuisse sparsum, verum caelo etiam inesse tum ignem tum etiam aquam. Alia enim supra terram aqua est, quae Mare appellatur, alia inferne, quae Abyssus dicitur; ex qua sic quasi siphones, protruduntur fontes ad vitae nostrae necessitates. Porro ex igne subterraneo thermae prosiliunt, aliae servidiores, aliae remissiores. Atque is subterraneus ignis est, uti perhibent, impiorum carnificina. Quemadmodum & infimam aquam, glaciem atque Tartarum vocant, in quo gentiles & horum dii sempiternis suppliciis afficiuntur. Narrabat porro, se Judaeam peragrasse, ac Jordane transmisso, vidisse terram quae etiamtum iram Dei testaretur propter impiorum scelera, quibus se qua caesis hospitibus, qua turpioribus aliis facinoribus inquinabant. Ad haec vidisse se etiamnum inde fumum exhalari, & terram in favillam conversam, omnis fructus omnisque humoris* (229) *expertem. Sed & qui ex Aetna Siciliae prorumpit ignis, nec procul est, & palam est omnibus spectare cupientibus. Quamobrem vobis testatum faximus judicium illud, quod Deus per ignem facturus est. Nam & Nes-*

quaesitum eum librum vix tandem nactus, reperi eam interpretationem elegantem quidem, sed tamen plus nimio ab auctore suo discedere. Ea de causa novam Graecae dictionis vestigiis insistentem hoic posui.

[225] Mira inscriptio, quae Graece concipitur, καὶ περὶ κρίσεως. Ex quibus verbis facile quivis suspicabitur, non aliam Graecis fuisse causam, cur praeter primarium S. Patricii festum die suo [h. e. die XIX. Maii, quo obtruncatus fuit] celebratum, etiam die 28. Aprilis secundariam festivitatem instituerint, quam ut hoc die celebersimae apud antiquos S. Patricii disputationis, quam [περὶ κρίσεως] *de judicio* Divino pronuntiavit, memoriam facerent. Habuerunt enim hoc Graeci proprium, ut in eximiis Sanctis non tantum diem emortualem celebrarent, verum etiam eximia quaeque peculiari festo honorarent. Vide de hoc more quae de Chrysostomo mense Januario diximus, cujus singula exsilia & exauctorationes singulis festis consecrarunt.

[226] Graece haec sic leguntur: καὶ πολλαῖς ἰδίαις βασάνοις ὁμιλήσας [addenda est mox copula καὶ] ποιναῖς. Quae Matt. Raderus, qui hunc Menaeorum locum ante me est interpretatus, sic reddidit, *Ac multis exquisitisque tormentis excarnificatus.* Verum nusquam *excarnificatus* in Actis proditur: nec ante capitis abscissionem ulla sanguinis gutta S. Patricio deperiit: nec Graeca, si verbum verbo appendas, aliud significant quam, *In multis tormentorum generibus poenisque versatus.* Harum vero poenarum nomine potes intelligere carcerem [qui certe praecedere debuit] & quod in thermas praecipitatus fuit. Ex his autem vides, Acta sincera, quae dedimus, ultimum tantum tragoediae actum exhibere, nec, ut alibi fit, a comprehensione incipere.

(227) Haec verba, καὶ περὶ κολάσεως ἐπανόδους, Raderus in sua interpretatione omisit.

(228) Graece erat ἓνα (φῶτων) πολλῶν ἀγαθῶν, ὃν οἱ δίκαιοι ἀπολαύουσι. Vbi illud ἀγαθῶν est a neutro plurali ἀγαθὰ. At prior interpres perinde accepit, ac si esset masculini generis, quippe interpretatus, *Vnam* (scilicet) *piorum multorum quam possiderent justi.*

(229) Prior interpres: *ac omni destitutam fructu fetuque seu piscium seu pomorum.* Sed in Graeco legitur: ἄμοιρον παντὸς καρποῦ καὶ παντὸς ὑγρᾶς οὐσίας (cor. ὑσίας). *Expertem omnis fructus omnisque humidae substantiae.* Atqui *humidae substantiae* nomine magis est, ut herbas & virentia quaeque, quam ut pisces intelligas. Nec enim terra, de qua haec dicuntur, usque adeo felix usquam reperietur, ut pisces gignat.

Digitized by Google

Neapoli(230)*vidi egomet montem sex millibus ab urbe distantem, barathro* (231) *hiantem, qui Divinum illū ignem*(*qui undae instar ad trecentas supra montis cacumen ulnas exsiliens, terram concremavit*) *&* (232) *saxa eructabat; donec piissimo* (233) *ejus tem-*

(230) *An re vera S. Patricius Vesuvianam eruptionem inviserit.*

Ad concionem S. Patricii (in Actis sect. 5. in Adnotat.) ex Stephano Ethnicographo monui, Siciliae nomine debere ibi etiam Campaniam intelligi. Et certe brevitati Acta illa Patriciana student: ac fuisse Acta alia copiosiora, ex quibus Menaeorum conditores protecerint, Tillemontius jam pridem est suspicatus. In iis Actis fusioribus apertam Vesuvianae eruptionis sub Tito mentionem exstitisse non dubito non una de causa: primum quod illa inundatio proxime acciderat: deinde quod haec eadem occasionem Christianis, ipsique S. Patricio praebuerat ista incendia ab igne Gehennae repetendi.

At illud magis expendere interest, utrum re vera S. Patricius Vesuvianam flammam praesens inviserit, an haec contra Graeculus ille, qui hunc Menaeorum locum condidit, de suo adjecerit. Istud quidem Graecis recentibus non est insolens. Sed tamen hoc etiam in Actis illis amplioribus fuisse lectum, plane suadet suis circumstantiis vestita narratio, Stephani Episcopi mentio, & Vesuvii exundantis admodum vera descriptio. Itaque aut verum est, reapse Patricium pro concione testatum, se Vesuvio scaturienti interfuisse: aut illud saltem verum erit, Graecos recentiores (qui aliunde scirent, S. Patricium lustrasse Vesuvium, ac gentilibus de origine flammae interrogantibus, in Gehennae ignem causam contulisse) haec ex verisimili concioni Patricianae inseruisse. Vide quae infra ex Cedreno afferam.

(231) Ὄρος φαραγγῶδες prior interpres vertit *montem vallibus sinuosum*. At nec Vesuvius sinuosus vallibus usquam fuit, aut esse potuit (quippe bituminosis torrentibus ad convalles semper se devolventibus, ac cineribus insuper aequantibus omnia) nec φάραγξ aliud quam quod in interpretatione posui significat. De barathro seu cavo, quod in summo Vesuvii vertice desidet, amphitheatri imaginem offerens, legatur Xiphilinus, ubi ex Dione ejus moncis figuram, quo tempore celebris sub Tito eruptio contigit, accurate describit.

(232) Totus hic locus Graece sic concipitur: ἐκάρασε . . . ὄρος φαραγγῶδες, βλύσαν (cor. βλύσσον) τὸ θεῖον πῦρ (καὶ ὕδατος ὕδωρ ἐπὶ τριακοσίας ὀργυιὰς [cor. ὀργυιὰς] ἀναβλύσαν ἐπὶ τὴν κορυφὴν τοῦ ὄρους, καὶ κατάφλεξε τὴν γῆν) καὶ τοὺς λίθους. Vbi intra parenthesim interposui, quae sensum alioqui turbassent. Ea vero sic totidem plane verbis Latinis sonant. *Vidi . . . montem barathro hiantem, & efflantem divinum ignem* (*& aquae instar ad trecentas ulnas ascendens* [ille ignis] *supra verticem montis, terram exussit*) *& lapides*. Ex his vides montem duo ex aequo eructasse, ignem scil. (quem liquidum aquae instar fuisse dicit) & saxa. At Cl. Raderus turbavit omnia, sic reddens: *Vidi . . . montem . . . vallibus sinuosum, ex quo divinus ille ignis erupit, & velut saliens unda trecentas ulnas ultra montis verticem elatus, terram exussit, & saxa decoxit*.

(233) *An fuerit aliquis S. Stephanus Neapolitanus aequalis S. Patricii.*

Graecum ὁσιώτατος Raderus verterat *sanctissimus*. Neque id criminor. At Chioccarellus ex ea Raderi translatione occasionem arripuit hunc Stephanum (quippe *sanctissimum* in Menaeis vocatum) inter Sanctos adnumerandi. Vide Chioccarellum pag. 49. in Stephano I. At primum ὅσιος apud Graecos meliores *pium* potius quam *sanctum* designat: eademq. vox Monachis & Episcopis passim a Graecis Christianis tribuitur. Deinde *sanctissimi* vox in Episcopis magis est rituale nomen, quam confessae sanctitatis indicium.

Et Chioccarellus quidem hanc historiam ad Stephanum quinti exeuntis saeculi Episcopum refert. At equidem, etsi ad XI. April. dubius herebam, de quo Stephano haec historia esset intelligenda; nunc detecta S. Patricii aetate, hunc Stephanum primi saeculi Episcopum fuisse non dubito; & hunc verisimiliter illum fuisse, qui in Fastis marmoreis die XI. Aprilis signatur.

Nisi quod is tantum insidet scrupulus, Menaeorum fidem haud tutam videri. Qui enim fieri potest, Menaeorum scriptori hunc Stephanum Patricii aequalem innotuisse, Neapolitanis non item? quippe de eo Stephano silente Ioanne diacono in primorum Episcoporum serie. Respondeo, fieri quidem potuisse, ut ea ex probis memoriis Menaeorum conditores hauserint: etsi non ignoro, eosdem plures commentis suis historias inquinasse, modo nequa circumstantia in narrationibus desideraretur.

Sed illa objectio gravior, quod si, qui Stephanus in Fastis marmoreis die XI. April. colitur, is primo saeculo claruisset; eū Jo: diaconus,

paulo

Digitized by Google

temporis Episcopo Stephano cum (234) *supplicatione progresso Deumque exorante, flamma rejecit.*

Atque is celebris admodum est Menaeorum locus: quem tanti fecit Raderus, ut eum separatim sibi vertendum ac Viridario sanctorum inferendum putarit. Non est autem dubium, quin non de alia eruptione quam quae sub Tito fuit, ibi Martyr loquens inducatur: nec aliter accepit Raderus, ut qui initio sic de S. Patricio breviter adnotat: *Vixit sub Tito*. At Chioccarellus pag. 49. qui *Stephanum* Episc. Neapolitanum eum accepit, qui in fine V. saeculi sedit, haec de eruptione illa, quam Cassiodorus memoravit, est interpretatus, insuper Raderum criminans, quod *nullo auctore, nullaque conjectura* motus S. Patricium Tito aequalem fecerit. At qui Diatrib. III. paullo post eos fastos scribens, non ignorasset, nec eum in catalogo praeteriisset. Sed tamen responderi potest, ex antiqua traditione Neapolitanos coluisse quendam Stephanum, cujus depositio in XI. April. incideret; at postea ejus antiquitatem, quae in aevum Apostolicum incurreret, ex hominum memoria excidisse: quocirca Joannem diac. quum eum Fastorum locum de Stephano illo, qui exeunte V. saeculo sedit, intelligeret; interim antiquissimum illum aevi Apostolici Stephanum silentio involvisse. Aut postremo quod Joannis diacon. chronicon lacunis atq. hiatibus multis in prioribus saeculis scatere conquerimur, id magis temporis Diacono subsecutorum injuria, quam chronographi culpa forsan evenerit: qui salem debuisset de hiatibus illis monere lectorem. Quum contra videamus, sic numeros I. II. III. &c. singulis praescribi, quasi si continua serie sibi omnes succedant. Itaque fieri potest, ut Joannis quidem chronicon initio integrius ab Joanne prodierit: quod quum deinde lacerum evasisset; qui inde exempla propagarunt, continua serie reliquos Episcopos descripserint, & insuper numeros ita praescripserint, quasi si nullus desit; ac postremo & tempora (de quibus alibi pluries expostulavi) Pontificum Rom. & imperatorum aequalium in prioribus saeculis interpolaverint, nequa lacuna temporum hiaret. Sed conjecturarum satis.

(234) Gr. μετὰ λιτῆς, *cum supplicatione*. Apud Graecos posteriores λιτὴ id significat, quod vulgo nostri *processionem* vocant. Nec aliter intellexit Raderus, quippe reddens cum *sollemni supplicatione egressus*. Verum processiones primo saeculo nullae fuerunt: quarum primum equidem vestigium in S. Porphyrii Episcopi Gazae vita (qui IV. exeunte saeculo vixit) reperio. Aut igitur illud λιτῆς mollius de quibusvis precationibus est interpretandum; aut Graeci recentiores hanc de ea circumstantiam non praeter morem addiderunt.

(235) Non tertio Titi anno, sed primo arsisse Vesuvium, aperte ex Dione apud Xiphilinum colligitur. Nec alius, quod sciam, dixit praeter Cedrenum, & aliud fragmentum Graecum, quod in eod. Vaticano cod. (ex quo Gerasimi fragmentum erui) reperitur eisd. plane Graecis verbis, quibus heic Cedrenus utitur. Exstat id in eo cod. (790.) fol. 102. a tergo sub hoc titulo: περὶ τοῦ ἐξαρχαμένου πυρὸς ἀπὸ τῆς γῆς. *De igne qui ex tellure prosiliit*. Deinde sic sequitur: τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς βασιλείας (heic supplendum est Τίτου) υἱὸς ἱσπασιανοῦ τοῦ βασιλέως (cor. βασιλεῦσαι) ὄρος ἐν τῇ δύσει κατὰ κορυφῆς ῥαγὲν ἐξεπύησε (cor. ἐξεφύσησε, ut in Cedreno) πῦρ πολὺ, εἰς καταφλέξαι πᾶν περιοικούμενον χῶρον καὶ τὴν πόλιν. Quae totidem sunt in Cedreno verbis.

At in Gerasimo quum omnia ferme eisdem Graece verbis, atque in Cedreno legantur, haec tantum prima periodus plura diversa habet, & illud in primis, quod tantum sub Tito ea contigisse

quod vulgo nostri *processionem* vocant. Nec aliter intellexit Raderus, quippe reddens cum *sollemni supplicatione egressus*. Verum processiones primo saeculo nullae fuerunt: quarum primum equidem vestigium in S. Porphyrii Episcopi Gazae vita (qui IV. exeunte saeculo vixit) reperio. Aut igitur illud λιτῆς mollius de quibusvis precationibus est interpretandum; aut Graeci recentiores hanc de ea circumstantiam non praeter morem addiderunt.

(235) Non tertio Titi anno, sed primo arsisse Vesuvium, aperte ex Dione apud Xiphilinum colligitur. Nec alius, quod sciam, dixit praeter Cedrenum, & aliud fragmentum Graecum, quod in eod. Vaticano cod. (ex quo Gerasimi fragmentum erui) reperitur eisd. plane Graecis verbis, quibus heic Cedrenus utitur. Exstat id in eo cod. (790.) fol. 102. a tergo sub hoc titulo: περὶ τοῦ ἐξαρχαμένου πυρὸς ἀπὸ τῆς γῆς. *De igne qui ex tellure prosiliit*. Deinde sic sequitur: τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς βασιλείας (heic supplendum est Τίτου) υἱὸς ἱσπασιανοῦ τοῦ βασιλέως (cor. βασιλεῦσαι) ὄρος ἐν τῇ δύσει κατὰ κορυφῆς ῥαγὲν ἐξεπύησε (cor. ἐξεφύσησε, ut in Cedreno) πῦρ πολὺ, εἰς καταφλέξαι πᾶν περιοικούμενον χῶρον καὶ τὴν πόλιν. Quae totidem sunt in Cedreno verbis.

At in Gerasimo quum omnia ferme eisdem Graece verbis, atque in Cedreno legantur, haec tantum prima periodus plura diversa habet, & illud in primis, quod tantum sub Tito ea contigisse

Tertio anno (235) *Titi, Vespasiani F. Besbius mons in occasu a vertice summo ruptus*

Digitized by Google

ruptus tantum ignis efflavit, ut ea regio urbesque circumjacentes incensae fuerint. Quod quum vidissent Graeci, vehementer admirati, quosdam Christianorum primarios interrogarunt, quonam modo atque unde ignis ex penetralibus terrae erupisset. Hi respondérunt, eum admonendorum resipiscentiae causa peccatorum editum fuisse ex Gehenna, quae diabolo ejusque angelis & omnibus peccatoribus parata est. Idque manifestum esse etiam ex his, quae celebris ipsorum doctor Plato in Phaedone de animarum ordinibus (236) *atque statu narrat: nimirum eos qui male vixissent in Cocyto, igneo Phlegethonte, & Tartaro suppliciis affici, quae sint in visceribus terrae* (237). *Atque haec quidem isti tunc Graecis rei causam scisitantibus respondérunt. Beatus autem Patricius Prusae episcopus & martyr a Proconsule* (238) *judice coram universo populo causam Thermarum ideſt aquarum, quae sua sponte calidae terra erumpunt, interrogatus ita respondit. Quum* (239) *Deus ignem & aquam ex nihilo condidisset, verbi sui vi ex igne lucem, solem, & reliquas stellas fecit, jussitque eae dies noctesque lumen praebere. Tantum quippe ei est potestatis, quantum voluntatis. Porro ex aqua firmamentum caeli compegit, terramque supra aquas statuit, effecitque in his omnia efficacitate futuri providente, ut homo quem erat formaturus nulla suis necessitatibus usibusq. commoda re destitueretur. Rursum in his duo loca condidit sempiterna: quorum alterum luce illustrem infinitis bonis replevit: alterum tenebris obsitum aeterni ignis suppliciis destinavit: ut qui ei sese probassent, neque a diabolo se in fraudem illici sivissent, ii vitae restituti inque locum lucis & bonorum refertum recepti, aeternum cum ipso regnent: qui vero ipsum irritassent, communi hosti obsecuti, cum hoc in tenebricoso isto carcere sine fine supplicia luentes plorent. Proinde quum aquam ab igne (sicut & tenebras a luce) divisisset, ea per omnem suam creaturam minutis partibus distribuit. Itaque & aqua supra firmamentum est* (240) *aether:*

tigisse dicat, nihil *de tertio anno* memorans. Ex his, uti vides, non tantum animadvertitur, hanc narrationem castigatiorem in Gerasimo, quam in Cedreno fuisse, verum etiam illum hoc antiquiorem exstitisse.

(236) Hunc Cedreni locum supra ad Gerasimi fragmentum ex eod. Gerasimo castigavimus in Adnot. 221. Confer si lubet.

(237) Huc usque vetus fragmentum est, quod sive ex Gerasimo Cedrenus eisdem verbis transtulit; sive tam Gerasimus, quam Cedrenus ex antiquiore scriptore hauserunt. Vide quae ad hunc locum ad ipsum Gerasimum adnotavimus.

At vero sicuti Gerasimus ei veteri fragmento quaedam de suo adnexuit; idem & Cedrenus est imitatus, qui opportune admodum ei Christianorum responso S. Patricii (qui fortasse dux eorum fuerat, qui sic gentilibus respondissent; maxime si vera sit Graecorum narratio de Patricio Vesuvium invisente) celeberrimam dissertationem subtexuit.

(238) Graece πρὸς αὐτὸν δικαστὴν ἀνθύπατον ... *eum ἀνθύπατον, Judici proconsuli sic respondit.* Magno cum judicio Cedrenus *proconsulis* vocem, quam in Actorum initio reperit, quae & hodiedum exstat, sibi non omittendam putavit, certe quod intelligeret, eam *proconsulis* appellationem ad aetatem Martyris definiendam pertinere. Confer quae ad Actorum initium enotavimus, quaeque plura in Diatriba 3. cap. 1. copiose disseruimus.

(239) Hanc ipsam sanctissimi Martyris Prusaensis disputationem habes supra in ejus Actis sect. 4. 5. Eaque non tantum eisdem passim utrobique sententiis, atque ordine, sed & eisdem plerumque Graecis verbis concipitur. Sunt tamen, ut fatear, alicubi plura quaedam in Cedreno, ut & passim eaedem quidem sententiae sed verbis paullulum variatis. Verum quid pluribus opus est? Cedrenus in omnium est manibus, sicuti & Aprilis Bollandianus; in quo ad 28. April. ad tomi calcem Acta Graeca S. Patricii reperies. Haec si cū Cedreni Graeco conferas; quid inter utrumque conveniat, quidve discrepet, animadvertes.

(240) Graeca hujus loci sic habent: καὶ ἐστιν ὕδωρ ὑπεράνω τοῦ στερεώματος, ὃ ἐστιν αἰθήρ, *Et est aqua supra firmamentum, hoc est aetherem.* Hoc sibi vult, *Firmamenti* nomine non aliud venire quam *aetherem*. Nam firmamentum Hebraeis *Expansum* vocatur h. e. *amplum* (*extensio*) illa Platonis, quae non aliud esse potest quam aether longe atq. late supra terras per universum diffusa. Ad Acta Patriciana quaedam huc pertinentia adumbravimus. At heic

S. Mar-

Digitized by Google

aether. & eſt ignis atque aqua infra terram. Et aqua quidem ſuperior in unum collecta Mare dicitur: quae autem infra terram reſidet, Abyſſus nominatur, unde, veluti tubuli quidam, emittuntur fontes, ad vitae noſtrae & animalium omnium uſus: atque iisdem etiam calidae ebulliunt. Nam quae, Dei providentia ſic ordinante, longius ab igne inferiore abſunt aquae, eae frigidiores eduntur; quae igni propiores ſunt, ab eo calorem concipiunt, & admodum fervidae ſurſum efferuntur: quae autem non prope ignem ſunt, tepidae exeunt. Atque ignis quidem qui infra terram eſt, daemonum & peccatorum hominum ſupplicio inſervit. Aqua etiam, imo infra terram loco ita frigida ut in glebas glaciei congelet, qui & Tartarus dicitur, ipſa etiam facit ad cruciandum eos, qui Dei praecepta violaverunt. Eſſe autem ignem ſubter terram perſuadere tibi debet ignis qui in Sicilia, Lycia aliiſque locis manifeſto erumpit: quo nimirum praemonſtratur, in horrenda Gehenna omnes uri, qui ignem ſuis factis meruerunt. De hoc igne etiam magnus ille Moſes in perſona Dei loquitur &c.

Quae porro apud eumdem ſequuntur Moſis, aliorumque Divinorum librorum teſtimonia, ea non Patricii ſunt, ſed Cedreni additamenta; praeſertim quum ad extremum etiam ex Chryſoſtomo locus afferatur, quem Patricius, quippe trecentis prope annis antiquior, citare nullo modo potuit.

Ex his opinor non tantum vides quam celebris omni tempore illa S. Martyris Pruſaenſis diſſertatio fuerit, verum etiam non inepte hoc dici poſſe, eumdem ducem eorum exſtitiſſe, qui (Geraſimo & Cedreno teſtibus) gentilibus de Veſuviana vomitione ſcitantibus, ignem Gehennae pro origine aſſignaverint. Hoc quidem ſiquis minus largiri volet; at illud certe non effugiet, quin Patricius primus omnium inveniatur, qui ignium erumpentium eam, quam ſupra didicimus, cauſam tradiderit, & ceteris idem poſtea ſentientibus ſigniferum ſeſe obtulerit.

§. 2. *Tertulliani, S. Pionii M., S. Philippi Heracleotae M., S. Paciani, S. Gregorii Magni de eadem re teſtimonia.*

Jam vero ceterorum, qui poſtea in eamdem ſententiam diſputarunt, ſervata temporum ſerie, teſtimonia in medium producamus. Tertullianus ad finem lib. de poenitentia. *Si de exomologeſi retractas* (241) *Gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet... Quid illum theſaurum ignis aeterni aeſtimamus, quum FVMARIOLA quaedam ejus tales flammarum ictus ſuſcitent, ut proximae urbes aut jam nullae exſtent, aut idem ſibi de die ſperent? Diſſiliunt ſuperbiſſimi montes ignis intrinſecus ſetu; &, quod nobis IVDICII perpetuitatem probat, quum diſſiliant, quum devorentur, numquam tamen finiuntur. Quis haec ſupplicia interim montium non IVDICII minantis exemplaria deputabit? Quis ſcintillas tales non magni alicujus & inaeſtimabilis foci miſſilia quaedam & exercitoria jacula conſentiet?* Vix eſt ut in toto Tertulliano quidquam elegantius reperiatur: ut merito hunc Septimii locum poſtea, uti videbimus, deſcripſerit Pacianus. Et quidem bis Gehennam & impiorum ſupplicia IVDICIVM vocat. Quod non notarem, niſi eâdem notione Menaea ad 28. Aprilis (vide locum a me ſupra recitatum) in titulo poſuiſſent περὶ κρίσεως, *de judicio*, h. e. de Gehenna. Huc etiam facere dixeris, quae idem Septimius extremo cap. 48. Apologetici diſputat, ubi ab ignivomorum montium perpetuitate aeternitatis Gehennae

S. Martyris ſententia multo eſt luculentior, quam in Actis: quam tamen Xylander in ſua interpretatione obſcuravit, dum aquam illam ſupernam eamdem fecit atque aetherem; quum contra relativum ὁ ad στερέωμα (*firmamentum*) non ad ὕδωρ (*aquam*) referri debeat.

(241) H. e. *Recuſas, Detrectas*. *Retractare* verbum eſt Tertulliano familiare ſub iis ferme ſignificatibus, quos Gloſſae veteres adnotarunt, in quibus *Retractat* eſt ὑποχωρεῖ, δεκάζει, παραιτεῖται. Vtitur & Aurelius Victor eadem notione. Quin & participium *Retractans* pro *Obluctans* Livio & Columellae uſurpatur.

Digitized by Google

hennae argumentum capit. *Longe*, inquit, *alius* (ignis) *est, qui usui humano, alius qui judicio Dei apparet* (i. e. ministrat) ... *per vertices montium eructans: non enim absumit quod exurit; sed dum erogat, reparat. Adeo manent montes semper ardentes ... Et hoc erit testimonium ignis aeterni. Hoc exemplum jugis judicii poenam nutrientis.*

Adhaec S. Pionius qui circa annum 250. martyrium fecit, longissimam concionem illam, quae in ejus Actis apud Ruinartum cap. IV. legitur (de quibus hujus Martyris allocutionibus Eusebii testimonium produximus supra ubi de S. Pionio) sic claudit, ut apertissime videatur Patricianam hanc de thermis & ignibus subterraneis dissertationem imitatus. *Judicium namque* (inquit) *imminet saeculo de cujus adventu multis ex rebus certi sumus: Ego namque transgressus omnem Judaeorum terram, cuncta perdidici, & Jordane transmisso, vidi terram quae excidio suo iram Domini testabatur, propter id quod peregrinos aut extinguebant, aut percurrentes in sexum, viros muliebria pati jugulato hospitii jure cogebant. Vidi terram vi divini ignis exustam, & in cineres favillasque conversam, omni humore atque fertilitate viduatam. Vidi mare mortuum* ... De quo vulgata a ceteris miracula narrat. Mox. *Sed quid ego haec vobis dico procul remota, longius collocata? Vos* (242) *gentes videtis & enarratis incendium, illam aestuantem rupibus flammam. Conferte quoque Lyciae* (243) *& diversarum insularum ignem ex infimis terrae visceribus effluentem. Aut si haec non posuistis agnoscere, considerate calidae* (244) *aquae usum, non dico de illa quae fit, sed de illa quae nascitur. Aspicite fontes tepentes, & anhelantes ibi unde extingui solent flammae. Vnde esse putatis hunc ignem, nisi quia CVM INFERNI IGNE SOCIATVR?*

Nec aliter S. Philippus Heracleae episcopus (quem per idem tempus h. e. sub Decio decertasse, ad XIX. Aprilis comprobavimus) sensit, ut qui ignes hosce *Divinos* vocat, & Dei ministros. Vide in ejus Actis apud Ruinartum cap. V. haud brevem orationem, in qua de Sodomitico igne praefatus, sic pergit: *Quare his quibus per Orientem in Sodomis ignis apparuit, signum judicii & indicium fuit irae caelestis. Ac ne in solo Oriente prius se ignis ostenderet; in Sicilia quoque atque in Italia* (Vesuvium designat) *visa est res digna miraculo*. De quo miraculo (245) vide Acta. Post multa. *Hic est ignis ille DIVINVS* (246) *justus factorum omnium optimus judex, qui ad terram defluens, quodcumque inu-*

(242) Haec Bollandus sic exhibet: *Vos Decapolim Lydiae regionem igne combustam videtis ad impiorum exemplum usque in praesentem diem; Aetnae item incendium, & Siciliae atq; Lyciae insularum.*

(243) In Lycia sunt Chimaera & Hephaestii montes, de quorum incendiis vide Plinium II. 106.

(244) De thermis idcirco addit, quia hae olim a S. Patricio illam disputationem [quam ob oculos Pionius habuit] elicuerant.

(245) Narratur miraculum duarum virginum, quae patrem in humeros sublatum ex incendio eripuerunt. Eam narrationem vivis coloribus a S. Martyre expressam vide in Actis. Et quidem omnia in Anapidis & Amphinomi fratrum patrem ex Aetnae flamma subtrahentium [historiam Conon apud Photium, Solinus, & alii referunt] narrationem quadrant. Hoc tantum dispar, quod quos adolescentes profani faciunt, uti Virgines S. Martyr exhibuit, & quod Christi virtute tantum facinus perfectum narrat, ut vix ferme dubites quin eas pro Christianis S. Philippus habuerit. Notanda sunt praeceteris illa: *Quo ire cupiebant* (virgines) *sectus agger apparuit COLLVDIVM quoddam ipsius videres incendii*. Quid sit *Colludere* & *Collusium*, JCti norunt.

(246) Christiani scriptores in id conveniunt, ut ignes hosce *Divinos* vocent. In supra recitata S. Pionii allocutione: *Vidi terram vi divini ignis exustam*. In Menaeorum loco ad 28. Aprilis quem supra adscripsimus, Vesuvii flamma τὸ θεῖον πῦρ *Divinus ignis* vocatur. Tertullianus in Apol. ad finem cap. 43. ante ea verba, quae supra produximus, videtur causam appellationis aperire illis verbis, *Ignis habentis ex ipsa natura ejus, Divina scilicet, subministrationem incorruptibilitatis*. Quae etsi de Gehenna dicuntur, tamen quae sequuntur,

Digitized by Google

inutile (247) *invenitur, exurit.*

Sed & quarto saeculo S. Pacianus in Paraenesi ad poenitentiam (tom. 4. Bibl. SS. Patrum pag. 317. E) haec de Tertulliano, uti dicebam, paucis mutatis, arripuit. *Si de cruciatu exomologesis retractatis. Gehennam recordemini, quam vobis exomologesis extinguet. Vim ejus & de praesentibus aestimate: cujus fumariola quaedam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. Aestuant indefessis flammarum globis Aetna & Lisariculus, & Vesuvius Campanus: & quo vobis judicii perpetuitatem probent, dissiliunt, devorantur, nec ullis tamen saeculis finiuntur.*

Postremo apud S. Gregorium in IV. Dialog. 30. quidam *solitarius magnae virtutis* in insula Liparitana degens hoc a se visum de Theoderici regis Ariani morte ac damnatione narrat. *Etiam: mortuus est* (Theodoricus). *Nam hesterno die hora nona inter Joannem Papam & Symmachum patricium discinctus atque discalceatus, & vinctis manibus deductus, in hanc vicinam Vulcani ollam jactatus est* (tanquam scil. in inferni κατάβαθρον & *spiracula Ditis*, uti quidem poetae vocant). *Et quia* (subdit Gregorius) *Joannem Papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoque patricium ferro trucidavit, ab illis juste in ignem* (*inferni*: de quo Gregorius toto eo dialogo disserit) *missus apparuit, quos in hac vita injuste judicavit.*

APPENDIX

Ad Diatribam tertiam.

§. 1. *Quaedam ex Diatriba 3. accuratius retractantur.*

Quum jam Diatriba III. prelo subjicienda esset, animadverti me cap. 3. §. 3. pag. 376. omisisse quaedam ad id argumentum, quod prae manibus erat, spectantia. Et ea tunc quidem duobus tribusve verbis (in ea Adnotatione, quam asteriſco praenotavi) vix ima pagina indicasse (quando aliud is temporis articulus non patiebatur) contentus, rem integram in hanc Appendicem rejeci. Ea igitur fidem libero.

I. Iis Argumentis, quibus eo loco ex Vareni judicio demonstrabam, non potuisse Julium Bassum serius anno Christi centesimo de Bithyniae administratione decedere, adde & hoc maximi roboris.

Nam postquam Varenus obtinuerat, ut sibi testes evocare liceret, quum inter Nepotem atque Celsum altercatio orta esset, fuere qui *frequentius singulis, ambobus interdum, PROPITIVM CAESAREM, ut in LVDICRO aliquo precabantur*, uti Plinius VI. ep. 5. narrat. Ex quo apertum est, tunc adfuisse Caesarem. Nec aliter quam de praesente Trajano haec intellexit eximius Plinii interpres Catanaeus. Maxime quum in Circensibus, aliisve ludicris [quo alludit scriptor] non nisi praesens Caesar rogaretur, ut huic aut illi faveret. Atque haec etiam in Adnotat 170. pag. 378. leviter attigi.

Ex his vides, in Vareni judicio tres temporis periodos esse distinguendas. Prima ab accusationis initio longissime eo usque progreditur, quando adhuc praesente Trajano disceptatio illa inter Nepotem & Celsum exarsit. Altera per totam Trajani Dacicam expeditionem protenditur. Tertia demum a Caesaris reditu ad ejusdem interlocutionem procedit. In quae temporum intervalla vix effugies, quin paullo minus triennio impensum fuerit. Confer haec cum cap. 3. §. 3.

quo

tur, eo pertinent, ut Gehennae igni flammas hasce de terrae specubus erumpentes pares faciat. An hoc & vetus Graecia spectarit, quum sulphur (i. e. praecipuum ignium istorum matrimentum) θεῖον [quasi *Divinum* dixeris] nuncupavit, haud habeo dicere. Sed tamen ut ita sentiam, illud facit quod Gen. XIX. 24. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham SVLPHVR & ignem A DOMINO de caelo.* Ab eo ortum crediderim, ut antiquitas Divinae illius originis memor, sulphur θεῖον h. e. *Divinum* appellarit.

(247) *Inutile* h. e. *reprobum, sicuti & Graecis*, Ἄχρειος quum proprie *Inutilem* significet, tamen vix aliter quam pro *Malus* usurpatur: quocirca in Glossis Ἄχρειος redditur, *Nequam, Spurcus, Nequam, Nequior*, & Ἀχρειότης *Nequicia*.

Digitized by Google

quo haec pertinent.

II. Hoc etiam est animadvertendum, me in eo §. quem retractamus (maxime pag. 375. & alibi passim) in Norisii sententiam iviſſe, Trajani ex Dacia reditum in ann. 103. protrahentis. Nam ea sententia, etsi mihi in hoc negotio minus commoda, mihi se multum probabat. Quod si vero alios longe plures viros gnavos sequimur, Trajani reditum in annum 102. retrahentes; ea putandi ratio mihi multo commodior exsistet. Quid enim? Fac Trajanum sub exitum anni 102. redeuntem in Vareni causa interlocutum. Certe si non plus biennio, aut etiamsi paullo minus duobus annis in multiplicem ejus causae fortunam impensum statuas; vel sic tamen necesse erit id judicium ineunte anno 101. fuisse inchoatum; ac proinde Bassum haud serius anno 100. ex Bithynia *reum rediisse*.

Quod si tamen Trajani reditum in annum 102. conferes; tum argumenta illa concident, quibus (pag. 177. per totam Adnot. 170.) ex ejusdem causae Vareni cursu ostendebam Plinii Bithynicam profectionem anno 103. assignari nequáquam posse, sed serius accidisse.

§. 2. *De Plinianis Cl. Massonii annalibus in annis iis, quos supra in Diatriba III. recensuimus.*

Jam superiores Diatribas scripseram typisq; expresseram, quum venit in manus meas Cl. Jo: Massonii Plinii junioris *vita ordine chronologico digesta*, ac Plinianae editioni per Dan. Longolium Amstelaed. ann. 1734. expolitae praemissa. In eam ubi equidem incidi; statim in annos Christi 100. 101. 102. 103. oculos conjeci; & in quibusdam quidem mihi cum Massonio convenire (quorum illud praecipuum est, quod Jul. Bassum ab aestate anni 99. in centesimum usque annum vergentem Bithyniae praeficiendum putavit; & quod Bassi judicium in annum 101. confert) gavisus, in pluribus tamen alia omnia illum statuisse animadverti. De quibus a me ordine dicetur. Tametsi scio Plinii editorem Longolium lectori significasse, ab eodem Massonio alteram tunc temporis parari ejusdem Novocomensis scriptoris vitam secundis curis elimatam: quae utrum postea prodierit, haud scio. Itaque siquid in hac Massonii posteriore lucubratione mutatum in iis fuerit, quae mihi non probanda censui, ea uti lector pro non dictis a me habeat rogo.

I. Ad annum 101. num. 9. Norisium & Pagium reprehendit eo nomine, quod illos (apud Plinium IV. 9.) *duos & consulares & disertos* de ipso Plinio & Albino acceperint, quum contra Massonius contendat intelligendos esse Pomponium Rufum, & Herennium Pollionem, post quos [uti putat] *Theophanes tempus sibi laxius vindicaverit*. At equidem Diatr. III. cap. 3. §. 1. eadem cum Norisio senseram: neque id muto, donec certiora quis proferat. Res sic se habet. Primo actionis die egit contra Bassum Pomponius Rufus, cui Theophanes [*fax accusationis*] successit. Vtrique accusatori respondit Plinius, cujus defensionem nox diremit. Postero die principio ἀπολογίας suam Plinius continuavit, quam excepit Lucii Albini defensio. Mox, inquit Plinius, *respondit* accusator *Herennius Pollio. Deinde Theophanes rursus* [nam & pridie accusaverat]. *Fecit enim hoc quoque ut cetera impudentissime, quod post duos & consulares & disertos tempus sibi & quidem laxius vindicavit*: [nam] *dixit in noctem atque etiam nocte illatis lucernis*. Mihi quidem duo illi consulares, post quos Theophanes dixit, non videntur posse intelligi Rufus & Pollio, quorum ille pridie, alter postridie egit, sed Plinius & Albinus, qui eodem die defenderunt, post quos tamen Theophanes non tantum dicere sustinuerit, sed & laxius sibi tempus vindicare, ita ut ad multam noctem illatis lucernis accusaverit. Lucii Albini eloquentia & paria cum Plinio studia laudantur III. ep. 9.

At etiam idem Massonius [ad annum 102. num. 5. in Nota subjecta] negat, Pomponium Rufum, qui IV. 9. pridie

Digitized by Google

accusasse dicitur, eumdem esse ac Rufum Varenum Bassi (ex V.20.) accusatorem, idque levi argumento. Nam, inquit, Pomponius Rufus in III.9. *consularis* vocatur; quum contra Rufus Varenus nequiverit consularis esse, quia proconsul Bithyniae fuit, in quam tantum praetorii mittebantur. Atqui hoc ultimum falsum est; nam Strabone teste [vide sup. adnot.178.] etiam *consulares* in provincias praetorias mittebantur: quique post consulatum gestum in eas mittebantur, ii modo *proconsules*, modo *consulares* vocabantur. Ceterum viri docti consentiunt, uni viro haec omnia fuisse nomina *Pomponio Vareno Rufo*. Mitto cetera quae afferri possent; ut quod etiam si Varenus Rufus ante Bithyniam administratam consul non fuisset; saltem post reditum a provincia, sed ante Bassi judicium, potuerit consul suffectus esse.

Sed age vera sint omnia, quae Massonius in hoc negotio censuit, ac prae ceteris illud detur, quod initio posui, nimirum *duos* illos *consulares* non fuisse Plinium & Albinum, sed Rufum & Pollionem [quod, ut ingenue fatear, sua probabilitate non caret] detur hoc inquam, modo in eo, quod unice interest, mihi cum Massonio conveniat, in anno scil. proconsulatus Julii Bassi, quem Bassum uterque nostrum anno Christi centesimo Bithyniam rexisse, ac sequente anno accusationum tempestate jactatum, fatetur. Neque enim illa temporum recensio eâ dumtaxat loci Pliniani de duobus consularibus interpretatione stat aut cadit; nam Diatr.III.cap.3.§.1. etiam ex Vareni proconsulatu annum proconsulis Bassi elici certo debere dixi.

II. Ad ann.102.num.5.sic scribit. *Hoc quoque anno* [Christi 102.] *at antequam Trajanus e Dacia rediret, Varenus nobis videtur, jam Bithyniae proconsulatu functus, ac Romae reversus, a Bithynis accusatus, atque a Plinio vindicatus. Etenim Noster ep.20.lib.V.* Iterum [*inquit*] Bithyni post breve tempus a Julio Basso etiam Rufum Varenum proconsulem detulerunt. Varenum, quem nuper adversus Bassum advocatum & postularant & acceperant &c. *Unde liquet, Varenum non quidem immediate Basso successisse, cum ille contra hunc jam e provincia reversus egerit; neque tamen duos inter utrumque* [Bassum scil. & Varenum] *proconsules fuisse, ut illud BREVE ac NVPER ep. 20. lib. V. demonstrant.*

Itaque Massonius [ut uno verbo dicam] sic rationes init, ut non modo Varenum Basso successorem det [quem ego decessorem statueram] sed ne proximum quidem successorem, ut qui nescio quem alium Bassi Varenique proconsularibus intermedium infert. Ergo quandoquidem Bassus aestate anni centesimi administrationem, Massonio concedente, finivit: ille intermedius non ante aestatem anni 101. desierit, nec Varenus ante aestatem anni 102. de provincia decesserit, nec postremo ante autumnum ejusdem anni Romam redierit, necesse est, h. e. [ut ego interpretor] sive post Trajani ex Dacia reditum, (quem Massonius in eumdem ann. 102. confert) sive sub idem ferme tempus, aut [ut id quoq. largiar] paullo ante Trajanum. At *in* hoc systemate plura sunt *ἀσύστατα*.

1. Quo enim pacto *post BREVE tempus a Julio Basso* & NVPER Varenus est accusatus, quum inter utriusque judicia annus solidus interceserit isto modo reperiatur; ac fortasse plus anno, quia Bassus *rediit reus*, non item Varenus: quo discrimine notatur, hunc alterum non statim a reditu accusatum. Adde quod in Pliniana rei recentissimae narratione illud *breve tempus* non ultra unum duosve menses protendi debeat.

2. Ac Norisio quidem non dedi manus, qui Vareni causam *in aliquot annos* protractam docuit. At certe biennium, ac forsan amplius, ei judicio dandum, satis Diatr.III.cap.3.§.3. & initio hujus Append. ostendi. At vero quid Massonio fiet, cui id judicium ne bimestre quidem evadet? Etenim etiamsi ad vergentem annum 102. Trajani reditus prorogetur: quum

Digitized by Google

quum Varenus ex Maſſonio non ante Septembrem ejuſdem anni Romam attigerit, nec ſtatim peractus ſit reus; non video quo pacto tantulo tempore tam varia fortuna judicii illius reciprocare potuerit. Vide quae plura loc.cit. attulimus.

3. His adde, quod Noſter pro certo ſibi ſumit, Vareni cauſam abſente Trajano inchoatam fuiſſe. At id falſum eſſe docuimus (vide initio hujus Appendicis §. 1.) ex Plinii loco qui VI. 5. legitur. Ergo quando, adulto jam Vareni judicio, eidem Vareno teſtes advocare licuit, adhuc Trajanus aderat. Mox eadem cauſa per totam Trajani abſentiam continuata fuit. Poſtremo redux jam Caeſar in eadem cauſa interloquitur apud Plinium VII. 6. Vides jam utrum annos plus duos, ut ego cenſui, an vix duos menſes [uti Noſter doceat neceſſe eſt] ea cauſa perduraverit. Quanto ſatius fuit, Varenum proximum Baſſi deceſſorem facere h.e. a medio anno 98. ad medium 99: quod cur Noſter in Tillemontio culpaverit [in Nota ſubjecta num. 5.] non video: ſimulque gratulor, idem quod mihi, tanto antea Tillemontio viro in his ſummo in mentem veniſſe. Nec enim praevideram. Quod ſi Maſſonius feciſſet; pulchre omnia annalibus ejus Plinianis procederent.

Poſtremo eo labitur Noſter num. 7. ut ſcribat, licere ſibi [ſi id neceſſe ſit] Principis praeſentis in ea cauſa interlocutionem *ad aeſtatem uſque anni* 103. *protrahere*.

Do equidem viro docto manus: nam ego etiam [vide Diatr. III. cap. 3. §. 3.] ann. 103. medio Vareni cauſam a Caeſare cognitam ſtatui. Verum hoc intereſt, quod Maſſonius Vareni ex provincia redeuntis calamitatem non poteſt antevergentem annum 102. inchoare; quam ego Trajano adhuc praeſente [nondum ſcil. in Daciam profecto] ex Plinio VI. 5. ordior: deinde quod Maſſonius Principem anno 102. redeuntem facit, ac demum medio anno 103. Varenianae cauſae operam dantem; quum contra ego Caeſarem cum Noriſio anno 103. in Vrbem reducam, ac ſtatim ab reditu in Vareni cauſa interlocutum.

Atqui falſiſſimum eſt, Caeſarem tam ſero poſt reditum in Vareni cauſa fuiſſe interlocutum. Quid enim moror? Ex Plin. VII. 6. *redeuntis* Principis *cognitionem* illius cauſae Plinius *ſuſpenſus exſpectabat*. Nunc quo pacto ingenti exſpectationi tam longa dilatione Caeſar ſatisfeciſſet? Hoc parum: illud gravius. Plinius epiſtolam 10. libri VII. cum ſexta ejuſdem libri ita continuat, quaſi perbreve tempus inter utramque interceſſerit. Hanc autem ſextam ſic clauſerat, ut ſe Caeſaris [cui conſules omnia integra ſervaverant] *cognitionem ſuſpenſam* exſpectare diceret. Ergo epiſtola decima [qua Trajani interlocutio narratur] quum breviſſimo poſt ſextam tempore ſcripta ad eumdem Macrinum fuerit, non poteſt niſi abſurdiſſime poſt aeſtatem anni ſequentis prorogari. Rogo lectorem, ut utramque epiſtolam conferat.

III. Poſtremo Maſſonius ad eund. ann. 102. num. 8. Anicium Maximum proximum Plinii deceſſorem in Bithyniae adminiſtratione facit. Immerito. Nam Servilio Calvo proxime Plinium ſucceſſiſſe, in eadem Diatr. III. cap. 1. num. 5. oſtendi ex Trajani epiſtola 65. libri X. Illud non moror, quod Plinii Bithynicam legationem in annum 103. confert [quem vide ad ann. 103.] hoc enim cum pluribus aliis commune habet. At poſt annum 107. eam legationem eſſe differendam, ex illo ipſo Vareni judicio equidem in eadem Diatriba demonſtravi. Vide ibi dicta cap. 3. §. 4. & in Adnot. 170.

Haec ſunt, quae in Plinianis Cl. Maſſonii annalibus minus probanda ab anno 100. ad 103. mihi credidi: quae facile eſt virum doctum poſterioribus curis [quas utrum evulgaverit, neſcio] per ſe vidiſſe, & cum melioribus permutaſſe.

Digitized by Google

XX PS THALLALEI

THallelaeus *Megalomartyr*, & *Thaumaturgus* (his enim titulis a Graecis ornatur) professione medicus, Aegis in Cilicia sub Numeriano (248) imp. passus cum Alexandro & Asterio sociis, memoratur hoc die in omnibus Graecorum libris primo loco; & in Romano Martyrologio, in quod ex Sirleti Menologio transfusus fuit. Praeter Synaxarii elogium a Papebrochio allatum, exstat alterum paullo contractius in Basilii Menologio Urbini ante aliquot annos evulgato. Verum ab eodem Papebrochio duplicia Thallelaei Acta G. L. hoc die producuntur, quorum priora, eadem breviora ac probatiora ei videntur. Sed tamen eadem miraculorum incredibilium, & absurdissimorum multitudine tanta laborant, ut non possint non nauseam ciere legentibus: de quibus Actis praestabit Tillemontium (249) adire, quam in eis expendendis tempus frustra conterere. Illud

(248) Quem principem re vera in Christianos saeviisse, supra [ad XVII. hujus mensis cap. 2. pag. 309. Adnot. 31.] demonstratum fuit.

(249) *Acta stylo simplici scripta, ex lutulentis traditionibus (haud tamen mala fide) in plerisque hausta fuisse, ac facile de Syro in Graecum translata. Aedessa eadem atq. Aegaea: deque ejus veriloquio. De duce Bereccocio. Adjutor quid.*

Tillemontius tom. IV. in Thallelaeo Not. 4. satis liquido horum Actorum, quae plus nimio admiratus est Papebrochius, absurditatem ostendit. Fatetur tamen, eorum stylum videri sinceritatem spirare. Ac scriptor id forsitan laboravit, ut ex aliis Actis formulas quasdam corraderet, quibus ad pertexendam narrationem uteretur. Itaq. illud sect. 2. (*χριστιανός εἰμι· εἰ δὲ τὸ κοινὸν ὄνομά μου μαθεῖν θέλεις, Θαλλέλαιος λέγομαι, Christianus sum: quod si commune nomen meum optas cognoscere, Thallelaeus vocor*) sumptum est ex veris S. Bonifacii Actis: ad quae verba vide quae adnotavimus supra ad XIV. Maii pag. 297. Sed vide tamen in fine Adnot. hujus, cur haec ea locutio nativa videri possit. Illam quoque respondendi formulam ab officio usurpatam, *Διόμεθά σε κύριε* &c. alibi quoque in Aliis Actis reperies. Mitto talia plura.

Ceterum qui hujus scriptoris quisquilias ex uno tantum documento aestimare velit, tantum sectionem 4. legat. Quum enim praeses animadverteret, fabros materiarios, ubi diu contendissent, Thalelaei talos perforare non valuisse, ait, *Ponite mihi* (*σίλλαν*) *sellam, & ego surgens talos ejus terebrabo. S. Thalelaeus dixit: Surge praeses, & veniens perfora mihi talos... Ut autem surrexit praeses ad talos ejus terebrandos, (ὁ θρόνος) sella in qua consederat, adhaesit posteriorius ejus.* Mitto quae sequuntur ejusdem furfuris. Hujus generis commentis [fortassis tamen non mala fide confictis, sed ex saece popularium narrationum postea ab indocto ac nullius judicii scriptore hausitis] tota haec historiola pertexitur.

Nunc ceteris omissis, de *Edessa*, ubi Thallelaeus comprehensus dicitur, pauca addam. Sect. 2. Martyr ait: *ἐκρατήθην καὶ παρεδόθην Τιβερίῳ ἡγεμόνι ἐν Ἐδέσσῃ τῇ πόλει. Comprehensus fui ac traditus Tiberio praesidi in urbe Edessa.* Haec Tillemontius de Edessa Mesopotamiae accepit: sicuti & Baronius in Rom. Mrologio posuit, *Edessae in Syria* &c. Sed tamen Menologium Sirletianum Canisii, ex quo haec in Romanum redundarunt, exhibet *Edessam Ecciensium* [cor. *Aegiensium*: nam Graece videtur fuisse *τῶν Αἰγέων*, ab *Αἰγέα Aegia* scil. quae & *Aegaea* & *Aegae* dicebatur] *civitatem*. Ex quo datur intelligi, ipsas Ciliciae Aegas, ubi Martyr occubuit, alio nomine *Edessam* fuisse vocatam: id quod & Papebrochius [in Comm. praevio n. 4.] fert suspicatus. Nam etiã in his ipsis Actis proxime ante finem sic reperimus: *Egressus autem* [*ἐκ τόπου ἐκείσε μου ὀνόματα Ἐδέσσαν, ἤ ἐστιν ἐκ τῆς Αἰγαίων πόλεως*] *in locum insignem nomine Edessam, quae est Aegeorum civitatis*: ubi consummatus traditur. Videtur autem *Edessa* pars antiquior (*ἡ παλαιόπολις*) Aegarum fuisse.

Sane sicuti Aegae Macedoniae antea *Edessa* aut *Edesa* dicebantur, auctoribus Polybio, Livio, Diodoro, Justino; item & de Aegis Ciliciae dicendum erit, eam fuisse binominem. Accedit, quod urbem illam Macedonicam Ptolemaeus *Αἴδεσσαν Aedessam* cũ bivocali scribat, idemq. proinde de altera Ciliciae dici possit. Ducitur autem a *Capra* etymon, quae Hebraeis ‏עז‎ Ez vocatur: quod Phoenices Chaldaizantes [proinde Z in D mutantes] ED sive *Aed* efferebant: unde & *Aedessae* nomen, & ipsa *Aegarum* appellatio

Digitized by Google

Illud tamen, dumtaxat in Actorum fine ἀσύλλαβον visum est Papebrochio, quod Martyr consummatus dicitur μηνὶ Μαΐῳ εἰκάδι ἡμέρᾳ, *mense Majo die vigesimo*. Quum enim exeunte Augusto tentus is fuerit; quo pacto post nonum mensem, i. e. labente Maio cruciari coepit? Adde quod diu ante Maium Numerianus & Carinus obierant. Itaque negat Papebrochius, eam diei emortualis notationem ab Auctore Actorum profectam, sed postea ab sciolo additam, qui sciret eo die apud Graecos Festum Thallelaei agitari. Hinc modo adscripta verba Papebrochius parenthesi sepsit atq. expunxit. At equidem ea verba sincera esse, & ab auctore Actorum profecta, praestare ausim. Nam illud initio Actorum τῇ πρὸ ἐννέα Καλανδῶν Σεπτεμβρίων *Ante diem IX. Kal. Septemb.* non aliud significat, quam eo die in Cilicia initium persecutioni datum, ac plures interim interfectos, ante quam ad Thallelaeum deveniretur; cujus etiam certamen diu perduravit. Nec magni interest, quod interea imperatore vivis excessisset: nam vel auctore edicti mortuo, semel mota procella nequaquam residebat. Vtut est: at certe quo tempore auctor Actorum haec scribebat [diu scil. ante condita Graecor. Officia] diei XX. Maii Thallelaei passio ab omnibus affigebatur. Quod satis est, ut animadvertas, nō temere, sed maximo judicio Fastos nostros *Passionis* notam hoc die consignasse, ceteroqui *Natalem* adnotaturos, si in diem non suum festivitas incidisset. Consentiunt libri Graecorum omnes, (in quibus Ἄθλησις i.e. *passio* non vero Μνήμη *memoria* hodie inscribitur) quorum adhaec Metricae Ephemerides id verbis disertis docent.

Εἰκοσὴ Θαλιλαίου ἐὺν κεφαλὴν ἀπέτμηξε·
Lux vicena caput Thalilaee tibi abscidit ense.

In quo versu obiter observabis quartam

manavit. Nam sicuti Latini ex Phoenicio *Carthado* fecerunt *Carthago*; hoc ipsum Graeci in *caprarum* nomine factitarunt, ut αἴγας pro αἶδας dicerent (at Latini interim in caprae filio, quem HOEDVM vocarunt, & D primitivum & aspirationem mativam felicius asservarunt) & pro *Aedessa Aegessam*, & postea *Aegas* aut *Aegaeam*. De Macedonicae *Aacegaeae* [quae fuit *Aedessa*] nomine a *Capris* potito vide Justinum VII. 1.

Eādem sect. 2. Thallelaeus ἐκ τῶ Λιβάνε, ex monte *Libano* (hoc est ex *Syria Cava*, quae inter Libanum & antilibanum patet) natalem se traxisse profitetur, patremque habuisse *Berecceocium* (στρατηλάτην) *militum ducem*. Atqui hoc nomen a Romanis ducibus abhorrere conqueritur Tillemontius. Jure id quereretur, si quidem dux vere Romanus fuisset. Nunc Berecceocius aut Romani juris non erat, aut Syro saltem sermone utens, barbaris numeris in limite Orientis praeerat. Ducatus tales eo tempore passim semibarbaris tradebantur. Vide in Aprili nostro de *Mucapore duce* ad Acta S. Philippi Heracleotae. Proinde ne illud quidem admirationem Tillemontio ciere debuit, quod Thallelaeus medicinam faceret, patrum ducis filio decoram. Quod verum esset si natus ab Romano duce fuisset. Pluribus notandis supersedeo. Ex his vero paucis vides, haec ipsa Acta utilitate non carere, quippe bona fide conscripta, quamvis non raro ex vulgarium traditionum fontibus turbidissimis erutа, ac forsan ex Syro sermone in Graecum transfusa: quod conjecturis suadere possem. Quod sicui arriserit [de quo & Tillemontius subdubitavit] tum minus de Syriasmo illo κοινὸν ὄνομα [de quo supra innui] aliisque quibusdam Hellenisticae dialecti vestigiis mirabimur. Quo & illud pertinet, quod num. 3 [pag. 182. v. 10.] Asterius tum primum ad Deum conversus, Judaico jurejurando utitur ζῇ ὁ Κύριος, *vivit Dominus*.

Id etiam in his Actis notandum, quod mediis sermonibus tum locorum distantiae [ut num. 1. v. 18. ἡ ἀπέχει ... σαδίους φ'] tum plures aliae circumstantiae inseruntur [ut num. 2. in Martyris responsione & alibi) quas ipse historicus narrare potius debuisset: id vero non praeter solitum auctorum diu post rem gestam scribentium. Quod eo dico, quod haec & similia in hoc scripto Tillemontius criminari minus debuisset.

Num. 6. post medium praeses ait, καλεῖ σὺν βοηθὸν αὐτῶν, *Voca earum* (ferarum) *adjutorem*, h. e. curatoris ferarum adjutorem. *Adjutores* olim quibuscumq. officiis, levandi laboris gratia, dabantur, ut & adjutoribus *Subadjutores*. Vide Pancirolum, Brissonium de verb. sign. & Cangium in utroque vocabulo. Eos in Italicis officiis etiamnum dicimus *Ajutanti*. Itaque nihil fuit, cur interpres mutato sollemni vocabulo [cujus plurima est in Jure nostro, in lapidib. in Notitia imperii, in Synesio &c. mentio] *Custodem* verteret.

Digitized by Google

rem in nomine Martyris ſcribendi rationem. Id enim (ubi unica liquida notatur) *Thalelaeus* plerumque, at in hoc verſu *Thalilaeus* cum I ſcribitur: jam vero duplicando liquidam, in hoc marmore *Thallaleus* vitioſe ſcalpitur, at paſſim in libris *Thallelaeus* cum E ὀρθογραφεῖται. Atque haec ultima ſcriptio analogiae nititur; fit enim a θάλλος, & ἐλαία, quod *ramum oleae* interpreteris.

XXI MEMORIA CONSTANTINI IMP

VIx mortuo Imperatori huic eos honores fuiſſe habitos, qui Sanctis impenduntur, Euſebius in de vita ejus teſtatur lib. IV. verſus finem. *Omnes imperatorem beatum, Deo carum .. praedicabant ... imaginibus dedicatis ... quum caeli ſimilitudinem expreſſiſſent, ipſum ſupra caeleſtes fornices in aethereo domicilio requieſcentem pinxere.* Adde quae Aur. Victor & Eutropius de eo ſcripſere. Ac memini me olim plures Conſtantini nummos mihi comparaſſe, in quibus imperator velato capite, quadriga vectus, in caelum infertur manu ipſum deſuper excipiente. Adhaec ejuſdem demortui corpus in Apoſtolorum Eccleſiam illatum fuit: cui & ἰσαποστόλῳ i. e. *aequalis Apoſtolis* agnomen poſteritas in Graecorum officiis tribuit. Atque haec & ſimilia in recens mortuum officia.

Non eſt autem dubitandum, quin ſequens aetas cultum religioſum ac ſacrum eidem impenderit. Vide ejus rei monumenta, quae ex Nicolao Papa [apud Baronium] & ex Conciliis affert Tillemontius in Conſtantino Artic. 78. Adhaec Canon qui in Graecorum officiis hoc die proponitur (quem utpote ſine *Acroſticho* & ſine Auctoris nomine, ſane antiquum eſſe, cenſet Papebrochius hoc die pag. 13. num. 6.) non tantum ἰσαπόστολον ſed & clarum miraculis praedicat, & ejus apud Deum preces & interventum implorat. Verum quid plura? ejus cultus, qui in omnibus Graecorum liturgicis libris illi impertitur, non tum primum, quando illi libri ordinari coeperunt, increbuit, ſed, ut in aliis Sanctis, per manus traditus atque receptus fuit. Hinc junctim *SS. Conſtantinus & Helena imperatores* hoc die coluntur in omnibus Graecorum libris, adhaec in Moſcorum effigiato Kalendario, in Mrologio Arabo-Aegyptio: de quibus vide heic Papebrochium; qui & ejuſdem cultum in Anglia, Bohemia, Belgio agnoſcit. Abſonum autem fuerit dicere, univerſam Graecorum Eccleſiam, ac tot alias Occidentis, in cultu huic Imperatori exhibendo falli potuiſſe; ei praeſertim qui poſt Chriſtianiſmum longe lateq; propagatum, ac tot alia κατορθώματα, de quibus taceo, innocentiae ſtolam ad Chriſti tribunal intulerit, quippe non diu ante mortem baptizatus.

Verum redeo ad ejus cultum; cujus domeſtica documenta retuliſſe magis interfuerit. In Sicilia (uti in ſua *Catana ſacra* Jo: Baptiſta de Groſſis, *Chorda 2. modulo 16.* ſcriptum reliquit) ſub *S. Conſtantini* nomine celebris eſt *pius virorum coetus ... inſtitutus ab anno 1506. quorum vilibus ſaccis indutorum, ſeque acriter verberantium proceſſio in nocte Paraſceves egreditur, ſumptus conferente Senatu Catanenſi, permiſſu regiorum miniſtrorum ſub nota anni 1615. expedito.* Adhaec in libro de Divinis Siculor. Officiis (quem haud pridem edidit Canonicus Joannes de Joanne) hoc die XXI. Maii notatus dicitur *S. Conſtantinus Confeſſor* in Orationali & Kalendario Panormitanae Eccleſiae: dic autem praecedente in Kalendario Gallo-Siculo ſignatus traditur *S. Helena & S. Conſtantinus.* Vide auctorem pag. 361. 362.

Apud Brutios in Miletana Dioeceſi *S. Conſtantini* vicus eſt, a Monte S. Leonis quatuor milliaribus diſtans, ubi die II. Maii feſtum ſancti hujus Imperatoris agi, cum officio de communi Confeſſoris non Pontificis, ex ſuorum ſodalium Collegii Mon-Leonenſis litteris compertum habuit Papebrochius. Sed & Bovae (h. e. in ultimo Brutiorum receſſu inter Hieraeium

Digitized by Google

cium atque Rhegium) idem agitur festum *ob reliquias ibidem servatas*, verba sunt Ferrarii in Catalogo Sanctor. Italiae, ex fide Chronici Calabriae. Qui quidem in notationibus ait, esse qui dubitent, an non Bovensium Constantinus sit aliquis indigeta: verum vicinia tota reclamat, ibi cultum Imperatori hodiedum impendi. Atque hae, opinor, *Constantini reliquiae*, quae Bovae asservantur, suspicionem Papebrochio (loc. cit. num. 4.) injecerunt, post captam a Turcis CPolim, imperatoris illius ossa *in Calabriam* (antiquis *Brutios*) fuisse translata.

Postremo de Neapolitanorum cultu Constantini imp. dubitare nos minime sinit hic marmoris nostri locus cum omnibus Graecor. libris consentiens. Verum quum heic nec *Depositionis* nec *Natalis* consueta nota signetur, sed praescribatur MEMORIA (quod tamen ex Officiorum Graecor. usu fit tum heic tum in aliis nonnullis sanctis in hoc ipso Kalendario) hinc credo posteritati oblatam errandi ansam fuisse, existimanti, non de cultu heic agi, sed de *Memoria* h. e. suffragio anniversario, quod defuncto impenderetur. Atque hinc ortum censeo, ut in Basilica S. Jo: Majoris (in qua hoc marmoreum Kalendarium detectum fuit, quam a Constantino fuisse primitus aedificatam, vulgo, sed falso, sibi persuasum habent) die XV. Martii hodiedum pro anima Constantini Magni sacrum anniversarium fiat. Nec alia de causa id olim etiam in Basilica S. Restitutae fiebat (quam a Constantino exstructam, sed sub alio nomine, infra dicemus) uti docet vetus S. Restitutae Rituale in quo sic legebatur apud Chioccarell. pag. 31. *Omnipot. semp. Deus ... miserere animae famuli tui Imp. Rom. Constantini, qui hanc Divae Restitutae sacratissimam aedem, Canonicosq. cardinales XIV. in honorem tui nominis observantissime dedicavit. Per Dom...* Ea vero oratio in Choro S. Restitutae recitabatur, &, quantum ex Chioccarello ibid. intelligitur, eadem inscribebatur *Constantini Magni Imp. ... MEMORIA*; retenta nim. voce, quae in hoc Kalendario legitur.

Verum quo istud MEMORIA in his Fastis pertineat, nemo non videt. Eodem certe, quo in Graecorum libris liturgicis Μνήμη h. e. *Memoria* plurimis caelicolis praescribitur. Sed & iidem Graecorum libri, quum sine tergiversatione Constantinum inter Sanctos referant, tamen hoc die MNHMH i. e. *Memoria*, praesignant, quod & alibi millies faciunt. Id autem vocabulum praescribi a Graecis solet in diebus festis non Martyrum.

Sciendum est autem, non hoc die XXI. sed postridie Constantinum obiisse, nim. die Pentecostes quod Pentecostes festum anno 337. incidit in XXII. Maii. Hinc recte post Chronicon Idacii additum legitur apud Sirmondum & Labbeum: *Feliciano & Tatiano Coss. Constantinus Aug. ad caelestia regna translatus est XI. Kal. Junias*. Quo die etiam Constantinus inscribitur Vsuardinis Auctariis Greveni & Molani, & Germanico Mrologio Canisii. Quae quum ita sint; erasse Graeci videntur uno die in signando hujus Principis festo. Sed & ineptus prorsus est hexameter ille, quem Metricae Ephemerides hoc die exhibent: Σὺν θάνεν ἑπτὰδι πρώτῃ Μητέρι Κωνσταντῖνος · *Ter septena dies Helenam cum prole peremit.* Nam ut omittam, Constantinum postridie i.e. die XXII. mortuum; mirum, si in unum eundemque diem utriusque depositio incurrerit. At S. Helena cultum apud Latinos habet seorsum a filio. Ceterum Fasti Neapolitani pro suo more, Constantinum (qui praecipuae dignationis est) apposuisse contenti, sociam (apud Graecos) matrem subaudiri sinunt.

Atque haec de Constantino satis esse poterant; nisi hic me locus admoneret, ut de Ecclesia, quam Anastasius Bibliothecarius dicit ab eo Neapoli aedificatam, quaenam ea fuerit, pauca addam: de quo & plura ad 1. Decemb (ubi signatur *Dedicatio Stephaniae*) forsan dicemus, & quaedam sup. ad XVI. hujus mensis (ubi de *S. Restituta*) praediximus. Verba Ana-

Digitized by Google

ſtaſii ſunt: *Eiſdem temporibus fecit Conſtantinus Aug. Baſilicam in urbe Neapoli, ubi obtulit* &c. Unam Baſilicam ab Auguſto factam dicit, & tamen vix ulla eſt Neapoli paullo antiquior Eccleſia, quae non ſe jactet a Conſtantino exſtructam. Itaque Baſilicam S. Jo: Majoris vulgo volunt, ex fide neſcio cujus Chronici parum fide digni, ab eodem Auguſto conſtructam; quum tamen conſtet eam a S. Vincentio (250) Epiſcopo factam medio ſexto ſaeculo. Et pro Eccleſia Sanctor. Apoſtolorum affert Caracciolus Adonis Viennenſis auctoritatem, qui nono ſaeculo ſcripſit Chronicon, in cujus ſexta aetate legitur de Conſtantino: *Item Baſilicam Neapoli miro opere exornavit in honorem APOSTOLORVM & Martyrum.* Sed equidem perſuaſum habeo, Adonem, utpote ſcriptorem exterum, facile confudiſſe Conſtantinianam Neapolitanam cum altera ab eodem Auguſto Capuae facta in honorem Apoſtolorum, teſte eodem Anaſtaſio. Ceterum quam unam a Conſtantino Neapoli erectam Anaſtaſius narrat, ejus nomen tacuit; ut difficile ſit conjectare, quaenam fuerit: nam populares traditiones, quas non fulcit antiquitas, nihil moror.

Sed commode accidit, quod cujus baſilicae nomen Anaſtaſius reticuit, ejus appellationem IX. exeunte ſaeculo detexit Jo: diaconus, in epiſcopo Zoſimo ſcribens: *Etiam in urbe Neapoli baſilicam fecit* (Conſtantinus) *aſſerentibus MVLTIS* (i. e. τοῖς πολλοῖς ſive *multitudine*: nam ex Graeci ſermonis ingenio, cui tum Neapolitani inſueverant, illud *Multis* pro *pleriſque* eſſe intelligendum, jam ſupra ad XVI. Maii praemonuimus) *quod* (baſilica quam ille fecit) *Sancta Reſtituta fuiſſet.* Joanni chronographo concinit auctor vitae S. Athanaſii epiſc. Neap. quã Petro ſubdiacono tribuunt, his verbis: *Eccleſiae vero Sanctae Reſtitutae quae a Conſtantino primo Auguſtorum Chriſtianiſſimo, VT FERTVR* (ſic enim interpretatur illud MVLTIS τοῖς χρόνοις λεγόμενον Joannis) *condita eſt.*

Ceterum an haec fuerit eadem ac vetus Cathedralis, quae nomen *Salvatoris* praeferret, antequam novum *S. Reſtitutae* nomen ſibi quaereret, id alibi (ad 1. Decemb.) forſan excutiemus: nec enim neceſſe eſt crambe repetita lectorem occidere.

XXII P S BASILISCI

CEleberrimus athleta Chriſti *Baſiliſcus miles* bis colitur in Graecorum officiis, ſemel cum συστρατιώταις (*commilitonibus*) ſuis Eutropio, & Cleonico die III. Martii (quo Graeci fatentur, Baſiliſcum non eo die conſummatum fuiſſe, ſed in aliud tempus dilatum) iterum autem Baſiliſcus ſolus ſollemni ac peculiari feſto celebratur hoc die, quo & coronatum eum volunt. Sed & Latinum Mrologium ex Caniſii Menologio utroque die tantumdem fecit, die 3. Martii de tribus communiter, hodierno die peculiariter de Baſiliſco agens. At Bollandiſtae in diem III. Martii ſemel omnia de tribus hiſce, ac ſpecialiter de Baſiliſco conjecerunt. Nos vero Neapolitanos ſecuti Faſtos, hoc die (quo Baſiliſci *Paſſio* conſignatur) de eo tantum, omiſſis commilitonibus, commentari cogimur. De quo plura ordine excutiemus: primum unus ne an duplex Baſiliſcus Martyr fuerit: 2. de hodierni Baſiliſci patria agetur: 3. de die Paſſionis: 4. de ejus Actis Bollandianis.

CAP. I.

Vnus ne an duplex Baſiliſcus Comanenſis fuerit.

Praeter hunc Baſiliſcum militem, Theodori Martyris, uti volunt, conſobrinum, Comanis in Ponto paſſum, & quidem hoc ipſo die, uti Graecorum officia teſtantur, fuiſſe oportet alterum Baſili-

(250) Jo: Diaconus in Vincentio: *Hic fecit praefulgidam Baſilicam ad nomen beatiſſ. Praecurſoris in Baptiſtae: quam amplis aedificiis in gyro diſtinxit.* Et quae plura addit.

Digitized by Google

filiſcum epiſcopum Comanenſem, ſed Nicomediae, non Comanis, martyrio coronatum. Hic ille fuit, qui Chryſoſtomum ſua apparitione recreavit, ac de mox ſecutura morte praemonuit. Narrat id diſertiſſime Palladius vitae Chryſoſtomi auctor, quo loco refert, S. Baſiliſcum Comanenſem epiſcopum, ſub Maximiano cum Luciano Antiocheno presbytero Nicomediae paſſum, apparuiſſe S. Joanni Chryſoſtomo prope Comana, ac dixiſſe: *Confide frater Joannes: cras enim ſimul erimus*. At Bollandiſtae contendunt, hunc Chryſoſtomi monitorem non alium fuiſſe ab Eutropii & Cleonici ſocio: ceterum aetate poſteriore in Palladii Latinam translationem intruſa fuiſſe illa verba, quibus is Martyr ſimul etiam *Comanorum epiſcopus*, & cum S. Luciano paſſus fuiſſe dicitur. Videſis Bollandianorum commentarium praevium §. 3.

At contra ſtat Tillemontius: cujus optimas rationes, (quibus oſtendit, nihil Comanenſi epiſcopo Lucianique ſocio cum Eutropii & Cleonici commilitone fuiſſe commune) videbis to. V. Not. 4. in S. Baſiliſcum hodiernum. Tillemontii rationibus licebit & hoc addere, quod Palladii locum a corruptelae ſuſpicione liberat S. Baſiliſci vox illa, qua Chryſoſtomum compellavit: *Confide FRATER Joannes; cras enim ſimul erimus*. Nam ibi *Frater* pro coepiſcopo uſurpatur. Quo & altera vox ejuſdem Baſiliſci pertinet, qua & presbyterum quemdam ibidem manentem monuerat: *Para locum FRATRI Joanni: venit enim*. Poſtremo dum in his eram, praeclarum reperi Conſtantini Porphyrog. locum in Themate II. Orientali verſus finem. Quo loco princeps eruditiſſimus non diſſimulatis Cappadociae probris, ex ea tamen gemmas aliquot productas enumerat, & inter eas Baſiliſcum, Martyrem & epiſcopum, in haec verba: καὶ βασιλισκος ὁ Κομανων ἀρχιεπίσκοπος, ὃς καὶ αὐτὸς μαρτυρίῳ ἐτελειώθη, μεθ' ὃ κατατίθη τὸ λείψανον Ἰωάννῃ τῷ χρυσοστόμῳ. Et *Baſiliſcus Comanorum Archiepiſcopus* (Porphyrogenetae ſcil. aevo, non Baſiliſci, Comana metropolitico jure gaudebant) *qui & ipſe martyrio eſt conſummatus; quocum Joannis Chryſoſtomi reliquiae ſunt reconditae*. Atque hinc de ſanitate loci Palladiani judicare licebit.

CAP. II.

Baſiliſci hodierni patria, ac palaeſtra.

Eutropius, Cleonicus, & Baſiliſcus a Bollandianis ſociis *Martyres Cappadoces* inſcribuntur: id quod illi ex Graecorum Officiis hauſerunt, in quibus alicubi (apud Boll. n. 2.) hi triumviri *ex Cappadocum regione oriundi* dicuntur. Atqui id falſum eſſe, Tillemontius Not. 2. arguit. Etenim quantum ex Actis S. Baſiliſci ex monaſterio S. Maximini erutis licet intelligere, is Martyr *ex vico Cumialis* erat, id quod etiam Graeci in ſuis Officiis teſtantur: is vero vicus ad Amaſiae regionem pertinebat. At vero Amaſia non Cappadociae urbs erat, ſed Ponti metropolis. Nam quae regio ab Haly fluvio ad Colchos uſque pertinebat, ea a Ponto Euxino, cui adjacebat, *Pontus* dicebatur, ubi & Amaſia erat. Plinius quidem & Ptolemaeus Pontum cum Cappadocia jungunt, ſed Straboni natione Pontico, domo Amaſeno magis credendum, qui utramq. regionem diſtinxit: quas & S. Lucas Act. 9. diſcriminatim poſuit. Nec immerito, quia fuerunt diverſa duo regna, quorum unum Mithridates in Ponto, alterū Ariarathes in Cappadocia obtinuerunt: & natura ipſa utrumque tractum diſterminaverat; nam *juga montium* (inquit Strabo) *Tauro parallela Pontum a Cappadocia dirimunt*. Adhaec Iris fluvius (cujus in Actis S. Baſiliſci fit mentio) teſte eod. Amaſeno Geographo, *in ipſo Ponto fontes habet*, nec umquam Cappadociam attingit. Atque has maxime pro Tillemontio rationes ſtare video.

Nunc excutiamus, quo jure Graeci in libris Liturgicis Baſiliſci duorumq. ſociorum patriam in Cappadocia collocaverint. Ajo id illos optimo jure feciſſe, ſive priſcam, ſive mediam, ſive ultimam geographiam ſequamur. Nam ut ea omit-

Digitized by Google

tam, quae Constantinus Porphyrog. lib. 1. Them. 2. ex Polybio narrat de Persa quodam, qui ob regem suum a periculo liberatum, universum illum tractum, in quo Pontus & Cappadocia recensentur, sub uno Cappadociae nomine obtinuerit: ut haec inquam missa faciam, ac Strabonem tantummodo ducem sequi malimus; is minime abnuet, *Ponti* provinciam alio nomine *Cappadociam Pontica*m fuisse vocatam: quem vide initio lib. XII. ubi fatetur, olim quidem universum illum tractum sub Cappadociae nomine venisse, sed deinde Persas id totum in duas divisisse Satrapias; postremo Macedones ex duobus hisce regnis unum *Proprie* dictam *Cappadociam*, & *Quae ad Taurum*, & *Magnam Cappadociam* nuncupasse, alterum vero *Pontum*, sive *Cappadociam Ponticam*. Atque haec de prisca geographia.

Deinde id etiam cum ea divisione stat, quae sub imperatoribus obtinebat: quam quidem Plinius & Ptolemaeus, utpote suis temporibus usurpatam, merito amplectuntur. Quorum hic alter lib. V. cap. 6. totum tractum, qui olim in Pontum & Cappadociam distinguebatur, *Cappadociam* vocat: deinde id totum tres scindit in partes, quarum quae ad orientem pertinet, *Pontum Cappadocium* vocat, quae ad occidentem, *Pontum Galaticum*, partem vero mediam *Pontum Polemoniacum* nuncupat: quibus partibus etiam quasdam praefecturas adjungit. In *Ponto* igitur *Galatico*, qui ad occidentem spectabat, tum *Amasiam*, tum etiam *Comana Pontica*, in quibus S. Basiliscus glorioso fine quievit, constituit. En cur Graeci recte hos triumviros Cappadoces fecerint.

Sed & ultimis temporibus in harum regionum partitione haud parum immutatum fuit [& quidem ita ut Graecorum Officiis id totum suffragetur] quod & ex Hieroclis Synecdemo (251) licebit deprehendere; ac postremo ex Constantini (252) Porphyrogennetae Thematibus.

Atqui haec ultima Porphyrogennetae recensio etiã Basilii Menologio lucem affundet: in quo Menologio hoc die Basiliscus fuisse dicitur ἐκ τῆς χώρας τῶν Ἀρμενιακῶν, *ex regione Armeniacorum*. Quid vero Armenia sive cum veterum Pontica regione, sive cum posteriorum Cappadocia aut Ponto Galatico commune habet? Sed fatendum est, Basilium Porphyrogennetam, qui anno 975. imperare coepit, in eo Menologio (quod ejus jussu collectum, ob eam causam auctoris sui nomen praefert) avi sui Constantini Porphyrogennetae doctissimi principis recensendarum provinciarum rationem fuisse secutum. Is autem Themate II. Orientali, quod inscribitur Ἀρμενιακὸν *Armeniacum*, istud Armeniacum definit simul atque ἐτυμολογεῖ his verbis: τὸ δὲ κατὰ [τὴν Καππαδοκίας] καὶ πρὸς θάλασσαν ἐκλήθη Ἀρμενιακὸν &c. *Inferior* [Cappadociae] *pars ad mare pertinens Armeniacum* [supple *Thema*] *est appellatum, quod sit regio Armeniis vicina*. Deinde inter ejus urbes *Amasiam* primo loco recenset: illam scil. in cujus territorio *vicus Cumialis* erat, S. Basilisci natale solum. En cur scite in suo Menologio Basilius, avi sui scripta sectatus, S. Basiliscum *a regione* [τῶν Ἀρμενιακῶν] *Armeniacorum* [sive rectius *Armeniaci*] arcessit.

Ha-

[251] In Hieroclis Synecdemo *Amasia* quidem (S. Basilisci patria) in provincia Helenoponti recensetur: bina vero Comana, priora quidem in provincia ponti Polemoniaci, altera vero (quae urbs in editione Banduriana Κομόνα corrupte scribitur, sicuti & ἑλληνοπόλεως, quae est *Helenopontus*] in Armenia secunda. At eae provinciae omnes Cappadociae ambitu comprehenduntur.

[252] Constantini hujus Thema alterum lib. 2. legenti ad oculum statim patebit, ejus tempore, quidquid olim Pontus & Cappadocia vocabatur, sub uno Cappadociae nomine venisse. Eo pertinet, quod Strabonem domo Cappadocem [qui Ponticus fuisset dicendus] facit, & quod Cappadociam ad mare Ponticum passim promovet, & quod divisione totius regionis absoluta, sic claudat: Atque *haec de Cappadocia*, sub qua scil. veterem Pontum recenset. Quid plura? Inter Cappadociae lumina S. Basiliscum Comanorum [Ponticorum scil.] archiepiscopum numerat. Ac de his vide superius dicta.

Digitized by Google

Hactenus de Basiliſci patria. Nunc de ejuſdem ſtadio dicendum. Atqui heic quoq. errari quum facillime poſſit; omnis errandi occaſio eſt praecidenda. Duplex urbs fuit, quae *Comana* (253) numero multitudinis nuncupabatur. Vna in Cappadociae *Magnae* ſive *Propriae* provincia illa quae *Cataonia* vocabatur. Hanc Strabo in Antitauri convallibus ponit, & Saro fluvio perlui narrat: in qua Bellonae templum celeberrimum fuit; pontificis vero dignitas proxima poſt regiam erat. Sed & in Ponto Comana fuerunt, *Pontica* cognominata, quippe (ὁμώνυμα τοῖς ἐν τῇ μεγάλῃ Καππαδοκίᾳ) *ejuſdem nominis*, *quo altera Cappadociae Magnae*, *eidemque deae* (Bellonae) *conſecrata*, uti Strabo ſcriptum reliquit; qui ibidem etiam pontificis, proximi poſt regem, dignitatem commendat. Nec eſt dubitandum quin non aliud fanum illud fuerit, cujus cum elogio *locupletiſſimi & religioſiſſimi* Cicero pro L. Manil. c. 9. meminit. Vtram harum urbium Baſiliſci cruore irrigatam dicemus? Haud dubie Ponticam, quae, uti diximus, a Strabone in Ponto, a Ptolemaeo in Ponto Galatico recenſetur. Nam in hujus Martyris Actis diſerte *Iris* amnis memoratur ſect. XI. qui deinde abſolute *Flumen* vocatur in Actor. fine, in mortis narratione. Atqui hic ille eſt Iris, qui Straboni fluere dicitur διὰ πόλεως μέσης Κομάνων τῶν Ποντικῶν, *per mediam urbem Comana Pontica*. Atque heic equidem de *Comanorum* propria acceptione atque etymologia aliquid inſpergerem, niſi id longius a propoſito aberraret. Sed vide tamen inferne (254) adnotata.

CAP.

[253] Pluratívo numero ea urbs non tantum a Graecis omnibus effertur, verum etiam ab Hirtio, Plinioque. Quocirca quod in Ptolemaeo V. 6. in Ponto Galatico recenſetur Κόμανα Ποντικά, in poſteriore vocabulo poſſis ſubaudire πόλις. Etſi praeſtat meo judicio legere Ποντικαί; nam ſic etiam Strabo locutus fuit, ubi Irin fluere dixit διὰ πόλεως μέσης Κομάνων τῶν Ποντικῶν.

[254] Comana Cappadocia atque Pontica non tantum homonymae urbes ſed ita per omnia germanae erant, ut utramvis quis noverit, utramque noſſet. Itaque Strabone teſte lib. XII. [ubi in harum urbium deſcriptione multus eſt] eiſdem prorſus inſtitutis vigebant. Vtrobique celeberrimum Bellonae templum, tum maxima [θεοφορήτων] *divino inſtinctu arreptorum* multitudo, ac theodulorum utrobique ad ſex millia, adhaec par atque gemina ſacrorum cura, ac ſumma ſacerdotii dignitas, poſt regiam maxima. Quae tanta urbium germanitas omnino cogit, ut unam alterius fuiſſe traducem fateamur. Ac bene eſt quod Comana Pontica fuiſſe Cappadociorum deductionem, diſerte Geographus ibid. pag. 557. prodidit, ubi primum de Ponticis Comanis ordiens, ea ἀφορίζεται ἐκεῖθεν, *illinc* [h. e. ex altera cognomine urbe] *traducta* ſive *deducta*, narrat. Atque hinc intelliges, quid proprie ſit verbum ἀφορίζω, cujus propriam notionem haud recte expoſitam in H. Stephani Theſauro reperies.

Quocirca quidquid de Comanis Cappadociis teſtatur Geographus, idem & de Ponticis valebit. At is prope ab initio lib. XII. in Comanis Cappadociis τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερὸν, ὃ ἐκεῖνος Κόμανα ὀνομάζουσι, *Bellonae templum, quod illi COMANA vocant*, claruiſſe tradit: ut non ſit dubitandum quin *Comanorum* nomen a fano, cujus antea proprium id nomen fuerat, ad urbem ſit propagatum.

Nunc videndum, cur id delubrum eam nuncupationem ſibi quaeſierit. A dea nec quae dea fortaſſis *Comana* dialecto Phalegica audierit, ſive a Chald. & Syro ceman, quod eſt *inſidiari* [quae praecipua eſt belli gerendi pars] ſive a קמד *Kamal* [ab infinitivo *Kum*] h. e. *inſurgere* & *bellum gerere*? An potius a θεοφορήτων *arreptitiorum* utrobique [nam & in Ponticis Comanis Geographus agnoſcit ἀγωγὴν i. e. *inſtituta paria tum ſacrorum tum etiam θεοφορίων divinorum afflatuum*] infinita multitudine id nomen fluxit? Ita ſane. Nam Hebraeum camah [quae verba *Nun* in derivativis adiciſcunt] non tantum eſt *perdite cupere*, verum etiam *aeſtuare*, utique ex furore divino. Sed & Syriace & Arabice eadem radix valet *excaecari*, *caligine offundi*, ac *dementari*: quod eſt *arreptitiorum* illorum peculiare. Atque hoc veriloquium magis admiſerim, quam ut a *Coma* Iphigeniae id nomen deducam, quod Strabo ex Graecorum traditis docuit. Nec enim omnino ante Macedonicum imperium Graecus ibi ſermo in uſu fuit, ſed barbarus, a Phalegico ſermone proſeminatus.

Atque haud ſcio an huc Plinianus parum adhuc intellectus locus referri debeat. Is lib. VI. cap.

Digitized by Google

CAP. III.

Ejusdem dies Passionis.

In omnibus Graecor. libris (255) Liturgicis hoc die Ἄθλησις, *Certamen* Martyris hujus proponitur: qua voce uti solent, quoties festum in diem ipsum martyrii incidit. Eodem hoc die is colitur in Arabo-Aegyptio Mrologio Ms. apud Bollandistas. Postremo metricae Graecorum Ephemerides hoc die sic canunt.

Εἰκαδὶ δευτερίῃ βασίλισσον φάσγανον ἴλλα.
Ense bis undenus jugulat Basiliscon acuto.

Sed & in Ms. Synaxario Clarom. S. J. ad finem diei XXII. Maii diserte dicitur eo die is Martyr obiisse. Quocirca ex Graecorum recepta sententia Neapolitani merito hoc die Fastis marmoreis notam P. i. e. *Passionis* inscripserunt.

Sed tamen huic receptissimae traditioni obsistunt Acta hujus S. Mart. quae Bollandistae ediderunt, quae non die 22. Maii, sed 21. Julii hunc pugilem coronant sect. ult. his verbis: *Passus est autem S. Basiliscus sub die duodecimo Kalendarum Augusti.* Eodem & illud pertinet, quod sect. 8. *cauma* fuisse eo tempore dicitur: quae vox apud aevi posterioris scriptores aestivos (256) aestus haud raro significat, Julio quam Majo convenientiores.

Verum, nisi vehementer fallor, totum hoc quod de *caumate* & de passione in 21. Julii incurrente in eis scribitur, id nec primum Actorum Graecorum auctorem, nec eorumdem Graecum interpolatorem (de quibus vide infra seq. cap.) auctorem habet, sed potius Latinum interpretem. Ut sic existimem, illud facit, quod Graeci in suis Officiis quum narrationes omnes horum Actorum quamlibet arduas in compendium redegerint, tamen nec de *caumate* illo, nec de passione in 21. Julii incidente verbum ullum fecerunt, imo contra una omnes docuerunt, illum die 22. Maii coronatum. Quod argumento est, in Actis illis quamlibet interpolatis illud de 21. Julii non fuisse lectum. Accedit, quod & leguminis tunc temporis satio, quae sect. 19. legitur, verni potius temporis & mensis Maii, quam mensis Julii argumentum est. Nisi forte velimus, in Ponti regione frigida sementis tempus in mensem Julium anni praecedentis incidisse: quae tamen nimia agricolarum festinatio fuisset.

Quae

cap. 3. extremo sic desinit: *Comana* (Pontica), *nunc Manteium*. Quam breviloquentiam Harduinus, Cellarius, alii sic exponunt, quasi Comanorum aliud aevo Plinii ano non superfuerit praeter μαντεῖον h. e. Bellonae *oraculum*. At id falsi arguunt S. Basilisci Acta, quae tunc quoq. [h. e. IV. ordiente saeculo] eam urbem floruisse ostendunt. Atqui sensus obvius unice verus est. Quae olim *Comana* vocabantur, nunc [aevo Plinii] μαντεῖον, *Manteium* dicitur. Neque id praeter solitum. Nam in Tyrrhenicis Originibus sexcentis exemplis demonstravimus, urbes binomines fuisse plurimum etiam synonymas, sed ita ut unum nomen alterius exotici Graeca aut Latina interpretatio esset. Itaque quum vetustissimi Graecor. intelligerent *Comana* [quod erat peculiare Bellonae templi & oraculi nomen] tantumdem Phalegica dialecto esse, quod Μαντεῖον h. e. *Oraculum* (illud scil. quod per *Comanos* arreptitios edebatur) templum simul & urbem alio nomine *Manteium* vocaverunt. At aevo Plinii videtur Graecum nomen praevaluisse, eoque dixit, *Comana, nunc Manteium*. Contra vero secutis temporibus *Comanorum* nomen revixit.

[255] H. e. non tantum Menaeis, & Basilii Menologio, & Canisiano Sirleti [ex quo in Mrologium Rom. transfusum fuit] sed & Synaxariis, & Kalendariis Graecanicis; ex quibus & Molanus in Auctario Usuardino, & Galesinius hauserunt.

[256] *Cauma* pro aestivo aestu sumitur in vita S. Gilberti apud Cangium: *In maximo aestivi temporis caumate*. Apud eumd. in vita S. Stephani Fundat. Ord. Grandim. n. 15. *In hieme & aestate ad repellendum frigus & cauma, aequalia semper erant & eadem indumenta*. Nec aliud in his Actis vox illa significat. Sect. 8. *Voluit Magistrianus . . . requiescere, quia CAVMA esset* [i. e. aestas] ac [praeterea] *hora meridiana*. Sect. 10. *Basiliscus cum in aestu* [pro caumate] *ligatus esset . . . cum esset hora meridiana*. Mox: *Obumbraret eum ab aestu Caumatis*. At longe est aliud illud Ulpiani, *si fundus caumate perierit*. Ubi *Cauma* est incendium. Itaque in quodam Glossario, quod *Breviloquium* a Cangio vocatur, *Cauma* est *Incendium*.

Digitized by Google

Quae quum ita sint ; nihil propius fidem est, quam a Latino interprete hoc totum de XXI. Julii & de nimio aestatis *caumate* esse profectum. Vox ipsa *Cauma* Latinis posterioribus, qua dixi notione, familiaris est, haud item (quod sciam) sequioris aevi forsitan Graeciae : etsi (ne quidquam dissimulem) vetus Graecia eo significatu utebatur.

Quid vero Latinum interpretem impulerit, ut ista de suo adderet, haud facile dixerim. Fortassis autem interpres in alicujus Ecclesiae aut Monasterii S. Basilisco dicati gratiam haec Acta est interpretatus, ubi sive Reliquiarum Translatio, sive Dedicatio in 21. Julii incidebat. Jam vero quia procedente tempore is dies pro θανασίμῳ (*emortuali*) habitus fuit ; hinc interpres ut ei receptae opinioni velificaretur, haec de suo admensus fuit. Aut si non interpreti ea labes est tribuenda ; at certe post conditos Graecorum libros Liturgicos (in quibus diserte is die 22. Maii consummatus dicitur) alius quispiam extitit Graecus horum Actorum ultimus interpolator, qui haec de die Passionis & *caumate* adjecerit, ob eamdem illam scil. quam modo tetigi causam.

Atq. hoc multo mihi videtur probabilius, quã quod Tillemontius extrema Not. IV. conjecit, S. Basiliscum militem forsitan re vera die 21. Julii coronam adeptum [cui tamen conjecturae quantum est Graeciae feriatae, sive Graecanicorum Officiorum, adversatur] diem vero 22. Maii alteri illi Basilisco Episcopo esse tribuendum : qui quamvis die VII. Jan. cum S. Luciano martyrium fecerit, fieri tamen potuerit, ut hoc die ejus Reliquiae Antiochia translatae Comana fuerint.

Ex hactenus dictis licebit animadvertere, satis accurate Neapolitanos hoc die Basilisci *Passionem*, non *Natalem* in hoc marmore signari voluisse.

CAP. IV.

In hujus Martyris Acta.

EX iis quidem quae praemisimus, arbitror S. Basilisci Acta, quae ex Trevirensi Monasterio S. Maximini eruta Bollandiani in diem III. Martii intulerunt, illustriora in aliquibus capitibus evasura. Adhuc tamen (praeter ea pauca quae Bollandiani socii ac Tillemontius in iis observarunt) quaedam mihi animadvertenda restant.

§. 1. *Haec Acta de Graeco in Latinum fuisse transfusa.*

Ac primum omnium ea, quae nunc habemus, Latinam esse de Graeco interpretationem, jam pridem Bollandistae conjecerant. Cujus rei siquis argumenta requirat ; haec maxime mihi videntur satis idonea.

I. Sect. 1. cur praeses casu recto *Agrippas* vocetur (quod certe nomen in omnibus Latinis auctoribus ac lapidibus in A desinit) non aliam assignaveris causam, quam quia nomen hoc apud Graecos in ΑΣ finitur. Non enim tantum Graeci rerum Romanar. scriptores Αγριππας perpetuo scribunt, sed & Lucas Act. XXV. ubi tamen Vulgatus interpres scite id nomen pro Romana consuetudine in A terminavit. At hujus historiae interpres rerum Romanarum ignarus non aliter quam *Agrippas* usurpavit, quia Graece sic reperit.

II. Adhaec Sect. 2. insignis Graecismus est, quo SEMEL pro *Omnino* ponitur ; nempe quia in Graeco καθαπαξ aut ἁπαξαπλῶς reperit : quae etsi Latino *Semel* respondeant, tamen valent idem ac *Prorsus*. Quin & eamdem significantiam haud raro & simplex ἅπαξ obtinet. Thucydides lib. I. Ἅπαξ περὶ ἁπάντων βουλευσόμενος : ubi Scholiastes id adverbium interpretatur παντελῶς. Similem Homeri locum Od. μ. affert H. Steph. Eadem notione sumitur in Judae Apostoli Epist. v. 5. & interdum in Graeca V. T. versione. At Actorum interpres pro ἅπαξ posuit SEMEL, sed Graeca proprietate. Nam roganti Martyri, ut sibi tantisper invisendi suos venia

venia daretur, ſtatim in eumdem carcerem redituro, benigne reſpondent milites: *Niſi timeremus praeſidem . . . forſitan SEMEL* (h. e. in totum) *te dimitteremus*. Quibus Martyr: *SEMEL dimitti nolo, ſed ut . . . valeſaciam* (cui Graece reſpondebat verbum συναποσομαι, quo in hac re narranda utuntur Graecor. libri Eccleſiaſtici) *parentibus meis*.

III. Indidem & illa ſunt, quod ſect. 6. *Reverti ad ſua* uſurpatur pro eo quod Graece erat εἰς τὰ ἴδια (quod & in Vulgata N. T. reperitur) & quod ſect. 10. legitur, *Quidam vero INCREDIBILES phantaſiam eſſe putabant*, quod ex eo venit, quod ibi ἄπιστοι legebatur: quae vox proprie paſſivam, interdum & activam notionem impropriam habet. Etiam Sap. X. 7. & ſaepe in libro Eccleſiaſtici Vulgatus *Incredibilem* pro *incredulo* uſurpavit. Ibid. *Dicentes QVIA* (pro ὅτι) *hic homo Dei eſt*: quod ſaepiſſime in hac interpretatione legitur. Sect. II. *Comitabatur Chriſtus cum Martyre ſuo*. Quo loco *Comitor* abſolute capitur pro *ſimul ambulo*. Id autē ex eo venit, quod Graece eo loco ſcriptum erat συνῳδευε i.e. *una iter agebat*. In Gloſſis autem Cyrilli [ad quas tunc temporis recurri ſolebat] Συνῳδεύω exponitur *Comitor*.

IV. Sed & loca Scripturae ex Translatione LXX virali proferuntur, ut ſect. 15. *Qui formaſti eum* [caelum: in quo etiam graeciſſat, *Caelum* maſculino genere uſurpans more Graecorum] *ſicut vaneram*, ὡς ματαίωσιν, uti in Graeco legitur Iſ. XL. 22. Sic paſſim alibi.

V. Poſtremo alluſio illa ad nomen Apollinis [quae legitur ead. ſect. 15. ubi Martyr ait: *Bene dixiſtis quia APOLLO vocatur, perdet enim in ſe credentes, quia Deus vocatur, qui non eſt*] in hiſtoria Graece conſcripta optime procedit, quia illud *Perdet* Graece erat ἀπολέσει, quo verbo ſatis etymon oſtenditur: at ſi haec Latine primitus ſcripta eſſent, plura dicenda fuiſſent ad veriloquium detegendum.

§. 2. *De his Actis judicium*.

De hoc vero ſcripto eadem ferme ac Tillemontius, ſentio: cujus quidem judicium aliquot obſervationibus confirmare non pigebit. Vix enim dubitari poteſt, quin haec eadem Acta initio ſincera fuerint, ſive ab *Euſignio* quodam teſte oculato [quod quidem hic commentarius dat intelligere] ſive a quovis alio ſcripta ſaeculo IV. Nam de commentarii hujus antiquitate ſatis tertii quartique ſaeculi plura vocabula fidem faciunt: cujuſmodi ſunt, ſect. 2. *Clavicularius*, *Scrinium*, *Scriniarius*: Sect. 5. *Magiſtrianus*: Sect. 10. *Surrexerunt de accubitu*: alibi *Speculator*, & alia plura: de quibus vocabulis videantur Gloſſae veteres, & Meurſii Cangiique Gloſſaria. Satis etiam primigeniae hiſtoriae fidem conciliant perſonarum nomina, ac locorum. Nec illa tantum loca intelligo, quae ſatis nota ſunt geographis, ut *Amaſia*, *Iris* flumen, *Comana*, verum illa etiam quae, utpote ignobilia, hinc tantum nunc primum diſcimus, ut ſect. 1. *In* vico *Cumialis* [in Graecor. Officiis χυμιαλίων] ſect. 8. *In vicum qui dicitur Dacozarum* [257] Sect. 11. *Ad loca Variſmorum*: Sect. 12. *In vicum qui dicitur Saon*. Eodem pertinet, quod ſect. 4. praeſes ingreſſus Amaſiam *Vocavit omnes priores* [Graece erat τοὺς πρώτους: de πρώτοις Graecar. urbium vulgata ſunt omnia] *civitatis . . . ingreſſus eſt in Petaſon & in Serapium*: & ſect. 17. decollatur Martyr in loco, *qui dicitur Dioſcorum* [pro eo quod Graece erat Διοσκυρίου, aut caſu patrio τὸν Διοσκύρων] quae omnia, & horum ſimilia ex commentarii veteris fonte, qualis erat quum

[257] Is vicus in Graecor. libris Liturgicis χωρίον Δαχνῶν vocatur. Sed fort. aut legendum Δαγνῶν: aut ſaltem idem fuerit ac Τζαγνῶν; qui Δ & Τζ alternant, utpote ejuſdem ſoni. De *Tzanis* ad Pityuntem incolentibus mentio eſt apud Palladium in vita Chryſoſtomi, quo loco narrat, ſanctum Epiſcopum Pityuntem duci, *locum*, inquit, *regionis Tzanorum* deſertiſſimum, ad littus Pontici maris ſitum. Ac fortaſſis Tzanorum gens effera pleraſque Ponti partes incurſionibus infeſtabat.

Digitized by Google

quum purus manabat, fluxerunt.

At vero poſtea ſincerum illud vas interpolatores incruſtaſſe, tota haec hiſtoria, cujuſmodi nunc legitur, ipſa per ſe clamat: tanta paſſim redundat miraculorum & circumſtantiarum incredibilium vanitate. Vt nihil dicam de tanta orationis redundantia, ut ſaepe faſtidium creet: cujuſmodi ſunt antitheta illa, quae tota ſect. 12. Martyr ad nauſeam uſque cumulans inducitur: ut aliis exemplis abſtineam. Et haec quidem Acta antequam Graecorum Officia conderentur, fuiſſe per aliquem impurata, ex eo colligo, quod pleraque ſcripti hujus in eorum libris Eccleſiaſticis perinde leguntur: ſi a die Paſſionis & *caumate* illo [de quo ſupra] diſceſſeris, quae ſero poſtmodum irrepſiſſe videntur, uti cap. ſuperiore conjecimus. Quo etiam referri poteſt, quod de Trojana vici domina §. ſeq. dicam.

Et hactenus quidem in eam ſententiam diſputavimus, quae haec, quae nunc terimus, Acta initio ſincera fuiſſe, poſtmodum autem ab recentiore aliquo Graeco inquinata, docet. Quid ſi hanc labem a Graecis recentioribus amolior, & in antiquiorem aliquem Syrum rejicio? Quo id modo? Sect. 15. Martyr ſic Deum precans inducitur: *Et plaſmaſti hominem PROPRIIS ſanctis MANIBVS tuis ad TVAM IMAGINEM, & dediſti ei ſapientiam & intellectum.* Quibus verbis liquidum eſt, Audianorum errorem, hominem ad imaginem Dei ἐνσωμάτῳ (*corpore praediti*) conformatum effutientium, contineri: de quo vide inferne (258) adnotata. Jam vero ea inſania Syrorum plerique perdite laborabant: nam & Audius [homo ſane non malus, ſed tamen craſſius quidpiam atque pinguius de Deo & divina hominis imagine elocutus) ex Meſopotamia ortus, ibidem dogma ſuum evulgavit; & ab eo orti Audiani non aliud quam Syri fuerunt, quantum quidem & ex Epiphanio & ex Theodoreto poteſt intelligi. At vero Graeci ab eodem illo errore quam longiſſime aberant, in tantum ut qui Graeci poſtmodum floruerunt, ad ejus dogmatis deteſtationem, Audianos illos non alio ferme vocabulo, quam ἀνθρωπομορφίτας [*Anthropomorphitas*] appellarunt, quod ſcilicet Deum humanis membris inſtructum crederent, & corporeis manibus tractaſſe lutum, atque ad ſuam corpoream imaginem hominem conformaſſe) craſſiore morbo laborantis. Audius Syrus architectus dogmatis hujus fuit, qui ſub extrema Arii tempora (quo proinde S. Baſiliſcus M. antiquior fuerat) in Meſopotamia floruit: a quo qui idem ſenſerunt, dicti ſunt primo *Audiani*, mox in erroris deteſtationem *Anthropomorphitae*. De quibus videatur Theodoretus in de haer. fab. & Epiphanius haer. LXX. ex quo altero diſcimus, Divinam ſimilitudinem Adae inditam ab Audianis humano corpore fuiſſe circumſcriptam, ſic pinguiter interpretatis illud Ad *imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Jam hoc ſi placet ex ipſo Epiphanio audiamus haer. LXX. c. 2. *Nam quod ad imaginem Dei creatus Adam dicitur, praefracte illi ad corpus referendam exiſtimant. Quum enim ſcriptum ſit*: Faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem: *ſtatim illud ſubjicitur, Deum ſumpto de terra pulvere hominem fabricaſſe. Quum igitur hominem de terra formatum dicat; videtur totum illud e terra conflatum veriſſime hominem vocari* (antequam ſcil. ei anima infunderetur) *ex quo ſequitur, de terreno illo* (cujuſmodi ſcil. ante animam infuſam erat) *eſſe praedictum, fore ut ad imaginem Dei conderetur.* Vide cetera Audianorum argumenta (quibus illi oſtendunt, *corpus* hominis *ad imaginem Dei eſſe factum*, ait Epiphanius) apud eumdem cap. 6. Atqui hoc ipſum verba S. Martyri Baſiliſco perperam afficta innuunt. Nam prius illud eſt: *Plaſmaſti hominem propriis ſanctis manibus tuis* (ubi hoc etiam totum de homine *propriis manibus* Dei ἐνσωμάτῳ facto mere Audianum eſt) *ad tuam imaginem*: prius inquam hoc eſt: deinde ubi jam corpori nondum animato Divina imago indita fuerat, tum demum ſequitur: *Et dediſti ei Sapientiam & intellectum, & inſpiraſti in faciem ejus ſpiritum vitae.* Qui rerum ordo, Audiano dogmati (v. ſup. Epiphanium) conſonans, dubitare non ſinit, quin ea verba Syro Audianorum contagio afflata arguantur.

(258) Ea verba, *Et plaſmaſti hominem PROPRIIS ſanctis MANIBVS tuis ad TVAM IMAGINEM*, corpoream utique: ea inquam verba numquam putaverim ex ore S. Martyris prodiiſſe, quin potius ſcriptoris eſſe additamentum, Anthropomorphitarum (eorum ſcil. qui Deum humanis membris inſtructum crederent, & corporeis manibus tractaſſe lutum, atque ad ſuam corpoream imaginem hominem conformaſſe) craſſiore morbo laborantis. Audius Syrus architectus dogmatis hujus fuit, qui ſub extrema Arii tempora (quo proinde S. Baſiliſcus M. antiquior fuerat) in Meſopotamia floruit: a quo qui idem ſenſerunt, dicti ſunt primo *Audiani*, mox in erroris deteſtationem *Anthropomorphitae*. De quibus videatur Theodoretus in de haer. fab. & Epiphanius haer. LXX. ex quo altero diſcimus, Divinam ſimilitudinem Adae inditam ab Audianis humano corpore fuiſſe circumſcriptam, ſic pinguiter interpretatis illud Ad *imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Jam hoc ſi placet ex ipſo Epiphanio audiamus haer. LXX. c. 2. *Nam quod ad imaginem Dei creatus Adam dicitur, praefracte illi ad corpus referendam exiſtimant. Quum enim ſcriptum ſit*: Faciamus hominem ad imaginem noſtram & ſimilitudinem: *ſtatim illud ſubjicitur, Deum ſumpto de terra pulvere hominem fabricaſſe. Quum igitur hominem de terra formatum dicat; videtur totum illud e terra conflatum veriſſime hominem vocari* (antequam ſcil. ei anima infunderetur) *ex quo ſequitur, de terreno illo* (cujuſmodi ſcil. ante animam infuſam erat) *eſſe praedictum, fore ut ad imaginem Dei conderetur.* Vide cetera Audianorum argumenta (quibus illi oſtendunt, *corpus* hominis *ad imaginem Dei eſſe factum*, ait Epiphanius) apud eumdem cap. 6. Atqui hoc ipſum verba S. Martyri Baſiliſco perperam afficta innuunt. Nam prius illud eſt: *Plaſmaſti hominem propriis ſanctis manibus tuis* (ubi hoc etiam totum de homine *propriis manibus* Dei ἐνσωμάτῳ facto mere Audianum eſt) *ad tuam imaginem*: prius inquam hoc eſt: deinde ubi jam corpori nondum animato Divina imago indita fuerat, tum demum ſequitur: *Et dediſti ei Sapientiam & intellectum, & inſpiraſti in faciem ejus ſpiritum vitae.* Qui rerum ordo, Audiano dogmati (v. ſup. Epiphanium) conſonans, dubitare non ſinit, quin ea verba Syro Audianorum contagio afflata arguantur.

Digitized by Google

[*Anthropomorphitarum*] contemptim sibi appellandos duxerint : quae appellatio quarto vergente saeculo exorta [qua et Athanasius, & Chrysostomus, & Cyrillus Alex. aliique utuntur] a Graecis deinde omnibus usurpata fuit. Quocirca non fit verisimile, si modo aevo sequiore Graecus aliquis fingitur hujus scripti contaminator, eum Anthropomorphianum errorem S. Martyri tributurum fuisse, quem Graeci errorem cane pejus & angue aversarentur. Quin illud videtur verisimilius dictuque facilius, errorem istum S. Martyri affictum, non aliunde quam ab Syri alicujus [primi scil. horum Actorum forsitan scriptoris] calamo fuisse profectum. At Orientales Syros, maxime ineruditos, pinguioris fuisse ingenii, & ad fabulas, aeque ac Judaeos, proniores, non est dubium. Quo minus mirabimur, si haec Acta tam futilibus commentis scateant : neq. id forsitan tam Graeci alicujus recentioris vitio, quam primi auctoris, Syri scilicet alicujus simplicioris, qui ex trivii sermonibus haustas narrationes in Graeca Acta conjecerit ; quibus praeterea ut majorem fidem conciliaret, ea ab nescio quo Eusignio teste oculato scripta videri voluit. Atque haec conjectura [ex Audiani dogmatis indicio petita] si vera sit, tum non commenta omnia, si sapimus, Graecis recentioribus accepta referemus, sed & antiquiores Orientales in partem invidiae vocabimus, maxime ubi de regionum illarum Sanctis agitur.

§. 3. *Quaedam alia Actorum loca carptim illustrantur. Servorum fugitivorum collaria etiam fugitivis poenae fuisse communes : deque eorumdem debilitatione pedum. An feudalia in his Actis vestigia. Reversari quid. De Daemonum notione in sequiorem partem etiam gentilibus usurpata. accuratior disputatio. De abolito Comanensium Bellonae oraculo, theodulis, arreptitiis &c.*

Ac plura hactenus hujus historiae loca, dum aliud ageremus, nonnulla interim luce perfudimus : nunc si qua forte restant, in unum heic fasciculum coacta dabimus.

Sect. 5. comprehensum Basiliscum *Alligaverunt duabus catenis, & collaria imposuerunt circa collum ejus*. De catenis duabus, quibus vinciebantur rei, videantur Acta Apost. XII. 6. & XXI. 33. Collaria autem non temere huic Martyri injecerunt, sed ut fugitivo, ut qui ante paucos dies [etsi cum clavicularii venia] profugisset. Lucillius apud Nonium :

Cum manicis, catulo, collarique ut FVGITIVVM
Deportem.

Exstant hodiedum inter antiquitatum cimelia servorum collaria ex aere, quibus nomen domini, cui servus is esset restituendus, inscribebatur. In uno scriptum fuit : TENE. ME. QVIA. FVGI. ET. REVOCA. ME. DOMINO. MEO. BONIFATIO. LINARIO. Plures hujusmodi collarias refert Fabrettus pag. 522. in quibus & plerumque locus ubi habitaret dominus, addebatur, ut illud num. 361. *Tene me, ne fugiam, & revoca me in Foro Trajani in Purpuretica ad Pascasium dominum meum*. Sed & fugitivi nomen addebatur interdum, ut illud num. 364. IANVARIVS DICOR &c. & quoties aufugisset, ut num. 366. *Petronia* (supple *dicor*) *tene me quia fugi BIS, & revoca me* &c. Nonnumquam per notas id totum exprimebatur, ut T. M. Q. F. *Tene me quia fugi* &c. Id de quo tamdiu loquimur, Latinis & *Collarium* & *Collare* & *Collaria* sequiore genere dicebatur : at Graecis non tantum περιτραχήλιον & περιδέραιον, sed & Latina voce κολλάριον : tres enim has voces veteres Glossae exhibent. Ceterum quod Basiliscum pro fugitivo habere voluerint, declarat vox illa praesidis quemdam magistrianum simulantis, ut Basiliscum quovis modo indagatum ad se reduceret : *Nunc*, inquit, *cognoscam te virum*(259) *virtutis esse adversus FV-*

[259] Id aevo meliore dixissent, *Nunc cognoscam te strenuum FVGITIVARIVM esse*. Servos fugitivos qui reducerent, indicarentve, in jure civili & aliis scriptoribus *fugitivarios* fuisse appellatos, res est satis protrita. Vide Brissonium, Cujacium, alios.

Digitized by Google

FVGITIVVM & vinctum. Ex his autem colliges, reos criminum capitalium, ubi ex vinculis profugissent, pari jure ac servos fugitivos fuisse habitos, tamquam servos poenae scil. Hactenus de collaribus, & cur fugitivis inserta fuerint.

Verum quo spectant illae clavis praefixae caligae, quas in ead. sect. Martyri paravit magistrianus? *Magistrianus* (inquit hic auctor) ... *jussit fieri caligas aereas, & fixit in illis clavos plurimos longiores*. Mox: *Et calciaverunt eum aereis calceamentis, & intraverunt clavi usque ad ossa pedum* &c. Qui sic incedere coactus plurimum effudit sanguinis toto itinere. Sane haec quoque poena fugitivo congruens visa fuit. In l. 3. C. de serv. fugit. sic scribitur: *Si fugitivi servi deprehendantur ad Barbaros transeuntes, aut pede amputato debilitentur*, &c. Nempe ut qua corporis parte peccaverunt, eâdem puniantur. Id enim maxime in poenis irrogandis fuisse spectatum, pluribus exemplis docuit Cujacius VII. Observ. 13. quibus & alia non pauca Menagius addidit in Amoenit. Juris cap. 32.

Sect. 8. *Sicut Theclam de amphitheatro* &c. Addere licebit hunc locum illis pluribus antiquorum, quibus Baronius S. Theclam a bestiis Divina virtute liberatam ad 23. Sept. docuit. Eâdem sect. quaedam mulier nomine Trojana *festinabat vicum suum muro circumdare*. Eadem ibidem & sect. 10. vocatur *Domina vici illius*. Mirum sane, si juris Romani mulier (cujus praesertim filius more Romano idem gerebat nomen, itemq. *Trojanus* dicebatur) loci domina esset, eumque communiret: nec enim alibi simile quidquam, quamdiu jura Romana viguerunt, reperio. Ac feudale nescio quid heic mihi subolet. Quumque feudorum jura Graecis etiam recentioribus ignota fuerint; non videtur hoc a Graeco aliquo interpolatore profectum, sed potius a Latino interprete, qui alicubi in Germania haec in Latinum transferebat. Sed nihil fortasse haec insuspicionem vocare necesse est; nam potuit haec mulier de genere esse regulorum vectigalium, quibus forsitan in barbarorum finibus juris aliquid in pristinas ditionis suae terras sub ultimis imperatoribus permitteretur.

Sect. 11. Cognatos ac vicanos suos, qui S. Basiliscum comitabantur, Martyr *rogabat reservari*. Id vero non aliud esse, quam *Reverti*, colligitur ex eo quod sequitur, *Et quidam ex eis reversi sunt*. Ergo ne dubita, quin pro *Reservari* legendum sit *Reversari*. Nam sicuti *Conversatio* pro Conversio apud Senecam & alios reperitur (ut supra ad Acta S. Patricii adnotavimus) sic etiam *Reverser* pro *Revertor*.

Sect. 17. Videtur haud dubie judex *daemonas* in deteriorem partem h. e. pro impuris spiritibus notione Christiana accipere: quum contra gentilibus ea vox bona esset, ac ferme pro diis usurpata. Itaque dicente S. Basilisco, *Daemones quomodo possunt esse benigni ... cum sint maligni*, idque de idolis (quae nim. Christiani daemonas esse contendebant) intelligente: respondet praeses Agrippa: *Ergo*, inquit, *dii nostri Daemones?* Atqui homo gentilis eam appellationem gravate ferre minime debuisset, imo potius tueri, & contendere, *daemones* bonos esse. Videndum ergo annon heic quoque recens Actorum interpolator offucias fecerit, qui judicem notione Christiana *Daemonis* vocem usurpantem induxerit. Quare non immerito Tillemontius in horum Actorum paraphrasi [ex qua detracturum se profitetur, quidquid absurdum, aut minus verisimile videretur] mutua haec Martyris & judicis dicta praetermisit. Verum si res maturius consideretur, optime id totum defendi potest. Rem altius repetam.

Vox Δαίμων *Daemon* antiquiori Graeciae plerumque bonum fuisse nomen, reperio, quoties pro Θεὸς *Deus*, aut pro *Heroe* sive *Indigete* acciperetur, non item quando pro *Genio*: Nam posteriore hac notione gentiles ipsi δαίμονας (tamquam significatu medio) tum bonos, tum etiam

Digitized by Google

malos agnoverunt, unos ab alteris per [260] adjuncta discriminantes. At postremo (altero ut arbitror Christi saeculo) eo ventum fuit, ut *Daemonis* vocem absolute positam deteriorem in partem ipsi ethnici acciperent. Constare abunde id arbitror ex illa Plutarchi in Symposio septem Sap. definitione ac discrimine inter *Dei* atque *daemonis* vocabula: τὸ ὠφελιμώτατον, Θεός· τὸ βλαβερώτατον, Δαίμων. Quibus verbis *Deum* natura sua benignum ac salutarem, contra noxium quid esse ac damnosum Daemona, pronuntiat. Eodem pertinet, & illud ejusdem in Pericle, ubi δαιμονιακὸς φθόνος est *invidia a daemone inspirata*. Ibidem περὶ τὰ θεῖα δαιμονῶσι scripsit, ubi δαιμονᾷν est *furore daemoniaco corripi*, sive *a daemone possideri*: nam Δαιμονᾷ Hesychio est ὑπὸ δαίμονος κατέχεται. *Daemones* igitur coepere in malam accipi partem: etsi Celsus [ratiocinatione (261) magis, quam recepta notione fretus] suadere voluerit, bonos esse.

Haec autem *Daemonis* sine adjuncto ac simpliciter usurpati acceptio a Christianis [262] ad gentiles (postquam hi scil. admovere aures doctrinis nostris coeperunt) manavit. Hinc hoc loco negante Basilisco *Daemonis* vocem posse bonam in partem accipi (*Daemones inquit, quomodo possunt esse benigni... cum sint* [263] *maligni?*) praeses de tradita *Daemonis* notione non disceptavit, tantum deos suos pro daemonibus haberi vetans. *Ergo*, inquit, *dii nostri daemones* sunt? Atqui debuisset Agrippa tueri potius significationem vocabuli, atque ex antiquorum locis ostendere, *Daemonem* sive Dei esse synonimon, sive saltem medium esse vocabulum. Verum jam, uti dixi, eo ventum fuerat, ut gentiles ipsi id vocabulum deteriorem in partem acciperent, eoque deos suos vocari daemonas vetarent.

At contra Christiani non tantum daemonas suapte notione malos esse, sed & idola non aliud quam daemonas esse, pertendebant. Multus in ea disputatione est Minucius in Octavio, toto praesertim cap. 27. ex quo proderit nonnulla decerpere. *Isti igitur impuri spiritus, daemones, ... sub statuis & imaginibus consecrati delitescunt, & afflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur ..... Irrepentes*

(260) Nam sicuti antiqui geminos hominibus singulis genios attribuebant, bonum & malum; idem & de δαίμοσι reperitur, idque per epitheta declaratum. Nam *bonum* Callimachus hymno VI. δαίμονα δεξιὸν, Orpheus ἠγάθεον, alii passim ἀγαθὸν appellarunt: contra vero *malum* Homerus modo κακὸν (ut Od. K. v. 64.) modo συγερὸν (ut Od. E. 396. quo epitheto etiam Sophocles utitur) modo χαλεπὸν [ut Od. T. 201.] nuncupavit; quem Pindarus δαίμονα ἕτερον, Orpheus πήμονα vocavit.

(261) Origenes lib. VIII. contra Celsum cap. 24. objicienti Celso in hunc modum, *Si* (idola) *daemones quidam sunt, dubio procul & hi Dei* (τῷ Θεῷ) *sunt; quibus & credendum & litandum* &c. sic respondet, ut angelos quidem alios bonos, alios malos esse concedat, non item daemones, quos non aliter quam ut malos & maleficos accipi, suo saltem tempore, affirmat: quod inepte contra ethnicum hominem praefracte diceret, nisi in eam notionem vulgo homines consensissent. Δαίμονες δὲ, inquit, οὐκέτι διχῶς, πάντως γὰρ ἀποδυσσεβοῦσιν εἶναι φαῦλοι, *daemonas numquam bifariam accipi, semper autem malos esse, manifestum est*. Idem lib. V. contra eumd. cap. 5. docuerat, *hominis* quidem vocabulum esse indifferens, *deorum* vero bonum (modo inquit, nec daemonibus, nec simulacris, nec animalibus *deorum* nomen tribuatur, sed *naturis vere divinis ac beatis*: ad ea utique Vet. Test. loca spectans, in quibus angeli *Elohim* h. e. dii vocantur) *daemonum* tandem nomen tribui semper maleficis substantiis, quae homines transversos agunt, & a rebus caelestibus avocatos ad haec ima deprimunt.

[262] Frustra sim si Scripturarum & Scriptorum Christianorum loca huc cogere fatagam, quum omnes unum dicant. Tamen jam quaedam ex Origene decerpsimus, ac plura mox ex Minucio & Tertulliano dabimus.

(263) In Graeco horum Actorum pro *Maligni*, erat opinor πονηροί. In Novo Test. saepissime diabolus vocatur absolute ὁ πονηρὸς i. e. *malus, malignus*.

Digitized by Google

pentes etiam corporibus occulte, ut ſpiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, ut ad cultum ſui cogant.. Hi ſunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates & ipſi abſque templo, ſic inſaniunt, ſic bacchantur, ſic rotantur.... Haec omnia ſciunt plerique, pars veſtrum, ipſos daemonas de ſemetipſis confiteri, quoties a nobis tormentis [261] *verborum & orationis* [265] *incendiis de corporibus exiguntur. Ipſe Saturnus & Serapis & Jupiter & quidquid daemonum colitis, victi dolore, quod ſunt eloquuntur: nec utique in turpitudinem ſui, nonnullis praeſertim veſtrum aſſiſtentibus, mentiuntur. Ipſis teſtibus, eſſe eos daemonas, de ſe verum confitentibus credite.* Et quae plura ibi ſequuntur. Quibus concinit Tertullianus Apolog.cap.22. ac praeſertim 23.in quo haec prae ceteris poſuit. *Iſta ipſa virgo Caeleſtis* (notum eſt deae nomen) *pluviarum pollicitatrix, iſte ipſe Aeſculapius medicinarum demonſtrator ... niſi ſe daemones confeſſi fuerint, Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius Chriſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite.... Si altera parte vere Dei ſunt, cur ſeſe daemonia mentiuntur? an ut nobis obſequantur? jam ergo ſubjecta Chriſtianis divinitas veſtra... Si altera parte daemones ſunt vel angeli, cur ſe alibi pro diis agere reſpondent? Nam ſicut illi qui dii habentur, daemones ſe dicere noluiſſent, ſi vere dii eſſent; ſcil. ne ſe de majeſtate deponerent: ita & iſti, quos directo daemonas noſtis, non auderent alibi pro diis agere, ſi aliqui omnino dii eſſent, quorum nominibus utuntur: vererentur enim abuti majeſtate ſuperiorum.. Adeo nulla eſt divinitas iſta, quam tenetis: quia ſi eſſet, neque a daemoniis affectaretur, neque a diis negaretur. Quum ergo utraque pars concurrit in confeſſionem, deos eſſe negans; agnoſcite unum genus eſſe ideſt daemonas.*

Poſtremo illud mirari ſubit, quod quum beatiſſ. hic martyr Comanis excruciatus fuerit, ac plura Comanenſium templa in his Actis memorentur, nullum tamen in eiſdem Bellonae templi, & (266) Oraculi veſtigium, nullum de theodulis [h. e. *deorum* (267) *ſervitoribus*] nullum de θεοφορήτοις h. e. *arreptitiis* [de quibus ſupra nonnulla ex Strabone decerpſimus] deprehendatur. Quod ſane argumento eſt, quemadmodum ut altiſſime Sol ſupra finitorem extollitur, ita maxime caligo diſpellitur, idem & in ſuperſtitionis tenebris contigiſſe. Nimirum quo plus Chriſti verbum proficiebat, eo magis eradicabatur error. Nec enim ſimul ac ſemel oracula conticuerunt, ſed proceſſu temporis. Ergo quarto ineunte ſaeculo, quo Baſiliſcus decertavit, jam illa tanta Bellonariorum inſania prorſus, ut exiſtimo, Comanis reſederat: quantum quidem ex horum Actorum ſilentio decerni poteſt.

XXIII

[264] Haec tormenta verborum paſſim apud alios reperies. Cyprianus ad Demetrianum: *Torquentur ſpiritualib. flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporib. ejiciuntur.* Lactantius V.22. *Extorti & excruciati ... exululant.* Ea ſunt quae Bacchiarius de rec. lapſ. *flagella verborum*, & Jul. Firmicus *ſermonis flagella* vocat. Prudentius Apoth.

Torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt, agitant miſerũ tot verbera linguae.

Vbi vides Apollinem pari loco cum daemonibus haberi, quod & de Jove teſtatur: vide mox.

[265] Prudent.Apoth. *Ejulat & noſtros exclamat Jupiter ignes*, h.e. exorciſmorum incendia. Lactantius: *Vri ſe verberarique teſtantur.* Et lib.2. c.16. *Verberari ſe, & ardere, & jam jamque exire proclamant.*

[266] Quod Oraculum Plinio ſcribente adhuc vigebat; ſic enim caput 3. libri VI. claudit: *Comana* [Pontica intelligit] *nunc Manteium.* Quod ſic vulgo interpretantur, quaſi dixerit, ex Comanenſi urbe ſuo tempore tantum ſuperfuiſſe μαντεῖον i.e. [Bellonae] *oraculum.* At falſo ſic exponunt; quia IV. ineunte ſaeculo frequentem adhuc templis, aedificiis, hominibus urbem fuiſſe, ex his S.Baſiliſci Actis conſtat. Quo vero ſignificatu haec ſcripſerit Plinius, jam ſupra Adnot. 254. attigimus. Et quocumque ſenſu id dixerit, certe tunc ſuo tempore id oraculum celebrabatur, quod demum ſub Martyre Baſiliſco intercidit.

(267) Quos Strabo θεοδύλους [*theodulos* i.e. *ſervos* Bellonae] vocat, non alius generis fuiſſe reor, quam qui in quodam Neapolitano marmore SERVITOR DEORVM inſcribebatur. Nolo enim totum illud epigramma adtexere,

Digitized by Google

XXIII DEP S EPHEBI EPI

§. 1. *Nomen*.

PRima inquisitio de nomine est. Nam qui heic EPHEBVS vocatur,is apud Jo:Diaconum manu exaratum varie scribitur, *Ephebus*, *Ephevus*, *Epherus*: sed ex his posteriora duo ex primo corrupta fuerunt. At in aliis scriptis monumentis diverse admodū hic Episcopus notatur,*Euphebius*, *Euphremus*,*Eupbramus*, *Euphevus*, *Euplimus*: & sine diphthongo initiali *Ephremus*, aut *Efremus*, & *Efrimus*. Ac ne forte diversorum episcoporum ea fuisse nomina suspiceris; is quocumque modo vocetur,semper idem est,atq.is qui hoc die XXIII. Maii colitur: ut idem plane Episcopus esse debeat, ac nostri marmoris *Ephebus*. Hanc autem ultimam verissimam apppellationem fuisse, hoc marmor ceteris MSS. monumentis longe antiquius confirmat; cui adstipulatur Jo: Diaconus non tantum nuda scriptione, sed & nominis (268) interpretatione. Ceterum quia Ἔφηβος a Graecis Neapolitanis correpta penult.efferebatur (sicut hodie *Efrimus* ab omnibus nostris vulgo corripitur)ut & a Graecis hodiernis solet,accentum magis quam quantitatem sequentibus; id ansam praebuit posteriores duas syllabas rapide pronuntiatas (maxime quia β ut V consonum ab eisdem efferebatur) varie corrumpendi; ut periculum facienti in pronuntiando *Ephevus* constabit.

At erit fort. aliquis, qui verum huic Episcopo nomen *Eusebio* fuisse, suspicetur: deinde quia in manuscriptis (f) & (f) parum differunt, ex *Eusebio* detortum fuisse *Eusebium*: maxime quum in Mrologio Patriciano, quod inter Ant. Caraccioli chartas Bollandistae reperierunt, scriptum hoc eodem die fuerit *S. Eusebii episcopi & Confessoris Neapoli*.Ita verum nomen *Eusebius* fuerit, ille utique qui XXXI. episcopus in Diacono recensetur, medio septimo saeculo, non vero *Ephebus*, qui octavus ab Asprenate fuit. Respondeo, de Eusebio nullum prorsus elogium a Diacono afferri, ut Sanctus dici meruerit; quum contra idem de Ephebo scripserit: *Pulcher corpore,pulchrior mente, plebi Dei sanctissimus praefuit, & fideliter ministravit. Ipse vero post, quorumdam incursionibus, TRANSLATVS, deductusque Neapolim, Ecclesiae STEPHANIAE RECONDITVR*.Quae sanctitatem testatam notant.Quare quū qui vocatur*Eusebius*, aut *Eusebius*, (& quae sunt ceterae appellationes) is die XXIII.Maii colatur; idem omnino erit atque *Ephebus* horum Fastorum & Jo: Diaconi. Accedit, quod hic qui tam varie nuncupatur,repertus fuerit cū Fortunato & Maximo suis proximis successoribus quiescere: quod in Eusebium VII. saeculi convenire non potest.

§. 2. *Aetas & cultus*.

Jam de aetate *Ephebi* hujus si quaeras; potest is commode ad tertium Christi saeculum aut quarti initium referri: magis id adeo successorum, quorum aetas notior est, habita ratione, quam decessorum, quorum catalogum esse mancum, plura suadent;quod saepe expostulavimus. At scriptores Neapolitani Chioccarello & Ant.Caracciolo antiquiores nescio qua supinitate eum an. 713. emigrasse scripserunt, quod & Baronio (in adnot. ad Mrolog.) persuaserunt: quae aetas non modo

(268) Jo: Diaconus: *EPHEBVS episcopus, pulcher corpore, pulchrior mente*. Quae ad nomen alludunt, non minus, atq; illud de PROBO ab eod.scriptum,*Omni probitate conspicuus nominis sui* &c. Quibus illum εὐφώνως ostendere volebat. Ephebi nomen a Gymnasio, quod Neapoli celeberrimum fuit,petitum est. At aevo posteriore *Ephebus* tantumdem erat ac *pulcher*. *Ephebia* interprete Papia, est *prima pars adolescentiae, vel juvenum EMINENS PVLCHRITVDO, vel collectio Epheborum*. Hinc intelligis, quid sibi velint adscripta Diaconi verba.

Digitized by Google

modo *Ephebo*, ſed ne poſteriori quidem *illi Euſebio* convenit: quem Chronographus Joannes Martino Papae aequalem facit, h. e. medio ſaeculo VII. aſſignat.

Ceterum quae Ant. Caracciolus pag. 149. de hujus ſancti cultu in Capuana & Salernitana Eccleſia narrat; equidem ut de Salernitana non refragor, ita ab eo de Capuana diſſentio, in qua nec nunc, nec olim quidquam de ejus cultu reperio, nec in vetere Capuano Breviario, quod penes me eſt, nec uſquam alibi. Affert quidem Mich. Monachus in Sanct. Cap. pag. 519. quemdam *Effrem*, qui die IX. Julii ſignatur, at is cum noſtro nihil commune habet. Scio quid Caracciolum fort. permoverit, ut de cultu Capuae impenſo teſtaretur. In Muſivo veteris Capuae apud S. Priſci Eccleſiam inter ceteros Sanctos quidam inferne inſcribitur S. EFIMVS. De quo Mich. Monachus pag. 569. ſic adnotat: *Credam eſſe martyrem in Campania, de quo (ut accepi) eſt mentio in Breviario Salernitano*. Is autem, de quo Salerni Breviarium, eſt hic ipſe quem nos hoc die XXIII. Maii colimus: quod Mich. Monacho incompertum, Caracciolus perſpectum habuit. Atque iis forſitan Monachi verbis deceptus Anton. Caracciolus de cultu Capuano hujus Sancti inconſiderate pronuntiavit. Atqui ſciendum eſt, Muſivum illud, a me olim ſaepe viſum, perantiquum eſſe, ac facile VI. circiter ſaeculi; quo tempore non eſt credendum ex *Ephebo* detortum fuiſſe EFIMVM. Deinde is in eo Muſivo inter martyres inſeritur: qua laude hujus diei Epiſcopus caruit. Ergo *Efimus* Capuenſis (quod nomen venit ex ἐυφημος *Euphemus*) nihil cum S. Ephebo commune habet.

§. 3. *S. Ephebi cetera.*

Cetera de hoc Praeſule videantur apud Chioccarellum, Caeſarem de Engenio, Ant. Caracciolum, ac poſtremo Papebrochium hoc die pag. 236. apud quem & (269) Miraculorum libellum ex MS. erutum reperies (cujus olim Baronius, Chioccarellus, aliique noſtri meminerant) & Acta inventionis anno 1589. in aede S. Ephremi veteris, ubi cum SS. Fortunato & Maximo requieſcebat. Nam Ephebum ex Stephania, in quam olim (teſte Jo: Diacono) tranſlatus fuerat, poſt aetatem Jo: Diaconi (quippe de priore illa tantum Tranſlatione locuti) illatum fuiſſe oportuit in cognominem Eccleſiam. Quae olim quidem *S. Efrimus* pen. corr. (corrupte ſcil. pro *Ephebus*, ut initio monuimus) dicebatur, nunc vero *S. Efrimus Vetus* nuncupatur, poſt nim. exſtructam alteram Capuccinorum Eccleſiam ſub titulo Conceptionis B.M.V., quam tamen vulgus *S. Eſrimum Novum* vocare amavit. Atque ea, quae ſupra dixi, Inventionis Acta lectu ſane quam jucunda, iis certe erunt, qui noſtra ſtudioſe rimantur.

XXIIII

(269) Ejus libelli narrationes pauca ſinceritatis indicia habent, & ſtylus a gravitate abhorrens, etiam quaedam novitatis argumenta mihi praeſeferre videtur. Cujuſmodi illud eſt, quod num. 5. REVERENDISSIMVS ſubſtantive pro *Epiſcopus* ponitur: *Quemdam Reverendiſſimum veſtitum Pontificali dignitate*. Id ad ea tempora pertinet, quando *Reverendiſſimatus* (ut eo modo loquar, quo & *Clariſſimatus* olim uſurpabatur) Epiſcoporum peculiaris evaſerat. Ibidem poſt pauca vox *Diſcipulus* eum ſignificat, qui Miſſae planae miniſtrat. *Tunc Presbyter ... ad Eccleſiam cum diſcipulo feſtinus acceſſit*. Et initio ejuſd. num. 5. *Cumque ex more cum ſuo diſcipulo .. celebraturus*. Id hodiedum apud nos uſurpatur: quod tamen non recentiſſimum genus loquendi eſt. Nam in Chronico S. Michaelis Virdunenſis tom. 2. Analector. Mabillonii ſic ſcribitur, *Adhuc adoleſcentulus ab Abbate ſuo in DISCIPVLATV Capellani conſtitutus*. Atqui eam vocem non aſſecutus eſt Cangius, qui γενικὸς *officium, miniſterium* interpretatur. At in noſtro libello ſicuti puer Miſſae miniſtrans vocatur *diſcipulus*, ſic viciſſim Presbyter nuncupatur *Magiſter*; Quae ambo ex eo ſunt tracta, quod presbyteri ex iis pueris, quos inſtituebant, unum aliquem ſeligerent, quo ad miniſtrandum Miſſae uterentur.

Digitized by Google

XXIIII NS SVMEONI

QVia Graecis hoc nomen cum Y (i. e. V tenui seu simplici) scribitur; hinc id nomen in nostro marmore in primore syllaba V sibi vindicat.

Porro in Graecorum Triodio (in Canone Fer. VI. ante Dominicam Quinquagesimae, ode VI. strophe 3.) quatuor Symeones numerantur, quorum ultimo cognomen *Salo* fuit, qui in his Fastis inscribitur die XXI. Julii. At tres priores Stylitae omnes fuerunt: quorum primus (isque omnium celeberrimus, a Graecis ὁ ἐν μάνδρᾳ, *in Mandra* (270) discriminis causa cognominatus) a Latinis die V. Januarii colitur, a Graecis I. Septembris: alter hoc die in Graecorum omnib. libris Liturgicis (excepto Basilii Menologio, in quo pridie de eo fit) inscribitur: tertius autem is esse creditur, cujus Graeci die 27. Julii memoriam faciunt.

Qui autē hoc die colitur (triū Stylitarum scil. quos initio recensuimus, alter) *Junior* cognomento dicitur, aut *Symeon in monte mirabili*, sive *Symeon de monte*. Itaque in Basilii Menologio sic hesterno die inscriptio proponitur: *Memoria S. Patris nostri* (τῷ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει) *in monte mirabili*: quem ideo composito nomine etiam *Thaumastoristam* (quasi *Miromontanum*) Allatius vocat. Ea appellatio ab eo monte petita est, in quo is aliquammultos annos transegit: qui mons inter Antiochiam, Rhossum, ac Seleuciam medius erigebatur. Obiit autem hic junior Stylita anno 596. & quidem (si non fallit Graecus vitae auctor, quam a se translatam dedit Bollandista Janningus) hoc ipso die XXIV. Maii. Idem confirmari potest ex metricar. Ephemeridum illo hexametro: *Εἰκάδι τῇδὲ πέμπτῃ ὄρος Συμεὼν ἤμειψε. Luce quaterdena Symeon de monte migravit.* Verum & Nicephorus vitae auctor, & Ephemeridum scriptor recentiores sunt, quam ut idonei per omnia testes sint: qui non alia de causa videntur ejus obitum die XXIV. consignasse, quam quia eo die passim a Graecis is colitur, nec tamen omnibus, quia in Basiliano Menologio pridie is honoratur. Ceterum in his marmoreis Fastis quum semper in diebus θανασίμοις nota *Depositionis* scalpatur; heic tantum *Natalis* nota ponitur: quod non de nihilo est, ac saltem scrupulum injicit, ne non is dies vere emortualis fuerit.

De hoc juniore stylita qui plura nosse cupit, adeat tum Conr. Janninghi (hoc die, p. 298.) Commentarium praevium, tum quam ibi vitam longissimam Graece & Latine subjecit, auctore sive Nicephoro quodam, sive Symeone: de quo vide quae in ima (271) ora adnotavimus.

Quod

(270) Cur celeberrimus ille Symeon Stylitarum antesignanus cognominetur ὁ ἐν μάνδρᾳ, *In Mandra*, diversas quidam rationes attulerunt: de quibus videndus Conr. Janningus ad hunc diem in Comm. praevio ad hodiernum Symeonem num. 3. 4. Veram tamen nominis causam affert Auctor Ms. vitae ejusd. *Symeonis in Mandra* (apud Cangium in Glossario Gr. in hoc verbo) ubi de ejus matre haec habet: ὁ θεῖος δὲ Συμεὼν ὢν παῖς γεκρὸν ἐνὸς τῆς μάνδρας (τῶν γὰρ ὁ τῶ κύλῳ περιβόλος ἐκαλεῖτο) εἰσενεχθῆναι προσέταττε. περιφοδόμητο γάρ τι παντοθεν τειχίον τῷ κίονι, ὥστε μὴ γυναῖκιν εἰσίσσειν εἶναι. *Divinus autem Symeon ejus* (matris suae) *cadaver intra mandram* (*hoc enim nomine columnae septum vocabatur*) *inferri jubet. Nam is, ne mulieres prope se accederent, parvum tolumnae murum circum aedificaverat.* Inde & ad monasteria notanda simili de causa id nomen traductum fuit. Hesychio Μάνδρα sunt ἕρκη, φραγμοί, *septa, sepes*.

[271] *Vita S. Symeonis Stylitae Junioris Nicephoro ne cuidam, an Symeoni sit adjudicanda. Quo sensu is scriptor* Ὑπερφυὴς *cognominatus fuerit. Cur Basilius* Ὑπερφυέστερον *audierit. Vitae ne titulo, an potius Callisto credendum, qui eam Symeoni Vranio tribuit. Quis porro is Symeon fuerit. Non Metaphrastes fuit, sed alius Antiochenus, cujus exstat de Animalium virtute commentarius. In Callisto menda detegitur. MAGISTRI elogium, quod huic biographo tribuitur, non ad eloquentiae magisterium pertinet, sed ad Magistri Officiorum dignitatem.*

Quis

Digitized by Google

Quis iſte vitae auctor fuerit, non aliunde poteſt intelligi, quam ex vitae titulo, qui talis eſt: *Βίος καὶ πολιτεία τῦ &c. συγγραφέντα παρὰ Νικηφόρου τῦ Μαγίστρου Ἀντιοχείας τῦ Οὐρανῦ*. Quae ſic interpretatur clariſſ. Janningus in Comm. praevio num. 42. *Vita & converſatio S. Patris noſtri &c. conſcripta a Nicephoro Magiſtro Antiochiae, Caelum dicto.* Vult autem, hunc Nicephorum ab eloquentiae laude, cujus ſe magiſtrum Antiochiae gereret, *Caeli* cognomen aſſecutum. Potuiſſet ad hoc confirmandum afferre cognomen *ὑραναφάντορος*, quod ſaepe Baſilio M. tributum reperit Cangius, quem vide in Gloſſ. Graeco: quod tamen vir magnus eo trahit, quod is de *caelo* diſſeruerit, in Hexaemeto ſcil. Verum quid ea vox ſignificet, jampridem Suidas explicuerat hiſce verbis: *Οὐρανοφάντωρ· ὁ λαμπρὸς ἐν ὕψει φαίνεται. Vranophantor* is eſt, *cujus claritudo in ſublime uſque* (ſic enim *caelum* ibi accipit) *ſplendet*. Nec dubito, quin eodem ſenſu de Baſilio ea vox uſurpata fuerit. Verum haec obiter: nec enim credo Nicephorum hunc (ſive forſitan ejus patrem; quia *Νικηφόρου ... τῦ Οὐρανῦ* verti forſan potuiſſet *Nicephori filii Vrani*) ob eloquentiam aliamve laudem *Vranum* appellatum, ſed quo modo alii plures *Vranii* nomen tulerunt, caſu magis quam certo conſilio. Deinde miror ſi tantam in biographo iſto eloquentiae laudem Janningus repererit, quum contra Nicephorus Calliſtus, [qui hanc vitam ſe legiſſe teſtatur] *μὴ ἀξίως minus digne* quam pro rei magnitudine eum ſcripſiſſe affirmet.

Quo loco valde notandum eſt, hujus vitae auctorem non *Nicephorum Vranum*, ſed *Symeonem Vranum* ab eodem Calliſto appellari: ut dubium plane ſit, utri magis ſit credendum, vitae ne titulo (ubi auctor diſerte *Nicephorus* vocatur) an Calliſto, cui verus auctor notior eſſe debuit, quem tamen *Symeonem* nuncupat. *Ea ejus* verba ex lib. XVIII. cap. 24. quo loco hujus S. Symeonis geſta *ὑπὸ Συμεῶνι Μαγίστρῳ τῷ Οὐρανῷ* (ea nota per compendium Οὐρανῷ ſignificat) *συγγραφέντα, εἰ καὶ μὴ τῷ μεγέθει καὶ τῷ ἔργῳ ἀξίως, per Symeonem Magiſtrum* [cognomento] *Vranum conſcripta, etſi minus digne quam pro rerum magnitudine*, conqueritur.

At idem Janningus, Calliſtum fuiſſe deceptum, non dubitat, qui nempe in *Nicephoro Magiſtro Vrano* vero vitae auctore Symeonem Magiſtrum [illum ſcil. celebrem biographum, qui vulgo *Metaphraſtes* vocatur] ſibi videre viſus fuerit. At grave eſt homini Graeco, quem ſexcentos prope Symeones inter ſe diſtinctos noſſe oportuit, tantam dicam impingere. Deinde ubi Calliſtus hanc vitam a Symeone Magiſtro ſcriptam dixit, non ille de Metaphraſte cogitavit, ſed de Antiocheno quodam Symeone, ut equidem exiſtimo. Etenim doctiſſ. Cangio (in Indice ſcriptor. quem Graeco Gloſſario ſubtexuit) tres *Symeones Magiſtri* numerantur. *Symeon Magiſter* Antiochenus cujus in Cod. Reg. 957. exſtat ſcriptum *de Animalium virtute ἐκ τῆς τῦ Συμεῶνος Μαγίστρου Ἀντιοχείας φραγματείας, ex Symeonis Magiſtri Antiocheni commentario*. II. *Symeon Magiſter & Logotheta*, qui chronicon quoddam in Leone Armenio deſinens conſcripſit. III. *Symeon Magiſter & Logotheta* Curſus publici; is ſcil. qui propter plurimas Sanctorum vitas (quas *μεταφράσεις* vocat) *Metaphraſtes* vocatur, quiq. ſaeculo X. ineunte ſub Leone & mox ſub Conſtantino Porphyrog. floruit. Cur autem horum ultimo hanc vitam tribuiſſe mihi non videatur Calliſtus, illud facit, quod non omiſiſſet *Logothetae* dignitatem, deinde quod non expoſtulaſſet, eam vitam parum *digne* ſcriptam fuiſſe. Quis enim Metaphraſtae obloqui tunc auſus fuiſſet? aut quis ejus ſublime dicendi genus non ſummopere tunc demirabatur? a cujus eloquentiae charactere re vera vitae S. Symeonis Junioris ſtylus plurimum diſſidet. His de cauſis Calliſtus non potuit de Symeone Metaphraſte cogitare. At idem non alii quam *Symeoni Magiſtro* Antiocheno eam, ut opinor, attribuit. Qua de cauſa? quia in hujus vitae titulo legebatur credo, *Μαγίστρου Ἀντιοχείας* (pro qua voce male intellecta deſcriptor Bollandiſtarum exhibuit *Ἀντιοχείας*: quid enim facilius fuit, quam vocalem *ω* in duas *ια* reſolvere?) *τῦ Οὐρανῦ ... Magiſtri Antiocheni* (cognomento) *Vrani*. Inter *Ἀντιοχείας* autem & *Ἀντιοχείας* hoc intereſt quod prius patriam deſignat, poſterius magiſterii forſitan locum in urbe Antiochena, uti volunt.

Ergo, ſi Calliſto (homini certe in ſuorum Graecorum ſcriptis minime hoſpiti) credimus, huic Symeoni Antiocheno potius, quam neſcio cui Nicephoro, ea vita eſt tribuenda: etſi fieri forſan potuerit, ut is Symeon etiam *Nicephori* nomen tulerit. Ab ejus inquam Symeonis Antiocheni manu ea vita prodiit. Tamen quia ea poſtquam a Janningo evulgata fuit, jamdiu Nicephoro illi tribuitur, nos quoque pervulgata nomenclatione utemur. Hactenus de nomine auctoris.

Sed antequam hinc abeo, ſciendum eſt, Vitam, de cujus auctore tamdiu diſputamus, ab Allatio (in Diatr. de Symeonib. pag. 18.) Sy-

Digitized by Google

Quod ſiqui ſummis rerum capitibus contenti eſſe velint, in eorum gratiam breviſſimum Baſiliani Menologii elogium hoic ſubtexui; praeſertim quum eo Janningus V. Cl. ſuperſederit.

Memoria Sancti patris noſtri Symeonis in Monte mirabili. Sanctus pater noſter Symeon, domo Antiochia Syriae, imperante Juſtiniano Seniore vixit; cujus conceptus a Praecurſore Joanne Baptiſta matri praenuntiatus fuit. Vix natus, in ſugendo lacte a ſiniſtro ubere abſtinuit, Deo per id demonſtrante, dextram mandatorum viam eum eſſe dilecturum. Simul vero crevit, mundo relicto, in montem ſeceſſit; & in monaſterium profectus, (in quo ſupra hominem ſeſe exercuit) monachus evaſit. In tantum autem virtutibus effulſit, ut & miracula incredibilia faceret. Mox ex eo monte deſcendens, & columnam ſupergreſſus, in ea annos duodeviginti rectus ſtetit. Deinde Montem mirabilem petens, ſaxo conſcenſo, in eo annos decem perduravit. Poſtmodum in minorem (272) columnam conſcendit, in qua annos quinque & quadraginta tranſegit. Ita totum vitae ejus curriculum annorum quinque ſupra octoginta (273) fuit; ex quibus novem & ſeptuaginta in aſcetica diſciplina decurſis, ad Deum emigravit.

Proderit & ex Sirleti Menologio partim

meoni Metaphraſtae fuiſſe attributam. Quo loco lectorem remittit ad dicenda de Metaphraſtae ſcriptis. Ad quem locum ubi devenit; pag. 79. inter vitas a Metaphraſte ſcriptas hanc etiam Symeonis Stylitae Jun. recenſet, ſed auctore Niceph. Calliſto XVIII. 24. At qui id jam paullo ſupra contra Janningum [qui certe iſtud ab Allatio hauſerat] refutavimus. Nec enim de Symeone Metaphraſte Calliſtus cogitaverat, ſed prorſus de Symeone Antiocheno. Tranſeo jam ad ejuſdem biographi officium.

Nam ne id quidem poſſum Jamingo aſſentiri, quod illud Μαγίστρου ad eloquentiae magiſterium, quod Antiochiae geſſerit, pertinuiſſe putat. Mitto quod Antiochia inter illas civitates vix uſquam annumerata legatur, in quibus profeſſorum θρόνοι, h. e. *Cathedrae* (quam vocem de aliquot ſophiſtis, qui Athenienſi ſcholae 3. & 4. ſaeculo ex ordine praefuerunt, uſurpatam reperi) conſtituti fuerint; inter quas utraque Roma, Berytus, Athenae, Alexandria, adhaec Carthago, Mediolanum, & in Galliis aliae nonnullae aevo poſteriore numerabantur. At certe quo tempore Nicephorus iſte vixit, Antiochia ſub Saracenorum jugo gemebat. Non enim Nicephorus iſte nono ſummum ſaeculo antiquior eſſe potuit. Nam Arcadium quemdam Cyprium vitae S. Symeonis hujus Junioris ſcriptorem laudant octavo ſaeculo Jo. Damaſcenus, & eodem exeunte Niceni Patres: at iidem Nicephorum hunc, ſive potius Symeonem Vranum minime norunt.

Verum quid moror? Sive re vera haec vita *Nicephori Vrani*, ſive potius *Symeonis Vrani* fuit, ſive *Nicephorus* ſimul *Symeon* vocabatur; is eodem ſenſu *Magiſter* inſcribebatur, quo & Symeon Logotheta, & Thomas grammaticus is, qui de vocibus Atticis ſcripſit, & plures alii *Magiſtri* inſcribuntur: in quibus certe ea vox dignitatis erat. Nam *Magiſter* (Μάγιστρος) abſolute & per excellentiam erat is qui plena locutione *Magiſter Officiorum* (ὁ μάγιστρος τῶν βασιλικῶν ὀφφικίων) vocabatur. At *Magiſter* quando *doctorem* notat, Graecis poſterioribus Μαγίστρῳ, μαγίστρου inclinabatur. At quo, inquis, additum *Antiochiae* pertinet, quum Magiſter officiorum in Aula CPolitana fuerit? Reſpondere poſſim antiquitus quidem Magiſtri dignitatem fuiſſe unicam: at poſtea plures fuiſſe, & Codinus docet, & Synodus VIII. CPolitana (in qua plures Magiſtri ante Patricios conſidebant) & Luitprandus Diaconus (cujus verba vide apud Meurſium in Gloſſ.) ad 24. numerat. Ergo quum is numerus creviſſet, non ab re alius CPolis, alius Antiochiae (& ſic coterarum Metropoleon) *Magiſter inſcribebatur*. Sed longe verius eſt, in titulo hujus vitae, de qua tamdiu loquimur, non fuiſſe ſcriptum Μαγίστρου Ἀντιοχείας ſed Ἀντιοχέως (de quo non recoquam, quae paullo ſupra poſui) quod diſerte patriam deſignat. Ceterum qui plura ſcire digna de Magiſtri Officiorum dignitate ſcire avet, adeat Meurſii & Cangii Gloſſaria & alios.

(272) Graece quidem in optima editione Vrbinate ſic legitur: εἰς τὸν μικρὸν κίονα ἀναβάντα, *in minorem columnam aſcendens*. Verum non dubito, quin iſtud μικρὸν ex μαγίστου (cujus ſcriptura fugiens evaſerat) depravatum fuerit. Nicephorus certe vitae auctor cap. ultim. ſect. 248. Symeonem ἐπὶ τὸ μαγίστου καὶ ἔσχατον κίονα, *in maximam & ultimam columnam*, vivendi finem feciſſe tradit. Idque magis ea rationi conſonum.

(273) Non quinque & octoginta, ſed quinque ſupra ſeptuaginta in univerſum annos ei vitae auctor

tim ſimile, partim diverſum vitae compendium, a Bollandiſtis praeteritum, afferre. *Commemoratio S. Patris noſtri Simeonis admirabilis. Fuit hic tempore Juſtini majoris ex Antiochia Syriae patre Joanne ex urbe Edeſſa oriundo, matre Martha. Ejus autem vita & ſanctitas tam inſignis atque illuſtris fuit, ut verbis explicari non poſſit. Cum enim admirabili abſtinentia multos annos in monaſterio ſe exercuiſſet, deſcendit ex monte, atque aſcendit in columnam illam, in qua ſtetit annos decem & octo. Cum antea in parva quadam ſtetiſſet quinque & quadraginta annos. Cum vero ageret annum octogeſimum quintum, ex terreſtri ſtatu ad caeleſtem vitam & aeternam requiem migravit. Quanta vero fuerit Simeonis cognomento Stylitae ſanctitas & fama celeberrima, teſtes ſunt Theodoretus Cyri & Evagrius, in his quae de ſanctor. rebus geſtis monumenta reliquerunt.* Quod elogium ex notatis ad Baſilianum elogium corrigi in nonnullis debet. De eo vero quod heic Theodoretus teſtis evocatur, audiendus Allatius Diatr. de Symeon. pag. 18. *Hinc notandus error in Menologio 24. Maii, ubi cum agitur de Symeone Stylita juniore ſub Juſtino, male traditur de eo agere Theodoretum, quum ille de Seniore agat: quod forte doctiſſ. Annalium ſcriptorem in errorem induxit cum Notis in Mrologium Rom. ad V. Januar. ait, de Seniore ſtylita agi in Menologio 24. Maii & de Seniore I. Septembr. cum contra affirmari oportuerit.*

De hoc Symeone legatur prae ceteris ejus aequalis Evagrius Scholaſticus extremo cap. 21. lib. V. & toto cap. 23. lib. VI. cujus ſcripta ſunt prae omnium manibus, ſicuti & Nicephori Calliſti hiſtoria, in quo plura de eodem reperies. Legi etiam de eodem debet Allatii Diatriba (274) de Symeonibus, in qua plura optimae frugis reperies. Videantur & quae S. Jo: (275) Damaſcenus, & alterius Nicenae Synodi Patres ex antiquiore vita per Arcadium ſcripta de hoc Stylite protulerunt.

XXV N IACOBI AP̄LI

EST Jacobus Alphaei filius, uti jam ſupra monuimus ad Kal. Maii: de quo tamen Apoſtolo Latini non hoc die XXV. Maii, ſed XXV. Julii agunt. Hoc autem die nuſquam de hoc Jacobo veſtigium reperi; niſi quod tantum de ejus patre Alphaeo legatur in Synaxario Chiſſletiano (apud Bollandiſtas hoc die in praetermiſſis) eum hoc die *in pace quieviſſe*. At etiam ſequenti die de eod. Alphaeo Graeci in Synaxariis agunt. Ad Alphaei autem filium Jacobum quod attinet, is craſtino die inſcribitur Martyrologio vulgato ſub Bedae nomine. At Neapolitani quia die XXVI. de S. Juda agunt (quem praeſertim eod. die paſſum

auctor ibid. aſſignat: quam eamdem ſummam per ſingulas vitae ejuſdem periodos collectam exhibet in adnotatis Janningus. Sed & Evagrius VI. 23. eidem numero favet his verbis: *Qua in columna* (priore) *& in altera quae eſt in ſummo montis vertice, octo & ſexaginta exegit annos.* Atqui hunc idem Evagrius ἐξ ἁπαλῶν τῶν ὀνύχων, *a teneris unguiculis, ... adeo ut in columnae ſtatione dentes* primores *mutaverit*, id inſtitutum capeſſiviſſe, narrat. Itaque ſeptennis priorem columnam attigerit, in poſteriore autem annos natus LXXV. vitam cum morte commutaverit neceſſe eſt.

(274) Eam Diatribam raro obviam dolent eruditi viri, quippe quam tantum ex Combefiſii editione habemus Paris. ann. 1664. Ibi de Stylitae hujus ſcriptis accurate agitur.

(275 Damaſcenus Orat. 3. de imag. Mirac. 132. ex vita illa priore quaedam recitat, quae etiam in vita Graeca a Janningo edita narrantur. Ac Janningus quidem quum Latina tantum Damaſceni opera ad manus haberet, dubitavit an non eiſdem verbis tum in Graeco Damaſceni, tum in vita a ſe edita ea narratio decurreret. Sed equidem quum vitae locum cum Graeco Damaſceno contuliſſem, diverſam toto caelo verborum texturam reperi. Sicuti ex diverſis Graece verbis conſtant ea quae Niceni Patres ex ead. illa antiquiore vita protulerunt.

Digitized by Google

crediderunt: vide ad seq. diem) hinc de Jacobo pridie anteverterunt: quod in his Fastis haud raro accidit. Atq. ea mihi videtur hujus festi hodierni ratio verior, quam ut in aliquam Translationem aut Ecclesiae Dedicationem sollemnitatis causam conferam.

XXVI P S IVDE AP LI

§. 1. *Hujus Apostoli nomina.*

Judae Apostoli unius ex XII. plura in Evangelio nomina legimus. Saepe is quidem *Judas* vocatur, sed semper quod sciam cum addito (276) διακριτικῷ ut ab Juda altero Iscariote distinguatur.

Alibi *Thaddaeus* sine alio adjuncto nuncupatur, ut in Apostolorum catalogo Matt. X. 3. Marci III. 18. Lucae VI. 16. Quod nomen viri eruditi idem ac *Judae* vocabulum fuisse (277) ajunt.

Sed

(276) Non sine discrimine adjuncto is, inquam, *Judas* vocatur. Sic Jo: XIV. 22. *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum & non mundo?* Sed alibi haud aliter hic Judas ab Iscariote discriminatur, quam addito fratris sui nomine. Sic Act. I. 13. *Simon Zelotes, & Judas Jacobi.* Luc. VI. 16. *Et Judam Jacobi & Judam Iscariotem.* Eodem redit illud Matth. XIII. 55. ubi inter fratres Jesu numerantur *Jacobus & Joseph & Simon & Judas*; sicuti etiam Marci VI. 3. Postremo hic ipse Apostolus sic in fine Epistolae prooemio ipse se ab Iscariote discriminat: *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi.*

(277) Combefisius quidem apud Tillemontium *Judae* & *Thaddaei* nomina diversa fuisse contendit. Sed quibus nitatur rationibus, ignorare cogor, quum ejus Auctarium ad Bibliothi: Patrum ad manus non habeam. Interim haud aegre crediderim, *Judae* & *Thaddaei* vocabula magis dialecto quam significatu diversa fuisse. Itaque qui Hebraeis *Judas*, is forsitan Chaldaeis Syrisve תַּדַּי *Thadai* (quo modo in Syra Evangeliorum Translatione is scribitur) vocabatur: quorum utrumque nomen est a verbo יָדָה *hodah* quod est *laudare*. Sic *Jesus* idem qui *Josua*; & *Cephas* idem qui *Petrus*: quamvis *Cephas*, & *Petrus* tantū significatu conveniant, non vero communi vocabuli origine, quum contra *Judas* & *Thaddaeus* ad unam eandemq. radicem referantur.

Accedit, quod sicuti numquam uno eodemque loco *Cephae Petrique* nomina (nisi tantum interpretationis causa ut Jo: I. 42.) cumulantur, nec umquam, sicuti scribitur *Simon Petrus*, sic exstat *Cephas Petrus*; idem & in hodierno Apostolo observo, qui etsi ab Iscariote sedulo distinguitur, numquam tamen hoc modo discriminatur, *Judas Thaddaeus*, utique quod eadem plane essent nomina [h. e. ejusdem notionis & ab eadem radice profecta, uti proxime ostendimus] haud secus ac *Cybele* & *Cybebe* apud Graecos, & sexcenta in eumdem modum.

Opponat heic forsitan aliquis, non fuisse hoc Judaicae consuetudinis, ut qui *Judae* nomen tulissent (quo nomine in ea gente nullum usitatius fuit) iidem & *Thaddaei* nomen gererent. Respondeo *Thaddaei* nomen non fuisse ei genti insuitatum, ex inscriptionibus posse colligi. Apud Grut. pag. 194. 1. PVTEAL. TADDAI legitur, ubi forsitan diphthongus AE antiquo more per AI scribitur. Verum misso hoc incertiore exemplo, praesertim quum gentilitium nomen gentis *Taddaitae* id esse potuerit: at illud certe hominis libertini nomen apud Reinesium (apud quem XII. 14. L. BARBIO. L. L. THADAEO legitur; quod & in syntagmate Gudiano pag. 341. 8. occurrit) non potest non ad Palaestinum aut Syrum aliquem referri.

Verum ut jugulum causae petam: ceteros quidem Judas nulla causa impulit, ut *Thaddaei* nomen superinducerent; nec enim id necesse fuit. Imo ne hodiernus quidem Apostolus ante Iscariotae proditionem *Thaddaeus*, uti suspicor, nominabatur. At post id factum, opinor, *Thaddaeus* dici coepit: non quod ulla esset in augusto Judae nomine invidia; sed discriminis causa, imo & compendii. Nam ne duo inculcare nomina cogerentur, ac *Judam Jacobi* dicere; commodius visum fuit uno *Thaddaei* nomine totam appellationem absolvere. Idem & de Thaddaeo uno ex 70. discipulis esto judicium: quem verisimile est antea *Judam* fuisse forsitan appellatum, mox ut a proditore distingueretur, mutasse nominis dialectum. Sed de hoc altero mera est conjectura.

Digitized by Google

Sed & semel tantum *Lebbaeus* appellatur in Graeco (278) Matthaei X. 3. & in orientalibus translationibus. Nec pronum est assequi quid ea appellatio (279) significet.

Postremo & *Zelotae* nomen huic Apostolo, non secus ac Simoni, tributū cernitur apud Hieronymum &(280) quosdam alios: quod inde manasse videtur, quod apud Matthaeum X.3. in cod. Velesiano pro Λεββαῖος legitur Καναναῖος, quod Hebraice *Zelotem* notat.

Vnum autem idemque *Zelotae* cognomen diversam habet in utroque Apostolo significationem, si Hieronymo credimus; quia in Simone patriam notat (*Canaquippe*, Simonis patria, *zelus interpretatur*, inquit Hieronymus ad Matt.X.) at in Juda non aliud est, quam virtutis zeli epitheton: *Qui* (ait de Juda Hieronymus ad Gal. IV.) *ob insignem zeli in se virtutem etiam Zelotes nomen accepit*.

§. 2. *Judas hodiernus diversus a Thaddaeo (uno ex Discipulis) ad Abgarum missо.*

Non est dubium, quin quantum est Graeciae ecclesiasticae, Judam sive *Thaddaeum* Apostolum *a Thaddaeo* uno ex LXXII. distinxerit. Nec solum in Graecorum libris liturgicis diversa sunt utriusque festa, verum etiam in hisce marmoreis Fastis. In quibus de Apostolo fit tum hodie, tum junctim cum Simone Kalendis Julii: de Thaddaeo autem (uno scil. ex discipulis) die XX. Augusti. At Latini ferme jampridem in id convenerant, ut in unum Apostolum omnia referrent, ea etiam quae de Thaddaeo (uno ex discipulis) ad Abgarum misso accurate narrat Eusebius. Sed hodie inter eos duos Thaddaeos fere docti universi distinguunt, quos Eusebii summa auctoritas frangit, qui I. 12. Thaddaeum qui Edessenis praedicavit, unum ex discipulis fuisse tradit. De quo Thaddaeo ad XX. Augusti dicemus.

§. 3. *Hujus Apostoli festa.*

Hujus Apostoli Judae festus non unus est

(278) Ibi sic legitur, *καὶ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, Et Lebbaeus, qui cognominatus est Thaddaeus*. Et sic codices Graeci omnes, imo & Translationes Syra, Arabica, Aethiopica, Persica. At nec Marcus in loco parallelo III. 18. istud *Lebbaei* nomen agnoscit, nec Matthaei Vulgatus interpres: qui certe *Lebbaeum* in suo codice non reperit. Imo ne Origenes quidem *Lebbaeum* in Matthaeo legit, diserte notans, *Levi* sive *Lebbaeum* [pro eodem enim nomine habet] non fuisse in numero Apostolorum, nisi in paucis admodum Marci [non Matthaei] codicibus. Idque adprobat Millius in accuratissimis suis Prolegomenis sect. 386. insuper scribens: *Insertum* (illud) Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς, *haud aliud est quam studiosi cujusdam scholion, qui e regione τῷ Ματθαῖος, adnotarat in margine, ἐπικληθεὶς Λεββαῖος: quo significatum volebat, Matthaeum hunc publicanum, illum ipsum esse, qui Marco & Lucae Λευὶ seu Λεββαῖος dicitur. In hoc incidens scriba quum partem textus esse crederet, neque vero scivet ad quam praecise partem spectaret, voces hasce transpositas conjecit in corpus libri loco non suo*. Ea est Millii conjectura.

(279) Lebbaeum Hieronymus *Corculum* interpretatur [a *Leb* scil. quod Hebraice *cor* significat] quod fuit notum Scipionis Nasicae agnomen a sapientia partum: alii *leonem* reddunt [notissimum Judae Patriarchae *symbolum*] maxime credo quia Syro interpreti apud Matthaeum id nomen לבי *labi* scribitur: quae vox [cum *Aleph* tamen finali, quod in Syro deest] *leonem* Hebraeis notat. Sed Millius (quem vide in praeced. Adnot.) *Lebbaei* nomen non aliud quam *Levi* putat.

(280) Praeter S. Hieronymum [qui contra Helvid. scripsit: *Judas Zelotes in alio Evangelio Thaddaeus dicitur*: & ad Gal. IV. de eodem: *Qui ob insignem Zeli virtutem etiam Zelotes nomen accepit*) *Zelotae* agnomen legitur etiam in Concilio Rom. Gelasii, ubi ordo Scripturarum N.T. sic clauditur: *Judae Zelotis Apostoli epistola una*. Adhaec in omnibus Hieronymianis Mrologiis die 28. Octob. scribitur in hunc modum: *Natalis SS. Apostolorum Simonis Chananaei & Judae Zelotis*. Et in Apostolorum indiculo apud Florentinium pag. 92. *V. Kal. Novemb. Natalis Apostoli Simonis Cananaei & Simonis* (pro *Judae*: etiam in Basilii Menol. die 29. April. agitur de Simone Apostolo, cognominato *Juda*, qui Edessenis praedicavit: tanta Apostolor. historiae circumfusa caligo est) *Zelotis; qui a templorum pontificibus occisi sunt in Suanis civitate Persarum*.

Digitized by Google

eſt apud Graecos (281) atque Latinos (282) dies. At nuſquam, quod equidem ſciam, is hoc die ſignatus occurrit. Dicerem hunc apud Neapolitanos fuiſſe ſive Translationis Reliquiarum, ſive Dedicationis alicujus Eccleſiae diem, ſive potius feſtum tranſlatum (quia ſcil. debuiſſet die XXII. Maii, ut in Baſilii Menologio, coli, niſi is dies S. Baſiliſci Paſſione impeditus fuiſſet) ſi nota N. hoc eſt *Natalis* praeſignata fuiſſet. Nunc quia P. i. e. Paſſionis nota praefigitur; neceſſe eſt Neapolitanis fuiſſe perſuaſum, hoc maxime die S. Judam martyrii palmam eſſe conſecutum, idque forſitan eos in hujus Apoſtoli Actis non finceris reperiſſe. Aut certe neceſſe erit, notam P. quam ſemper cum judicio poſitam animadvertimus, heic per incogitantiam irrepſiſſe.

Quin & illud negotium faceſſit, quod in Baſilii Menologio ad diem 22. Maii is Apoſtolus ἐν εἰρήνῃ (*in pace*) ad Dominum migraſſe narratur: quum contra Neapolitanae ephemerides eidem *Paſſionem* h. e. martyrii palmam vindicent. Sed hoc nihil eſt: etenim (ut omittam quod in aliis Graecor. Officior. locis eidem nihilo minus effuſi cruoris gloria conceditur) in his Faſtis iis etiam *Paſſio* tribuitur, qui ἀναιμωτὶ (*non effuſo ſanguine*) depugnarunt. Vide dicta de S. Innocentio Papa ad menſem Aprilem.

Cetera de hoc Apoſtolo petantur ex Baronio ad 28. Octob. ex Florentinio in Exercit. V. ad indiculum Apoſtolorum pag. 171. ex Tillemontio tom. I. ex Dominico Georgio ad Adonem, Sollerio ad Vſuardum, Jo: Abb. Fabricio ad Pſeudo-Abdiam & ad Hieron. de Script. Eccl., ex Caveo, ac pluribus aliis.

In his dum eram, reperi apud Freculfum Lexovienſem in I. Chron. 19. ſic ſcriptum: *Judas Jacobi frater in Meſopotamia atque interioribus Ponti evangelizans ... ſepultus eſt in Nerito Armeniae urbe*. De *Nerito* iſto ignoto *Armeniae* viri docti conſiderent.

XXVII P S ANASTASIE

Doctus Jeſuita Sollerius ad Vſuardi XXV. Decemb. tres Anaſtaſias fuiſſe diſtinctas, praefatus; jure an injuria id factum ſit, de eo rejicit lectorem ad eum Bollandiani operis locum, ubi ad XXV. Decemb. perventum fuerit. Interim quaenam ex illis tribus haec *Anaſtaſia* fuerit, & an aliqua quarta ſit ab illis tribus diverſa, in incerto verſamur. At quaecumque ea fuerit; certe eam hoc die paſſam oportuit, aut certe hunc diem in Actis, quae tunc Neapolitani legebant, pro *Anaſtaſiae* alicujus Martyris θανατίῳ habitum. Nunc autem in tot Latinorum Graecorumque libris hagiographis dies hic nullius uſquam *Anaſtaſiae* veſtigium prodit. De S. Anaſtaſia adeatur Tillemontius to. V. Ruinartus in Admon. ad Acta Ss. Agapes, *Chioniae* &c. Georgius ad Adonis XXV. Decembr. & alii.

Porro celebrem apud noſtros fuiſſe olim S. Anaſtaſiae cultum, docet pagus in Neapolitanae dioeceſeos finibus, qui etiamnum a *S. Anaſtaſia* nomen adipiſcitur.

XXVIII

(281) Apud Graecos in Baſilii Menologio is colitur die 22. Maii (ubi in fine *in pace ad Dominum migraſſe* dicitur) a quo die XXII. Maii (qui feſto S. Baſiliſci impediebatur) videntur illum tranſtuliſſe Neapolitani in diem XXVI. ejuſd. menſis. Deinde maxima ejuſd. Apoſtoli ſollemnitas incidit in diem XIX. Junii; quo die in Menol. non in pace migraſſe, ſed cruci ſuffixus ſcribitur. Apud eoſd. Graecos is colitur etiam die XXI. Auguſti. Adde hoc etiam, quod in hoc Neapolitano Kalendario idem junctim cum Simone Kalendis Julii celebratur.

(282) Apud Latinos tum in Hieronymianis Mrologiis, & ſequentibus, tum etiam in ſacramentariis, junctim cum Simone die 28. Octobris ab antiquis temporibus colitur.

Digitized by Google

XXVIII PA S CRISCENTII MĀR

ANteſignanus adſcribitur: ſocii certaminis de more ſubaudiuntur. Sunt autem *Creſcens* (qui heic CRISCENTIVS vocatur; pro more nim. hujus marmoris, in quo derivativa ſaepius, quam primitiva uſurpantur) *Paulus* & *Dioſcorides* Romani Martyres: qui non alibi reperiuntur, quam in Graecorum libris hoc die, tum nim. in Baſilii Menologio, tum in Synaxario Pariſienſis Coll. S. J. ac Synaxario Divionenſi, ac poſtremo in Sirleti Menologio. In quo ultimo etiam *Helladius* eis adjungitur: qui tamen Helladius Epiſcopus & martyr in Menaeis pridie eorſum colitur; at in Baſilii Menologio & Typico S. Sabbae hoc eod. die, ſed recte ſejunctim ab illis tribus. Ex Sirleti autem Menologio eos Baronius in hodiernum Rom. Mrologium transfudit.

At poterat mirari aliquis, qui factum ſit, ut horum Romae (& quidem τὰ γνησιώτερα teſte Synaxario Claromontano, non vero *Novae*) Martyrum nullum exſtet apud Latinos veſtigium. Nec certe aliud de iis Latinum teſtimonium proferetur, quam quod nunc primum ex hiſce Faſtis petitur: qui tamen faſti magnam partem & ipſi Graecanici ſunt. Ex quibus hoc etiam diſcimus, hunc diem iis triumphalem fuiſſe, appoſita *Paſſionis* nota: quod & Menologii Baſiliani titulus, Ἀθλητῶν &c. confirmat. Ceterum horum corpora ſuſpicor aliquando in orientem fuiſſe ſimul cum Actis Martyrii translata, ob eamque cauſam eorum famam per orientem increbuiſſe, dum interim in occidente obſcura manſerit.

Nec tamen apud nos Creſcentii memoria latuiſſe obſcura dicetur, modo in animum induxerimus, Romanum Creſcentem, in Graecorum officiis memoratum, haud alium fuiſſe a Creſcentio illo Euthymii filio, qui Romae ſub Maximiano & Turpilio judice martyrium fecit: quod ejus Acta apud Baronium (ad an. 303. & ad Mrologium) prae ſe ferunt. Niſi quod aliquid inter utrumq. intereſt. Nam de Baroniano pugile Rom. Mrologium ſic habet ad diem XIV. Sept. *Romae Sancti Creſcentii pueri, filii Sancti Euthymii, qui in perſecutione Diocletiani* [ad quem ſcil. ceterorum ſimul regnantium caedes referri ſolent) *ſub Turpilio judice via Salaria gladio percuſſus occubuit.* Vbi in notis Baronius Acta hujus & Sociorum Peruſia accepta laudat. At vero Graecorum Creſcens, qui hodie colitur, igni crematus cum Paulo & Dioſcoride mortem oppetiit, ut in Baſiliano Menologio legitur. Itaque diverſus eſt dies, diverſa etiam mors, ſi quidem libris Graecorum credimus. Sed eis libris quam ſit parum fidendum ſatis viri eruditi norunt.

XXVIIII S THEODOSIE MĀR

EA eſt illuſtris virgo & Martyr Theodoſia, quae ſub Maximino Caeſare, & praeſide Vrbano egregium agonem Caeſareae in Palaeſtina conſummavit, quinto ineunte perſecutionis illius anno, Chriſti vero 307. De qua non pigebit Euſebii narrationem huc afferre. Qui libri de Martyr. Palaeſtinae caput ſeptimum ſic orditur, Valeſio interprete. *Cum vero quintus jam annus perſecutionis volveretur, die ſecundo menſis Xanthici, quod eſt ante diem IV. Nonas Aprileſ, ipſo Dominicae Reſurrectionis die, rurſus apud Caeſaream Theodoſia virgo ex urbe Tyro oriunda, fidelis graviſque in primis puella, nondum octodecim annos nata, ad vinctos quoſdam acceſſit, qui regnum Dei libere confitentes ante praetorium ſedebant; tum ut eos* (283) *ſalutaret, tum*

(283) Graece eſt φιλοφρονήσηται: quod pollens de ſola ſalutatione a Valeſio acceptum, ſed generaliore verbo expoſitum, cujus ambitu etiam lautia praebita continerentur. Hoc autem

tum ut, *quod credibile est, eosdem rogaret, ut cum ad Deum pervenissent, sui memores esse vellent. Quo facto, quasi impium quiddam ac nefarium facinus perpetrasset, correpta a militibus deducitur ad praesidem. Ille confestim, ut erat insanus & belluino quodam furoris impetu incitatus, cum eam acerbis atque horrendis tormentis excruciasset, & latera ipsius ac papillas ad ipsa usque ossa ferreis ungulis exarasset; spirantem adhuc & laeto atque hilari vultu cuncta tolerantem, marinis fluctibus mergi jubet.* Ex hac autem scriptoris gravissimi narratione duae difficultates exsistunt; quas sigillatim expedire, qua poterimus, satagemus.

§. 1. *Quo pacto Eusebiani characteres anno quinto persecutionis convenire possint.*

Tillemontius Not. 41. in persec. Diocl. gravem litem Eusebio intentasse contentus, nodo solvendo supersedit. Ejus verba juvabit adscribere. *Eusebe dit que Sainte Theodosie suffrit en la V. année de la persecution, le dimanche meſme de la resurrection du Sauveur, le 2. d' Avril, ce qu' il marque par le mois grec & par le romain: de sorte qu' il n' est pas possible de presumer aucune faute de copiste en cet endroit. Cependant il faut qu' il y en ait, ou qu' Eusebe soit tombé dans une faute tres grossiere. Car Pasque n' est point marqué au 2. d' Avril, qu' en 310. qui estoit la IX. annee* (imo octavus annus) *de la persecution, & non la cinquieme.* Mox idem observat, anno 307. (seu V. persecutionis) diem alterum Aprilis, in quem Theodosiae martyrium inciderit, incurrisse in Feriam IV. at vero Dominicam Paschatis cum VI. die Aprilis concurrisse.

Verum nihil Caesarienſis Antistes peccavit: ac ne librarius quidem, nisi tantum distinctione adjecta fefellit. Verba Eusebii Graece sic habent: Ἡ δὲ καὶ ἐπὶ τοῖς πάμπαν ἐπὶ τῷ διωγμῷ παραπλήσιος (heic removenda est distinctio, quam descriptor in Eusebium nolentem importune intruserat) μηνὸς δυσὶ δέουσι Ξανθικοῦ, ἡνίκα ἐπὶ τρισὶ καὶ τετράσιν ἔτεσιν Ἀφιλλίου, ἐν αὐτῇ Κυριακῇ ἡμέρᾳ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἀναστάσεως ... Θεοδοσία &c. Quae totidem de Graeco verbis sic sonant. *Quum jam autem in quintum persecutio annum protenderetur* (sive, *Quum jam quintum persecutio annum iniret:* deinde sublata distinctione sequentia legantur) *die altero mensis Xanthici* &c. Sive trajectis aliquantulum verbis ad clariorem intelligentiam: *Quum*, inquit, *die altero mensis Xanthici, h. e. IV. Non. Apriles persecutio quintum annum iniret; accidit, ut in ipso die Dominico Resurrectionis Servatoris nostri ... Theodosia* &c. Ita sublata distinctione post παραπλήσιος, & commoda interpretatione adhibita, intelligemus, numquam hoc somniasse Eusebium, eo anno Pascha in alterum Aprilis diem incidisse, sed haec duo tantum docuisse, quorum primum est, quintum persecutionis annum (in Palaestina scil.) ab secundo die Aprilis esse numerandum: alterum vero, Theodosiam ipso die Paschatis (quod illo anno in VI. April. incurrebat) ad Christi Martyres accedentem fuisse comprehensam.

Quî scis, inquis, quintum persecutionis annum altero die Aprilis incepisse; maxime quum ipse Eusebius VIII. 2. edicta

tem praecipue heic spectasse Eusebium, suadet consueta Christianorum in confessores vinctos liberalitas, praesertim feminarum. Ergo pro *salutaret*, possis reponere *benigne amplecteretur*, atque omni officiorum genere demulceret. Quo spectat illud Xenophontis in V. Paed. φιλοφρόνως σὺ ἐπῄνεσας, Λαμβάνε τῶν ἐμῶν ὁπόσα θέλεις. Vbi φιλοφρόνως ad liberalitatem pertinet. Multus est in hujus verbi usu Josephus. Sic V. Antiq. 2. sect. 8. φιλοφρονούμενον αὐτὸν τῶν γονέων, *benigne, ac laute parentibus eum excipientibus.* In III. de bel. Jud. 8. in fine Vespasianus Josephum *vestimentis donabat, aliisque pretiosis muneribus* (φιλοφρονούμενός τε καὶ δωρούμενος) *omni officiorum genere illum deliniens ac sibi devinciens.* Zosimus (ut ex posteriore etiam aetate hauriam) lib. III. *Quas ob res imperator* (φιλοφρονούμενος) *benigne amplectens exercitum, & orationem convenienti laudabat, & singulis centenos argenteos donabat.* Et lib. IV. *Captivos vinculis liberatos dimisit et* (δωρεαῖς φιλοφρονούμενος) *muneribus delinivit.*

Digitized by Google

edicta proposita dixerit *mense Dystro, quem Romani Martium* vocant? Verum Nicomediae quidem mense Martio edictum est promulgatum: at in Palaestina non ante ineuntem Aprilem ob locorum intervalla proponi potuit. Ac nequis gratis me ista fingere, calumnietur; Prologus alter brevior libri de Martyr. Palaest. (cujus Prologi stylus est mere meo judicio Eusebianus: etsi sunt, qui, ut sunt hominum ingenia, adhuc de ejus auctore dubitant) sic incipit: *Anno imperii Diocletiani XIX. mense Xanthico, quem Romani Aprilem vocant ... cum salutaris Passionis dies imminueret, repente proposita sunt ubique edicta*. Et heic quidem non dicit, quoto mensis die edicta prostiterint. Verum id initio cap. VII. (ubi de S. Theodosia orditur) satis dat intelligere. Nam quia quintus vexationis annus postrid. Kal. April. incipiebat; necesse est, eodem olim die ann. 303. figi edicta Caesareae coepisse. Quod tempus pulchre in eodem Prologo Eusebius cum imminente Dominica Passione componit: nam anno 303. Pascha quidem in Aprilis diem XVIII. incidebat, Dominicae vero Passionis Hebdomada, *Major* vocata, die XI. ejusd. mensis inibat.

§. 2. *De die Passionis S. Theodosiae.*

Et hactenus quidem quum vulgo omnes in Eusebii loco diem Pascha tis, quo comprehensa est Virgo Theodosia, cum altero die Aprilis composuissent, existimarunt illam eo die h. e. postridie Kal. martyrium consummasse. Isque error sane quam antiquissimus est; quia in pluribus Latinorum Mrologiis ea Martyr postrid. Kal. April. colitur, in Hieronymianis vero die III. April. ubi eum diem Theodosiae emortualem fuisse probare nititur Florentinius, etiam ex Actorum Latinorum fide, quae manu exarata is habuit, atque ad caelum extollit: quae Florentinii Acta eadem fuisse necesse est, ac quae Valesius legerat, quantum quidem ex eo constat, quod eum diem Dominicum (284) fuisse, non vero Paschatis, is auctor dicit. Confer cum Florentinio Valesium.

Ergo uti dicebam, ex Eusebii loco perperam intellecto hactenus Theodosiae passionem in 2. aut 3. Aprilis & Mrologia & Acta Florentiniana contulerunt. Ceterum quid hisce Fastis marmoreis fiet, in quibus diserte P. h. e. *Passio* nostrae Theodosiae in 29. Maii conjicitur? Non possum quin horum marmorum judicio, experto plerumque fidissimo, plurimum tribuam. Consentiunt Metricae Ephemerides hoc hexametro.

Εἰκάδι καὶ ἐνάτῃ Θεοδοσίην τορνώσατο λευρὸν.
Undetricenâ mersa est Theodosia ponto.

Consentiunt & Graecorum sacri libri, in quibus hoc die 29. ea Virgo officio maxime sollemni colitur: & si iterum de ea minus sollemniter agatur postrid. Kal. Apriles.

At dixerit aliquis, videri incredibile, tamdiu Theodosiae mortem fuisse dilatam: quam praesertim Eusebius ἀγώνα (*confestim*) de medio sublatam narrat. At Acta, quae Graecorum Officiorum conditores ad manus habuerunt, eam longo tempore in custodia maceratam narrabant, antequam ultimo certamine perfuncta esset. In quorum fidem proderit elogium, quod in Basilii Menologio die III. Aprilis inseritur, heic adtexere. *Theodosia Christi martyr Tyro oriunda, quum duodevigesimum aetatis annum ageret, quod Christiana esset, comprehensa, ad Praesidem Palaestinae perducta, interrogata Christum confessa fuit: Qua de causa in lateribus atque mammillis caeditur: Christum vero abnegare & idolis sacrificare coacta, ubi ad id adduci nullo modo potuisset, in custodiam detruditur; simulque carceris custodi praecipitur, non modo ut eam caute custodiret, verum ne quemquam ad eam invisendam ingredi, aut cibum inferri permitteret, donec Christum negaret, diisque sacrificaret, quantum quidem ex eo constat; quod eum diem Dominicum (284) fuisse, non vero Paschatis, is auctor dicit. Confer cum Florentinio Valesium.*

(284) At anno 307. nullus dies Dominicus fuit in II. Aprilis incidens: ut proinde frustra sint, qui in Eusebio illud, *Ipso die Dominicae Resurrectionis*, de quolibet die Dominico interpretantur, ea ratione freti, quod is dies in memoriam Resurrectionis instituerit.

ficaret. Ita (μετὰ δὲ πολλὰς ἡμέρας πάλιν) multis diebus elapsis, rursus e carcere educta, quum ut impuris daemonibus sacrificaret, urgeretur, idque ne audire quidem sustineret, primo quidem crudeliter cruciata, postmodum in mare projecta, suam Domino spiritum tradidit. Par carceris diuturnitas ac multiplex suppliciorum sibi ex ordine succedentium varietas in Actis a Florentinio lectis, in elogio Rabani, in plusquam XXX. odis, quae in Menaeis hoc die adjunguntur, deprehenditur: ut minus mirari debeamus, si Theodosia die VI. mensis Aprilis (in quem anno 307. Pascha incidit) tenta, tandem exeunte Maio consummata fuerit, tertio ac tricesimo post comprehensionem die. Aut saltem in iis Actis, quae Graecorum Officiorum (in quibus haec praeter diem III. Aprilis, die 29. Maii celeberrimo officio colitur) conditores, & Neapolitani ad manus habuerunt, hoc legebatur, illam die XXIX. Maii ad Christum evolasse: eoque non temere in his marmoribus hoc die *Passionis* nota insculpitur.

At obstat, inquis, Eusebii, exploratae fidei scriptoris auctoritas, qui illam a praeside ἀυτίκα (*confestim*) cruciatam, & in mare projectam narrat. Respondeo, esse hoc scriptoribus longe gravissimis familiare, ut dum alio properant, compendio studentes, plures circumstantias omittant, resque simul omnes sic enarrent, quasi confertim uno tempore gestae in speciem videantur, quae per temporum intervalla contigerunt. Possem & ex Divino Codice exempla huc facientia depromere, in quibus tamen locis nihil rerū gestarum veritati decedit. Ad summam aliud est juxtae historiae corpus condere, in quo non tam rerum singularum jejuna narratio, quam universae compagis apta connexio, tamquam scopus scriptori proponitur: aliud acta praesidialia verbali diligentia contexere. Postremo vel si in Eusebii verba singula jurandum sit: satis erit si nostros Kalendarii hujus conditores ostenderimus Graecorum suorum traditiones in adponendis hisce notis fuisse secutos, imo, & ceterorum orientalium. Nam etiam in Mrologio Arabo-Aegyptio Romani Maronitar. collegii eadem Theodosia hoc die celebratur.

At adhuc Bollandistae Henschenii conjectura difflanda superest. Is ad II. Aprilis num. 10. festi hodierni in Menaeis maximam celebritatem inde arcessit, quod videatur ejus Virginis corpus CPolim die 29. Maii fuisse aliquando translatum, unde sollemnitas tanta orta illo die fuerit. Atqui in hac conjectura omnia sunt incertissima. I. Incertum est, ejus Reliquias in urbem regiam fuisse allatas, de quo quantum est Byzantinae historiae, alte silet. II. Imo plura sunt loca, quae de Theodosiae Reliquiis sive vere, sive falso, gloriantur: inter quae CPolis ne nominatur quidem. III. Incertum, in eum diem translationem incidisse. IV. Hoc unum certum est, quod Graeci hodiernū diem uti θανάσιμον celebrant.

XXX NT S ISAACIV

ILle idem est *Isaacius* sive *Isacius* (utroque enim (285) modo scribitur) qui in marmoreo hoc Kalendario die XXVII. Martii signatus fuit. De quo etsi pauca quae ad diem θανάσιμον (*obitus*) spectant ad 27. Martii praedixerimus; plura tamen heic admetiri est animus.

CAP.

(285) Is ab aliis *Isaac*, tamquam si sit ἄκλιτον, scribitur. Theodoreto Ισαάκιος, veluti primae declinationis, inclinatur. At ceteris ferme omnibus Ισαάκιος quinque syllabis nuncupatur. Sic eum Sozomenus, utraque vita, Basilii Menologium, aliique quidam Graecorum libri appellant. Post remo & ut πετράσυλλαβον nomen hoc posteriores extulerunt. Senarius Chifletiani Synaxarii: Τῆς Ισαάκιος (pen. prod.) ἀκλιτῶν τὸ χωρίον. Sic etiam in Metricis Ephemeridibus scribitur. Nec aliter in vita Graeca S. Dalmatii. Sic & in his Fastis die XXVII. Martii: P. S. ISACII. At hoc die cum duplici A.

Digitized by Google

CAP. I.

De utriusque vitae scriptoribus.

Praeter ea quae de Isaaci hujus vaticinatione (qua Valenti in Gothos exercitum ducenti infelicem exitum, nisi Ecclesias catholicis, pastores gregibus restitueret, praedixit) Sozomenus V. 40. Theodoretus IV. 34. & Theophanes scripta reliquerunt: exstant vitae duae hoc die apud Papebrochium. Earum prior (quam Graece & Latine eruditus Bollandista dedit) triplo longior est altera illa, quam tantum Latine habemus, Zino interprete. Itaque non alio posthac eas, quam *longioris & brevioris* nomine discriminabimus.

Non est autem dubium, quin quae brevior est, eadem non tantum longiore sit multo antiquior, sed habenda sit fons, unde manavit longior: quae non aliud videtur quam brevioris illius veluti metaphrasis, ut utar titulo, quem Symeon metaphrastes vitis a se scriptis praefixit. Ac Tillemontii judicio longior illa IX. saeculi opus censenda est (a qua aetate Graecae orationis stylus haud, nisi fallor, abhorret) sed ita tamen, ut ante Leonem Imperatorem scripta fuerit. Vide Tillemontium Not. 41. in Valentem Imp. & Papebrochium in comm. praevio.

At de breviore longe major est controversia. Sane si Bollandistae ejus, qui adnotationes vitae breviori subjecit, conjectura (286) valeret, posset haec brevior historia ab auctore aequali conscripta videri. Sed aequali scriptori largior notitiarum copia non defuisset, quibus suam historiam locupletaret. Nunc illa ita macra ac jejuna est, ut non nisi a posteriore scriptore, cujus aevo notitiae deperierant, eam fuisse elucubratam oporteat.

At vero nimis acerba est Tillemontii (Not. 41. in Valentem Imper.) de breviore vita censura, de ea sic scribentis: *Il y a mesme plusieurs fautes, qui ne permettent pas de luy attribuer ni antiquité, ni autorité.* Cui quidem universe respondeo, quidquid in historiam auctor brevioris peccavit, id magis ex ἀπειρογαμία (*imperitia historiae*) peccasse, quam quod non satis antiquus fuerit. Multos sane historicos novimus veritatem haud plane assecutos, non quod a rerum gestarum temporibus longius abfuerint, sed quod vulgi tantum narrationibus aures admovisse contenti, parum se industrios in vero indagando praebuerint. Ex horum numero brevior biographus mihi fuisse videtur.

Sed tamen videamus, quaenam acerrimus censor in hoc biographo reprehenderit. I. Hoc ante omnia criminatur, quod Valentem Ecclesias catholicorum clausisse, imo & diruisse, non uno loco dicat: quum tamen Valens nihil horum

(286) Is ad illa verba biographi brevioris sect. 8. *Virum fidelem atque constantem ac disciplinae suae studiosum elegit, quem illis* [Monachis a se institutis] *praeficeret*: adnotat *S. Dalmatium* intelligi: *Qui*, inquit, *quum non nominetur, augetur suspicio quod haec vita antiquior altera* [longiore] *sit, & Dalmatio adhuc vivente scripta.* Verum uti dixi difficillimum dictu est, scriptori aequali tam sterilem materiam in illustri Confessore processisse, ut eam vitam satis jejunam, nec suis accurate vestitam circumstantiis daret, ac postremo totam fere sectionem 7. laudibus e communi petitis sibi inserciendam putaret. Et quae plura proxime diximus.

Deinde si hoc verum esset, Breviorem biographum aequalem fuisse, eaque gratia Dalmatii nomen suppressisse: at certe virum sanctissimum, & apud Graecis buccis crepantibus celebratum [cujusmodi habitum fuisse Dalmatium, totum quantum est Graeciae climat] nimis parco elogio illo donasset, *Virum fidelem atque constantem* &c. Quibus verbis prorsus alium a S. Dalmatio designari crediderim.

Omnino de Dalmatio, sive Dalmato haud temere dubitandum mihi videtur utrum re vera proximus Isaaci successor fuerit: id quod tantum in longiore vita hujus Isaacii legitur recentius scripta, & in vita S. Dalmatii, de cujus antiquitate vehementer ambigo. Ac videndum an non, quia brevior eademque antiquior Isaacii vita de successore ejus proximo nominatim tacet, prorsus alius a Dalmatio ille fuerit, qui ἀμέσως [*proxime*] Isaacio successit. Nam Dalmatii celebrior fama erat, quam ut a scriptore centum ferme annis recentiore taceri ejus nomen posset, si re vera is proxime successisset.

Digitized by Google

fecerit, sed tantum ab Ecclesiis catholicos expulerit. Cui reprehensioni non uno modo respondetur. I. Tollere catholicis Ecclesias, id aliter eleganter dicebatur *Claudere* catholicis ecclesias: sicuti & easdem restituere, id aliter *patefacere* satis usitato modo vocabatur. Ergo Valens, qui Catholicos privasset Ecclesiis, vulgo iis *clausisse* illas dicebatur. At ea loquendi ratio sic ab isto biographo accepta fuit, tamquam si re vera Valens feris ecclesias obstruxisset. II. Quid si ex aliis auctoribus ostendo, re ipsa Valentem clausisse ecclesias? Sane quidem in ea Valentis persecutione in pari cum catholicis causa Novatiani, quippe homousiani, fuerunt. Atqui Socrates hos cum catholicis pulsos, & eorum ecclesias primo *clausas* (287) ac vix tandem *reseratas* dixit. Credibile ne est cum catholicis mitius actum? Postremo etiamsi parum accurate haec elocutus vitae auctor fuerit; ἀκριβείας potius, quam novitatis damnandus erit.

Addit reprehensor, hunc biographum in narratione Gothici belli peccasse multa in historiam. Fateor. Nec equidem huic scriptori, quicumque is fuit, exactam Socratis diligentiam (tabularia omnia excutientis, & quae secus dixisset, secundis curis retractantis) tribuo; sed antiquitatis tantum ei praerogativam vindico, quamvis partim imperitia in historiam offenderit, partim inopia judicii vulgaribus narrationibus [veluti de tribus angelis Isaacium a spineto liberantibus, deque CPolitanis portis ei sponte patefactis] aures admoverit, atque accrediderit. Miror magis quod homo simplex non plura & incredibiliora inferserit, quo historiam spissiorem faceret.

Nec aliter in Saturnino & Victore Isaacii custodibus, quam judicio peccavit: quos duoviros magis pro sponsoribus ἀσφαλείας vincti; quam pro custodibus habendos esse, judico.

Postremo quae reprehensor doctissimus de discipulis Isaaci opponit, ea cap. seq. excutiemus. Vt uno verbo absolvam: quamvis, quia parum eruditus hic biographus fuerit, ob id parum se exactum praebens, haud plurimum auctoritatis habere debeat; at nihil impedit quominus vergente aut exeunte saeculo V. hanc historiam scripserit. Vtinam eamdem Graece haberemus: nam certe sicuti Lon-

(287) Socrates, qui in Novatianorum rebus minutim ac diligenter notandis multus est, lib. IV. cap. 9. sic incipit: *Ceterum imperator* [Valens] *eos qui Consubstantialis fidem profitebantur, persequi non desistit. Verum et illos expulit Constantinopoli, et cum illis etiam Novatianos, utpote idem cum illis sentientes: quorum* (Novatianorum) *ecclesias ETIAM CLAVDI jussit.* Illud *etiam* (ut ingenue fatear) a Graeco abest, ubi tantum legitur, *Ecclesias eorum* (κλεισθῆναι) *claudi jussit.* At Valesio (cujus interpretatione usus sui) adeo persuasum fuit, Valentem, qui Novatianorum obstruxit Ecclesias, multo magis Catholicorum basilicas concluisse, ut ad id significandum, textumque Socratis illius necessarie particulae additamento juvandum, non dubitaverit illud ETIAM (quo notatur, in Catholicorum Ecclesiis tantumdem antea factum fuisse) Socrati non invito (quippe id satis alioqui danti intelligere) inserire.

Quaerat aliquis, cur Socrates conclusionem Ecclesiarum de Novatianis diserte memoraverit, qui de Catholicis id tacuerat. At promptissima est ratio. Nam quia mox narrare decreverat, quo pacto Marciano filiarum Valentis praeceptore ac Novatiano presbytero agente, aegre imperatori tandem persuaderi quiverit, ut ecclesias Novatianorum aperiret; ea de causa horum basilicas clausas fuisse praemiserat. *Hujus igitur* (Marciani) *auctoritate ac reverentia, Novatianorum ecclesiae, quum aliquamdiu CLAVSAE fuissent, denuo RESERATAE sunt.*

Atque heic equidem ultro concedo non fuisse hoc generale, ut Catholicorum Basilicae occluderentur. Ἐνκαίριοι οἶκοι (inquit Sozomenus cap. XII. extremo libri VI.) τοῖς μὲν ἀφῃρέθησαν, τοῖς δὲ παρεδόθησαν. *Oratoria iis quidem* (Catholicis) *adimebantur: illis autem* (Arianis) *tradebantur.* Fateor. Sed tamen contendo, quas Ecclesias Ariani, ut sibi minime necessarias, respuissent, eas sive occlusas fuisse, sive (quod alicubi Brevior biographus innuit) etiam diruas.

Digitized by Google

Longioris Graeca dictio novitatem scriptoris clamat, sic ex Brevioris (quam antiquam esse contendimus) stylo conjecturae exploratiores exsisterent. Vel sic tamen levia saltem ejus quam dixi aetatis indicia cap. seq. proferemus.

CAP. II.

Amplius de antiquitate vitae brevioris, & in eam animadversiones aliquot. Textus corrigitur. Quid προσκύνησις (adoratio) Crucis. De Magni *elogio, quod Constantino tribuitur. Quaedam aetatis biographi brevioris indicia. Videri Isaacium fuisse presbyterum. De coactis ab Isaacio discipulis. SANCTVS PATER NOSTER vox dignitatis fuit, quam etiam non discipuli in ore habebant.*

Brevior vita sic incipit: *Post venerandae & immaculatae ac pretiosae crucis D. N. Jesu Christi inventionem, post imperium Constantini magni imperatoris, callidus serpens .... tale quiddam in Dei ecclesias machinatus est.* Tali prooemio usus, in Arii haeresim, & Valentis persecutionem brevissime digreditur. Sed & Longioris vitae auctor (qui Breviorem per omnia stylo Metaphrastico exornavit) eodem initio, sed pluribus pro more verborū ambagibus involuto utitur. Ac de Longiore mox. Verum quid *Crucis inventio* ad rerum summam pertinebat, ut ex ea biographus Brevior epocham parem *Constantini imperio* faceret; imo & Crucis inventionem ante Constantini imperium poneret? *Post Crucis*, inquit, *inventionem, post imperium Constantini*. At mihi non est dubium, quin pro *Inventione* longe aliud vocabulum Graece fuerit: quod quia vetustate corruptum assequi Zinus minime potuit, conjectura ductus *Inventionem* (tamquam pro tigillo, ne syntaxis rueret) subrogavit, haud dubie *Adorationem* subrogaturus, si Longiorem biographum pari initio utentem ad manus habuisset. Longior enim sic incipit: Μετὰ τὴν προσκύνησιν &c. Quae totidem verbis sic sonant: *Post adorationem sanctissimae & adorandae Crucis Domini & servatoris nostri Jesu Christi, de medio sublata idololatria, universus orbis Apostolicis praeconiis est illustratus. Unde celebris Constantinus Imp. quum universi orbis imperium divinitus arripuisset* &c. Mox in Arianos & Valentem per verborum inutilium ambages invehitur.

At enim dices esse inauditum, *Crucis adorationem* pro epocha poni. Verum quia Christianis omnibus in confesso erat, Constantini imperium Crucis ὀπτασίᾳ (*apparitioni*) imo & adorationi deberi; ob eam causam Brevior biographus (a quo id hausit Longior) Crucis adorationem cum imperio Constantini junxit, & ex utroque conflavit epocham, unde vitae hujus initium sumeret. Quid is porro *adorationis Crucis* nomine intelligit? haud dubie hoc designat, quod Constantinus a Deo admonitus Labarum in Crucis simulacrum conformaverit: quo facto, statim penes ipsum divinitus inclinante victoria, rerum summam est consecutus. Id vero totum, quod de Labaro dixi, *Crucis adorationem* vocat. Etenim quod *Labarum* vocabatur, id narrante Sozomeno I. 4. *honoratius erat* (apud Romanos) *quam reliqua* (signa militaria) *eo quod imperatorem semper praecedere, et ADORARI a militibus consuevisset*. Ergo Labaro in Crucis speciem conformato, simul hoc factum, ut statim publicae religionis facies in Imperio mutata fuerit, dum pro Idolis Crux ad adorandum proposita in Labaro fuit. Plura de his leges apud Prudentium & alios.

Fortassis autē in verbis Brevioris biographi initio adscriptis illud aliquē offenderit, quod *Constantinus Magnus* vocatur. Atqui *Magni* cognomen serius ei tributum videtur. Nam in nummis quidem aut is caret cognomine, aut *Maximi* titulo gaudet in hunc modum, CONSTANTINVS MAX. AVG. Verum, uti fatear, hoc ipsum antiquitatem huic scripto conciliat, quod illum *Magnum* non cognomenti, sed epitheti loco vocavit, *Post imperium Constantini MAGNI IMPERATORIS*, τοῦ μεγάλου βασιλέως. Nec enim *Magnum* absolute vocat, sed

βασιλέως

Divus Imperatorem magnum.

Sectione 3. sic scribitur: *Verum qui EO TEMPORE PRAEFECTVS ERAT, persuasit imperatori, ne B. Isaacium audiret* &c. Quod loquendi genus nec scriptorem aequalem aut supparem prodit (nam in recenti facto dixisset simpliciter *Praefectus*, non *Qui eo tempore praefectus erat*) nec vero scriptorem remotissimum a re gesta notat: nam sexti septimive saeculi auctor explicuisset, uti moris est, eam praefectoriam dignitatem, aut saltem scripsisset, *Praefectus praetorio*, plena locutione. At is loquendi modus, ni fallor, in scriptorem potius quinti finientis saeculi apposite quadrat.

Sect. 5. *In oppidum quoddam Danubio propinquum ingressus*. Ex his vides auctorem historiae belli Gothici ignarum exstitisse, ut qui nomen ejus oppidi ignoraverit, quod scimus Hadrianopolim fuisse; nec sciviſse Danubium ab eo oppido haud parum abfuisse: quae qui nunc sunt in ejus temporis historiis & geographia versati, minime ignorant. Hinc vides ex popularibus sermonibus hujus vitae magnam partem fuisse contextam, & quidem haud diu post Socratem, Sozomenum, Theodoretum, alioſque historicos; quorum scripta adhuc recentia, necdum satis sparsa, Noster ad manus nondum habuit, vergente scil. V. saeculo.

Sect. 7. inter Isaacii laudes (& quidem omnes ex communibus locis petitas) hoc etiam refertur: *Vestigia sequens Apostolica tum zelo, tum SACRIFICIO, tum desiderio Christi*. Mentio heic *Sacrificii* injecta ansam credo recentioribus Graecis praebuit opinandi, Isaacium fuisse Presbyterum: id quod & in Sirleti Menologio, & in Synaxario Claromontano apud Bollandistas legitur. Ac Tillemontius quidem Menologio illi ac Synaxario silentium Vitae utriusque opponit; nec enim ad hunc Vitae brevioris locum animum intendit: quo loco non video quo *Sacrificium* referri debeat, nisi ad presbyterii honorem. Nam de precum sacrificio (quod jam proxime antea designaverat illis verbis, *Orationi instans*) aut de latiore sacerdotio (Christianis omnibus communi) non erat hic agendi locus.

Sect. 8. sic incipit: *Quodam igitur die convocatis OMNIBVS FRATRIBVS* &c. Criminatur heic Tillemontius, quod nusquam antea de coactis ab Isaacio discipulis monuerat. Fateor. Verum quando biographus haec scribebat, Isaacii monasterium frequens erat, proinde a nemine dubitabatur, quo hi *Fratres* pertinerent ab hoc biographo designati. Deinde satis etiā coepisse Isaacium discipulos cogere significaverat sect. 7. *Saturninus* ... (inquit) *attulit ei* (Isaacio) *tabulas* (Graece opinor erat πίνακας, ut in Longiore) *totius luci, ut proprius esset ipsius mansionis*. Hoc ultimum Graece erat μονῆς h. e. *monasterii*. Id fuerat intelligenti satis.

Sect. 8. versus finem: *Sanctus pater NOSTER Isaacius*. Ex hoc loquendi modo vitae hujus scriptorem ejusdem monasterii monachum fuisse Bollandiani volunt. Id quidem facillimum factu fuit. At ex illis verbis id minime colligitur. Nec enim aliter in titulo Menologii hoc die legitur, *Memoria sancti patris nostri Isaacii* &c. ut & alibi passim illud *Sanctus pater noster* ὑπερορισικῶς usurpatur.

Illud quoque antiquitatem huic vitae conciliat, quod ab ea absit *Confessoris* elogium, quod nono circ. saeculo tribui Isaacio coepit: de quo vide finem cap. seq.

Ac plura de hac vita in sequentibus notabimus. Haec interim ad specimen antiquitatis sufficiant. At Longior biographus, dum hanc vitam μεταφράζει, ubique novitatem spirat. Itaque lectoribus auctor fuerim, ut sicubi inter utramque vitam aliquod discidium animadverterint, ad Breviorem eamdemq. antiquiorem se adjungant, spreta longiore illa atque ineptiore metaphrasi; cui nec cum vita S. Dalmatii convenit, ut alibi videbimus.

CAP. III.

De Confessoris elogio quod huic Monacho a Graecis tribuitur.

Is in omnibus Graecorum posteriorum libris

libris passim ὁμολογητὴς (*confessor*) inscribitur: quae quidem vox fuit quum [288] monachis tribueretur. At S. Isaacius ea notione sic appellatur, qua qui pro Christo vexati, cruciatibus supervixerunt, *confessores* nuncupabantur: quae appellatio etiam nihil aliud quam carceris squalorem perpessis tribuebatur. Exempla sunt passim obvia. Itaq. quum S. Isaacius jussu Ariani imperatoris, intuitu catholici dogmatis tum in spineta conjectus, tum verberibus affectus, tandem in carcerem detrusus, ac majoribus suppliciis reservatus fuerit; jure hoc sibi vocabulum arrogat.

Nec minus in marmoreis hisce Fastis Isaacius uti *Confessor* colitur, non usurpato quidem *Confessoris* vocabulo, sed eo per *Passionis* notam designato. Vide supra ad XXVII. Martii, quo die hic idem sic signatur: P. (h. e. *Passio*) S. ISACII.

At hic titulus Isaacio sero admodum tribui coepit, nono circiter saeculo, aut non multo ante: nec enim Sozomenus, non Theodoretus hoc illi elogium tribuunt. Hinc a vita breviore, quam quinto saeculo scriptam augurabamur, abest *Confessoris* elogium, etiam in vitae titulo: quod tamen elogium nec a Longiore abest, nec a Graecorum Officiis.

CAP. IV.

De S. Isaacii anno emortuali.

In fine vitae longioris sic legitur: Ἐτελειώθη (notabis hoc verbum, quod a Graecis ita peculiariter martyribus tribuitur, aut certe confessoribus pro fide passis, ut raro de aliis usurpetur) ὁ ἐν ἁγίοις &c. *Consummatus est sanctus pater noster & Confessor Isaacius mense Maio die XXVI. regnante Christi amatore Theodosio, & ejus filio Arcadio Caesare designato, Miarobaude* [pro *Merobaude*] *iterum & Saturnino consulibus*. Is est annus Christi 383.

At vereor ut ea anni θαυμασίως consignatio legitima sit, ac non potius biographi istius longioris commentum. De anno Brevior vita [quae utpote satis antiqua, auctoritatem sola sibi vindicat] silet: idque silentium nimiam Longioris accurationem suspectam commenti reddit. Deinde is annus ex Vita S. Dalmatii (quam Bandurius Graece ac Latine tom. 2. Antiq. CPol. primus dedit, mox ex Bandurio Bollandiani ad 3. Augusti) falsi redarguitur. In ea vita sect. 6. sic legitur: *Aliquo deinde tempore elapso, obiit S. Isacius. Episcopo igitur Attico qui ad monasterium accesserat, interroganti presbyteros reliquosque monachos, quem vellent sibi praesse, uno omnes animo responderunt, Dominum Dalmatium quem sibi Deus Hegumenum cooptavit. Sic ille Dei nutu & episcopi Attici, qui ipsum ordinavit, est electus.* Atqui Atticus ab anno 406. usque ad annum 425. sedit. Ergo si vera est vitae S. Dalmatii narratio; fateri opus erit, non ante annum 406. S. Isaacium mortem cum vita commutasse.

Tamen ne hoc quidem pro certo habendum esse, judico. Nam mihi quidem Graecam hanc ipsam S. Dalmatii vitam haud valde antiquam esse, suadet tum styli novitas, ab octavo nonove saeculo non dissidentis, tum quod qui antiquis *Isaacius* per duplex A efferebatur, is in hac vita Ἰσαάκιος (*Isacius*) perscribitur, quo modo a recentioribus scribi solet. Accedit quod in eadem vita *S. Isacius ὁμολογητὴς confessor* inscribitur: qui titulus non ante IX. saeculum ei monacho tributus mihi videtur. Adde quod in eadem Dalmatii vita imperium senioris Theodosii cum patriarchatu Attici falso componitur. Nec ignoro, a Garnerio V. Cl. monumentum quoddam (289) quod ei vitae inseritur, falsi accusatum: de

(288) Monachi apud Hispanos aevo medio *Confessores* vocabantur, quantum quidem ex locis in Cangii Glossario allatis potest intelligi. Id quod a Graecis forsan manavit apud quos nonnumquam ὁμολογία est votum monasticum, uti usurpatur ea vox a Basilio ad Amphiloch. can. 18. 19.

(289) Inter plures veras epistolas, quae in vita S. Dalmatii recitantur, ea quoque inseritur, quam in vita edita a Bollandistis ad 3. Aug. habes

de quo nolo hèic lectorem morari. Hisce de causis aegre adducar ut huic vitae (meo judicio recentiori) S. Isaacium sub Attico episcopo mortuum, eique proxime successisse Dalmatium, narranti credam; maxime quum de utroque Brevior Isaacii biographus, idemque antiquior, taceat. Tacet quoque Basilii Menologium ad diem 3. Augusti.

Illud facilius dictu fuerit, Isaacium quidem sub annum Christi 400. (nam certe decem aut quindecim annis opus fuit, ut Isaacius sibi discipulos plures adjungeret) obiisse; huic verò ignotum aliquem monachum in hegumenatu successisse, quem Brevior biographus tacuit, certe quod eum, utpote obscurum, ignorasset: postremo obscuro huic successisse S. Dalmatum sub Attico episcopo, h. e. post annum 406. Hic vero usque adeo clarus fuit, ut ab eo S. Isaacii monasterium *Dalmatorum* nomen acceperit, & ipse Dalmatus omnium CPolitanorum monasteriorum Hegumenus οἰκουμενικὸς ordinatus fuerit: eaq. de causa serior posteritas obscuro illo, qui paullisper inter Isaacium & Dalmatum intermedius fuit, oblitterato, Dalmatum Isaacio proximum successorem dedit, idque tum Longior S. Isaacii biographus, tum alter S. Dalmatii, crediderunt, in eo tamen dissidentes, quod ille turpi flagitio sub Merobaude & Saturnino Consulibus (h. e. anno 383.) hic diu postea sub Attico episcopo S. Isaacium morientem induxerint. Et ex hactenus quidem dictis S. Isaacius inter annum 390. & 400. verisimiliter ad Deum migrasse videri potest.

CAP. V.

De ejusdem emortuali die.

Quandoquidem in nostris hisce marmoreis Ephemeridibus hoc die XXX. Maii *Natalis* nota inscribitur, id ex usu hujus marmoris ostendit, eum alio die demortuum, ceterum ob aliquam causam hoc die coli. Quocirca enormiter errant Metricae Graecor. Ephemerides, quae eum hoc ipso die morte sublatum docent: quarum auctori id imposuit, quod apud Graecos hoc die is primario totius diei officio colitur, uti liquet ex Typico, & ex Menaeis, in quibus copiosus de eo Canon exstat: ex eo, inquam, Ephemeridum metricarum auctor conjecit, hunc ei diem fuisse θνησίμιον. At vero eum Confessorem alio prorsus die ad caelum emigrasse, utraque ejus vita demonstrat.

Nisi quod inter utramque vitam immane in eodem emortuali die discrimen intercedit. In Longiore mortuus dicitur die XXVI. Maii, in contractiore die XXVII. Martii. Hoc posterius Papebrochius [in *Comm. praevio* num. 6.] in errorem librarii rejicit. Falsissime: nam & cum hac posteriore notatione temporis Kalendarium nostrum consentit (quod vide sup. ad XXVII. Martii) & vita contractior est illa longiore quadringentis circiter annis antiquior: quippe quum longior videatur IX. ferme saeculo condita: at altera brevior non plus centum forsitan post Isaacii mortem annis scripta fuit.

Imo si circa emortualem diem discrimen in amanuensium culpam est conferendum; magis est ut in longiorem vitam,

habes sect. 30. Qua in Epistola versus finem Dalmatius monasteriis omnibus CPolitanis praficitur hisce verbis: *Sanximus, dominum Dalmatium . . (& ejus successores) esse principes sacror. monasterior. nunc existentium et in posterum CPoli futurorum* &c. Quod & infra repetitur. Eam vero epistolae partem Garnerius, & hunc secuti Baluzius & Harduinus, veluti spuriam omiserunt.

At Bandurius eam partem quasi sinceram defendit, quippe quum ex historia satis constet, re vera Dalmatium & ejus successores Monasteriorum omnium in urbe Regia hegumenos fuisse factos. Verum etsi liquet, Dalmatium eam praefecturam consecutum, at hunc tamen pannum Epistolae illi flagitiose assutum fuisse, optime ostendit Bollandista Boschius ad 3. Augusti in S. Dalmatio num. 21. & seq. Hunc adeat, cui ea res tanti visa fuerit. Quumque hoc νόθευμενον [*adulterinum*] fragmentum in omnibus ad hunc diem scriptis exemplaribus vitae hujus repertum fuerit; satis eo declaratur, S. Dalmatii vitam nec satis antiquam esse, nec forsitan fide integra scriptam.

Digitized by Google

tam, quam in brevem, mendum invaserit. Nam in hac quum antiquo more *VI. Kal. Aprilis* (Graece id scriptum fuerit, τῇ πρὸ ἓξ Καλανδῶν Ἀπριλίου) dies signetur; id librariis fraudi esse minus potuit, quam quo modo in longiore scribitur, μηνὶ Μαΐῳ εἰκάδι ἕκτῃ: quia facile potuit ex Μαρτίῳ fieri Μαΐῳ, & ex κζ fieri κέ.

Ceterum qui die XXVII. Martii obiit, cur sollemni officio die XXX Maii a Graecis coli coeperit, non alia mihi fuisse causa videtur, quam quod hoc die ejus reliquiae ex aede S. Stephani in Omnium Sanctorum Ecclesiam translatae fuerint. Hanc translationem jam ante Leonem Philosophum factam Codinus agnoscit, sed quam dudum, non dicit. Ceteroqui dies XXVII. Martii, utpote Sanctis pluribus apud Graecos abundans, visus fuit ad hunc Confessorem pleno officio colendum minus idoneus, quam Maii trigesimus, Sanctis fere vacans. Sed & ejusdem praeterea Isaacii memoria in Graecorum libris liturgicis fit die III. Augusti junctim cum Dalmatio ejus successore, & Fausto Dalmatii filio.

Hactenus de die θανασίμῳ, quem contra longioris vitae lectionem & contra vulgatam hodie opinionem, certissimas auctoritates vitae Brevioris (cui unice credendum, supra cap. 2. ostendimus) & harum marmorearum Ephemeridum (Breviori illi biographo consentientium) secuti, ex XXVI. Maii in XXVII. Martii retrahendum esse demonstravimus. Confer notata ad XXVII. Martii.

XXXI P S CRISTINE MĀR

HAec diversa est non tantum ab ea, quae a Latinis die 24. Julii colitur, verum etiam ab ea, quae in hisce Fastis sup. die XIII. Martii inscribitur: nam ubique *Passionis* nota signatur, nec eadem potuit duabus inter se longe remotis diebus martyrium facere. Verum quid his argumentis opus est? Illa, quae XIII. Martii affigitur, ἡ ἐν Περσίδος a Graecis vocatur, & in Persida martyrium fecisse dicitur: at hodierna martyr passa Nicomediae fuit.

Sed major est circa diem θανάσιμον difficultas, quippe quum Christina hodierna cum aliis pluribus non hoc die, sed pridie decertasse in omnibus Graecorum libris liturgicis scribatur. Et in Basilii quidem Menologio ad calcem elogii de S. Isaacio sic adnectitur: Καὶ ἄθλησις &c. *Et certamen SS. MM. Eusebii, Romani, Menaii, Charalamponis* (Gr. χαραλάμπους sive potius χαράλαμπις) *& Christinae: & multitudinis* (290) *Sanctorum, qui Nicomediae martyrium fecerunt.* Iidem eisdem verbis in aliis libris Graecanicis [quos vide apud Papebrochium hesterno die pag. 237.] inscribuntur: nisi quod in iis omnibus pro Μενναίου legitur Μελετίου, & ad finem locus Synaxeos indicatur; quem, si tanti est, vide apud eumdem Papebr. Cur ergo Christina in his Fastis diei XXXI. affigitur, & quidem cum *Passionis* nota?

Non aliud quod respondeam succurrit, quam quod hi Martyres ubi simul tenti eadem in urbe fuissent, partim die trigesimo, partim postridie consummati fuisse videantur: id quod passim in Martyrum Actis factum legitur. At ubi eorum *Certamen* inscribi libris liturgicis placuit, elegerunt Graeci priorem diem, sive quia tunc major pars decertaverit, sive quia sic commodius aliis de causis fuerit. Atque hanc responsionem veram esse, ostenditur ex Menaeis MSS. Divionensibus (apud Papebr. num. 3.) in quibus hi martyres sic in duas classes dispertiuntur, ut *Romanus* & *Meletius* die XXX.

(290) Ea est multitudo sanctorum, quae hesterno die in Hieronymianis notatur his verbis: *In Nicomedia natalis multorum Sanctorum*: de quibus anonymis eodem die Notkerus & Adonis auctarium.

gladio amputati dicantur, *Eusebius* vero & *Charalampus* igne vitam finiisse die XXXI. Omittitur quidem in eisd. *Christina*, omittitur & *multitudo* cetera; sed huic omissioni nostrum hoc monumentum medetur, ex quo discimus, *Christinam*, utpote die XXXI. passam, confe-

rendam esse in classem secundam cum *Eusebio* & (291) *Charalampone*. Fortassis haec eadem *Christina* fuerit, atque illa quam in Vsuardi Solleriani Auctariis die X. Maii memorari animadverto. Vide locum, si lubet.

(291) In omnibus Graecorum libris χαραλάμπους patrio casu scribitur, ut *Sapphus, Didus* &c. Ita ea femina fuerit, eaque recto casu *Charalampo* vocata. Tamen in citatis Menaeis Divionensibus legitur χαραλάμπους recto casu, itaut patrio casu χαραλάμποδος *Charalampodis* sit inclinandum. Atqui hoc pravum videtur, nec enim ὁ πούς (si quidem est a στύς ποδός, *pes, pedis*) cum syllaba λαμπ (quae nihil est) recte componitur: quum contra χαραλαμπώ, χαραλαμπῦς sit analogicum, & ex Graecis componentibus recte coalescat. Atqui etiam is, sive mas sive potius femina, reperitur in Vsuardi Auctariis per Sollerium collectis die X. Febr. Videatur is locus si cui tanti fuerit.



Digitized by Google

IVNIVS D XXX

IPS IVSTINI PHI

HOc est I. (sive primo die) *Passio S. Justini Philosophi*: cujus dies passionis quo jure in his Fastis in Kalendas Junias conjiciatur, dicetur infra cap. 5.

Atque hujus diviniſſimi Philoſophi, antiquorum omnium (in primis Tatiani ejus diſcipuli, Irenaei, Euſebii, Epiphanii) laudibus celebratiſſimi, ac praeclaris poſt ſe relictis operibus Eccleſiae commendatiſſimi fruſtra quis res geſtas melius pertexere poſt eximiam Tillemontii diligentiam adnitatur. Atqui Tillemontiana Juſtini vita ab reliquis ejus commentariis (*Memorias* ipſe vocat) plurimum diſſidet. Nam in ceteris ille cum incomparabili accuratione parem breviloquentiam junxit. At S. Juſtini vita (quam primam omnium ille compoſuit, quum quidem nondum ad *Memorias* conſcribendas ſe convertiſſet)ad genus quoddam medium pertinet, inter hiſtorici graviſſimi φιλαληθειαν ac ſeveritatem, & laudatoris ſtudioſiſſimi copiam ac διαθεσιν interjectum: quam proinde vitam auctor ipſe in praefixa admonitione *Elogium* vocare non dubitavit. Id elogium quum in manus ſumpſeris, vix eſt ut inde oculos poſſis avellere; ac prope exoptaveris, ut hoc ſibi ſpecimen facri laudatores in ſuis exornationibus proponant, ſicut a profanae eloquentiae phaleris alieniſſimum, ſic neſcio quem divinioris rhetoricae guſtum (niſi quod ſaniori tantum palato ſapientem) exhibens: ejus inquam rhetoricae, in qua veritas utramque paginam faciat. Haec de Tillemontii Juſtino.

Nos interim pro noſtri inſtituti ratione poſt opimam viri ſummi meſſem levi tantum ſpicilegio contenti, I. duplicis S. Juſtini commentum explodemus: II. in noſtrorum hominum gratiam de luſtrata ab eo Campania diſſeremus: III. manco Epiphanii loco ſuppleto, rerum Juſtini chronotaxim firmabimus: IV. in Acta Martyrii commentabimur; V. poſtremo de die Paſſionis ac feſtivo cultu pauca adjiciemus.

CAP. I.

De uno an duplice Juſtino Martyre.

Si Graecorum libris liturgicis credimus, non erit dubitandum, quin hoc die duplex ab eis Juſtinus Martyr colatur: quorum unus philoſophus & apologeta ille fuerit, cujus adhuc opera praeclariſſima non ſine admiratione legimus: is vero dolo Creſcentis Cynici cicutae hauſtu necatus a recentioribus Graecis narratur: alter vero cum ſex aliis commilitonibus poſt verbera capitis abſciſſione coronam commeritus dicitur. Id quidem diſcriminis pleriq. Officiorum Graecanicorum libri praeferunt: quos lector apud Papebrochium tum ad XIII. Aprilis (quo die a Latinis Philoſophus noſter colitur) tum ad hunc diem ſect. I. & ſeq. deſcriptos videre per otium poterit. Cum quibus Officiis etiam Baſilii Menologium (niſi quod de hauſtu veneni tacet] & Anthologium [1] conſentit.

(1) In Anthologio poſt titulum [in quo ſic annuntiatur: Εἰς τὸν ἅγιον &c. *Primo die (Junii) S. Mart. Juſtini, itemque alterius Mart. Juſtini cum ſuis ſociis*] ſequuntur de priore, quem & uti celebriorem predicant, hi duo ſenarii:

Ἰουστῖνον κάτιτον ἥρεν ἐκ βίου.
Ὡς εἶδε φῶτα τὸν σοφὸν δεδωκότα.
Cicuta Juſtinum hoc ab aevo ſuſtulit:
Vtinam propinatorem admiſſet prius.

Eaque imprecatio [parum Chriſtianis decora] etiam in eo Anthologio legitur, quod nuper anno 1738. ex Veneta aliqua, uti videtur [nec enim officina ibi adſcribitur] typographia prodiit. Eadem legitur & in Synaxariis apud Bollandiſtas ad XIII. April. num. 7. eiſdem verbis: ſed tamen dolendum eſt, quod eum ſenarium ibi interpres ſic reddiderit, *Sed antea ipſos, ut ſolet* [quaſi ἑαυτὸς idem ſit atque ἑαυτοὺς] *propinantes*. Quae interpretatio id efficit, ut imprecatio in factum hiſtoricum (etſi Graecis inaudituin) vertatur.

Digitized by Google

Et quidem Graecos secutus duces Papebrochius ad XIII. Aprilis duplicem Justinum agnoverat; idque postea discrimen pluribus confutaverat Tillemontius in S. Justino Nota XIV. At postremo idem ille Papebrochius ubi ad Kalendas Junii ventum fuit [quo die a Graecis duplex ille Justinus celebratur] sive quod alia omnia viros eruditos de ea re sentientes comperisset, sive suopte ductu ac suasu, utcumque est, certe duplicis Justini discrimen etsi non plane recantavit, at in medio tamen, tamquam in utramq. partem disputabile, reliquit. Nisi quod incertus animi, modo se in duplicem Justinum inclinatiorem ostendit (ut in hodierni festi Comm. historico §. 1. toto) modo id totum (ut in subnotatis ad Acta) quasi commentum refellit.

Ac si priori quidem Papebrochianae sententiae steterimus; ille [cujus Acta sincera Baronius, & alii postea dederunt, quae & nos infra recitabimus] sex sociorum antesignanus, debuit alius a Philosopho & apologeta fuisse. Atqui contrarium Acta ipsa, omni fide majora, clamant: quae Acta non nisi de Philosopho Samarita posse intelligi, ex certissimis indiciis infra ad ipsa Acta observabimus. Vide ibi dicenda. Quo posito non aliud profecto relinquitur, nisi ut illud de cicuta (κωνείῳ) ab Justino hausta (quo uno discrimine philosophum ab altero secernunt) merum fuisse Graecorum inventum fateamur.

At ne Graeci videantur gratis eam fabulam procudisse; quibus gradibus ad id comminiscendum devenerint, videamus. Principio quum Justinus Crescentis philosophi insidiis appetitus occubuisse legeretur, repertus est aliquis qui ab ipso Crescente ejusve sectatoribus clam interfectum Apologetam sibi persuaserit. Ac sane fuisse qui sic crederent, Basilii Menologium aperte declarat scribens [2] *Ab eo* (Crescente) *interfectus est*. Sed ea narratio est longe antiquior Menologio. Nam in eamdem hallucinationem (primus omnium, quod quidem nunc litteris exstet) inciderat Aponius quidam qui VII. exeunte saeculo in Cantica Canticorum commentabatur, qui ad illud *Filii matris meae pugnaverunt adversum me*, in hunc modum scripsit: *Sicut de magno viro Justino philosopho historia refert factum: qui ex sua vanissima philosophia ad veram philosophiam Christi cum convertitur, & conversus pro vera religione contra gentiles pugnat, & quosdam filios matris* (gentilitatis) *philosophos redarguit blasphemantes; callide in secreto vocatus, ab iis magistris interfectus est*. Quae ultima verba sic corrigenda putavit Papebrochius (hoc die sect. 7.) *Callide in secreto occatus ab iis, Martyr Christi effectus est*. At equidem tanta mutatione haud opus arbitror (nec uno in loco tam multa librarii peccare solent) sed solum pro *Magistris* scripsisse Aponium *Magis* putaverim; nam re vera Cynicos [qualis Crescens erat] simul fuisse magicae arti addictissimos, Maximi [3] Cynici sub Juliano, & aliorum exemplo probare possum. Et Aponius quidem Justini adversarios *Magos* [id quod res erat] σοφιστὰς tantum appellaverat, non quod veneficio caedem ab eis patratam putasset. At postea id eam in partem acceptum fuit, quasi Justinum Cynici tradito venefico poculo de medio sustulissent.

Non parum autem uti hoc spargeretur in vulgus, momenti habuit mortis Socraticae similitudo, cui omnes sciunt, Anyti Melitique insidiis circumvento fuisse propinatam cicutam. Hanc pulcherrimam com-

(2) In Basilii Menologio sic in fine elogii scribitur: Ἐφονεύθη ὑπὸ Κρίσκεντος τοῦ φιλοσόφου, καὶ φθονηθεὶς ἐπεβουλεύθη, ἕως ἀνηρέθη παρ' ἐκείνου. *Crescentis philosophi invidiae patuit: ex quo odio tamdiu ejus insidiis est appetitus, donec ab eodem tandem necatus occumberet*. Vbi de veneno ne quidem.

(3) Maximum illum Juliani Imp. praeceptorem ac magorum coryphaeum, Cynicae sectae fuisse, intelligi potest ex ipsius Juliani ep. 38. media ad Maximum hunc scripta, quo loco Cynicum quemdam cum baculo & pera ad se venientem, testatur Imperator, se pro Maximo ipso accepisse.

Digitized by Google

comparationem(praesertim a philosopho integerrimo petitam) minime neglectam ab iis arbitror,qui ἐγκώμια(*laudationes*) Justini scriberent : quibus laudationibus sicuti nihil frequentius aevo sequiore apud Graecos monachos fuit, ita nihil historicae veritati exitialius ; dum incauta posteritas, quidquid illi passis velis rhetoricarentur, id ab eis tamquam veritati litantibus dictum acciperent, ac novo saepe auctario de penu sua donarent. En quibus gradibus eo tandem ventum fuit, ut S. Justinum κωνείῳ (*cicuta*) interfectum ultimi Graecorum scripserint. Ab ultimae autem aetatis hominibus id historiae flagitium patratum dixi : nam nullum veneni vestigium est in Basilii Menologio, nullum in Menaeorum odis, aut quidquid est in Officiis paullo antiquius : at in quibus elogiis id postea reperitur, id totum haud dubie longe posterioris est temporis.

Postquam haec ultima de Justini veneno adumbraveram,tale quiddam & viro docto (4) olim in mentem venisse animadverti, totum hoc quod de toxico narratur, μεταφορικῶς interpretantibus : quo magis nemini non Justini cicutam commentitiam posthac visuram esse confidimus.

CAP. II.

Epiphanii locus sive luxatus reponitur, sive potius mancus suppletur : ex quo varia nascitur rerum Justini chronotaxis.

Epiphanius in Panario haer. 26. aliter 46. quae est contra Tatianos cap. 1. sic scriptum de Justino Tatiani praeceptore reliquit. Οὗτος γὰρ ὁ Ιυστῖνος Σαμαρίτης ὢν τὸ γένος, εἰς Χριστὸν πεπιστευκὼς, καὶ μεγάλως ἐξασκηθεὶς, ἀρετῆς τε βίον ἐνδειξάμενος, τὸ τέλος ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσας, πολλὰ στέφανα κατεξιώθη, ἐπὶ τῆς Ρωμαίων, ἐπὶ Ρουστικοῦ ἡγεμόνος καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπαρχων ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ. Quae hunc in modum Petavius reddidit : *Justinus enim genere Samaritanus quum in Christum credidisset, multa virtutum exercitatione perpolitus, vitaque ad omnem honestatem instituta, tandem pro Christo martyrio perfunctus, perfectissimam coronam adeptus est Romae, sub Rustico praefecto, Adriano imperante, in ipso flore juventutis, anno videlicet aetatis tricesimo.* Atqui ultima Epiphanii verba peccare in historiam, jampridem Petavius in suis Animadversionibus vidit, duplicem in eis hallucinationem notans. *Nam*, inquit, *neque Adriano imperante mortuus est Justinus, sed M. Aurelio & L. Vero, ut Eusebius asserit... & tricenario major fuerit oportet, ut ex temporis ratione, quo Apologias pro Christianis edidit, constare potest.* Recte quidem Petavii reprehensiones procedunt : sed nolim tamen errores tam crassos auctori suo tribuat (nec enim verisimile est Epiphanium haud diu post Eusebium haec scribentem tam enormiter a Caesariensi aberrasse, quem ad manus habere debuit) qui errores haud dubie in pravatos codices sunt conferendi.

Itaque jamdiu est, quum luxatum hunc locum viri docti expostularunt. Et Papebrochius quidem ad Kal. Junii (ubi curis secundis quae de S. Justino ad XIII. Aprilis disputaverat, aliqua ex parte retractat) sect. 12. locum illum leviter correctum sic reponit, ut ultima verba in medium periochae retrahat hunc in modum : ὢν γὰρ ... γένος (ἐπὶ τῆς ἡγεμονίας

(4) Tillemontius Not. 14. notato ad marginem Halloixii loco ex vita Justini haec ait. *Le P. Halloix soûtient, que ce que les Grecs disent de cette potion de cigue, n' est qu' une metaphore, qui exprime le venin froid de la haine de l'envie de Crescent, la quelle fut la cause de son martyre, comme la haine d' Anyte & de Melite fit condanner Socrate a mourir avec de la cigue.* Verum hoc in Halloixii vita Justini, quam Papebrochius dici 13. Aprilis inseruit, frustra reperi ; imo potius in ea Vita (qualis a Bollandistis editur) sect. 24. Justinus *clam veneno sublatus* dicitur. At sero tandem animadverti, illud totum a Papebrochio tamquam digressionem omissum ; profitetur enim, ubi ad finem ei vitae praeloquitur, se Halloixii vitam daturum *Omissis digressionibus*. Hanc vero digressionem libentissime omisit, quod ea systemati a se compositio contrairet.

Digitized by Google

μίας Ρωσίκυ (5) καὶ Ἀδριανῦ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ) εἰς Χριστὸν πεπιστευκώς .... πελείᾳ στεφάνῳ καταξιῶται ἐπὶ τῆς Ρωμαίων πόλεως. Vbi quae parentheſi interpoſita vides, ea ex fine in mediam periodum retracta fuerunt. Ea vero ſic interpretatur: *Hic Juſtinus cum genere eſſet Samaritanus (conſulibus (6) Ruſtico & Adriano Imp. annum agebat trigeſimum, & in conſtanti jam aetate) Chriſto credidit .... perfecta corona dignus habitus, in urbe Romana.* De qua reſtitutione (ſicut & de ea quam ad 13. Aprilis parum diverſam attulerat) viri docti judicent, annon ſit potius παράθεσις. Aut certe lector conferat quae Tillemontius Not. I. contra Papebrochianam emendationem breviter diſputavit.

Verum relictis aliorum, ſiquae ſunt aliae, correctionibus, duplici via loco Epiphanii depravato medicina fieri poſſe videtur, ſive tranſpoſitorum repoſitione (ſi tantum luxatus is locus ſit) ſive paucarum dumtaxat vocum additione, qua parte videtur mihi mutilus.

Itaque ſi Epiphanius tantum luxatura laborat, ſic reponatur cenſeo, ut non omnia, quae in fine legimus retrahantur, ſed ea tantum quae heic παρεντεθείμενα (*interpoſita*) cernis. Οὗτος .... εἰς χριστὸν πεπιστευκώς [ἐπὶ Ἀδριανῦ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ] καὶ μεγάλως &c. .... πελείᾳ στεφάνῳ καταξιῶται, ἐπὶ τῆς Ρωμαίων (forſan addendum eſt πόλεως) ἐπὶ Ρωσικῦ ἡγεμόνος. Hoc eſt .... *in Chriſtum credens (ſub Hadriano Imp. annos triginta natus, ſ. e. aetate conſtanti) ac magnopere exercitus .... perfecta corona dignus efficitur Romae ſub Ruſtico praefecto.* Hoc modo ſi luxata reponas, ex his colliges, Juſtinum ſub Hadriano Chriſti fidem amplexum fuiſſe, ac forſitan circa annum 133. De quo vide Tillemontium Not. IV. Jam vero quia trigeſimo aetatis anno in Chriſtum credidit, neceſſe erit eumdem ann. 103. natum fuiſſe. Vide Tillem. Not. I.

Verum longe mihi alia ſententia ſedet, putanti Epiphanium a luxatura (praeſertim tanta, ut verba longiſſimo intervallo trajecta fuiſſe neceſſe ſit) ſaniſſimum, tantum vocibus pauciſſimis fuiſſe defectum: quibus demum ſuppletis locus integerrimus fiet. Itaque totus is locus eo ordine legatur cenſeo, quo in editis legitur: ad finem vero mutilus textus ſuppleatur iis, aut ſimilibus vocalis, quas intra parentheſeos cancellos cohibui. Sub finem igitur ſic eſt legendum: ... πελείᾳ στεφάνῳ καταξιῶται ἐπὶ τῆς Ρωμαίων [πόλεως (*)] ἐπὶ Ρωσικῦ ἡγεμόνος [ὅπερ ἦν ἀποδεδειγμένος (7) ἐπὶ] Ἀδριανῦ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων, ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ. Id eſt verbis totidem: *Perfecta (martyrii) corona dignus efficitur in Romanorum urbe ſub Ruſtico praefecto (in quam commigraverat ſub) Hadriano Impe-*

(5) Epiphanius ſcripſit Ρωσικῦ, quod ex Graecorum orthographia rectum erat. Nam Graecorum moris eſt extera nomina ad voces Graecanicas detorquere. Quumque Ρώσικος Graecis nihil ſit, Ρωσικὸς autem vox Graeca ſit [qua ſignificatur *Corroborandi vim habens*] hinc unius vocalis mutatione *Ruſticum* in Ρωσικὸν pro ſua conſuetudine depravarunt.

(6) Ἡγεμὼν pro ὕπατος & ἡγεμονία pro ὑπατεία, vix eſt ut uſquam reperiatur. Vt omittam, quod Hadrianus, quippe Imperator, Ruſtico collegae privato praeponi debuiſſet; & quod is conſulatus in annum 119. incidens cum trigeſimo Juſtini anno componi nullo modo poteſt.

Ceterum non de Ruſtico conſule [qui Hadriani collega anno 119. fuit] ſed de Ruſtico urbis praefecto, ſub quo re vera circ. ann. 167. Juſtinus martyrium ſuum conſummavit, Epiphanium loqui, res eſt citra dubitationis aleam: idque in Actis S. Juſtini, quae infra cap. IV. damus, ad nauſeam uſque reperies. Videbis etiam quae nos in Animadv. ad Acta de hoc praefecto Ruſtico undecumque ex auctoribus & marmoribus accurate collegimus.

(*) Vox πόλεως in ea locutione non ſubaudiri, ſed exprimi moris fuit. Sic in Actis S. Juſtini ſect. 3. Juſtinus ipſe de hoc ipſo ſuo Romam adventu ſic confitetur: ἐπεδήμουν δὲ τῇ Ρωμαίων ΠΟΛΕΙ [expreſſe ſcil.] καὶ δεύτερον. Nec pluribus exemplis eſt opus.

(7) Aut ἀφιγμένος, aut tale aliud.

Digitized by Google

Imperatore, annos triginta natus (hoc est) *in ipso constantis aetatis gradu*. Annus ergo Justini trigesimus non ad conversionem ejus pertinet (quippe jam antea Christo nomen dederat) sed ad Romanam ἐπιδημίαν *commigrationem*.

Nunc si quaeras, quid eo tantulo supplemento, aut ἰσοδυναμοῦντα (*aequipollente*) potissimum opus fuerit; respondebimus, id maxime curae fuisse Epiphanio docere, sub quo principe & quoto aetatis suae anno Justinus Romam commigraverit. Quorsum hoc ei curae fuit? Quia ante ea verba, quae capitis hujus initio recitavimus, dixerat Tatianum [de quo quidem Tatiano ibi primario historia pertexitur: nam quae de Justino inserit, ea suo Tatiano subserviunt] Ἰυστίνῳ συνακμάσαι [8] h. e. *cum Justino floruisse*. Hoc vero ei parum fuisset, nisi & de Justini aetate docuisset. Hinc arrepta occasione, ubi per transennam Justini genus, conversionem, ἄσκησιν (*profectum*) atque mortem pro Christo sub Rustico obitam narrasset; haec inquam obiter delibasse contentus, ceterum quo sub principe & quoto aetatis anno is primum se Romam contulisset, accurate exponit. Quo negotio perfunctus, statim ad propositum redit, suamque ἐπάνοδον [*reditionem*] eisdem verbis, quibus superius usus fuerat, concipit. Τίτῳ inquit... Τατιανὸς συνακμάσας &c. *Cum hoc* [Justino] *quum Tatianus una floreret, quamdiu cum S. Martyre vixit.... constans in fide fuit.* At illo mortuo, Tatianum quasi caecum amisso duce in praeceps ruisse, conqueritur. Ex his vides, non frustra Epiphanio id fuisse propositum, ut universum tempus definiret, quo Tatianus Justino duce usus fuit, idque intra duos terminos concluisse, ab Hadriani videlicet regno & trigesimo Justini anno, quo Justinus Romam concessit, ad Rustici praefecturam urbanam sub Marco & L. Vero, quando is glorioso certamine est coronatus. Hactenus dictis si addas transpositiones [praesertim ex longiore intervallo] esse rarissimas, mutilationibus vero nihil esse [9] frequentius: tum credo nihil hac emendatione nostra verius reperietur.

At enim, inquis, quo sub Imperatore, & quot annos natus Justinus Romam venerit, hinc tantum elicimus: at quoto Christi, aut Hadriani anno id contigerit, quis praestabit? Verum id si minus certo aliquo testimonio, at conjectura tamen satis verisimili, Baronio duce, assequemur. Nec enim Justino alia videtur Romae petendae causa fuisse, quam bellum Judaicum, quod sub Hadriano anno Christi 134. vere primo exarsit. Tunc maxime credendum est, Justinum patriae vale dixisse, ac fortassis variis regionibus eo in itinere (10) peragratis, Ro-

(8) Καὶ τὰ μὲν φῶτα, διὰ δὴ ἀπὸ Ἑλλήνων παιδείας, συνακμάζει Ἰυστίνῳ τῷ φιλοσόφῳ ... εἰς χρισὸν ἀναστυρόμενα. Οὕτως γὰρ ὁ Ἰυστῖνος, & reliqua ut in hujus capitis initio. Quae Petavius: *Is* [Tatianus] *primum, utpote Graecis eruditus artibus, Justini philosophi ... consuetudine est usus, qui ... ad Christi fidem transferat. Justinus enim*, &c. uti supra. Verbum συνακμάζω cum dativo personae H. Stephanus ex Budaeo exponit *Tempore alicujus vivo*, ut Ἰφίτῳ συνακμάζων. Verum heic optime Petavius reddit *Uti consuetudine*: quod praecedentia suadent. Ad verbum autem συνακμάζω est *simul floreo, simul vigeo*.

(9) Cur antiquorum textus saepe mutili reperiantur, ea causa fuit, quod codicum descriptores sicubi autographum usque eo corruptum perciebant, ut voces aliquot assequi augurando nequirent, omissis vocibus illis, cetera continua serie plerumque perscriberent; uti jam observatum mihi fuit in fine Aprilis ad Acta S. Januarii M. pag. 271. in Adnot. 11.

(10) De peragrata eo in itinere ora Campaniae dicemus cap. seq. Ceterum majore Spiritus Divini flamma incendebatur vir sanctissimus, quam ut eam pectoris sui penetralibus cohiberi sineret. Eo fiebat, ut crebris peregrinationibus obiret provincias, in omnes lucrandarum Deo animarum occasiones intentus: id quod tum ex ceteris ejus scriptis, tum ex Dialogo cum Tryph. potissimum elucet. Qua de causa nihil verisimilius afferri potest, quam eum in Romanum iter, dum hac atque illac aucupabundus perreptaret, plusculum contrivisse temporis, ac vix sub exitum anni 135. Romam attigisse.

Digitized by Google

Romam anno 135. perveniſſe, quo anno Hadrianus ipſe [ſi Pagio ad an. 136. ac Tillemontio credimus] jam menſe Maio Romae commorabatur.

Quare ſi anno 135. eunte Juſtinum Romam veniſſe ſtatuamus, quum is tunc annos XXX. natus eſſet; Juſtini ortum in annum 105. referri neceſſe erit. Jam vero quia ejuſdem philoſophi martyrium in annum Chriſti 167. conferri ſolet; ei annos duos circiter & ſexaginta nato martyrium contigiſſe dicemus. Quod ſi Juſtinus biennio trienniove ſerius occubuit (de quo videbis ad Acta in Adnot. 68.) tum vero tanto ſeniorem eum ad coronam perveniſſe dicemus.

At Juſtini converſio (quam ex temere ac violenter trajecto Juſtini textu ad hunc diem viri docti in Juſtini annum trigeſimum contulerunt) citius acciderit neceſſe eſt; ſed quoto Juſtini anno, incertum: niſi ſi quis criticus aliunde ſuppetias tulerit.

CAP. III.

De Cumis Baiiſque & antiquo Sibyllae oraculo ab S. Juſtino luſtratis.

Beatiſſimus Martyr quum in Exhortatione ad Graecos undecumque argumenta ad coarguendos gentiles corraderet, etiam ex Sibyllae Cumanae reſponſis quaedam ſcitu non indigna in extremo libro depromit, quae huc ex Jo: Langi interpretatione attuliſſe non poenitebit.

Perfacile autem vobis erat rectam religionem ex parte aliqua, & ea qua proxime ad Prophetarum accedunt doctrinam, a vetere Sibylla (11) *ex afflatu quodam* (12) *mirifico per ſortes* (13) *ac reſponſa vos docente percipere. Hanc Babylone ortam Beroſi, qui Chaldaicam hiſtoriam ſcripſit, filiam ad Campaniae oras neſcio quomodo perveniſſe ferunt, ubi reſponſa dedit in urbe, cui Cumae* (14) *nomen eſt, ſexto a Baiis (qui locus thermas Campanas habet) lapide. Vidimus ſane ea in urbe quum eſſemus, locum quendam, ubi baſilicam* [15] *ingentem uno ſabre-*

(11) *Sibyllae* etymologias prope viginti, Graecas, Latinas, Hebraicas, Arabicas, Perſicas a viris doctis excogitatas in unum contulit Jo: Alb. Fabricius lib. 1. Bibl. Gr. c. 29. n. 8. & ſeq. quarum ne unam quidem reperio ejuſmodi, ut ſe ſanae mentis lectori probare queat. Atqui quum de Chaldaea Sibylla veniſſe Juſtinus heic tradat (nec dubium eſt, quin ſaltem ex partibus orientis id divinandi genus ad nos permearit) indidem & originatio nominis petenda erat. Porro Chaldaeis שִׁבֵּר *ſhebar* eſt *inſanire*; ſicuti & verbale nomen inde veniens *Shibra* notat *Inſanum*. Atqui R & L paſſim invicem permutari, vel pueri ſciunt. Id enim tum in peregrinis vocibus fieri ſolet (ut ubi ex *Magar* fit *Magalia* etc.) tum etiam in Latinis derivationibus, ut ex *Sacer ſacellum*, ex *Liber libellus*, ex *Pulcher pulchellus* &c. Mitto exempla vocum orientalium alicubi a Bochartо collecta, ut quod *Belial* & *Beliar* & ſexcenta ſimilia paſſim alternant. Ergo ex *Shibura* manavit *Shibula*, & (liquidâ duplicatâ) *Shibulla* (σίβυλλα) i. e. *inſaniens puella*. De Sibyllae inſania infra Juſtinus. Sed & Syris ṣabrā *ſhoro* eſt *confuſio mentis, inſania*: ubi idem adhibendus eſt liquidae unius in alteram (h. e. R in L) tranſitus. At prior vox illa Chaldaica eſt longe uſitatior, praeſertim apud Targumiſtas.

Porro autem de Sibyllis heic agere non eſt mei inſtituti. Idque argumentum jam viri doctiſſimi occuparunt. Videatur prae ceteris Jo: Alb. Fabricius lib. I. Bibl. Gr. ubi quidquid uſquam ab aliis de eo argumento ſcriptum fuit, a cap. 29. ad 33. breviter complexus eſt.

(12) Non *mirifico* ſed *vehementi*; nam Graece eſt δυνάμις. Eadem locutio infra occurrit, ἀπὸ τινος δυνάμις ἐνθουσιάσας, *ex vehementi quodam afflatu*. Vbi interpres, *Mirifico quodam praepotentis Numinis afflatu*.

(13) Vbi *Sortes* in Langi interpretatione legis, ibi Graece plerumque ſunt χρησμοί h. e. *reſponſa*: quae tamen Latini ſcriptores *Sortes* vocare paſſim conſueverunt.

(14) Gr. legitur Κύμη praeter Graecorum, Latinorumque orthographiam: nam Latini frequentius pluraliter *Cumas* vocant, quae & Ptolemaeo Κύμαι dicuntur: at Graecis idem oppidum ſaepius Κύμη ſing. num. vocatur, quod proinde Silius & Statius imitantur, *Cymen* appellitantes. Ad diſtantiam quod attinet: haud ſecus hodie ſex millia paſſuum inter Cumanas ac Bajanas reliquias numerantur.

(15) Latiniſmo heic, ſed tamen neceſſario utitur. Nam *Baſilicae* cauſarum cognitionibus Romae inſerviebant. Hinc Chriſtiani Latini quod

breſactam ſaxo conſpeximus, rem profecto maximam & admiratione omni dignissimam; ubi oracula eam edidisse, qui res patrias a majoribus suis quasi per manus traditas acceperant, affirmabant. In media autem basilica nobis illi ostenderunt tria solia [16] *ex eodem excisa lapide, quibus aqua repletis, lavisse ibi eam, & stola sumpta in penitissimam se basilicae aedem eodem exstructam saxo abdere, atque in media ea aede super sublimiore gradu & throno considere solitam, & sortes ad eum modum promulgasse dixerunt. Hujus Sibyllae tamquam fatidicae cum permulti alii meminere scriptores, tum etiam Plato.* Mox recitata Platonis ſententia [in cujus fine ſcribitur, fatidicos divino numine inſtigatos atque attonitos *res multas & magnas recte & vere* dicere, *nihil eorum quae loquuntur* [17] *intelligentes*] ea verba de Sibylla eſſe accipienda contendit. *Huic enim*, inquit, *haudquaquam sicuti poetis etiam postquam poemata scripsere, facultas fuit corrigendi atque expoliendi responsa sua juxta exquisitiorem numerorum & dimensionum carminis rationem: sed in ipso afflatus tempore sortes illae suas explebat, & evanescente instinctu ipso, simul quoque dictorum memoria evanuit. Atque haec ipsa causa est, quamobrem non omnes* [18] *carminis numeros Sibyllae servent oracula. Quin ipsi quoque quum in urbe ea essemus, indicibus* [19] *qui hospites ad*

quod ſuas Eccleſias in profanarum baſilicarum morem exſtruere conſueviſſent, eas itidem *Baſilicas* nominabant. Vult igitur Noſter, Sibyllae ſpecum, ſive χρησήριον in Romanarum baſilicarum formam fuiſſe conſtructum: cujuſmodi formam refert hodieque quae inter Bajana rudera *Piſcina mirabilis* nuncupatur. Vox igitur βασιλική *baſilica*, etſi de Graeco derivata, at uſu Latinorum peculiaris fuit: qua quidem Graeci tum ſolum utuntur, quum res Romanas vocibus Romanis deſignant. Sic ea voce utitur Plutarchus in Publicola, itemque in Galba, ubi legitur, Παύλῳ βασιλικῇ, *Paulli baſilica*. Haud aliter & *Diploma* & aliquot alia vocabula, etſi Graeco fonte cadentia, tamen Graecis inuſitata, peculiaria Latinorum evaſerunt.

(16) Gr. τρεῖς δεξαμενάς. Eſt autem δεξαμενὴ univerſe quidem *conceptaculum, piſcina, ciſterna*: at in re balneari non male exponitur heic *Solium* h. e. alveus ille, in quo quis poſitus lavabat.

(17) In Platonis Menone id legitur. Similis eſt illa celebris Caiphae vaticinatio in hiſtoria Dominicae Paſſionis recitata, quam pontifex nec opinans protulit. Ac gentilium vates, quippe a daemone inſtigatos, non aliter quam ignaros reſponſa dediſſe, equidem non dubito: quod tamen de ſanctis utriuſque Foederis Prophetis affirmari veto: quos inſtinctu Divino non tantum ſtimulatos & actos, verum etiam uterius doctos atque illuſtratos, non eſt prorſus dubitandum. At Tullius in II. de Divin. a Platone & Juſtino diverſus abit, dum ex Sibylle quam vocant acroſtichide negat eam furore conflatam artificioſum id genus carminis fundere potuiſſe. *Hoc*, inquit, *ſcriptoris eſt non furentis, adhibentis diligentiam, non inſani.*

(18) Non tantum Sibyllini verſus vitioſi erant, ſed & ceterorum oraculorum: quorum carmina in metrum peccantia ridet Lucianus in Jove tragoedo, & Diogenianus apud Plutarchum in libro qui inſcribitur, περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα τὴν Πυθίαν, *De eo quod Pythia non amplius verſibus reſpondeat*. At non eſſe id magnopere mirandum, mecum viri eruditi fatebuntur, quicunque verſus in marmorum elogiis adhuc obvios ſive Graecos ſive Latinos legere conſueverint. Vix enim pauca de multis epigrammata in lapidibus reperias, quae non multis modis in metricas leges offendant; etſi ſint alioqui pleraque elegantiſſima. Ac fatendum eſt antiquos ſe minus religioſos in eo, quam nunc ſunt homines, praeſtitiſſe. At eo vitio oraculorum ac Sibyllarum verſus ſupra ceteros laboraſſe, ex Juſtini aliorumque expoſtulationibus fateri cogimur. Neque id porro mirandum; quandoquidem ex quo Pythia verſus factitare deſiit, ejus oracula proſa oratione edita a conducticiis verſificatoribus (quos parum idoneos fuiſſe neceſſe eſt) excipi moris fuit, ac porro in verſus redigi, teſtibus Plutarcho & Strabone lib. IX.

(19) *De vrae Puteolanae Ciceronibus. Quo modo ii olim vocati, & unde dicti tandem ſint Cicerones.*

Quos interpres heic & infra *Indices* vocat, eos Juſtinus περιηγητὰς h. e. ad verbum *Circumductores* nuncupavit. Eoſdem ceteri Graecorum ξεναγοὺς i. e. *peregrinorum manuductores* appellabant. Nec alius, quod ſciam περιηγητὰς ea notione praeter Juſtinum uſurpavit.

Digitized by Google

ad ea quae viſenda ſunt ducere ſolent oſtendentibus, qui nobis loca etiam, in quibus illa eſt vaticinata, commonſtrarunt, vidimus loculum [20] *quemdam ex aere elaboratum, ubi reliquias ejus ſervari dicebant. Inſuper inter alia omnia, quae indices iſti expoſuerunt, illud quoque fuit, a majoribus ſe audiviſſe, quod qui reſponſa ab oraculis excipiebant, quia tum ab eruditione alieni fuiſſent, multoties in accuratiore numerorum obſervatione erraverint: & proinde iſtam illi carminum quorumdam inconcinnitatis attulerunt cauſam, quod tum vates ipſa mentis emotione & afflatu libera, dictorum ſuorum memoriam non retinuerit, tum qui oracula ſcripto mandabant, propter imperitiam, numerorum obſervandorum accurata ratione exciderint.* Mox quaedam alia de Si-

pavit. Id genus homines hodiedum in ora Puteolana occurrunt, qui mercede conducti operam ſuam peregrinis antiquitatum indagatoribus locant; qui vulgo hodie *Cicerones* vocantur.

Ac diu eſt, quum noſtrates ἀρχαιολόγοι [*antiquitatum explanatores*] unde Puteolanorum *Ciceronum* nomen emerſerit, curioſe rimantur: necdum tamen idonea ejus mirifici vocabuli cauſa a quoquam, quod equidem ſciam, producta fuit. Atqui ea promptiſſima, uti mihi videtur, talis eſt. Jam tum aevo Juſtini erant in ea ora, qui obeundo & hoſpites per mira viſu circumducendo operam ſuam locabant: iique Juſtino (ſicuti & Graecis orae illius habitatoribus) περιηγηταὶ vocabantur. Atqui non eſt dubitandum, ei tunc officio Latinum non defuiſſe vocabulum, quippe quum ſub Hadriano jam illius orae incolae magnam partem Latini eſſent. Nec aliter prorſus quam CIRCITORES ii homines nuncupari debuerunt. *Circitor* vox eſt ex *Circuitor* contracta, unde & in epigrammate quod in De dedic. ſub Aſcia (pag. 128. evulgavimus: vide ibi Adnot. 163.) CIRCITOR penultimam longam habet; quum contra in hunc diem corripi conſueverit. *Circitor* autem (qui in Gloſſis περιοδευτὴς redditur) generale eſt obeuntium & circantium nomen; quod & in re militari valuit, & in re inſtitoria (nam *Quibus veſtiarii vel lintearii dant veſtem circumferendam & diſtrahendam, eos vulgo circitores appellamus*, ait l. 5. §. 4. de inſtit. act.) & in Schola Agentium in rebus: de quibus circitoribus, qui in ſchola Agentium in rebus militabant (utique ut res novas a ſe obeundo viſas aut auditas nuntiarent) videnda eſt lex 3. Cod. Th. de Agentib. in rebus. Ergo & Bajani Cumanique περιηγηταὶ Latinis non alio tunc nomine quam *Circitores* vocabantur. Quumque id hominum genus numquam in ea ora defuerit (quod vel ex eo poteſt intelligi, quod nulla ii ex ſchola prodeant, ex qua locorum nomenclaturas didicerint, ſed ex πατροπαραδότῳ traditione, quamlibet depravata, repente ἀρχαιολόγοι proſiliant) numquam etiam non eodem quo antiquitus nomine donati fuerunt: niſi quod id nomen ita paullatim depravatum fuerit, ut ex *Circitoribus Cicerones* nunc demum nuncupentur.

Ac ne cui mirum videatur, quo pacto qui olim *Circitores*, nunc *Cicerones* vocentur, quum magnopere deſinentia variet: ſciendum eſt in hiſce vocabulis corrumpendis maximam gigni diverſitatem, ſtatim ac ex vicino notum aliquod nomen emicuerit, in quod pateat receptus. Ut clarius dicam: aevo ſequiore incredibile dictu eſt, quantopere Puteolanos noſtros anhelaſſe oporteat in illo ſatis ſalebroſo *Circitorum* vocabulo (cujus praeſertim ſignificationem ignorarent) pronuntiando. Itaque ubi ex proximo ſatis nota *Ciceronis* vox in mentem venit; nihil propius factum eſt, quamut ex *Circitore* (quam vocem veriſimile eſt multis modis antea detortam fuiſſe) in *Ciceronem*, tamquam in tutam ſtationem, gradum facerent.

Poteſt & hoc dici, quos Juſtinus περιηγητὰς vocat, eos Latinis incolis *Circumerrones* (nam ſicuti eſt *Circumerro* verbum, ita & nomen eſſe quidni potuit?) fuiſſe appellatos. Sicuti autem *Circumcelliones*, iidem contracte *Circelliones* (de utroq. vocabulo adeantur Eccleſiaſticarum rerum explanatores, & Cangii Gloſſarium) nuncupabantur: ita *Circumerrones* dici & *Circerrones* coeperunt: unde poſtea *Cicerrones*, ac poſtremo *Cicerones* audierunt. Deinde, quod conſequens eſſe debuit, eos ab eloquentia hic appellatos dictitarunt: mirifice prorſus ac ſuaviter ἐτυμολογοῦντες.

(20) Gr. φακὸν ἀγγεῖον. Eſt autem φακὸς vas formae lenticularis ad liquores continendos uſurpatum. At hoc ſingulari loco vas cinerarium, quo Sibyllae reliquiae condebantur, deſignatur, utique ſic dictum, quod lenticularem formam imitaretur. De Sibyllae Cumanae *tumulo* exſtat in Actis ſinceris S. Januarii (quae ad finem Aprilis dedimus) corruptiſſimus locus, quem pag. 271. Adnot. 13. & 14. declaravimus (vide ibi dicta) ex quo loco conſtat adhuc ineunte IV. ſaeculo ad Sibyllae *tumulum* religionis gratia maximos paganorum concurſus fuiſſe factos.

Digitized by Google

Sibylla locutus, ad extremum haec addit. *Itaque, viri Graeci, si falsam de eis qui non sunt diis imaginationem salute vestra antiquiorem non habetis, credite, sicut dixi, antiquissimae Sibyllae, cujus libri in universo* [21] *exstant orbe, de eis, qui dicuntur non sunt autem, diis mirifico quodam praepotentis Numinis afflatu sortibus datis vos docenti; de futuro autem Servatoris nostri Jesu Christi adventu ac de rebus ab eo gerendis liquido & aperte vaticinanti. Harum namque rerum cognitio perneccessaria fuerit, tamquam sacrorum virorum praedictiones antecedens praemeditatio.*

Quaerat heic aliquis, in quod potissimum tempus Justini Cumana peregrinatio inciderit. Equidem non existimo, Martyrem dedita opera iter in Campaniam suscepisse, sed in Romano itu aut reditu, ὁδὸν παρεργον lustrasse oram Campaniae. Scitum est enim duplicem fuisse Romam in orientem, aut contra, itineris rationem. Ditiores [quibus terrestre iter navigationi praeferre semper moris fuit] Roma Brundisium usque vehiculatione ferebantur, reliquum in Graeciam aut Asiam iter mari conficiebant: at egentiores facilius ex Puteolano portu solvebant, unde praeternavigata Italia fretoque trajecto, cursus illis in Orientem patebat. Par ex Oriente in Vrbem potentiorum atque indigentiorum itineris discrimen fuit, quum illi Brundisium, hi Puteolos solerent appellere, reliquum viae vectatione aut pedibus emetirentur. Quod eo dico, quod Justino (utpote frugaliter more Christianorum viventi) in Romano itinere ora Campaniae visenda facillime fuisse videatur.

Atqui bis Justinum in urbem Romam venisse, Acta [22] ipsa testantur: priorem autem adventum in Vrbem in annum circiter 135. incidisse, capite superiore in chronotaxi a nobis adumbratum fuit. Itaque eodem priore Romano itinere lustratam ab Justino Cumanam ac Bajanam oram crediderim.

Cur, inquis, non potius quando ex Vrbe orientem repetiit, aut in altero ex oriente in Italiam appulsu Justinum Sybyllae χρηστήριον (*oraculum*) vidisse dicemus? Haud dubie quia *Cohortatio ad Graecos* (quo in opere lustratae orae illius meminit) primum opus [23] Justini

(21) Non tantum Romae Sibyllina oracula a XVviris asservabantur, sed & ubique gentium alibi alia dispersa circumferebantur, & pro Sibyllinis venditabantur. Ad ea quae quaquaversum sparsa legebantur, provocat heic Justinus. Nam illa λογια fatalia, quae Romae ἐν ἀπορρήτοις (*abstruso in loco*) recondebantur, ea nullis mortalium nisi solis XVviris patebant. Hinc vides quo pacto locus hic Samaritae Doctoris cum altero Apologiae longioris sit conciliandus. Heic enim ad Sibyllina sic digitum intendit, ut ea in omnium manibus fuisse significet. At in longiore Apologia (pag. 82. B. edit. Col.) *capitale fuisse* (θανατος ἐφειτο καὶ τῶν ... ἀναγινωσκόντων) dicit Sibyllinos libros perlegere. Atqui hoc posterius de Sibyllinis, quae Romae in adytis custodiebantur, est capiendum, quae adire capitale fuit (uti optime animadvertit Fabric. lib. 1. bibl. Gr. c. 33. p. 17.) non item de Sibyllinis quaquaversum promiscuatis, quae & omnium manibus terebantur, & heic impune ab Justino in testimonium provocantur.

Atqui quod Sibyllina longe lateque in vulgus manasse heic dicitur, id de Cumanae carminibus vetat intelligi Lactantius I. 6. *Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, praeterquam Cumanae; cujus libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo nisi a XVviris inspici fas habent.* Justinus tamen heic contrarium innuit; qui non nisi de Cumana hoc intelligit, *Cujus libri in universo exstant orbe.*

(22) Id quidem satis ex S. Justini Actis sect. 3. intelligitur, ubi πάλιν δεύτερον (*hoc jam iterum*) Romam se venisse fatetur.

(23) Id & ex styli redundantia juvenem prodentis potest conjici (quum contra in Apologia breviore, quam ante mortem scripsit, & alibi, sit concisior, nervosior, ac verborum cultus negligentior) & ex eo quod *Cohortatio ad Graecos* semper primum locum in Justini operibus occupavit. Adde quod hanc de qua loquimur *Cohortationem* Tillemontius Not. VI. haud spernendis argumentis ostendit eamdem esse atque Eusebii *Elenchum*: quod opus, eodem Eusebio teste, Justinus statim a sua conversione conscripsit. Nec te turbet, quod nunc diversam habeat epigraphen: nam familiare antiquis fuit duplici titulo opera sua intignire, uno breviore, altero longiore quo libri argumentum de-

cla-

Digitized by Google

χριστιανίζοντας (*Christianis sacris initiati*) fuisse videatur: nec serius quam ante annum Christi 140. in id opus incubuisse Philosophum nostrum dum Romae moraretur, oporteat. Proinde priore in Romano itinere (circ. ann. 135., uti dictum fuit) visam ab S. Martyre Cumanam regionem oportuit.

CAP. IV.

In Acta S. Justini philosophi & sociorum. De hisce Actis & Graeco eorum textu judicium.

Acta S. Justini, quae mox daturi sumus, Graece tantum reperta fuerant jam ante prope ducentos annos, eaque Latine a Card. Sirleto reddita, vitis a Lipomano & Surio collectis inserta reperiebantur. Eadem postmodum ex Monasterio Cryptae Ferratae eruta, Graece edidit Papebrochius ad Kal. Junii, eâdem translatione Sirletiana e regione posita; quam (in paucis diversam) etiã Ruinartus in sua *Acta sincera* intulit. Ac nemo ad hunc diem repertus est, qui non de his Actis praeclare senserit (quippe quorum nativa bonitas incurrit in oculos) quique non ea pro Actis judicialibus habuerit. Nisi quod fuere tamen, qui a recentioribus Graecis illudi sibi passi, aliis etiam illudere voluerint, dum haec acta, quamlibet integrae fidei, non ad Philosophum & Apologetam Justinum, sed ad alium quempiam pertinere dixerunt. Quos quantopere ratio fugerit, tũm cap. I. adumbravimus, tum etiam infra in notatis ad haec Acta ex ipso totius interrogationis contextu planissimum fiet: adeo partes illius omnes non nisi in Philosophum convenire posse, res ipsa meo judicio clamat.

Nec vero res tantum atque sententiae, sed & verba ipsa Graecaeque locutiones, quibus heic S. Martyr utens inducitur, sunt plane omnes Justinianae; & ipsae per sese, ex Justini fere ore profectas, lectorem in Graecis philosophi hujus minime hospitem admonent: id quod in eisdem nostris animadversionibus sigillatim in re praesenti observabitur. Ex quo & illud sequitur, nos ea ipsa Justini M. verba in Graecis ejus Actis habere, quae tunc ille pro re nata interrogatus protulit.

Nec sum equidem nescius, huic persuasioni meae viros plerosque doctos oblocuturos, eos saltem quibus est persuasum, S. Justini Acta, utpote Romae composita, Latine primum fuisse perscripta (quae quidem Latina intercidisse dolent) deinde in Graecum sermonem traducta, quae tandem Sirletus iterum Latinitate donavit. Ea in opinione Tillemontium, Papebrochium, aliosque versatos video, nullo dum, quod equidem sciam, contradicente. At mihi longe aliud videtur. reputanti, in judicialibus hisce interrogationibus non aliud a notariis excipi debuisse, quam quod a Fidei nostrae athletis proferebatur, & quidem eopte sermone, sive Graeco, si Graeci *oris* essent, sive Latino, si Latini. Et hoc quidem modo responsa judicialia ubique terrarum perscribebantur, sive ab ethnicis Officii notariis, sive interdum, si forte id mavis, a piis Christianis ea excepta fingamus. At ubi postea ex eis commentanis Christiani concinnare narrationes suas coeperunt, tunc demum ea, si id opus esset, interpretabantur. Nam quia hujusmodi historiae in Christianorum coetibus praelegebantur; eo fiebat, ut si in Graecorum fidelium conventu recitandae essent, eo sermone redderentur, si *quidem* primitus Latine prodiissent. Contra, si Latinorum συναξέσεσι (*coetibus*) inserviturae viderentur.

Sed & hoc mihi prorsus praeterea persuadeo, Romae (nec secus in frequentissimis quibusque urbibus) fuisse Graecorum Christianorum conventus aliquot a Latinis dispertitos: id quod etiam noster Justinus in hisce Actis sect. 3. dat intelligere. Itaque quum Romanenses Christiani in illis Fidei nostrae primordiis maximam partem servi aut libertini essent; necesse fuit, eorum plerosque Graeci oris fuisse: id quod & Graecanica illorum nomina satis declarant. Sic etiam Hierosolymis apud Judaeos

clarabatur. Itaque hoc Justini opus sic olim facile inscribebatur: Ἔλεγχος, ἢ λόγος παραινετικὸς πρὸς Ἕλληνας. *Argumentatio, seu Oratio exhortativa ad Graecos.*

Digitized by Google

daeos plurimas ſynagogas fuiſſe ſcimus in diverſarum nationum uſum: de quo vide Act. VI. 9.

Ergo Romae ſub Antoninis plures Graecorum conventus (quibus poſtea *Titulis* nomen fuit) exſtitiſſe neceſſe eſt. Vna ex hiſce συνελεύσεσι (ſic enim Noſter in hiſce Actis vocat, quas *coitiones* ſive *conventus* nuncupare licebit) apud *Balneum Martianum Timotinorum* (de quo infra) cogebatur, cui Juſtinus presbyter praeerat. In eam vero non niſi Graeci confluebant, ex quibus ſex hi Juſtini commilitones fuerunt, Graeci nominis atque ſermonis omnes. In hujus vero (ſicuti & aliorum ὁμογλώττων, h.e. *ejuſdem linguae*) conventus gratiam S. Juſtini Acta primitus collecta fuiſſe videntur, nec alio quam patrio eorum idiomate.

At eadem nunquam poſtea fuiſſe Latine reddita, id plane demonſtrat, quod altum apud antiquos Romanos de S. Juſtino ſilentium fuit. Abeſt is a Bucheriano Martyrum laterculo: abeſt a Mrologiis Hieronymi & Romano parvo Roſweidi: abeſt a ſacramentariis Gelaſiano & Gregoriano: abeſt demum a Kalendariis Frontoniano & Allatiano. Quod autem IX. ſaeculo is Martyr in Adone & Vſuardo locum invenerit, ejus notitia a Graecis magis quam ab Romana Eccleſia in eorum ſyntagmata manavit. Hujus autem, uti dixi, Romanorum ſilentii de illuſtri Martyre Romae coronato ecqua alia cauſa aſſignari poteſt, niſi quod ejus Acta Graece primum in uſum Graecorum Chriſtianorum conſcripta, nec eadem (incumbente poſtmodum ſcil. gravi perſecutionum procella) antiquitus transfuſa in Latinum fuerint?

Quae quum ita ſe habere intelligerem, ac de S. Juſtini Actis, quippe breviſſimis, huc integris inſerendis cogitarem; ea non tantum Latine, ſed & Graece (quippe quem pro textu φωτοτύπῳ haberem) decrevi adſcribere; volupe lectori futurum ratus, ſi ea ipſa Graeca verba, quae Juſtino & commilitonibus in illo agonis articulo poſitis devota Chriſto mens ac ſincera fides expreſſit, valeret ipſe per ſe cognoſcere vel ſine interprete. Quod ſi tanto ſemper Chriſtiani ſtudio in aurea Juſtini commentaria incenſi fuere; non committendum putavi, ut aliquid ex tam praeclaris S. Doctoris fragmentis, ultimam morientis confeſſionem atque vocem complectentibus, deperiret. Ceteroqui oſtenſurus equidem, rariores quaſq. in Juſtini reſponſis Graecas locutiones (nam tritas non moror) vere Juſtinianas eſſe, & in S. Philoſophi operibus obvias, ac proinde nos hodie ipſiſmet Graecis Juſtini verbis adhuc in his Actis frui; non potui a Graeco textu producendo temperare; in quem praeſertim unum Graecum contextum correctiones meae aliquot & animadverſiones pleraeque diriguntur.

Ceterum etſi haec Acta jam olim Sirletus, vir in Sanctorum vitis Latina civitate donandis maxima cum laude verſatus, eleganter tranſtulerat; tamen quia (quae tunc erat interpretum omnium conſuetudo) ea interpretatio plerumque ſententias venatur magis quam verba; hanc inaeſtimabilem antiquitatis laciniam interpretatione nova caſtiore ac ſimpliciore, Graecaeque dictioni per omnia reſpondente donata heic exhibui. Quid eo, inquis, neceſſe fuit? Quia ubi de Actis judicialibus agitur, non tam elegantia, quam verborum ταυτότης curae eſſe debet; nec recuſandum quin illud verbi cauſa, *Ruſticus praefectus dixit, Juſtinus dixit*, tertio quoque verbo, ſicut in his fieri ſolet, ad faſtidium uſque repetatur: quae ſiquis per ἰσοδυναμίαν variaverit, nae is omnem talium monumentorum guſtum vitiabit. Jam vero quae uncis interpoſita in textu reperies, ea partim neceſſario ſupplenda in Graeco fuerunt, partim in Latino ad explicandam Graecam breviloquentiam ſunt commode adjecta. Atque his in univerſum expoſitis, jam ipſa Paſſionis Acta audiamus, ab ipſo exorſi titulo, qui in cod. Ms. reperiebatur, teſte Schelſtratio (apud Bollandiſtas hoc die num. 8.) qui ea Acta Bollandianis ſubmiſit.

Mar-

Digitized by Google

Μαρτύριον τῶν ἁγίων Ιυστίνου, Χαρίτωνος, Χαριτῆς (24) Παίωνος, καὶ Λιβεριανῦ μαρτυρισάντων ἐν Ρώμῃ, πρὸ ιε΄ η΄ ... δῶν (25) Ιυλίας Μηνὶ Ιυνίῳ πρώτῃ Μαρτύριον &c. (26).

Martyrium ſanctorum Juſtini, Charitonis, Charitēs (24) Paeonis, & Liberiani, qui Romae martyrium fecerunt XV. Kal. (25) Julias. Menſis Junii primo die Martyrium &c. (26).

I. PROLOGVS COLLECTORIS (27).

ΕΝ τῷ καιρῷ τῶν ἀνόμων ὑπερμάχων τῆς εἰδωλολατρείας προστάγματα (28) ἀσεβῆ κατὰ τῶν εὐσεβούντων χριστιανῶν κατὰ (29) πόλιν καὶ χώραν ἐξετίθετο, ὥστε αὐτοὺς ἀναγκάζεσθαι σπένδειν τοῖς ματαίοις εἰδώλοις. Συλληφθέντες δὲ οἱ ἅγιοι (30) ἄνδρες, εἰ-

TEmpore impiorum idolatriae propugnatorum dira edicta (28) contra pios Chriſtianos oppidatim (29) ac vicatim proponebantur, uti ſacrificare vanis idolis adigerentur. Comprehenſi igitur ſancti (30) viri ad praefectum

(24) Deſunt hoc loco nomina Εὐελπίστου *Evelpiſti* & Ἱέρακος *Hieracis*, a deſcriptore ſomniculoſo praeterita. Quod ſequitur Παίωνος, ſcribendum fuit vocali brevi Παίονος.

(25) Hoc eſt Καλανδῶν: praeſertim quum Nonae aut Idus numerum XV. ante ſe habere non poſſint.

(26) Ita hoc membrum ultimum conciſum atque abruptum per ſequens [&c.] exhibet Papebrochius hoc die in S. Juſtino num. 8. ſive quod ſic erat in exemplo, quod Schelſtratius ei ſubmiſerat, ſive quod nomina Martyrum heic iterata Papebrochius ipſe reſecuerit. Vtut eſt: ex his vides, primitus quidem horum Martyrum diem Paſſionis ad XV. Kal. Julias (h. e. diem XVII. Junii) conferri conſueviſſe: poſtea vero, ubi inter Graecos paſſim omnes convenit, ut Philoſophi feſtum Kalendis Junii celebrarent, addita fuiſſe forſitan a Monachis Cryptae Ferratae verba illa, Μηνὶ Ιυνίῳ πρώτῃ & quae ſequuntur, h. e. *Menſe Junio, primo die Paſſio SS.* &c. Atqui hoc feſtum diu ante IX. ſaeculum Kalendis aſſixum fuiſſe, noſtrae marmoreae Ephemerides ſuadent: in quibus quia *Paſſio* Juſtini Kalendis Junii aſſignatur, id argumento eſt, ita antiquam eam aſſignationem fuiſſe, ut jam dies feſti, quod non raro accidit, pro die paſſionis haberi medio IX. ſeculo potuerit, quo tempore ad hoc marmoreum Kalendarium ſcalpendum ventum fuit.

(27) Principium iſtud uſque ad τὸ βήματος non eſt dubium quin ab eo Chriſtiano praeſcriptum fuerit, qui S. Juſtini Acta de publico tabulario ſumpta in hiſtoriae formam concinnavit, praefixo tantum hoc prooemio, & ad finem concluſione. Stylus ipſe hujus prologi diverſus eſt ab Actorum dictione. Ac ſi non aliud, prima ipſa verba, Ἐν τῷ καιρῷ τῶν ἀνόμων &c. *Tempore impiorum idololatriae propugnatorum*, ſatis indicant, hoc exordium poſt pacatas a Conſtantino Eccleſias fuiſſe conſcriptum, quando nihildum timendum ab idololatris Imperatoribus videbatur. Sed & concluſio [quam ſeorſum infra ſuis finibus, ſicuti in hoc prooemio fecimus, deſcribemus] ſuas habet temporis poſterioris notas; ut ad locum adnotabimus.

(28) Non fallitur his verbis auctor, nec fallit, uti criminatur Papebrochius in Adnotatis. Nec enim ex vi recentis alicujus edicti comprehenſos hos ſeptemviros docet, ſed in univerſum narrat, proponi identidem alia ex aliis edicta conſueviſſe. Etſi vero a Trajano ad hoc tempus nulla nova lex lata in Chriſtianos fuerat; non continuo quidquid in eos olim ſtatutum erat, abrogatum cenſebatur.

(29) Aut κατὰ πόλεις καὶ χώρας, aut καθ' ἑκάστην πόλιν &c. ſcripſiſſe videtur auctor. Nam ubi haec praepoſitio diſtributive ſumitur, tempus quidem ſingulariter uſurpari [ut καθ' ἡμέραν, ἐνιαυτὸν, ἔτος, κατὰ μῆνα &c.] at loca pluraliter [ut κατὰ πόλεις &c.] video: niſi forte nomen cum ἕκαστος, uti dixi, jungatur.

(30) Heic nominatim ſinguli enumerand

ſoc-

Digitized by Google

ctum urbi nomine (*). Rusticum ducti fuerunt. Quibus ante tribunal sistentibus,

εἰσήχθησαν πρὸς τὸν τῆς Ῥώμης ἔπαρχον ὀνόματι (*) Ῥυσικόν. Ὧν εἰσαχθέντων πρὸ τοῦ βήματος,

II. INCIPIVNT ACTA IVDICIALIA (31).

Rusticus (32) praefectus Justino

Ῥυσικὸς (32) ὁ ἔπαρχος εἶπε πρὸς

fuerant, nisi in titulo eorum nomina auctor praescripsisset. Hinc igitur ejus tituli antiquitas intelligitur, par certe huic prologo. At ejusdem tituli, uti observavimus, duplex hodie pars est, una usque ad illud ἐν Καλανδῶν Ἰουλίων, *XV. Kal. Julias* [quo die consummatos hos Martyres docet] eaque aequalis huic exordio fuit: altera quae sequitur pars, posterioris est aetatis. Haec adnotasse non poenitebit.

(*) In Graecorum Fastis consularibus, in Xiphilino (ubi in M. Aurelio de hoc ipso *Rustico* agit) & alibi apud Graecos semper Ῥούστικος uti proparoxytonum scribitur. At in his Actis (uti quidem Papebrochius edidit) semper ut ὀξύτονον exhibetur: idque praeter rationem, nec enim est Graecum verbale in κός, uti Ῥουστικός, sed merum Latinum nomen. Tamen nihil mutare volui.

(31) Aut haec judicialis interrogatio quae sequitur, secunda fuit [quippe nec nomina hoc in requiruntur singulorum, nec quae talia plura interrogari solebant] aut si prior fuit, plura collector Christianus ex ea amputavit, quae minus necessaria ad Christianorum documenta judicavit.

(32) *EXCVRSIO PRIOR de Rustico praefecto, Justini judice.*

Vox Ἔπαρχος *non* praesidem *sed* praefectum *notat. Re vera fuisse sub Marco & L. Vero Junium Rusticum urbi praefectum, ex Vlpiano colligitur. Huic praenomen* Quinto *fuisse ex pluribus ponderibus ostenditur. De ejus duplici consulatu. Fasti Florentini, & lapis Romanus (qui lapis male ad Honoriana tempora refertur) illustrantur. Inscriptionū hibridarum exempla. Hic Rusticus Justini judex videtur nepos fuisse consulis anni* 119.

Vox ἔπαρχος aut ὕπαρχος non nisi *praefectum* aut urbanum aut praetorianum notat: numquam vero *praesidem*, quod tamen falso Papebrochius heic, & alii plures crediderunt. Quocirca in Sirletiana interpretatione apud Surium & Ruinartum quoties id nomen redditur *Praeses*, id in *Praefectum* mutandum erit. Is autem, de quo haec Acta loquuntur, erat *Junius Rusticus* is, cujus meminit rescriptum Divorum Fratrum ab Vlpiano recitatum l. 1. D. de appellation. his verbis: *Errori ejus* [qui unum pro altero appellavit] *subventum est rescripto divorum Fratrum* [Marci & L. Veri, sub quibus hi Martyres occubuerunt] *cujus haec verba sunt: Cum per errorem factum dicas uti a judice, quem ex rescripto nostro ab amplissimis consulibus acceperas, ad IVNIVM RVSTICVM amicum nostrum, PRAEFECTVM VRBI provocares; consules amplissimi perinde cognoscant, atque si ad ipsos facta esset provocatio.* Ex his vides, hunc Rusticum re vera sub M. Aurelio & L. Vero praefectoriam dignitatem consecutum, qua etiamnum anno 167. [quem circiter hi Martyres consummati putantur] fungebatur. At quampridem eā praefecturam adeptus fuerit, incertum. Fatendum est tamen, non nisi post annum 162. id contigisse, quo anno idem Rusticus cum Aquilino consul ordinarius processit: de quo infra videbimus.

Et adhuc quidem praefecti hujus, qui Justinum martyrii laurea donavit, nomen & cognomen novimus. Proderit jam & praenomen assequi. Id vero ex antiquis sex ponderibus apud Grut. p. 221. 222. didici; in quorum ultimo EX. AVCToritate Q. IVNI. RVSTICI. PRaefecti. VRB. legitur; sed & in praecedentibus eadem omnia, etsi litteris paucioribus compendio scribuntur: quem tamen pessime adnotator Gudius ad quarti saeculi praefectum urbanum refert [vide sis laudatas ponderum epigraphas] quum non sit alius quam Vlpiani Junius Rusticus, sub Marco & Vero praefectus urbi, idemque S. Justini judex.

Et hactenus quidem praefecto huic tria nomina, quemadmodum hominem Romanum decuit, vindicavimus: nunc de ejusdem duplici consulatu dicendum. Duos enim ab eo consulatus gestos fuisse, ex Capitolino in Marco addiscimus, ubi Junium Rusticum [eumdem utique atque hunc qui mox urbanam praefecturam arripuit] ab eo *consulem ITERVM designatum*, narrat. Et certe Fastorum omnes scriptores sub Marco *Rusticum & Aquilinum* consules anno Christi 162. signant. Quo loco Fasti Florentini minores notam geminati consulatus diserte notant in hunc modum; Ῥούστιος [pro Ῥούστικος: sicuti

Digitized by Google

πρὸς Ιυστῖνον· Πρῶτον πείσθητι (33) (σπεῖσαι) τοῖς θεοῖς, καὶ ὑπάκουσον

ſtino dixit: Primum omnium (ſacrificare). (33) diis animum indu-

ſicuti etiam in Chron. Paſchali Ρυστικὸς quatuor ſyllabis] τὸ β'. καὶ Ακυλῖνος h. e. *Ruſticius iterum & Aquilinus*. Nec immerito: nam prior ejus conſulatus ſuffectus fuit, atque is omnino, quem cum Flavio Tertullo geſſit, teſte Rom. lapide apud Grut. p. 131. 3. in quo legitur DED. K. IVL. Q. IVNIO. RVSTICO. Q. FLAVIO. TERTVLLO. COS. In quem porro annum is conſulatus incidat, equidem ignarus, id ex aliis libentius audiam, quam ut ſubnotatis ad recitatam inſcriptionem aſſentiar, ubi hic conſulatus ſub Hadriano ponitur: qui multo veriſimilius ſub Pio fuit. Sed tamen hic, uti dixi, prior ejus conſulatus fuit: alter vero, quem ordinarium cum Aquilino geſſit, is eſſe videtur, qui apud Grut. p. 286. 7. in baſis cujuſdam dextro latere ſic notatur: DEDICATA. PRIDIAE (ſic) NONAS. NOVEMBREIS. RVST.... II.... LINIO. COS. h. e. *Ruſtico iterum & Aquilino* (ſive *Aquilinio*) *conſulibus*.

Ac ſcio equidem, alios de conſulatu baſeos hujus longe aliter ſenſiſſe, & eum ad multo poſteriora tempora diſtuliſſe; praeſertim quum antica baſeos facies ſic ordiatur, *Salvis DD. NN. Honorio & Theodoſio* &c. Verum de hac baſi ſic ſentio, eam longe antiquiorem aevo Honoriano fuiſſe, & in antica parte longe aliud primitus fuiſſe ſcriptum: deinde quum ſub Honorio baſis ad inſcriptionem idonea quaereretur, lapicidas eraſiſſe ex hac vetere baſi quod in antica parte ſcalptum invenerunt, in eaque novum epigramma inciſiſſe: dum interim dextri lateris epigraphe incolumis manſit. Ac revera diphthongus in NOVEMBREIS & illud COS. [pro eo quod aevo ſequiore CONS. ſcribebatur] ſunt omnino indicia melioris orthographiae, quam pro Honorianis temporibus.

Hujus porro conſuetudinis, qua veteri titulo corraſo [etſi ex parte adhuc ſuperſtiti] nova epigraphe ſuperinducebatur, plura exempla me paſſim obſervaſſe memini, quae viris doctis, ſat ſcio, offendiculo fuerunt. Quas inſcriptiones quo alio nomine, quam *bibridas* appellem, non reperio. Verum ne longe abeam; ante hos paucos menſes quum apud nobiles adoleſcentes Marchionis Pariſii Graniti patricii Salernitani viri ſupra fidem humaniſſimi filios in ora Leucoſiae [quae eorum juris eſt] ruſticarer; baſim quamdam ad eos delatam vidi, in cujus uno latere ſatis vetuſta inſcriptio [qua Cereri ara a quadam Voconia Severa dedicatur] litteris elegantiſſimis exarata adhuc ſupereſt; in altero vero litteris rudibus ac longiſſimo intervallo poſterioribus inſcriptio cujuſdam *Brittii Praeſentis Correctoris* [Lucaniae utique] exhibetur, corraſa interim patera, quae anterioris inſcriptionis ornamentum erat. Quam totam inſcriptionem in gratiam virorum amiciſſimorum in aliud mihi tempus peculiari opuſculo illuſtrandam reſervo.

Ac plura jam de hoc *Q. Junio Ruſtico* bis olim conſule, mox praefecto urbano dixi, quam putaveram: & tamen adhuc quaedam de ejus ſtudiis ac moribus reſtant, in quae mox in Adnot. 36. excurremus. At interim cave ne cum hoc, de quo tamdiu diſſerui, illum cognominem Ruſticum confundas, qui anno Chriſti 119. cum Hadriano conſul ordinarius proceſſit [ad quem quidem Papebrochius Epiphanianum Ruſticum falſo retulit, quum re vera ille Epiphanianus a Juſtini judice diverſus non fuerit, uti *ſup. cap.* 2. oſtendimus] nam ille Hadriani collega facile praefecti hujus urbani pater aut potius avus fuerit, praeſertim ſi eadem tria nomina tulerit. Nam certe in vulgatis Faſtis ſic hodie inſcribitur *Q. Junius Ruſticus*.

Scio me, Reineſium alicubi citatum, vidiſſe, quaſi qui in epiſt. ad Rupertum quaedam de Ruſticis adnotaverit: ſed quando eum librum nanciſci non licuit, in hiſce interim animadverſionibus conquieſco.

(33) Quid hoc ſibi vult πείθεσθαι τοῖς θεοῖς, *parere diis*? An ullam pagani latam a diis ipſis de ſacrificando legem jactabant? Minime vero gentium. Solis hoc Judaeis & Chriſtianis, quippe veri Dei foederatis, datum, ut leges a Deo promulgatas jactare poſſint. Deinde ſi iſtud σπεῖσαι utcumque toleraverimus, tum illud certe ὑπάκουσον tantae Ruſtici paſſim breviloquentiae parum conveniet; cui dicendum potius πείθεσθαι τοῖς θεοῖς καὶ τοῖς βασιλεῦσιν continua ſerie fuiſſet. Verum quid moror? Equidem nihil dubito, quin hunc in modum praefectus inceperit: Πείσθητι σπεῖσαι (aut σπεῖσάμενος, aut σπένδων) τοῖς θεοῖς &c. *Indue animum diis ſacrificare, & (in eo) imperatoribus morem gere*. Ceteroqui niſi voculam illam addideris, quam uncis interpoſui; quo obedientiam praecipit, niſi in quo obediendum ſit, edicat? Nec difficile librario fuit illud σπεῖσαι praeterire, quippe ſoni affinis & eiſdem ferme litteris conſtans ac praecedens πείσθητι. Poſtremo non alia de cauſa Prologi auctor prope ab initio illud σπένδων... εἰδώλοις uſurpavit, quam quia in primo ipſo praefecti praecepto hoc idem verbum reperiſſet.

Digitized by Google

inducito, atque imperatoribus (34) morem gerito. Justinus dixit: *Accusari* (35) *aut reprehendi nequit hoc quod praeceptis Servatoris nostri Jesu Christi obtemperemus*. Rusticus praefectus dixit: Quae (philosophiae) scita (36) pro-

κυσον τοῖς (34) βασιλεῦσιν· Ἰουστῖνος εἶπεν· Ἀμεμπτον (35) καὶ ἀκατάγνωστον τὸ πείθεσθαι τοῖς προσαχθεῖσιν ὑπὸ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ῥουστικὸς ἔπαρχος εἶπε· Ποῖοι λόγοι (36) μετα-

χυ-

(34) Istud quidem βασιλεῦσιν *Imperatoribus* numero multitudinis praefefert, haec sub imperatoribus Marco & Vero gesta fuisse. Verum hic locus cum judiciali sententia [in qua unius *Imperatoris* fit mentio] infra componetur, ac de utroque simul loco judicium feretur.

(35) Jam vero istud, Ἀμεμπτον καὶ ἀκατ. &c. θαι. genus est syntaxeos, quo vix ullum est apud elegantiores Graecos usitatius. Non alius quam Justinus sic loqui poterat. Neq. vero, si quidem haec Acta sint mera Latinorum interpretatio, credibile est interpretem (praesertim si sequioris aevi) de veneribus istis consectandis futurum fuisse sollicitum. Sic vero in his Actis a capite ad calcem tota decurrit dictio, ut gnaris harum rerum judicibus obscurum esse non possit, quia hoc scriptum ἀυτοφυὲς [*primigenium*] fuerit, h. e. Graece primitus conscriptum. Accedit, quod saltem Justini responsa, prout Graece heic exstant, vere Justiniana sunt: id quod locutiones plurimae ostendunt Justino peculiares, quas studiose, uti se dabit occasio, in seq. animadversionibus observabimus.

(36) *EXCVRSIO ALTERA de Rustico praefecto, Justini judice.*

Hic est Rusticus ille philosophus, cujus Capitolinus in Marco meminit. Duplicis ne an unius philosophi ejus nominis mentio a Capitolino fiat? Forsitan duo intelligendi cognomines (fortasse fratres) tantum professione discreti, quorum unus Stoicus (de quo lapis quidam) alter Peripateticus fuerit. Sed potius est, ut a Capitolino unus idemque hic Justini judex bis laudetur, semel ut Stoicus, iterum ut Peripateticus doctor. Obiter de Rustico Aruleno Stoico (ad quem lapis Grut. pertinet) cujus quatuor nomina afferuntur. De juniore hoc Rustico Justini judice Capitolini locus explanatur, ac leviter corrigitur. Rusticorum series. Reinesii Pagiique quaedam secus dicta refelluntur. Rustici praefecti gravitas aliaeque virtutes in his Actis emicant. Ad ejus interrogationem reditur. Quid is λόγους h. e. sermones vocarit. Eadem locutio in Dione, Horatio, ac N. T. illustratur.

Haec interrogatio quamvis curiosa magis in speciem, quam necessaria institutae quaestioni videatur; tamen ne (nobis saltem) supervacua foret, Justini responsio fecit, qui inde confessionis suae occasionem arripuit.

Interim uti curiose de secta, quam Justinus profitebatur, scitaretur, non una causa praefecto fuit: prior quod quum Justinum pallio philosophico [de quo vide initio Dial. cum Typhone, & alibi] amictum cerneret; cui sectae nomen dedisset, rescire curae fuit. Altera vero causa ex eo petitur, quod quum praefectus eum a Crescente Cynico calumniis appetitum sciret, necessarium sibi duxit per hasce interrogationes causas aemulationis detegere. Tertia ab ipso praefecto petenda est, quem celeberrimum, siquis alius, philosophiae professorem fuisse, reperio. Hic enim ille est Junius Rusticus, de quo Capitolinus in Marco haec scripsit cap. 3. *Audivit & Sextum Chaeronensem Plutarchi nepotem, JVNIVM RVSTICVM, Claudium Max. & Cinnam Catulum, Stoicos. Peripateticae vero studiosus, audivit Claudium Severum, & praecipue JVNIVM RVSTICVM.*

Proderit autem heic paullisper resistere. Nam etiam atque etiam considerandum est, quo pacto unus idemque Junius Rusticus bis nominetur, primum inter Stoicos, mox inter Peripateticae doctores: deinde cur *Stoicae disciplinae peritissimus* [uti mox Rusticum appellat] sibi Marcus Aur. ad exponendam Peripateticam praeceptorem adhibuerit. An duplex a Capitolino Jun. Rusticus designatur? quos praenominibus inter se distinguere debuisset, si aevo meliore vixisset: nunc eos sectarum professione distinguit. Nam prior ille a Capitolino memoratus (cui *Lucio* praenomen videtur fuisse) Stoicus erat professione: de quo forsan praeclarum marmor Romae loquitur apud Grut. p. 426. 10. quod est ejusmodi:

L. IVNII. RVSTICI
PHILOSOPHI
STOICI
L. IVNIVS. L. L
MYRINVS. S. P. P

At eorum alter quos Capitolinus nominavit

Digitized by Google

(cui *Quinto* praenomen erat, ex quo facile eos fuisse fratres suspiceris) etsi *Stoicae disciplinae peritissimus* esset, tamen quia Peripateticam profitebatur, ea de causa inter Peripateticae doctores a Marco adscitus fuit. Hic multo nobilior illo altero fuit, ac Marco Imper. prae omnibus carissimus; in cujus laudes mox statim se Capitolinus effundit.

Hunc in modum initio conjeceram. At postea subductis apud me rationibus, conjecturae poenituit. Nam potius est, unum eumdemque Rusticum a Capitolino bis laudari, quippe tum in Stoici tum Peripatetici dogmatis magisterium a Marco adscitum, eo quod utroque polleret, Stoicae quidem doctrinae professor eximius, at Peripateticae tantum *studiosus*, uti Capitolinus [modo leviter corrigatur] loquitur: de quo mox.

At enim, si ita se res habet, ecquis erit *L. Junius Rusticus philosophus Stoicus*, de quo modo recitatum elogium Romanum loquitur? Non alius ab *Rustico Arulena* viro integerrimo, ac Stoico celeberrimo, quem Domitianus per summum scelus occidit, quod [uti Dio scribit] ἐφιλοσόφει, καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ἀνόμαζε, *quod philosophus esset, quodque Thraseam SANCTISSIMVM VIRVM* appellasset. Quod *ἱερὸν Sanctissimum* reddidi, secutus in eo ium Tranquillum cap. X. ubi inter viros eximios a Domitiano mactatos refert *Junium Rusticum* [at Dio loco cit. Tacitus in Agric. & alii hunc eumdem *Rusticum Arulenum* vocant] *quod Paeti Thraseae & Helvidii Prisci laudes edidisset, appellasseque eos SANCTISSIMOS VIROS: cujus criminis occasione philosophos omnes urbe Italiaque submovit.* Hujus praestantissimi Stoici disjectas memorias qui in unum colligere voluerit, poterit ex Taciti, Philostrati, Plinii*que* Jun. locis pluribus, & ex Plutarcho in *de Curiositate* id facile praestare. Quibus junges & Romani marmoris titulum, quem supra recitavimus.

Et hactenus Stoici perfectissimi [quem tamen M. Regulus homo impurissimus apud Plinium I. ep. 5. *Stoicorum simiam* contemptim vocabat) tria nomina adepti sumus, quippe *Junius Rusticus Arulenus* dicebatur: at *Lucii* praenomen ex supra scripta epigraphe assequimur, in qua ille *L. Junius Rusticus* [omisso ultimo nomine, quod non est insolens, aevo praesertim meliore] inscribitur. Quod si adhuc de Arulcni praenomine dubitas, propterea quod a recitato RVSTICI STOICI epigrammate abest *Aruleni* ultimum nomen; ecce sexcentae *Arulenorum* libertinorum inscriptiones subsidio venient; qui quum omnes ab illo Rustico Aruleno fluxerint, & interim *Lucii* praenomen universi gerant; utrumque liquido ostendunt, tum nim. Rustico Aruleno *Lucii* praenomen fuisse, tum etiam recitatum *L. Junj Rustici. Stoici* titulum nō alii quam eidem Rustico Aruleno adjudicandum. Itaque in Grutero quidem reperies *Lucios Arulenos* [& quidem libertinos] *Anopten* p. 38. 11. & *Sosimum* p. 758. 4. ad haec in Reinesio XIV. 26. *L. Arulenum Philerotem*. At in Muratoriano indice longe plures occurrent libertini generis *Aruleni* cum *Lucii* praenomine, pluresq. *Arulenae L. L.* [*Lucii libertae*]: etsi non omnes philosophi illius libertos fuisse praesto, sed eorum aliquos libertorum ejus libertos, alios vero saltem libertinis parentibus ortos. Sed omnibus tamen *Lucii* praenomen praeit.

Antequam manum de tabula; hoc etiam ex recitata Rustici Stoici inscriptione licebit discere, viro illi summo, postquam a principe saevissimo occubuit, neminem fuisse repertum, qui monumentum poneret, praeter ejus libertum *Myrinum* patrono suo gratissimum, qui titulum, quem supra ex Grutero recitavi, S. P. P. h. e. *sua pecunia posuit*. Adde hoc etiam, eidem Rustico Aruleno supervixisse ejus germanum fratrem, Plinii Jun. amicum, nomine *Junium Mauricum*, cujus non una in epistola cum laude idem Novocomensis meminit.

Nunc post longam, sed non inutilem de seniore Rustico Stoico digressionem, ad Capitolini locum, ex quo diverteram, redeo: quem quidem locum praestabit heic solidum ab initio ad calcem adscribere. *Tantum autem studium in eo* (Marco) *philosophiae fuit, ut adscitus jam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii* (philosophi Stoici) *discendi causa veniret. Audivit & Sextū Chaeronensem Plutarchi nepotem* (adhaec Quintum) *JVNIVM RVSTICVM, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum, Stoicos. Peripateticae autem studiosus* (imo malim *studiosos*; ut ad sequentes referatur, quos scil. Peripateticae non professores, sed tamen *studiosos* vocat; ac praecipue Rusticum, quem Dio quidem Stoicum facit, at Capitolinus & *Stoicae peritissimum*, & *Peripateticae studiosum* heic vocat) *audivit Claudium Severum, & praecipue* (eumdem Quintum) *JVNIVM RVSTICVM: quem & reveritus est & sectatus; qui domi militiaeque pollebat, Stoicae disciplinae peritissimum, cum quo omnia communicavit publica privataque consilia; cui etiam ante praefectos praetorio semper osculum dedit; quem & consulem iterum designavit; cui post obitum a senatu statuas posttulavit.* Ex quibus Capitolini verbis jam illud intelligis, cur Rusticus is in Rescripto divorum Fratrum apud Ulpi-

Digitized by Google

Vlpianum l. 1. D. de Appellat. *amicus* Caesarum nuncupetur: *Ad Junium*, inquit, *Rusticum*, *AMICVM NOSTRVM, praefectum urbi provocares*. Sed *primae admissionis*, uti tum loquebantur, amicum illum fuisse, ultima Capitolini verba fateri cogunt, atque illa praecipue, *Cum quo omnia communicavit . . . cui et ante pr. pr. sem. osculum dedit*.

Ac me tam plura de Rusticis tum heic tum supra in Adnot. 32. cumulasse, [plura adhaec allaturum, nisi rerum satias obruisset] nondum plane poenitet. Ex quibus hoc possumus intelligere, Rustici illius Aruleni [anno Christi 94. interfecti] sive filium aut nepotem, sive ex transverso descendentem, fuisse illum *Junium Rusticum*, qui cum Hadriano anno Christi 119. consulatum inivit: ad hunc vero demum Hadriani collegam facile ut avum [nisi si ex transverso venerit] pertinuisse arbitror hunc nostrum, de quo tamdiu loquimur, *Q. Jun. Rusticum*, bis consulem, mox urbi praefectum, Marci primae admissionis amicum, virum *Peripateticae studiosum*, sed *Stoicae peritissimum* professorem; cujus ille professionis possessionem hereditariam acceperat, jam inde ab Aruleno [ante annos 70. per scelus sublato] ad se transmissam.

Jamque tum hanc de Rustico praefecto Adnotationem scripseram, tum etiam superiorem alteram 32. in cujus fine Reinesii epistolas frustra a me quaesitas, querebar: quum ecce Reinesiana quaedam in Pagio reperi. Hic enim initio anni 162. consules sic enuntiat: *L. Junius Rusticus, C. Vettius Aquilinus: ut ostendit* (inquit idem Pagius) *Reinesius epist. 34.* Verum bona cum Reinesii Pagiique venia, priori consuli non *Lucii*, sed *Quinti* praenomen fuit; nam certe is fuit, qui a Capitolino (cujus locum supra illustravimus) inter Marci praeceptores recensetur. Atqui is non tantum consul, sed & sub eodem Imperatore praefectus urbi fuit: de consulatu enim Capitolinus, de praefectura Vlpianus (in Adnot. 32. productus) meminit. Nunc quia qui consul, is etiã praefectus fuit; jam is QVINTVS non LVCIVS esse debuit, quippe quum *Quinti* praenomen ei tribuatur in ponderibus Gruterianis pag. 221. 222.

At excipit Pagius haud longe ante finem num. IV. his verbis: *Hic porro Q. Junius Rusticus diversus est a Junio Rustico hujus anni consule; quum Jun. Rusticus* (is qui consul fuit) *non dicatur praefectus urbis a Capitolino, ubi ejus dignitates enumerat*. Atqui quem Marcus apud Capit. *consulem iterum designavit*, eum opus est per honores plures antea decurrisse, nec tamen eos Capitolinus enumerat. Ceterum quod Capitolini Rusticus idem fuerit atque Vlpiani praefectus urbis, ex eo liquet, quod uterque *amicus* principis, & quidem intimus, fuisse significetur.

Sed & idem Pagius toto aberrat caelo, eod. num. IV. proxime a medio, ubi quod Gruterianis ponderibus (quae in Adnot. 32. protulimus) inscribitur, Q. IVN. RVST. PR. VRB., duas ultimas notas de *praetura urbana* interpretatur, quas facillime potuerat de *praefectura urbana* intelligere, ut qui ex Vlpiano a Rustico gestam eam praefecturam sciret. Ceterũ illud PR. VRB. (tum *praetorem*, tum *praefectum urbanum* notare aptum) cur in iis ponderibus *praefectum* potius designet, Ammianus pro me causam dicet lib. XXVII. cap. 9. qui ponderum curam ad praefectos urbi pertinuisse agnoscit, ubi inter Praetextati praefecti urbi res praeclare gestas hoc etiam refert, quod *Pondera per regiones instituit universas, cum aviditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret*. Hactenus de Rustico praefecto, eodemque bis consule, Marci amicissimo, ac Stoico excellentissimo.

Ac sane miseret, quod tot hujus Rustici laudes uno hoc maximo dedecore obfuscentur, quod qui se S. Justino [longe divinioris philosophiae magistro, cujus & praeclaram confessionem audierat] praebere assecla debuisset, tamen ita se adversus illius salutares doctrinas obfirmaverit, ut plura ab eodem audire supersedens, viri eruditissimi atque innocentissimi se caede contaminaverit: tantum ad Divinam in se gratiam admittendam impedimenti Stoicum supercilium huic praefecto attulit, docciliori futuro, si minorem arrogantiam ex praeclara illa, uti tunc jactabant, invulnerabilis constantiae officina contraxisset. Vel sic tamen in toto hoc judicio cum reo philosopho philosophum judicem congredientem agnoscas. Nihil nisi grave ac decorũ in Rustici dictis [nam de sanctissimo Martyre quid nunc attinet dicere?] factisque cernas: nulla in eo levitas animi, nulla effrenis linguae petulantia: contra vero quanta gravitas animi ac moderatio, quanta prae ceteris Christianorum judicibus lenitas, quanta in verbis ipsis Stoica βραχυλογία (*breviloquentia*). Ne multa: haud facile his Actis aliud quodvis monumentum decori servantius videas; in quibus tam apte judex Stoici personam sustinet, ab reo autem nulla nisi vere Justiniana, uti observabimus, non modo sententia, sed etiam vel maxime locutio proficiscitur.

Atque ut tandem ad eum Actorum locum, unde haec tam longa de Rustici Stoicismo orta est digressio, redeam: praefectum hunc in quo-

Digitized by Google

χειρίζεις; Ιουστῖνος εἶπε· Πάντας μὲν λόγους (37) ἐπειράθην μαθεῖν, συ-

profiteris? Justinus dixit: *Omnia quidem placita* (37) *ediscere conatus*

vis philosophiae genere subactum, qui vicissim Justinum (cum scil. quem Cynici gregis asseclae, quasi impie de diis philosophantem ad se detulissent) in pallio philosophico conspicaretur, haud immerito nulla prior cura subiit, quam ut illum de secta percontaretur. Hinc cum hac prima interrogatione aggreditur. Ποίους λόγους μετὰ χειρίζεις; quod quidem verbis totidem est, *Quae studia tractas*, aut *ad manus habes*? at in re proposita id proprie significat, quod in interpretatione posui, *Quam* (philosophiae) *sectam*, aut *quae placita profiteris*? Nec aliter ex Dione Xiphilinus in re pari λόγους a generali *studiorum litterariorum* notione ad sectam philosophicam significandam transtulit, ubi in M. Aurelio narrat, hunc principem in philosophia praeceptores adhibuisse *Junium Rusticum* (hunc scil. S. Justini judicem) *& Apollonium Nicomediensem* (τοὺς Στωϊκοὺς λόγους μελετῶντας) *viros in Zenonis placitis* aut *sententiis exercitatos*. Cui Dionis phraseologiae etiam Justinus in Dial. cum Tryph. (pag. 225. D. edit. Col.) concinit, quo loco Christi λόγους (*sermones* h. e. *placita*) *quietem dulcissimam* praebere dicit (τοῖς ἐκμελετῶσιν αὐτοὺς) *eis, qui in illis placitis se exercent*. Eadem notione & in N. T. λόγοι (*sermones*) tertio quoque verbo usurpantur; in quo *sermones Christi* non aliud, quam ejus secta intelligimus. Ex ea loquendi consuetudine fluxit & illud Horatianum haud passim satis intellectum III. Od. 21. quo amphoram vates alloquitur:

Non ille, quamquam Socraticis madet
SERMONIBVS, te negliget horridus.
Narratur & prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

Vbi *Sermonibus* Graeco more tantundem est, quod λόγοις h. e. *placitis, scitis*.

(37) Tota haec Justini responsio quam recte cum ejus scriptis consentiat, is plane intelliget, qui legerit ejus cum Tryphone Dialogum, quo loco narrat, quo pacto philosophiarum omnium [nominatim autem Stoicae, Peripateticae, Pythagoricae, Platonicae] decursis stadiis, nec usquam veritatem, rectamque de Divinitate notionem, quam unice affectabat, assecutus, postremo reperta in Prophetarum libris limpidissimae ὀρθοδοξίας vena, ibi laborum suorum metam posuerit. Quo loco *Prophetarum* nomine libros omnes θεοπνεύστους [*afflatu Divino conscriptos*] intelligit, ut infra ostendam. Porro in hoc responso praeter res, etiam phraseologia est plane Justiniana, ut quod συνῆφθαι sequente casu tertio pro *adhaereo* usurpat [συνεφθείμην δὲ τοῖς ἀληθέσι λόγοις] quo referri potest illud Pausaniae, Ῥιανῷ ... τῷ Εὐβοεῖ, *Rhiano ... hoc assentiar*, & quae similia loca Budaeus affert. Sed ea significatio in aliis rarior, Justino perquam familiaris fuit: quae tum alibi nusquam non obviam legenti occurret, tum in Dial. cum Tryph. Quin & in eodem Dial. [ad finem pag. 262. edit. Colon. quatuor] eadem, quae heic, conjuncta verba usurpavit. *Quodsi vos* [Judaei] *in cordis duritie permanentes ...* [τῷ ἀληθεῖ συνάπτεσθαι] *veritati adhaerere recusaveritis* &c.

Jam vero in eo quod sequitur Καὶ μὴ ἀρέσκοι τοῖς ψευδοδόξοις, pro Καὶ [quod in edit. Papebrochii legitur] scripsi καίτοι (*etsi*) cogente sententia. Et quod heic in extrema Justini responsione ψευδόδοξοι vocantur ii qui erroribus detinentur, id quoque est ex Justini dicendi officina; cui non tantum ψευδόδοξος sed & ψευδοδοξία multo in usu fuit. Qua occasione animadvertendum est, Justini locum haud longe a fine Apologiae brevioris, omnino maculosum videri, eoque ab interprete Lango contra S. Doctoris mentem expositum. Ibi Langus: *Vnde ab aliis etiam res nostrae cognosci, atque illi ipsi* [*Christiani*] *suspicione falsa* [Gr. ψευδοδοξίας] *liberari queant, qui praeter suam ipsorum culpam suppliciis obnoxii sunt*. At Graece sic Justinus: ὅπως καὶ οἱ ἀλλοις τὰ ἡμέτερα γνωσθῇ, καὶ δύνωνται τῆς ψευδοδοξίας καὶ ἀγνοίας τῶν καλῶν ἀπαλλαγῆναι, οἱ [corrige meo judicio οἷς] παρὰ τὴν ἑαυτῶν αἰτίαν [supple heic ἡμέτερα, aut χρίσιανὰ: aut vero nihil addens, tantum mox pro γίνονται scribas γενόμενα] ὑπεύθυνοι τοῖς τιμωρίαις γίνονται. Quae totidem verbis sic reddas licet. *Vt aliis etiam nostra innotescant; ac possint a falsis opinionibus & aequi bonique ignorantia liberi evadere* [non Christiani, sed quos proxime ἄλλους *Alios* vocaverat, h. e. gentiles] *apud quos nulla sua culpa obnoxii poenis* [Christiani] *fiunt*. Omnino enim iis ψευδοδοξία quibus & ἄγνοια τῶν καλῶν [quam posteriorem φράσιν Langus ἀνεμήνευτον *sine interpretatione* est praevectus, quod eam in Christianos non posse convenire intelligeret] est tribuenda.

Digitized by Google

tus fui, at adhaesi veris Christianorum scitis, quamvis haec minime probentur iis qui erroribus detinentur. Rusticus praefectus dixit: His ne placitis (38) delectaris, miserrime? Justinus dixit: *Etiam: quandoquidem recto* (39) *cum dogmate eos sequor. Rusticus praefectus dixit*: Qualenam istud est dogma? (Justinus (40) dixit): *Quo Deum Christianorum* (41) *colimus:*

συνεθέμην δὲ τοῖς ἀληθέσι λόγοις τῶν χριστιανῶν, κἂν (τοι) μὴ ἀρέσκωσι τοῖς ψευδοδόξοις. Ρυστικὸς ἔπαρχος εἶπεν. Ἐκεῖνοί σε (38) ἀρέσκουσιν οἱ λόγοι πανάθλιε; Ἰουστῖνος εἶπεν. Ναί. ἐπειδὴ μετὰ δόγματος (39) ὀρθοῦ ἕπομαι αὐτοῖς. Ρυστικὸς ἔπαρχος εἶπε. Ποῖόν ἐστι δόγμα; (Ἰουστῖνος (40) εἶπεν.) Ὅπερ εὐσεβοῦμεν (41) εἷς

ὃν

(38) Verbum ἀρέσκω cum accus. personae tritum est apud elegantiores Graeciae scriptores. At Justinus nervosae tantum orationis sectator, ceterum verborum paullo negligentior, in fine praecedentis responsionis cum dandi casu junxit (μὴ ἀρέσκωσι τοῖς ψευδ.) vulgarem loquendi morem secutus, quo & semper in suis scriptis utitur.

(39) Non omnes Christianos indiscriminatim sequi se profitetur, sed eos demum qui μετὰ δόγματος ὀρθοῦ (*recto cum dogmate*) ambularent, recte videlicet de Deo & religione Divina sentientes: quibus verbis apposite se orthodoxis adjungit, & ab heterodoxis distinguit.

(40) Quae heic interponuntur, necessario addenda fuisse quivis per se videt. Nihil prorsus descriptori fuit, quam ut incisa ista, *Ille* aut *Ille dixit*, quae tertio quoque verbo injiciuntur, nonnumquam parum sibi cautus omitteret.

(41) Quod vertimus, *Quo Deum... colimus*, recte habet: nam apud antiquos εὐσέβεια & θεοσέβεια pro synonymis usurpantur. Eusebius in Praep. Ev. εὐσεβεῖν τὸν χριστὸν h. e. *Christum colere* dixit; itemque Chrysostomo in Iobum, γνησίως εὐσεβεῖν τὸ θεῖον est *legitime Numen divinum colere*. Sed & sequente praep. εἰς (ut in hoc Justini responso) hoc ipsum significat apud Nyssenum, qui εὐσεβεῖν εἰς Θεὸν usurpavit h. e. *pium esse in Deum* seu *Deum colere*. Pro quo antiqui εὐσεβεῖν περὶ vel πρὸς τὸν θεὸν dicere consueverunt.

Hinc autem Justinianae ὀρθοδοξίας (quam sequi se proxime dixerat) confessio incipit. Quod vero in ea confessione Patris tantum ac Filii meminit, nulla Spiritus Sancti facta mentione, id te minime turbet, quasi vero Justinus ejusdem adorationis consortio Spiritum Sanctum excluserit: nam pluries is Spiritum S. Trinitati aggregat, disertissime vero in longiore Apologia: in qua (p. 56. edit. Col.) sic profitetur: ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα... Πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν. *Sed & hunc ipsum* (Patrem) *& qui ab eo venit, Filium, & Spiritum propheticum* (h. e. qui locutus est per prophetas) *colimus & adoramus*. Ceterum antiquissimi Patrum sic interdum Fidei summam exponebant, ut Patre ac Filio nominatis, Paracleto paullisper superfederent, secuti forsitan illud Jo: XVII. 3. *Haec est vita aeterna* [h. e. primus ad vitam gradus] *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Nec aliter ille Senior, qui Justino dux ad salutem fuit, eum ad Prophetarum amorem incitat, quam quod in eis Patris & Filii notitia hominibus ingeritur, nihil interim de Spiritu memorans: cujus verba ex Dialogo cum Tryph. [pag. 225. A] haec sunt: ἐκείνου καὶ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων Θεὸν καὶ Πατέρα ἐδόξαζον, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ χριστὸν υἱὸν αὐτοῦ κατήγγελλον. *Nam & opificem universitatis Deum Patrem, & ab eo missum Christum ejus Filium* [Prophetae] *annuntiaverunt*. Atqui iidem prophetae etiam de Spiritu plura dixerunt. Sed nunc non erat his locus. Ergo Patris Filiique cognitio fuit primus ad pietatem gradus: nam cetera de Paracleto aliisque mysteriis in posterioribus catechesibus docebantur. Hanc & Christus ipse docendi viam tenuerat, qui ante suam mortem Paracleti notitia vix leviter adumbrata, non nisi post resurrectionem discipulos jam robustiores effectos ejus doctrina clariore imbuit. Sed & ab Ephesinis catechumenis scisciatus Apostolus an Spiritum accepissent, id responsum abstulit, *Neque si Spiritus Sanctus*

est,

Digitized by Google

τὸν τῶν Χριστιανῶν Θεὸν· ὃν ἡγούμεθα ἕνα τοῦτον ἐξ ἀρχῆς ποιητὴν (42) καὶ δημιουργὸν τῆς πάσης κτίσεως, ὁρατῆς τε καὶ ἀοράτου, καὶ κύριον (43) Ἰησοῦν Χριστὸν παῖδα Θεοῦ, ὃς καὶ προκεκήρυκται ὑπὸ τῶν Προφητῶν μέλλων παραγίνεσθαι τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας

limus: quem credimus unum ipſum eſſe a principio effectorem (42) & artificem rerum omnium, tum quae videntur, tum quae ſub aſpectum non cadunt; & Dominum (43) Jeſum Chriſtum Dei filium: quem & Prophetae praenuntiarunt, humano generi in ſalutis praeconem & egre-

eſt, audivimus: nec dum enim ad catecheſim de Paracleto totaque Trinitate proceſſerant. Et haec igitur Juſtini confeſſio vere Juſtiniana eſt, ut ex Dial. cum Tryph. proxime oſtendimus. Nunc cetera tum dicta, tum etiam dicendi genera item Juſtino familiaria in hoc reſponſo inſpiciamus.

(42.) Quod Patrem ποιητὴν vocat, eam locutionem & in verbis modo ex ejus Dial. recitatis animadvertis, & in Apol. longiore pag. 66. & ubi non? Nulla adeo prope Juſtini pagina reperietur, ubi non Patrem ποιητὴν τῶν ὅλων, *Univerſorum effectorem* vocet. Ceterum quod Patrem non ποιητὴν (*effectorem*) tantum, ſed & δημιουργὸν (*artificem*) vocat, hoc ad id vocum earum diſcrimen eſt referendum, quod ipſemet Juſtinus (in Cohort. ad Graec. pag. 21. C) ex Platone his verbis explicat. *Nam* (Ποιητὴς) *Effector quidem nullius alterius rei* [prius exſiſtentis] *indigens, ſuapte poteſtate atque arbitratu rem exſiſtentem facit: at vero* (Δημιουργὸς) *Artifex opificii ſui facultatem ex* [prius exſiſtente] *materia accipiens, ita demum ſuum molitur opus*. Ergo quum Deus primo ſuo ad res procreandas appulſu rerum omnium farraginem ex nihilo eduxerit, hinc merito Ποιητὴς h. e. *Effector* ſive [uti noſtri malunt] *creator* Juſtino dicitur: quumq. porro Deus idem ex illa indigeſta materia ceteras deinceps res per dierum intervalla ordinarit; hinc jure idem & Δημιουργὸς h. e. *Artifex* Juſtino eſt appellatus. Quae ſequitur partitio (ὁρατῆς τε καὶ ἀοράτου) ſumpta eſt ex Col. I. 16.

(43) *De Juſtini* Κυριολογίᾳ. *Quid* θεολογεῖν *quidve* κυριολογεῖν *Juſtino ſit, Nanzianzeni loco explicatur*. Domini *praenomen Chriſto praefixum ex Syrorum forſan conſuetudine principio ortum, deinde ſacratiore intelligentia uſurpatum fuit*. *In Fidei formula* [Vnus Deus-Pater, & Vnus Dominus-Jeſus Chriſtus] *illud* Vnus *ad* Pater & *ad* Chriſtus, *tamquam ad ὑπακουόμενον eſt referendum*. *Scripturae illuſtrantur*.

Hanc totam Fidei profeſſionem ab initio ad hunc uſque locum haud dubie Doctor Samarita ab Apoſtolo hauſit 1. ad Cor. VIII. 6. ubi Apoſtolus quû totus in aſſerenda μοναρχία [*unius principatu* ſeu Deo uno: de quo vide Juſtini librum περὶ Μοναρχίας] eſſet, haec poſuit. *Nobis tamen unus Deus-Pater, ex quo omnia.. & unus Dominus-Jeſus Chriſtus, per quem omnia*.

Quod vero Noſter Apoſtolum ſecutus, Patrem quidem θεολογεῖ [*Deum vocat*] Chriſtum vero κυριολογεῖ [*Domini titulo decorat*] ejus loquendi conſuetudinis hanc affert rationem Nanzianzenus or. XXIII. pag. 420. Ὁρίζει δὲ καὶ τὴν μυστέραν ΕΤΣΕΒΕΙΑΝ [de hac voce vide dicta in Adnot. 41.] &c. *Praeſcribe vero noſtrae religionis profeſſionem, ſic docens, ut unum quidem agnoſcamus DEVM ingenitum, Patrem ſcilicet: unumque genitum DOMINVM, videlicet Filium. Qui* (Filius) *DEVS quidem vocatur, ubi de eo ſeparatim ſermo habetur, DOMINVS autem, quando cum Patre nominatur: quorum illud quidem* [nomen] *ad naturam pertinet, hoc vero alterum ad unicum principatum*.

Porro quod Chriſto Κυρίῳ (Domini) praenomen tribuitur, id κυριολογίαν (*Domini praedicatio*; ut & κυριολογεῖν erat *Domini titulo exornare*) dicebatur antiquis. Quod quidem loquendi genus ab Juſtino inventore prodiit: qui primus, quod equidem ſciam, in Dial. cum Tryph. Κυριολογεῖν (quod ceteris Graecorum notat *Loquendi proprietate uti*) pro eo quod eſt *Dominum praedicare* uſurpavit. Ergo (pag. 177. B. edit. Colon.) *Praeterea*, inquit, *qui recte comprehenditur* (ποιητὴν τῶν ὅλων) *univerſorum effectorem, alius quidam a Spiritu Sancto* (κυριολογεῖται) *Dominus praedicatur* [is eſt Filius] *ac non per Moſem tantum, verum etiam per Davidem*. Et paucis interjectis: *Vtrum igitur poteſtis dicere alii cuiquam Spiritum Sanctum* (θεολογεῖν καὶ κυριολογεῖν) *Dei & Domini appellationem tribuere, an*

uni-

egregiarum (44) disciplinarum doctorem esse venturum. Atque equidem, homo qui sim, pauca puto (45)

me

universorum Patri & Christo ejus? Quod ita est distribuendum, ut Patri θεολογίαν (*Dei appellationem*) Christo κυριολογίαν (*Domini titulum*) tribui in Scripturis contendat.

Ergo compositio quidem verbi Κυριολογεῖν, uti dixi, ab Justino auctore est: nam ceteroqui ea tota *Domini praedicatio*, si rem ipsam spectes, ab Apostolis prodiit, qui tertio quoque verbo Christo Κύριον praenomen vindicant. Itaque illud 1. Cor. XII. 3. *Nemo potest dicere Dominus Jesus* (at in Graeco accusandi casu, *Dominum Jesum*) *nisi in Spiritu Sancto*: id tantundem est ac si uno verbo dixisset, *Nemo potest* Κυριολογεῖν.

Atque ut paucis rem absolvam: vox quidem Κύριος si ut ἐπίθετον (*attributum*) sumatur, communis tribus Personis est: contra si loco praenominis usurpetur, peculiaris est Christi Jesu. Ac fortassis id ei praenomen Συριασμός (*Syriacae dialecti consuetudo*) peperit. Nam Syri magistros ac sapientes מָר [*Domini*] titulo, tamquam dignitatis praenomine, decorabant: quo spectat illud in Joannis Evangelio, *Vos vocatis me Magister & Dominus*. Quo posito, ubi 1. ad Cor. VIII. 6. e regione *Unius Dei Patris* ponitur *Unus Dominus Jesus Christus*, illud *Unus* in priore membro non ad DEVS, sed ad PATER referri debet; sicuti & in posteriore non ad DOMINVS, sed ad suum ὑποκείμενον, nempe τὸν *Jesus Christus*, cui ceteroqui *Domini* praenomen tribuitur; ita ut ferendi cum *Maccaph* (quod Graeci ὑφὲν vocant) in eo loco perspicuitatis gratia possit, *Unus Deus-Pater: Unus Dominus-Jesus Christus*: quia teste Nazianzeno (loco supra recitato) quoties uterque nominatur, Pater *Dei*, Filius *Domini* praenomine donari solet. Nec alia vis est Nicenae formulae; *Credimus Unum D.um-Patrem ... Unum Dominum-Jesum Christum*. Nam ceteroqui nec minus Filius *Deus* est, nec minus Pater est *Dominus*. Ergo si praenomina tantisper tollas, eo Fidei formula redibit, ut confiteamur *unum Patrem, unumque Jesum Christum*.

At cave putes, Κυρίου [*Domini*] nomenclationem non aliud quam honorificum praenomen in Christo fuisse: hanc enim opinionem [quae fortasse suboriri potuisset] Christus ipse dedita opera amolitur, ubi post illa verba, *Vos vocatis me, Magister & Dominus*, subjicit,

ρίας κήρυξ καὶ διδάσκαλος καλῶν (44) μαθητῶν (cor. μαθημάτων). κἀγὼ ἄνθρωπος ὢν, μικρὰ (45) νομίζω

Et bene dicitis: SVM ETENIM. Quibus verbis se ab aliis eodem praenomine fortasse decorari solitis secernit, qui dicebantur quidem, sed non erant *Domini* & Magistri. Quo & illud refer, quod Justinus in Apol. longiore, ubi de Baptismo, scripsit: *In nomine Dei Patris & DOMINI RERVM OMNIVM Filii*: quae verba Christi regnum pulchre exprimunt.

(44) Quod Jesum Christum *Salutis praeconem*, & *magistrum* seu *doctorem* vocat, id nusquam non in Justini libris reperias: in cujus scriptis tertio quoq. verbo occurrit, ὁ διδάσκαλος ἡμῶν, ὁ ἡμέτερος διδάσκαλος, *Praeceptor noster*. At etiam conjuncta verba, quae huic in Justini confessione legimus, reperire licebit prope ab initio brevioris Apologiae (pag. 42. D.) in narratione certaminis S. Ptolemaei. Ibi sic narrat: *Maritus quum adversus illam* (olim uxorem suam) *agere non liceret; ad Ptolemaeum quemdam* (διδάσκαλον ἀκούσης τῶν χριστιανῶν μαθημάτων γενόμενον) *qui se illi mulieri praeceptorem Christianarum disciplinarum praestitisset, conversus est.* Ibi vides, sic διδάσκαλος μαθημάτων dici, ut huic διδάσκαλος καλῶν μαθημάτων; ac proinde recte hoc a me factum, qui unius syllabae additione μαθημάτων hoc loco restituerim pro μαθητῶν, quod nihil erat. Nam quaero quid sibi hoc vult, *Praeceptor* (καλῶν μαθητῶν) *bonorum discipulorum*? Ineptа prorsus atque indigna Justino locutio. Ut omittam quod post διδάσκαλος abundat μαθητῶν (*discipulorum*) mentio: ea enim est τῶν πρός τι (*eorum quae dicuntur ad aliud*) consueta usurpatio, ut uno exposito, aliud non sit explicandum. Nec Christus discipulos *bonos* reperit, sed effecit. At διδ. καλῶν μαθημάτων, *doctor egregiarum disciplinarum*, & eleganter dicitur, & alibi ab Justino (loco proxime recitato) usurpatum fuit: nec vero vacat, quia permultum sane interest bonarum ne, an noxiarum aut futilium doctrinarum se quis doctorem praestet.

(45) *Inenarrabilem* intelligit, praesertim Divini ortus ratione: quo spectat illud quod idem Justinus in Apologia longiore [pag. 86. D.] de eodem Dei Filio, quod [ἀνεκδιήγητον ἔχει τὸ γένος] *ineffabile genus habeat*, praedicat; & quae in eamdem sententiam, allato Isaiae loco, in Dialogo ad finem pag. 261. disserit.

Hoc autem loquendi genus, Νομίζω λέγειν

[si

μίζω λέγειν πρὸς (46) τὴν αὐτῆς ἄπειρον θεότητα, προφητικήν τινα δύναμιν (47) ὁμολογῶν· ἐπεὶ προκεκήρυκται περὶ τούτου, ὃν ἔφην νῦν Θεοῦ υἱὸν ὄντα. ἴσημι γὰρ ὅτι ἄνωθεν προεῖπον οἱ Προφῆται περὶ τῆς

me dicere prae (46) *ejus infinita Deitate, Prophetica* (47) *vi quadam* (ad id) *opus esse agnoscens: quandoquidem* (Prophetarum) *praeconio praenuntiatus hic fuit, quem modo Dei Filium esse dixi,*

quem

[si quidem νομίζω pro *puto, sentio* accipiatur] elegans syntaxis, huic verbo familiaris, erit, qua infinitivum post se gerit, non cum accusativo, sed cum recto casu [sive tacito, sive expresso] ejusdem personae. Exempla hujus syntaxeos sunt passim obvia: cujusmodi est illud Isocratis, σαφῶς εἰδέναι νομίζω, *satis scire* [Latini insererent *Me*] *puto*. Idem in sacris Scriptoribus haud raro occurrit, ut 2. Mach. IV. 32. Νομίσας δὲ ὁ Μενέλαος εὐληφέναι καιρόν. Act. XVI. 27. Νομίζων ἐκπεφευγέναι. 1. Cor. VII. 36. εἰ δὲ τις ἀσχημονεῖν . . . νομίζει. Et infra in his Actis initio sect. V. νομίζων ἀληθινὰς εἰδέναι λόγους. Hanc syntaxin secutus, sic exposui hunc locum: *Atque equidem . . . pauca puto* (me) *dicere*. Ea, inquam, syntaxis est, si ad Νομίζω pro *Puto*, seu *Sentio* referatur. Ceterum non male referri etiam hic locus potest ad Νομίζω pro *Lege fancio*, aut *in more habeo*: cujusmodi est illud Herodiani lib. VI. ὡς νομίζουσι Ῥωμαῖοι, h. e. *Romano ritu*: & illud Dionis apud Xiphil. in Claudio, οἵοις αἱ γυναῖκες [φέρεσθαι] νομίζουσιν, *qualibus mulieres* [ferri] *solent*. Sed & apud H. Steph. plura hujus notionis exempla reperies. Hoc si sequimur, sic vertere licebit, *Pauca moris habeo dicere*, aut potius *Comparatus natura sum ad dicendum* [quippe in talibus νομίζω saepe pro νομίζομαι ponitur] *prae illius infinita Deitate*. Illud autem *Natura comparatus sum ad dicendum* tantumdem est ac *Queo dicere*. Itaque vertas licebit: *Pauca queo dicere prae* &c.

(46) Πρὸς loco Latini *Prae* multo apud meliores Graecos in usu fuit, praecipue apud Platonem tum alibi, tum in epist. 7. ubi Πρὸς nomini Μικρὸς [ut heic Justinus] subjunxit. Τὰ δὲ ἄλλα σμικρὰ ἂν εἴη πρὸς ταῦτά μοι βλαίβη.

(47) Δύναμιν pro δυνάστην, *vim*, *facultatem*. Deinde eleganter subauditur τῶν in hoc inciso: Προφ. τ. δυν. (τῶν) ὁμολ. Satis enim concise philosophorum more loquitur.

Sed redeo ad *Propheticam* δύναμιν. Haec enim est illa δύναμις ad quam alludit perantiquus auctor Philopatridis inter dialogos Luciano tributos (pag. 1004. edit. Salmur.) quo loco res nostras balbutire simulq. irridere satagens Triephon, Critiam id ipsum agentem ad dicendum hortatur: Λέγε, παρὰ τῶν Πνεύματος δύναμιν τῶν λόγων λαβών· *Dic age, ut qui a Spiritu verbi* (aut *dicendi*) *potestatem acceperis*. Ex quo primum vides in dicto Justini subaudiri debere λόγου. Προφητικήν τινα, inquit, τῶν λόγων δύναμιν. Deinde ex Justino simul & Auctore Philopatridis posse intelligi, his verbis spectari forsitan Divinam missionem ac potestatem, de qua Prophetae initio suorum voluminum praeloquuntur his aut similibus verbis *Factum est verbum Domini ad* . . .

Atque hoc maxime loco Justinum sc. Justinus prodit. Hic enim ille est Justinus, quem a quodam venerandae canitiei sene (qui Nostro se aliquando divinitus obtulit) ad Propheta rum lectionem incitatum, tantus ab illo tempore amor Prophetarum cepit, quantum ipsemet vix exponere quivit, quo loco haec narrat: καί μοι (ait in Dialogo p. 225. C) ἔχει μὲν τῶν Προφητῶν &c. *Amor me Prophetarum invasit* &c. Ibid. paucis interjectis, eodem studio teneri omnes cupit. Nec aliud totis chartis Justinus, quam *Prophetas* & eorum studium plenis buccis eloquitur. *Prophetarum* vero nomine non eos tantum, quos eo vocabulo nos designamus, sed Divinos omnes Veteris saltem Foederis Scriptores intelligit: quod abunde ex sexcentis Justini locis inter se collatis liquere arbitror: ut quum in Apologia longiore (pag. 98. ed. Col. D.) in conventibus Christianis *Commentaris Apostolorum, aut* (τὰ συγγράμματα) *scripta Prophetarum* legi narrat: satis per ea monens, se *Prophetarum* nomine Veterem Codicem, qui totus est Propheticus, intelligere. Nec ferme aliud Apologetae nostro *Prophetae* sunt, quam ἄνδρες θεόπνευστοι, *Viri divinitus inspirati*, qui etiam tum *prophetae* dicuntur, quum aut narrant historias, aut fidei ac morum praecepta tradunt. Nec raro in Scripturis ipsis *Prophetia* ac *Prophetiae* ea plane notio subjicitur. Et satis scio, haud raro Prophetas a Justino strictim sumi pro Divinis tantum Vatibus.

Digitized by Google

Sat enim scio, hujus ad homines adventum jam olim Prophetas tanto ante vaticinatos.

τῆς τούτου παρουσίας γενομένης ἐν ἀνθρώποις.

III.

Rusticus praefectus dixit: Quonam convenitis? Justinus dixit: *Quo unicuique voluntas* (48) *aut facultas* (coeundi) *est. An prorsus existimas nos omnes confluere in unum locum? Minime vero: quandoquidem Christianorum Deus haudquaquam loco* (49) *circumscribitur; sed quum sit invisibilis, caelum atque terram implet, & ubique a fidelibus adoratur atq. glorificatur.* Rusticus praefectus dixit: Ede, quo coitis, aut quem in locum discipulos tuos cogis? Justinus dixit: *Ego habito supra* (50) *quoddam Martianum* (51) *mercede*

Ρούστικος ἔπαρχος εἶπε· Πῦ συνέρχεσθε; Ιουστῖνος εἶπεν. Ἕκαστος προαίρεσις (48) καὶ δύναμίς ἐστι. πάντως γὰρ νομίζεις ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχεσθαι ἡμᾶς πάντας; οὐχ οὕτως δέ. διότι ὁ Θεὸς τῶν χριστιανῶν τόπῳ οὐ (49) περιγράφεται. ἀλλὰ ἀόρατος ὢν, τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν πληροῖ, καὶ πανταχοῦ ὑπὸ τῶν πιστῶν προσκυνεῖται καὶ δοξάζεται. Ρουστικὸς ἔπαρχος εἶπεν. Εἰπὲ πῦ συνέρχεσθε, ἢ εἰς ποῖον τόπον ἀθροίζεις τοὺς μαθητάς σου; Ιουστῖνος εἶπεν. Ἐγὼ (50) ἐπάνω μένω τινὸς Μαρτίνου (51) τοῦ Τιμωτίνων βαλανείου,

(48) Hoc unum est ex vocabulis Justino familiaribus.

(49) Haec iis concinunt, quae Noster tum passim alibi, tum in Dial. pag. 240. docet, ubi & Isaiae loco utitur: *Qualem domum aedificabitis mihi ... caelum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.*

(50) Ἐπάνω h. e. *supra* duplici modo heic accipi potest. Nam si Μαρτῖνος sit viri nomen, ac domus Martini significet, tum ἐπάνω Μαρτίνου notabit, se *in caenaculo* domus Martini cujusdam commorari. Scitum est, pauperes in caenaculis sua habuisse conducta: nec alia Justinum habitatio decebat, tum propter voluntariam inopiam, tum etiam quia in caenacula facilius concursus clandestini Christianorum fiebant. At magis esse videtur, ut Μαρτίνου .. βαλανείου sit loci nomen. Id si est; tum ἐπάνω aut, uti dixi, *balnei* illius superior contignatio sive caenaculum est; aut vero illud ἐπάνω *supra* idem est, quod *proxime post*. Nec aliter *Supra* & *Infra* in re convivali ordinem accumbentium designabat.

(51) *CONIECTANEA de S. Justini conducto supra balneum Martianum.*

Acta levissime corriguntur. Aqua Marcia *etiam* Martia *scribebatur. Quae quia in balinearum usum tesse Frontino cesserat, hinc* balneis Martianis *nomen quaesitum. Horum unum illud fuit, supra quod Justinus habitabat. Cui quum ex Frontini cura ac Nervae constitutione Marcia intercluſa fuisset, hinc ejus balnei caenacula locari inquilinis coeperunt. In eo igitur caenaculo Justini conductum, simulque Christianorum conventus fuit. Adhaec quod etiam* Timotinorum *diceretur, id non est ad* Timotheum *quemdam Novati fratrem referendum (quod adhuc ex νοθευομένοις S. Pudentianae Actis viri docti conjecerunt: quodque pluribus refellitur) sed pro* Τιμωτίνων *legendum est* Τιμοσίτων *h. e.* mercede lavantium *ad discrimen* Gratuitorum. *Verbum* Νίπτω *non tantum de manuum pedumque ablutione, sed & de totius corporis lavacro usurpari, ex Homero & aliis ostenditur.*

Sanctissimus Martyr de suo conducto sic incipit ex interpretatione, qua Baronius & Ruinartus usi sunt: *Ego prope domum Martini* (in Baronio est *Martii*: quod quum in eo legisset Nardinus; hinc in reperienda *Martii domo*

aestuat lib. IV. c. 3. quam ipse mavult *Marci* appellandam: nugae) *cujusdam ad balneum cognomento Timiotinum* (Baron. *Timothinum*) *hactenus mansi*. Sed Graeca hujus loci, uti vides, totidem verbis hoc sonant: *Ego*, inquit, *supra quoddam Martinum Timotinorum balineum habito*. De *balneo* isto *Martino* prius, postea de voce illa *Timotinorum* viderimus. Equidem pro Μαρτίου, unius vocalis additamento, Μαρτιανὰ scribendum reor, ut ab *aqua Martia* (sic enim in Monum. Ancyrano ap. Grut. p. 232. & in aliis pluribus marmoribus, & in prioribus Frontini editionibus & Mss. MARTIA ἀφοσγραφίτας pro eo quod in aliis saxis & in Frontini Mss. aliquot *Marcia* legitur: itaque, quidquid alii dixerint, utraque scriptio usitata fuit) ut ab aqua inquam *Martia* balineum illud *Martianum* sit appellatum. Porro Martiam ad balneas arcessitam fuisse, conqueritur Frontinus in de Aquaed. artic. 91. his verbis: *Marciam ipsam splendore & rigore gratissimam, balneis ac fullonibus .. deprehendimus servientem*. Sed id quomodo sua cura emendatum fuerit, statim exsequitur: *Omnes ergo* (aquas) *discerni placuit, tum singulas ita ordinari, ut in primis Marcia potui tota serviret, & deinceps reliquae secundum suam quaeque qualitatem aptis usibus assignarentur*. Haec quidem sub Imp. Nerva Cocceio (a quo Curator aquarum creatus fuerat) Frontinus scribebat; ut ipsemet initio sui Commentarii testatur. Itaque libenter discere optaverim, undenam id hauserit Alex. Donatus, quod in *Urb. Rom.* lib. 3. cap. 18. (pag. 296. ed. Rom.) tradit his verbis: *Trajanus* (aquam Martiam collibus Coelio & Aventino a se redditam) *suas in thermas* (Trajanas) *induxit*. Alicunde credo id hausit Donatus: & ceteroqui in aquarum distributione sub singulis quibusque principibus, sat scio, variatum fuit.

Nunc illud teneamus, quod Frontinus tradit, Martiam balneis aliquando serviisse, atque in earum usus passim erogatam fuisse. Nec unas sed plures fuisse balineas, quae hujus aquae beneficio fruerentur, & Frontinus supra a me laudatus suadet, & forsitan haec ipsa Acta Justini. Hoc enim opinor designatur his verbis, ἐπάνω τοῦ Μαρτιανὰ .. βαλανείου, *supra QUODDAM Martianum balneum*, quasi plures ejusdem nominis fuerint: unde discriminandi causa additur etiam τῶ Τιμωτίνου, de quo mox. Ac demus sane, sub curatore aquarum Frontino Marciam ademptam thermis fuisse, ut *potui tota serviret*. At post Nervae brevissimum imperium rursum in easdem, derivatam, fieri potest. Aut si minus erogata in eas fuit, fuit tem quibus balneis olim Marcia dispensabatur, eae amissa Marcia, imo & amisso in totum balneari usu, tamen adhuc *Martianae balineae*, ut ante, vocabantur.

Quin nihil sane malim, quam revera balnearum Martianarum usum (nomenclatione tantum retenta) sub Marco principe nullum fuisse, vetante scil. Nervae constitutione, qui eam totam aquam ad potus reservarat. Quid sic malo? Quia hoc modo facilius intelligemus, quo pacto Justinus supra Martianum balineum (h. e. in caenaculis superioribus ejus balinei) habitaverit. Nam quamdiu ibi multitudo lavabat; adjacentia omnia aedificia, & quae desuper imminebant, spoliarium & alios necessarios lavantium usus cedere necesse fuit: imo ne tuto quidem Christiani in tale Justini conductu confluere ad synaxin celebrandam potuissent. Hibes quid sibi velit *Martinum* sive potius *Martianum balineum*: in quo Justinus habitabat, & conventus agebat. Id in Coelio aut Aventino fuisse ex eo potest conjici, quod in eos colles perducta a Nerone fuisse Marcia dicitur.

Nunc de Τιμωτίνων videndum. Thermas Timotinas easdem fuisse ac *Novati* thermas, jamdiu Romanae urbis explicatores persuadere voluerunt. Ita post Baronium (qui & ipse ex aliis id arripuisse videtur, ut qui sic quasi de re confessa id narrat ad ann. 165. n. 3.) ita igitur post Baronium sensere plures illustres viri: inter quos Alex. Donatus III. 11. tamquam de re explorata sic scripsit: *Novatus balneas Novatianas inter templa B. Laurentii & Pudentianae Virginis, ejusdem* (Pudentianae) *germanus simul cum TIMOTHEO fratre feciſſe fertur; at a scriptoribus Ecclesiasticis non modo Novatianae sed & Timotinae* (a Timotheo scil.) *vocentur*. Testemque affert Anastasium scribentem in S. Pio, ab hoc *Thermas Novati in vico Patricio* in Ecclesiam fuisse dedicatas. Videque fuse Blanchinus in hunc Anastasii locum affert, qui etiam ratum hoc habuit, *Novatianas thermas* easdem fuisse ac *Timotinas*, a Timotheo Novati fratre sic dictas. Eadem ante Blanchinum etiam Nardino IV. 3. persuasio insederat: nisi quod eas thermas non in Ecclesia S. Pudentianae, sed S. Praxedis ponendas mavult. Atqui hoc totum duplici ex fonte manavit, ex Actis scil. minime sinceris SS. Pudentianae & Praxedis (de quorum Actorum comperta *vide* videatur Tillemontius: ex quibus Actis Anastasius hausit illud de Thermis Novati in Ecclesiam dedicatis: in quibus etiam Actis Novatus & *Timotheus* fratres fuisse dicuntur) & ex Actis hisce veris S. Justini, in quibus mentio fit τῶ Τιμωτίνου βαλανείου, *Timotinorum balinei*;

cede lavantium balineum : & per (52) Nnn 2

(52) παρὰ πάντα τὸν χρόνον τῶν.

nei; quod ipſi videlicet, *Balneum cognomento Timothinum* reddiderunt.

Verum quid moror? haec omnis fabrica ruinoſis fundamentis nititur. I. Actis SS. Pudentianae & Praxedis (de quorum γνησίᾳ videſis Tillemontium in S. Pio Papa Not. V.) nihil ſuperſtrui poteſt. II. Demus haec Acta aliquid auctoritatis habere: at quis praeſtabit, eas thermas, quae a Novato *Novatianae* dicebantur, etiam a Timotheo *Timotinas* fuiſſe appellatas? III. Deinde vel ſi etiam a Timotheo ſuum cognomen capere geſtiebant; at ab eo *Timotheicae*, [nam ſicuti a Θεὸς fit θεϊκὸς, ſic a Τιμόθεος Τιμοθεϊκὸς ex analogia fluit] dicendae fuiſſent, non vero *Timothinae*, ac multo minus *Timotinae*: quae tamen vera Actorum S. Juſtini ſcriptura eſt; nam in Graeco T non Θ conſtanter in penultima legitur; nec niſi gratis in id nomen nonnulli poſtea H inſerſerunt. IV. Poſtremo vel ſi hoc demus, ex *Timotheus* recte derivari *Timotinus* aut *Timothinus*; at Graecus certe Actorum Juſtini textus longe aliud, quam quod olim interpretari fuerunt, ſignificat. Graeca ſic habent: *Ego maneo ſupra* (παρὰ Μαρτῖνα [ſive potius Μαρτῖνον] τὸ Τιμοτίνων βαλανεῖον) *ſupra quoddam Martinum* [aut verius *Martianum*] *Timotinorum balineum*. At prior interpres quo pacto ex his verbis ſuam illam translationem extudit? *Ego prope domum Martini cujuſdam ad balneum cognomento Timothinum hactenus manſi*. Aut quo pacto ex *Timotinorum balneo* detorta eſt ſyntaxis convenientiae, qua verterunt *Balneum cognomento Timotinum*?

Ergo de *Timotinis* iſtis reſtat adhuc integra difficultas, digna Oedipode conjectore. Mihi quidem non aliud ſuccurrit, niſi ut iſtud Τιμωτίνων, prius litterarum tranſpoſitarum repoſitione in Τιμοτίων, deinde [Π, quod exciderat, addito] in Τιμοτίπων, hoc eſt *Mercede Lavantium*, reſtituam. Erant Romae balnea plurima GRATVITA in vetuſtis marmoribus nuncupata: erant vero & [ſi ſic vocare liceat] *quadrantaria*: nam balneatores certe, quibus quadrans pro balneatico ſolvebatur, *quadrantarii* vocabantur. Haec ergo balnea Graecis [ſaltem Romae conſiſtentibus] τὰ Τιμοτίπων h. e. *mercede lavantium* dicebantur ad *gratuitorum* diſcrimen. Hujus generis hoc *Martianum* fuit, quamdiu ei Aqua Martia erogabatur. At poſtea intercluſo Martiae uſu, ejus balnei caenacula conduci peregrinis humilioris fortunae coeperunt; ibique opinor conductum ſuum Juſtinus habuit toto utriuſque Romani incolatus tempore [quippe bis in urbem venerat] ubi & coetus cogebat. Atque ea eſt, niſi fallor, loci hujus, de quo conclamatum antea fuerat, expoſitio.

Niſi quod adhuc ſcrupulus avellendus reſtat. Nam ſi H. Stephano & lexicographis credimus, verbum Νίπτω de ſola manuum pedumque ablutione uſurpari ſolet; quum contra in balneis totos ſe tingerent. Verum illa τῷ Νίπτω, quam volunt, proprietas, vereor ne non vera ſit. Homerus certe de toto corpore uſurpavit Od. Σ. 178.

Χρῶτ' ἀπονίψασθαι καὶ ἐπιχρίσασθαι ἀλοιφῇ.
Corpus perluere, ablutumque perungere oliuo.

Cui ſimile eſt illud Od. Τ. Ἐπεὶ νίψεν τε καὶ ἤλειψεν λιπ' ἐλαίῳ. Deinde pluries in Divinis ſcriptoribus id verbum ad πρόσωπον [*faciem*] refertur, ut in Graeco Gen. XLIII. 31. & Matt. VI. 17. Adhaec in Jo: Evangelio IX. 7. & 11. τῷ νίπτειν ſi minus ad totum corpus, at ad vultum ſaltem pertinet. Certe autem in Graeco 2. Paral. IV. 6. mare aeneum fieri jubetur εἰς τὸ νίπτεσθαι οἱ ἱερεῖς. At in eo ſacerdotes toti lavabant. Adde & illud in Graeco Lev. XV. 12. *vas ligneum* [νιφθήσεται] *lavabitur aqua*; ubi *abſtergendi* notionem habet, ut & ὁ καθαρισμὸς in miniſterio Palladis apud Etymologum. Quamquam, ut quod res eſt fatear, primitiva verbi Νίπτω ſignificatio [idem de λούω, πλύνω &c. affirmari haud immerito poteſt] videtur ad abſtergendum potius, quam ad tingendum aut madefaciendum, primario pertinuiſſe, atq. hinc de manibus ac pedibus, quae facilius ſordes contrahunt, uſurpari conſueviſſe. Deinde, uti fit, verba omnia *lavandi*, etiam *tingendi* notionem facillime induerunt.

[52] Iſtud Καὶ videbatur heic importune ingeſtum, ac facile induci debere. Sed re melius conſiderata, heic quidem copulam Καὶ retinendam videri, at mox alteram [quam eodem num. [52] ſignatam vides] delendam, atque interim media interponenda eſſe, cenſeo. Sic ergo hic locus mihi conſtituendus videtur. Poſt βαλανεῖα adhibenda eſt πλεῖα σιγμή. Deinde ſuo loco parentheſin adhibebis in hunc modum. Καὶ παρὰ παν. τὸν χρ. τὸ. [ἐπεδήμησα δὲ τῇ Ρω. πο. τὸ δεύτερον] καὶ (iſtud vero eſt illud Καὶ alterum, quod prorſus induci volo] ὁ γινώσκω &c. Idque demum in interpretatione mea ſecutus ſui. At librarius, qui abeſſe parentheſeos ſigna animadverteret [quae ſigna haud valde antiqua in Mss. Graecis eſſe, ſatis conſtat] quum de commatis praecedentis interpoſitione nihil ſuſpicaretur, interim ut ruentem orationem fulciret, poſterius iſtud Καὶ importune adjecit.

Digitized by Google

τον. ἐπεδήμησα δὲ τῇ Ρωμαίων πόλει τοῦτο δεύτερον· καὶ (52) οὐ γινώσκω ἄλλην τινὰ (53) συνέλευσιν εἰ μὴ τὴν ἐκείνου· καὶ (γὰρ) (54) εἴ τις ἐβούλετο ἀφικνεῖσθαι παρ' ἐμοί, ἐκοινώνουν αὐτῷ τὸν τῆς ἀληθείας λόγον· Ρυστικὸς εἶπεν· Οὐκοῦν λοιπὸν Χριστιανὸς εἶ; Ιουστῖνος εἶπεν· Ναὶ· Χριστιανός εἰμι.

per omne hoc tempus (veni autem in Romanorum urbem nunc jam secundo) haud alium conventum (53) *novi praeter (loci) illius. Et (enim) si quis venire ad me voluisset, ei sermonem veritatis impartiebar.* Rusticus dixit: Ceterum nonne Christianus es? Justinus dixit. *Etiam. Christianus sum.*

V.

Ρουστικὸς ἔπαρχος τῷ Χαρίτωνι εἶπεν· Εἰπέ Χάριτον, καὶ σὺ Χρι-

Rusticus praefectus Charitoni dixit: Dic Chariton: tune etiam Chri-

53) *De voce Συνέλευσις Justino peculiari accurate dissertum. In Justini conducto Graecorum Christianorum conventus fuit, cui Justinus praerat, utique presbyter* [*uti postea vocarunt*] *titularis.*

Haec una ex illis vocibus est, quae aliis [praeter Justinum in Apol. longiore] ferme inusitata, Justinum hoc suis ipsis verbis plane loquentem prodit. In ea igitur Apologia, quo loco de Liturgiae ordine sacrisque conventibus loquitur, pro συναξεως vocabulo (quo alii postea usi fuerunt) συνέλευσιν usurpavit. Sic pag. 98. (ed. Col. D.) *Solis qui dicitur die omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt* (ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται) *in eumdem locum conventus fit: & commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus patitur, legantur.* Mox pag. 99. initio: *Solis autem die communiter omnes* (τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα) *conventum agimus*, ob creationis scil. [uti explicat] & Resurrectionis Dominicae memoriam. Quod autem eam vocem ceteris parum usitatam dixi; id vel ex eo arguitur, quod H. Stephanus in Thes. vocem quidem affert & interpretatur *Conventus, Concursus*, sed nullum auctorem citat. At quantum quidem rimari potui; usurpaverat id nomen Josephus in III. ἀρχ. cap. 6. sect. 3. notione tamen immutata, quippe Tabernaculi tabulas ita inter se aptas fuisse scribit, *ut non perceptis commissuris, earum tabularum* [τὴν συνέλευσιν] *coitio veluti murus unus videretur.* Eodem inanimata significatu usurparunt aevo posteriore JCti Graeci, quibus συνέλευσις est *Consolidatio*, uti vocant, usus fructus cum proprietate. Vsurpaverant praeterea quidam Graeci interpretes ad Jud. IX. 46. 49. & Symmachus ad Ps. I. 5. pro Βουλή. Ex his credo interpretibus Hesychius id vocabulum in suum Lexicum intulit (ubi ea vox exponitur Σύνοδος) & ex Hesychio Varinus: unde id nomen in posteriora lexica (nullo allato exemplo) invasit. Nec a Glossis antiquis eadem vox exsulat. Animadvertendum est autem, Justinum in Apologia quidem id nomen pro ipso conveniendi actu accepisse, at in hoc responso pro loco conventus: sicuti & ἐκκλησία & alia id genus eodem duplici significatu donantur.

Ex hoc autem loco, plura assequimur: I. in Justini conducto συνέλευσιν h. e. *conventum* Christianorum fuisse: II. & quidem eum conventum Graecorum Romae degentium exstitisse; id quod ex his Justini commilitonibus Graecis liquet, quos ejusdem Justini συνθιασώτας (hoc. *sodalitatis ejusdem*) fuisse non est dubium, quippe simul a Crescente accusatos ac simul comprehensos; ut omittam quod Evelpistus infra diserte fatetur, se *Justini sermones cum voluptate auscultare* solitum: III. postremo ei conventui Justinum praefuisse. Id quod & ex recitato Evelpisti responso, & potissimum ex hoc ipso loco constat, ubi Samarita fatetur, convenientes ad se verbo veritatis a se non fuisse fraudatos. Quocirca in eo conventu Justinus ἔκκριτος *praefectus* [qua voce ipsemet utitur in Agologia longiore ubi de Liturgia pag. 97. C.] partes agebat. Qui autem Justino ibi προεστὼς τῶν ἀδελφῶν [*praefectus fratrum*] vocatur, is sine dubio Presbyter erat, quippe qui Eucharistiam consecraret. Ergo non est dubitandum, quin Justinus unus ex presbyteris veteris Romae [quos titulares dixere] fuerit.

(54) Istud γὰρ (quod a me ascitum, uncis inclusi) non inutile duxi, quo redderetur ratio, cur suum illud conductum συνέλευσιν appellaverit: alioqui frigide haec superioribus inhaerentur.

Digitized by Google

Christianus es? Chariton dixit. *Christianus Dei* (55) *monita sum*. Rusticus praefectus ad Charito (puellam) dixit. Quid tu dicis, Charito? Charito dixit: *Christiana* (56) *sum Christi munere*. Rusticus dixit Evelpisto: Tu vero quis es? Evelpistus servus (57) Caesaris respondit: *Ego quoque Christianus sum, a Christo libertate donatus, ejusdemque spei particeps Christi gratia*. Rusticus praefectus dixit Hieraci: Tune etiam, Christianus es? Hierax dixit: *Maxime: Christianus sum. Nam eumdem Deum veneror & adoro*. Rusticus praefectus dixit: Justinus ne vos Christianos effecit? Hierax dixit: *Eram* (jam) *Christianus, ac* (porro) *ero*.

Χριστιανὸς εἶ; Χαρίτων εἶπε· Χριστιανός εἰμι Θεοῦ (55) κελεύσει· Ρουστικὸς ἔπαρχος πρὸς τὴν Χαριτὼ εἶπε· Σὺ τί λέγεις Χαρίτοι; Χαριτὼ εἶπε· χριστιανός (56) εἰμι τῇ τοῦ Χριστοῦ δωρεᾷ· Ρουστικὸς εἶπε τῷ Εὐελπίστῳ· Σὺ δὲ τίς εἶ; Εὐέλπιστος (57) δοῦλος Καίσαρος ἀπεκρίνατο· Κἀγὼ χριστιανός εἰμι, ἐλευθερωθεὶς ὑπὸ Χριστοῦ, καὶ τῆς αὐτῆς ἐλπίδος μετέχω χάριτι Χριστοῦ· Ρουστικὸς ἔπαρχος τῷ Ἱέρακι εἶπε· Καὶ σὺ χριστιανὸς εἶ; Ἱέραξ εἶπε· Ναί· Χριστιανός εἰμι· τὸν γὰρ αὐτὸν Θεὸν σέβομαι καὶ προσκυνῶ· Ρουστικὸς ἔπαρχος εἶπεν· Ἰουστῖνος ὑμᾶς ἐποίησε χριστιανούς; Ἱέραξ εἶπεν· Ἤμην χριστιανὸς

Paeon

καὶ

(55) Exposui *Dei monitu*. Etsi id si ad verbum vertere libeat, *Dei imperio* exponere haud inepte potuissem. Reperitur hoc saepissime in marmoribus, EX (hujus aut illius falsi numinis) IMPERIO hoc aut illud factum: quod respondet κελεύσει hujus loci. Ea autem *imperia* per *visa* sive somnia significari solebant. Itaque nihil in saxis familiarius, quam EX VISO aliquid effectum a quoquam fuisse. Ad summam hoc sibi vult Chariton, sibi a Deo sive secundum quietem, sive alio modo fuisse significatum (Graeci dicerent κελεύεσθαι: Xenophon: κελεύομαι ὑπὸ τῶν θεῶν) uti Christianus fieret.

(56) Quod Χριστιανός, quasi commune nomen, de femina usurpatur, id satis tritum sermone ἰδιωτικῷ fuisse non dubito. Nam ceteroqui scriptores ejus nominis terminationes per tria genera variabant. Justinus ipse uno eodemque loco Apologiae brevioris prope ab initio femininam simul ac neutram terminationem usurpavit; ubi vir quidam dissolutissimus uxorem, quae relipuerat, Χριστιανὴν εἶναι (*Christianam esse*) (ad Imperatorem detulit. Ac paucis interjectis Ptolomaeus quidam accusatur, tamquam ei feminae praeceptor χριστιανῶν μαθημάτων [gen. neutro] *Christianorum scitorum*.

(57) *Evelpistos* plures servos aut libertinos passim reperire licet. Occurrit apud Grut. 610. 3. quidam TI. CLaudius AVgusti Libertus EVELPISTus, ab hoc nostro tamen diversus. Diversus autem non ea de causa, quod Noster *servus*, ille *libertus* dicatur (nam *liberti* non raro *servi* vocabantur, sive interdum contemptim, sive quia non plenam libertatem assecuti erant) sed quod Claudius Imp. (cujus Evelpistus ille libertus fuit) plus solido saeculo Justini martyrium antecesserit. At Martyr Evelpistus sive M. Aurelii sive L. Veri (nam ambo tunc simul imperatores fuerunt) servus erat.

Notandum est autem, hoc loco leviter immutatam cerni consuetam Actorum judicialium formam, secundum quam dicendum fuerat dumtaxat: Εὐελπ. εἶπε, *Evelpistus dixit*. Nunc qui haec scripsit, ut totius Evelpisti responsi rationem redderet, haec simul omnia praemittit in hunc modum: *Evelpistus servus Caesaris respondit*. Nam *Servus Caesaris* refertur ad illam responsi partem, *Libertate donatus a Christo*; nomen vero ipsum Εὐελπίστου *Evelpisti* (quod eum significat, *de quo bene sperare* liceat) rationem complectitur ejus quod sequitur, *Ejusdem spei particeps* ac ceteri commilitones. Itaq. commentarii instar illud, uti dixi, insertum fuit, *Evelpistus Caesaris servus respondit*.

Digitized by Google

καὶ ἔσομαι. Παίων δὲ ἑστὼς (58) εἶπε. Κἀγὼ χριστιανός εἰμι. Ρουστικὸς ἔπαρχος εἶπε. Τίς ὁ διδάξας σε; Παίων ἔφη. Ἀπὸ τῶν γονέων παρειλήφαμεν τὴν καλὴν ταύτην ὁμολογίαν. Εὐέλπιστος εἶπε. Ἰουστίνου μὲν ἡδέως ἤκουον τὸν λόγον, παρὰ τῶν γονέων δὲ κἀγὼ παρείληφα χριστιανὸς εἶναι. Ρουστικὸς ἔπαρχος εἶπε. Ποῦ εἰσιν οἱ γονεῖς σου; Εὐέλπιστος εἶπεν. Ἐν τῇ (59) Καππαδοκίᾳ. Ρουστικὸς τῷ Ἱέρακι λέγει. Οἱ σοὶ γονεῖς πῇ (60) ἐσιν, ὁ δὲ ἀπεκρίνατο λέγων. Ὁ ἀληθινὸς ἡμῶν πατὴρ ἐσιν ὁ Χριστὸς, καὶ μήτηρ ἡ εἰς αὐτὸν πίστις. Οἱ δὲ ἐπίγειοί μου γονεῖς ἐτελεύτησαν. κἀγὼ ἀπὸ Ικονίου (61) τῆς Φρυγίας

Paeon autem ſtans (58) dixit: *Ego quoque Chriſtianus ſum*. Ruſticus praefectus dixit: Quis eſt, qui te docuit? Paeon dixit: *A genitoribus hanc egregiam confeſſionem didicimus*. Evelpiſtus dixit: *Ab Juſtino quidem* (Divinum) *ſermonem cum voluptate audiebam*, (ceterum) *a parentibus & ego didiceram Chriſtianus eſſe*. Ruſticus praefectus dixit: Vbinam parentes tui ſunt? Evelpiſtus dixit: *In* (59) *Cappadocia*. Ruſticus Hieraci dicit: Parentes tui ubinam (60) ſunt? At ille reſpondit dicens: *Verus pater noſter Chriſtus eſt, & mater Fides in eum*: (ceterum) *terreni parentes mei* (vivere) *deſierunt*. *At ego ab Iconio* (61) *Phrygiae abductus*

huc

(58) Ad confeſſionem voluntarius proſilit; ac veritus, ne forte praeteritus, non aſſequeretur coronam, interrogationem antevertit.

(59) Ex qua mancipia omnium praeſtantiſſima aſportabantur: quae ibi tam vili venibant, ut Lucullo Cappadociam peragrante, Romani ſervos quatuor drachmis venales reperirent, teſte Plutarcho in Lucullo & Appiano in Mithrid. Quo ſpectat illud Ciceronis Or. poſt red. in Sen. *Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres*. Hinc mango ſive venalitiarius *Cappadocum rex* dicitur Horatio I. ep. 6. Adde Perſium Sat. 6. Martialem VI. 77. X. 76. Indidem nunc quoque omnium optima in uſum Turcarum mancipia ſubminiſtrantur.

(60) Praeter pluralia neutra, etiam feminina pluralia cum verbo ſingulari (non quolibet, ſed, opinor, tantum ſubſtantivo) interdum jungebantur. Exempla vide in Gretſerii Syntaxi cap. I. num. VIII. Sed quantum video, idem maſculini pluralis cum verbo ſing. indubitata exempla non attulit. Nam quem locum ex Pindaro produxit, is ab ejus ſcholiaſte aliter conſtruitur. Itaque ſedulo notandus eſt hic locus.

[61] *De Iconio altero, praeter Lycaonicum, Animadverſio.*

ICONIVM ſine adjuncto eſt Lycaoniae metropolis. At fuit alterum Xenophonti in extrema Phrygia [*qua parte ad Lycaoniam vergit*] *recenſitum: quod ex Strabonis deſcriptionibus chorographicis firmatur. Hoc alterum Iconium adhuc aevo Ammiani perdurabat; qui tamen illud Piſidiae tribuit, utique quod in Phrygia Piſidica* [*cujus Polybius meminit*] *olim recenſeretur. Quod alterum Iconium mire confirmatur hoc S. Hieracis, utpote civis, teſtimonio: favente interim & altera Actorum lectione. Ruinarti Actorum παραβάσεως refellitur.*

Quoties *Iconium* ſine adjuncto legitur, intelligenda eſt metropolis Lycaoniae. Nam in Notitiis epiſcopatuum in Lycaonia ὁ Ικονίου (*Iconienſis*) primus recenſetur; & Hierocli in Synecdemo eadem urbs Lycaoniae πρώτολις *metropolis* ſtatuitur: ut praerogativa Metropoleos Iconio Lycaonico prorſus denegari non poſſit. Eaque ut dixi, eſt intelligenda, quum *Iconium* ſine adjuncto legitur. Sic Act. XIV. 1. non alia eſt ab ea quam di-

-xi;

Digitized by Google

ni; uti etiam in inſcriptionibus apud Murat. pag. 779. 2. 2032. 10. Hujus primam ſyllabam cur Auctor Chronici Paſchalis, Euſtathius, Cedrenus per diphthongum EI ſcripſerint [ἀπὸ εἰκόνος, *ab imagine* Gorgonis ſcil. etſi Stephanus rem aliter narret] videbis ex eorum locis expoſitum apud Berkelium ad Stephani lexicon: quum contra Etymologus agnoverit, a Menandro primam ſyllabam fuiſſe correptam. Haec de Iconio Lycaoniae.

At fuiſſe & in Phrygia extrema, qua parte ad Lycaoniam accedit, *Iconium* alterum, jam pridem Xenophon in Cyro Jun. p. 147. tradiderat his verbis: *Inde* [Cyrus] ἐξελαύνει εἰς Ἰκόνιον τῆς φρυγίας πόλιν ἰσχάτην &c. *proficiſcitur Iconium extremam* [ex parte ſcil. Lycaoniae] *Phrygiae urbem, ubi triduum commoratus eſt: inde per Lycaoniam iter facit.* Et tamen hunc ſcriptoris graviſſimi, ejuſdemque rerum Cyri teſtis oculati, locum perinde geographi (& in his accuratiſs. Cellarius) acceperunt, quaſi ſi ibi illud Iconium intelligatur, quod Lycaoniae attribuitur; quod (utpote in confinio poſitum) facile potuerit Xenophon extremae Phrygiae adjudicare.

Verum res ipſa loquitur. Xenophonteum Iconium ab Iconio Lycaoniae diverſum fuiſſe: nam qua parte ad Lycaoniam Phrygia accedebat (ubi illud Iconium Xenophontis erat) ibi erant Straboni τὰ Λυκαόνων πεδία, Lycaoniae *colles plani, frigidi, nudi, & aſinis ſylveſtribus compaſcui*: contra vero Iconium Lycaonicum ab eodem Strabone ponitur prope paludes *Coralim & Trogitim. Circa iſthaec*, inquit, *loca* (horum ſtagnorum) *Iconium eſt oppidum probe conditum, agro feliciore quam illo, quem ſupra diximus aſinis ſylveſtribus compaſcuum.* Vides quam diverſa ſit utriuſque Icomi poſitio. Qui & ſtatim addit: *Ad haec loca* (ubi Iconium Lycaonicum) *jam Taurus accedit* (unde merito Stephanus Iconium *ad Tauri terminos* collocavit) *Cappadociam & Lycaoniam diſtinguens a Cilicibus ſupra jacentibus, qui Trachiotae ab aſperitate regionis dicuntur.* Vides heic quoque quam diverſus fuerit poſitus Iconii Lycaonici (utpote ad Cappadociam Aſperamque Ciliciam vergentis) a Phrygiae finibus, ubi illud alterum fuiſſe neceſſe eſt. Ergo, uti dixi, vel ſola Xenophontis auctoritas monere debuerat, fuiſſe olim in Phrygia Iconium a Lycaonico alterum.

Sed excipi tamen poterat, hoc alterum Iconium ſub Cyro quidem exſtitiſſe, at poſtea periiſſe, quippe cujus nulla uſquam mentio reperiatur. Reſpondeo, ejus meminiſſe Ammianum XIV. 2. ubi Iſauros *hac indignitate percitos*, narrat, *quod eorum quidam capti conſortes* (ſort. heic *Conſortes* ſunt latrociniorum participes) *apud ICONIVM PISIDIAE OPPIDVM in amphitheatrali ſpectaculo feris praedatricibus objecti ſunt praeter morem.* Qui quidem locus Valeſium virum ſummum male habuit, ſic adnotantem: *Antea* (Iconium: quod miratur ſcil. a Marcellino Piſidiae tribui) *Lycaoniae fuerat, teſte Strabone &c... Poſtea rurſus Lycaoniae metropolis facta*: citatque teſtes utrumque Baſilium. Atqui aliud eſt Lycaoniae Iconium, aliud Piſidiae, ſive (uti veteres loquebantur) Phrygiae Piſidicae. De hoc altero tum Ammianus, tum etiam Xenophon ſunt capiendi. Ceterum quam Livius XXXVII. 54. *Piſidiam* vocavit, hanc Polybius legatione XXV. *Phrygiam Piſidicam* dixit his verbis: *Nam & Lycaoniam & Phrygiam* (τὴν τε Ἑλλησπόντιαν καὶ τὴν Πισιδικὴν) *tam Helleſpontiacam, quam Piſidicam* &c. Idem lib. V. c. 72. *Piſidicam* vocat, quae aliis *Piſidia* eſt, ſcribens, τῆς τῶν Πισιδικῶν, *Piſidicam* [ſupple *Phrygiam*] *incolentes*: certe quod tunc Piſidia tota aut pars Phrygiae tribueretur. In hac Phrygia Piſidica haud dubie illud alterum Iconium fuit; quod proinde recte Xenophon in extrema Phrygia [qua parte ſcil. ad Lycaoniam accedit, & Piſidiam ſive totam, ſive ſaltem partem ſibi adjudicat] Marcellinus vero in Piſidia [olim *Phrygia Piſidica*] collocavit. Ceterū quo ore Ammianus [quem geographiae non incallidum auctorem fuiſſe, ejus Hiſtoria teſtatur] quo ore, inquam, illud Lycaonicum Iconium, quod ſcriptor aequalis Baſilius [& quis non?] in Lycaonia agnovit, in Piſidiam tranſtuliſſet? Atqui Piſidicum Iconium aliud a Lycaonico fuit, eaque de cauſa, diſcriminante additamento eſt uſus [*Iconium Piſidiae oppidum*] nam alterum notius erat, quam ut additamento *Lycaoniae* opus haberet, eoque abſolute efferri ſolebat.

Ac ne quis poſtremo otio abuti me clamitet, quaſi qui duplex Iconium ad hunc diem inauditum quo jure quaque injuria adſtruere adnitar: ecce Acta S. Juſtini ſubſidio veniunt: in quibus S. Hierax *ab Iconio Phrygiae* (illius ſcil. quam *Phrygiam Piſidicam* Polybius vocat) *ſe abſtractum* (h. e. furto ſublatum) & Romae divenditum, confitetur: locupletiſſimus haud dubie teſtis, utpote ejuſmet oppidi civis.

His jam ſcriptis, oculos in Ruinartiana Juſtini Acta conjeci, quae ipſe in titulo fatetur, ſe *ex Surio & aliis* edidiſſe. Et is quidem in textu Actorum, *Ab Iconio Phrygiae* exhibet, perinde ut in Graeco Papebrochii legitur. Verum in ſubjecta Nota ſic monet: *In alio codice habetur ICONII PISIDIAE.* Quae ſane varians

Digitized by Google

γίας ἀποσπασθεὶς ἐνθάδε ἐλήλυθα. Ρυστικὸς ἔπαρχος εἶπε Λιβεριανῷ· τί καὶ σὺ λέγεις; ἠδὲ σὺ εὐσεβεῖς; Λιβεριανὸς εἶπε. Κἀγὼ χριστιανός εἰμι· εὐσεβῶ γὰρ καὶ προσκυνῶ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν.

huc veni. Rusticus praefectus dixit Liberiano: Quid jam tu dicis? ne tu quidem pietatem (in deos) colis? Liberianus dixit: *Ego quoque Christianus sum: nam solum Deum verum colo & adoro.*

V.

Ο ἔπαρχος λέγει πρὸς τὸν Ιουστῖνον. ἄκουε ὁ λεγόμενος (62) λόγιος, καὶ νομίζων ἀληθινὰς εἰδέναι λόγους. ἐὰν μαστιγωθεὶς ἀποκεφαλισθῇ, πείσῃ ὅτι μέλλεις ἀναβαίνειν (63) εἰς τοὺς οὐρανούς; Ιουστῖνος εἶπεν· Ελπίζω ἔξειν αὐτοῦ τὰ (64) δόγματα, ἐὰν ὑπομείνω ταῦτα· οἶδα καὶ πᾶσι τοῖς οὕτω βιώσασι παραμένειν τὸ θεῖον χάρισμα, μέχρι τῆς (65) ἐκπληρώσεως τοῦ παντὸς.

Praefectus dicit ad Justinum: Audi tu, qui sapiens (62) esse diceris, quique vera dogmata nosse profiteris: si flagellis concisus, obtruncaberis, persuasum ne habes, caelos (63) te esse scansurum? Justinus dixit: *Spero, si haec sustinuero, me ejus* (64) *promissa consecuturum. Sed & scio omnes, qui sic vixerint, manere Divinum munus usque ad expletionem* (65) *totius mundi.* Rusticus

rians lectio mire confirmat, quae modo in Ammiani locum animadvertimus. Nam idem Iconium tum Phrygiae cum Xenophonte, tum & Pisidiae cum Ammiano tribuebatur, ob eas quas supra dixi causas. Verum quam ibidem Ruinartus de suo conjecturam affert (*Fortassis*, inquit, *pro ICONII legendum est LYCAONIAE; quae urbs est Phrygiae minoris, teste Hieronymo de locis Hebraicis*) ea inquam conjectura non nauci est; quia nulla urbs *Lycaonia* nec in Phrygia, nec alibi fuit: nec Hieronymi libellus de loc. Heb. (saltem ut a Bonfrerio editus atque illustratus fuit: quem ad manus habeo) ejus meminit. Quamquam, ut quod res est fatear, Ruinartus id non in Hieronymo, sed in Baudrando (totidem verbis eadem dicente) quum legisset, incaute ducem infidum secutus fuit.

(62) Λόγιος heic non tam *eloquentem* (sicuti prior interpres vertit) significat, quam *doctum* & *eruditum*. Vides heic Justinianae eruditionis famam longe lateque manasse: proinde non alterius a philosopho & apologeta heic Acta narrari.

(63) Fortassis cum nostro hoc Christianorum coryphaeo cavillatur, quem tecte carpit, veluti ὑπάρσιον [*per sublime evectum*] & ἀεροβατοῦντα & ἀιθεροβατοῦντα [*per aerem aut per aethera gradientem*] & ἀιθέριον (*aetherium* seu caelestem virum) his enim dicteriis Christianos irridet satis antiquus auctor Philopatridis inter Luciani dialogos τοὺς νοθευομένους: ubi & Apostolus gentium traducitur: Ille, inquit, *recalvaster* (ψιλόριγος) *nasutus, qui in tertium usque caelum* [ἀερόβατος] *per aerem ingressus, pulcherrima inde didicit*. Ejusmodi erant gentilium in Christianos maledicta. Tametsi, ut quod res est fatear, modestiorem heic se praefectus gerit, quippe Stoicus eximius: non tam enim ridendi animo scitatur, quam ut Christianorum in ea re persuasionem ab eorum praecipuo doctore discat.

(64) Δόγματα heic *promissa* reddidi. Ea vox plerumque *placita* aut *decreta* designat. Atqui inter Divina *decreta*, plura sunt quibus praemium promittitur: quae proinde *promissa* dicentur.

(65) An quidquam in his verbis de χιλιασμῷδι [quam adeo innocenter post Papiam & alios Justinus in Dial. p. 309. 310. docuit, ut prae Martyrum duorum Justini & Irenaei reverentia noluerit tunc ipse ut haereticam taxare Hieronymus ad Jer. XIX. & Ezech. XXXVIII. quam mox alii turmatim damnarunt] as inquam

sticus praefectus dixit : Hoc igitur futurum conjicis, ut in caelos ascendas, praemium (ibi) aliquod accepturus ? Justinus dixit : *Non id conjicio, sed satis scio, ac prorsus certissimum* (66) *habeo*. Rusticus praefectus dixit : Ceterum ad illud veniamus, quod (nunc) instat atque urget negotium. Ergo simul convenientes, unanimiter diis sacrificate. Justinus dixit : *Nemo, qui sibi mente constet, a pietate in impietatem delabitur*. Rusticus praefectus dixit : Nisi imperata facitis, immisericorditer cruciabimini : Justinus dixit : *Hoc in votis habemus, propter Dominum nostrum Jesum Christum cruciati salvari. Id enim salutem, ac fiduciam nobis praebebit ante tremendum & universale* (67) *tribunal Domini nostri*

παντὸς κόσμου. Ρυστικὸς ἔπαρχος εἶπε. τοῦτο οὖν ὑπονοεῖς, ὅτι ἀναβήσῃ εἰς τοὺς οὐρανούς, ἀμοιβάς τινας ἀπολήψόμενος; Ιουστῖνος εἶπεν· οὐχ ὑπονοῶ, ἀλλ' ἐπίσταμαι καὶ (66) πεπληροφόρημαι. Ρυστικὸς ἔπαρχος εἶπε· τὸ λοιπὸν ἔλθωμεν εἰς τὸ προκείμενον, καὶ κατεπείγον πρᾶγμα. συνελθόντες ἓν ὁμοθυμαδὸν θύσατε τοῖς θεοῖς. Ιουστῖνος εἶπεν· οὐδεὶς εὐφρονῶν ἀπὸ εὐσεβείας εἰς ἀσέβειαν μεταπίπτει. Ρυστικὸς ἔπαρχος εἶπεν· εἰ μὴ πείθεσθε, τιμωρηθήσεσθε ἀνηλεῶς. Ιουστῖνος εἶπε· δι' εὐχῆς ἔχομεν διὰ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τιμωρηθέντες σωθῆναι· ὅτι τοῦτο ἡμῖν σωτηρία καὶ παῤῥησία γενήσεται ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ καὶ παγκοσμίου (67) βήματος τοῦ δεσπότου ἡμῶν καὶ σω-

quam heic aliquid de mille annorum regno suboleat, nolo decernere. Verum si eo spectavit Martyr (nec enim id in suo hoc agone Noster laborat, ut τὴν χιλιονταετηρίδα doceat ac profiteatur, sed aliud prorsus agens, oblique tantum ad eam opinionem alludit) verum si eo spectavit; tum ἐκπλήρωσις τοῦ παντὸς κόσμου [*expletio totius mundi*] erit illud mille annorum spatium, quod putabant intercessurum inter priorem resurrectionem (quae justorum tantum futura erat) & illam παγκόσμιον ἀνάστασιν, h. e. *resurrectionem totius mundi*, uti Justinus alicubi nuncupat. Ergo futurum affirmat, ut *in omnibus qui sic* (pie) *vixerint* (παραμένῃ τὸ θεῖον χάρισμα) *constanter permaneat Divinum donum* (Divinae gratiae constantiam significat, arrham videlicet futuri ascensus in caelum : de quo ascensu sermo heic Justino erat) *usque ad expletionem totius mundi*. De qua interpretatione judicium eruditis piisque theologis libenter permitto.

(66) Pulcherrima sane αὔξησις, uti rhetores vocant : qua docemur, τὸ ὑπονοεῖν [*conjicere* aut *opinari*] minus fuisse quam εἰδέναι (*scire*) hoc vero fuisse infra τὴν πληροφορίαν (*omnimodae certitudinis*) firmitudinem ; ad quam videl. firmitudinem tantum Fidei Spei que Christianae πληροφορία [*certitudo plenissima*] assurgit. De πληροφορία πίστεως (Vulg. *plenitudine Fidei*) videatur ad Heb. X. 22. uti & de πληροφορία τῆς ἐλπίδος in eadem is epistola c. VI. 11. loquitur. Hinc verbum πληροφορεῖσθαι fit, quod ad Rom. IV. 21. & Lucae I. 1. eodem significatu, quo heic ab Justino, usurpatur. Cujus notionis etiam ex Isocrate exemplum Budaeus affert.

(67) Tribunal Christi παγκόσμιον [h. e. cui totus mundus sisti debeat] vocat, novam usurpans vocem : quam certe non alibi facile quam heic & in Justini operibus reperias. Proinde haec una ex illis locutionibus est, quae Justinum suismet verbis Graece, quod toties dixi, loquentem produnt. Justini autem locus est in lib. *Quaestionum & resp. ad* Orthod. Quaestione 45. his verbis : *Et utrum* [τὴν παγκόσμιον ἀνάστασιν] *totius mundi resurrectionem Propheta* (Ezechiel) *in aridis ossibus vidit* ?

Dixeris, hunc librum ab omnibus Justino ab-

Digitized by Google

σωτῆρος. Ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ λοιποὶ μάρτυρες ἔφασαν· ποίει ὃ θέλεις, ἡμεῖς γὰρ Χριστιανοί ἐσμεν, καὶ εἰδώλοις οὐ θύομεν. Ρυστικὸς ἔπαρχος ἀπεφήνατο λέγων· Οἱ μὴ βουληθέντες θῦσαι τοῖς θεοῖς, καὶ ἐξαι τῷ τοῦ αὐτοκράτορος (68) προστάγματι, μαστιγωθέντες ἀπαχθήτωσαν, κεφαλικὴν ἀποτινύντες δίκην, κατὰ

stri & Servatoris. Similiter & reliqui Martyres dixerunt: *Fac quod vis, nos enim Christiani sumus, nec idolis sacrificamus.* Rusticus praefectus sententiam pronuntiavit his verbis: QVI DIIS sacrificare, & Imperatoris (68) jussa facere noluerunt, verberibus affecti abducantur, capitalem luituri poenam, secundum le-

judicari, maxime quum in eo Irenaeus & Origenes in testimonium producantur. At equidem Labbeo (in de script. Eccl. p. 669.) assentior, censenti eum quidem librum initio ex solis Justini responsionibus contextum, novis postea accessionibus patuisse. Certe doctrinas passim antiquiores continet, quam pro quinti saeculi (cui vulgo id opus assignant) ingenio.

(68) *DE Passionis S. Justini anno.* Προστάγμα *heic non est* Edictum, *sed* Rescriptum. *Cur initio Actorum* Βασιλεῖς *num plur. heic vero* Imperatoris unius *mentio fiat? Plures difficultatis hujus solutiones proferuntur; ex quibus efficitur Passionem Philosophi Samaritae inter ann.* 165. (*cui in Chronico Paschali assigitur*) & 170. *incertam fluctuare.*

Prior interpres heic *Imperatoris edicto* reddidit. At Tertullianus negat toto hoc tempore edictum ullum in Christianos prodiisse: quod si prodiisset, tum id utriusque imperatoris nomen praeferre debuisset, ac proinde heic αὐτοκρατόρων scribi. Hinc equidem malui *Rescripto* vertere. Nam mihi quidem videtur Marcus a Rustico interpellatus fuisse, ecquid in Christianos animadverti oporteret; ei vero Marcus rescripsisse, delatos, si quidem sacrificare renuissent, capite esse plectendos. Id nunc vocat *Imperatoris* (προστάγμα) *rescriptum*. Nam προστάγματα vox id quoque significat. Πρόσταγμα idem quod κέλευσις: istud autem tantumdem quod Latinis *Rescriptum*. In vet. Glossis verb. juris: Ρίσκριπτον· ἔγγραφος κέλευσις βασιλική. Istud autem rescriptum ab uno Imp. Marco prodiit, quod forsitan L. Verus abesset. Ex his vides nihil nos opus habere Tillemontii conjectura (ad finem Not. 14.) corrigentis αὐτοκρατορικῷ διατάγματι, *Imperatorio Edicto*. Aut quis unquam isto modo locutus fuit?

Atqui locus hic accuratius excutiendus est, & cum initio horum Actorum conferendus. Ibi enim praefectus sic orditur: Πρῶτον . . . ὑπάκουσον τοῖς βασιλεῦσιν, *Ante omnia . . . principibus obtemperato*: heic autem αὐτοκράτορος *Imperatoris* unius jussio urgetur. *Cur ea loquendi diversitas?*

Pluribus modis conciliari haec possunt. Nam si in eo persistimus, ut dicamus, Justinum vivente L. Vero circ. an. 167. dimicasse; tum vero illud βασιλεῦσιν ad utrumque imperatorem referetur (quia utriusque nomine Christiani urgebantur, ut diis sacrificarent ac legibus obedirent) posteriore autem loco dicemus αὐτοκράτορος unius mentionem fieri, quia de peculiari aliquo Marci rescripto (in quo sive universe de Christianis, sive peculiariter de Justino, in quem Crescens insidias struxerat, plectendo nisi sacrificaret, caveretur) sermo est; quum interim L. Verus abesset. Aut etiam si utriusque nomine rescriptum prodiisset, Marci unius strenui ac sobrii principis, cujus unius arbitratu cuncta administrabantur, fit mentio, ne nominato quidem collega desidioso ac dissoluto. Ac vide quae in hanc sententiam ad XVI. Maii in S. Restituta pag. 312. Adnot. 32. paria exempla congessimus, plura allaturi, si sit opus.

Quod si Justini martyrium in annum 169. (quo anno hieme media L. Verus obiit) aut 170. distulerimus; tum vero sic rem componemus. Prius illud βασιλεῦσιν aut ad omnes retro principes, quotquot edicta in Christianos promulgarunt, referemus; aut ex aequo ad Marcum & duos filios Caesares. Nam Caesares etiam, & nominatim Commodum, interdum βασιλεῖς vocatos, docuit Ez. Spanemius (in de praest. & usu num. dissert. 12. sect. 5. pag. 401.) maxime quum hoc loco permixtim cum patre βασιλεῖς nuncupentur. Posterius autem αὐτοκράτορος pronum erit de unius Marci rescripto, uti supra

legum continentiam ac (69) tenorem.

τὰ τὴν τῶν νόμων ἀκολουθίαν (69).

VI.

Ita ſancti Martyres glorificantes Deum, egreſſi in (70) conſuetum locum, capite obtruncati fuerunt, & in Servatoris confeſſione ſuum martyrium conſummarunt. Quidam autem fidelium, clam ſublata eorum corpora opportuno in loco ſepeliverunt, cooperante gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti: cui gloria in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Οἱ ἅγιοι μάρτυρες δοξάζοντες τὸν Θεὸν, ἐξελθόντες ἐπὶ τὸν (70) συνήθη τόπον, ἀπετμήθησαν τὰς κεφαλὰς, καὶ ἐτελείωσαν αὐτῶν τὴν μαρτυρίαν ἐν τῇ τοῦ σωτῆρος ὁμολογίᾳ. Τινὲς δὲ τῶν πιστῶν λατρεύσαντες αὐτῶν τὰ σώματα λαβόντες, κατέθεντο ἐν τόπῳ ἐπιτηδείῳ, συνεργασάσης αὐτοῖς τῆς χάριτος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

CAP. V.

De anno ac die triumphali S. Juſtini M. ejuſdemque feſto.

In Chronico Paſchali annus Paſſionis S. Juſtini confertur in annum quo L. Arrius Pudens, M. Gavius Orfitus conſules proceſſerunt, h. e. in annum 165. Nec quidquam per me morae eſt, quo minus hunc annum cum Pagio ſequamur: quo anno Juſtinus [ſecundum chronotaxin, quam cap. II. praemiſimus] ſexagenarius erat. At Tillemontius eum rerum geſtarum ordinem ſecutus, quo Euſebius in Chronico utitur, maluit Philoſophi hujus certamen in annum 167. conjicere. Poſtremo ſi Sententiae Ruſtici verba ſecuti (in qua Sententia unus Imperator nominatur) induxerimus animum, Samaritam noſtrum poſt L. Veri mortem decertaſſe; nihil impedimento erit, quo minus ejus martyrium in annum 169. [quo anno media hieme L. Verus obiit] aut uſque in ſequentem 170. differamus: quod & in Adnot. 68. adumbravimus.

pra innuimus, interpretari.

Ita annus certaminis S. Juſtini, utrum ad annum 167. an 169. pertineat, incertum relinquetur. Et quidem Euſebii auctoritas (ut optime Tillemontius ad finem Not. 14. adnotat) facit, ut in priorem annum propenſiores nos eſſe conveniat: quippe quum Euſebius etſi nullo certo anno Juſtini Paſſionem affigat; tamen quia poſt Polycarpi certamen illam refert, ſatis indicat, Noſtrum eopte aut ſequenti anno decertaſſe. Ad Paſchale Chronicon quod attinet, in eo quidem diſerte Juſtini triumphus ad conſules *Pudentem* & *Orfitum* h. e. annum 165. refertur: ſed tamen quum eum VI. M. Aurelii anno occubuiſſe dicit, per id jam ad annum 167. reducimur.

(69) Ἀκολουθίαν heic optime reddere poſſis *Normam*. *Ad legum normam*. In Philoxeni Gloſſis *Norma* redditur Ἀκολουθία. Sed malui *tenorem* reddere, aut (ſi mavis) *continentiam*: quae vocabula ſatis trita in Jure noſtro ſunt. Poſſis etiam conjunctis vocabulis vertere, *Secundum legum continentiam & tenorem*. Vbi praefectus ad νόμους (*leges*) provocat, antiquiora Caeſarum edicta intelligit. Nam ſiquod in Chriſtianos edictum M. Aurelius promulgaſſet, dixiſſet potius κατὰ τὸ αὐτοκράτορος aut αὐτοκρατόρων διάταγμα, aut παράγγελμα. In tajibus enim locutionibus ſuperiorum principum edicta paſſim *legum* nomine donantur, non item viventium.

(70) Haec collectoris verba *In conſuetum locum* ſatis dant intelligere, hoc additamentum diutiuſcule poſt rem geſtam, quando locus peculiaris martyrii ignorabatur, conſcriptum fuiſſe: quem quidem locum ſi collector ſciviſſet, utique deſignaſſet. Eodem & illud refer, quod mox *In loco opportuno* ſepulti dicuntur. At quanti id laboris fuiſſet, locum ipſum nominatim indicare, niſi ſi id fuit, quod collectoris hujus aevo locus ſepulturae ignorabatur?

Digitized by Google

Nec serius Justini triumphus rejici posse videtur.

De die vero Passionis jam quaedam in Adnot. 26. dicere occupavimus. Nam quantum ex corrupto Actorum titulo animadverti potest; is quidem Philosophus cum suis commilitonibus XV. Kal. Julias [h.e. die XVII. Junii] decertasse videtur. At, ut ex eodem titulo liquet, postea ejus festum Kalendis Juniis a Graecis agitari coepit: qua de causa incertum: sed facile ob Reliquiarum Inventionem aut Translationem. At ea festi transpositio antiquior esse debuit IX. saeculo. Quid ita? Quia medio IX. saeculo quum hi marmorei Fasti scalperentur, in eis non tantum Kal. Juniis id festum assignari placuit [quod ipsum tamen antiquiorem eam praxim arguit] verum etiam cum nota *P.* h.e. *Passionis*. Id enim argumento est, ita antiquam eam assignationem fuisse, ut jam dies Kalendarum pro die *θανασίμῳ* [*emortuali*] haberi coeperit: ex qua latius jam pervagata opinione factum, ut etiam in his Fastis nota *Passionis* huic festo praefigeretur, tamquam si die suo ageretur. Hoc ipsum & libri Graecorum liturgici secuti sunt, ac disertissime Ephemeridum metricarum hic hexameter:

Κρώσι Ἰουνίῳ ἑλλεβορίζει Ἰουστῖνος.

Justinum helleboro Junij extinxere Kalendae.

Et Graeci quidem jam ante IX. saeculum, uti dixi, S. Justinum Kal. Junii colebant: dum interim Latini, imo & [quod magis mirandum] Romani ipsi, apud quos Apologeta sanctiss. occubuit, de eo nihil agerent: ob eam sc. causam, quam initio cap. IV. ubi ad Acta praefamur, explicavimus. Itaque inter Latinos primus, quod sciam, Ado, mox Vsuardus S. Justinum in sua Mrologia intulerunt. Sed tamen iidem pro Kal. Juniis diem XIII. Aprilis ei festo assignarunt: quid in eo secuti, nondum scire licuit.

Ac sane Romae in Ecclesia *S. Pudentianae* (qui nunc Titulus est Eminentiss. Card. Spinelli Archiep. Neapolitani) his temporibus die XIII. Aprilis fit Officium *S. Justini Philosophi & Mart.* ritu Duplici. Tres Lectiones propriae (minime antiquae illae quidem, sed recens compositae) recitantur: in quarum tertia illud legitur de Justini habitatione in Thermis Novatianis, aliter *Timothinis* nuncupatis: de quo copiose egimus Cap. superiore in Adnot. 55. In eodem Officio pulcherrima Oratio recitatur: quam huc attulisse non poenitebit. ORATIO.

Deus, qui parvulis primum, ac per eos sapientibus mysteria tua revelare dignatus es: fac, intercedente beato JVSTINO martyre tuo (qui insanam saeculi sapientiam deductus, Christum Crucifixum & discere meruit & docere) ut sanam stultitiae Crucis doctrinam sectando, vere sapientes esse valeamus. Per eumd. Domin.

APPENDIX

Qua Hadriani ad Minucium Fundanum epistolae Latinus textus genuinus, quem olim S. Justinus exhibuerat, pro deperdito deploratus, sospes ex Rufino & integer lectori sistitur.

Eusebii IV. 8. locus cum Rufini versione confertur. Quod recitata ab Rufino epistola textum primitivum contineat, quatuor argumentis conficitur. In id Rescriptum, & Eusebianam ejus translationem animadversiones. Granio Sereno *verum nomen vindicatur. Hunc forsitan fuisse legatum non proconsulem. Quid* Relatio. *Eusebii textus corrigitur. Quid in judiciis sit* Latrocinari, *et quid κακουργεῖν.* Vindicare IN aliquem, *elegans locutio.*

Ad calcem longioris Apologiae S. Justini hodiedum exstat Hadriani ad Minucium Fundanum de non vexandis Christianis epistola, Graeco pereleganti sermone conscripta. Hanc vero ab Justino ipso de Latino in Graecum fuisse transfusam, ut eam suo Apologetico Graece composito insereret, quivis facile existimasset, nisi & stylus ab Justiniana dictione dissideret, & nisi Eusebius eam interpretationem sibi ipse arrogaret, simulque prae se aperte ferret, ejus rescripti exemplum ab Justino Latinis ipsis verbis, quibus

Digitized by Google

bus ab Hadriano contextum fuerat, fuisse propositum. Locus Caesarienſis historiographi in IV. 8. ex Valesii interpretatione talis est. *Refert praeterea idem Justinus, Imp. Hadrianum acceptis* (παρὰ Σερενίου Γρανιανοῦ ἀνθυπάτου γράμμασιν) *a viro clarissimo Serenio Graniano proconsule* (71) *litteris, quibus monebat, iniquum videri, Christianos nullo objecto crimine, tumultuosis vulgi clamoribus gratificandi studio indicta causa occidere, rescripsisse Minucio Fundano Asiae proconsuli, nequis posthac sine objectu criminis & legitima accusatione condemnaretur. Cujus epistolae exemplum Latino, ut erat, sermone conscriptum* (propius a Graecis Eusebianis sic verteres: *Latino, quem* [primitus] *habuit, sermone retento:* nam Graece est, τὸν Ρωμαϊκὸν φωνὴν, ὡς εἶχε διαφυλάξας) *ibidem affert Justinus, praemissis interim his verbis: Ac nos quidem, inquit, tametsi ex epistola maximi & (72) nobilissimi Caesaris Hadriani parentis vestri jure postulare a vobis poteramus, ut judicia de Christianis fieri ex ea formula, quam poscebamus, juberetis: id tamen non tam idcirco postulavimus, quod ab Hadriano ita constitutum esset, quam propterea quod petitionem nostram justissimam esse intelligimus. Atque ut in eo quoque verum a nobis dici perspiciatis, exemplum epistolae Hadriani subjecimus, quod est hujusmodi. Posthaec idem Justinus ipsum exemplar epistolae Latino sermone scriptum subjungit: quod nos prout potuimus, Graece interpretati sumus hoc modo.* Ex quibus aperte vides Latinum ac primitivum epistolae exemplum ab Justino adscriptum fuisse. Quandoquidem autem tam multa ex Eusebio descripsimus, non pigebit & Hadriani rescriptum ex eodem huc afferre.

CAPVT IX. Epistola Hadriani, nequis Christianorum indicta causa puniatur. *Aelius Hadrianus Aug. Minucio Fundano procos. salutem. Accepi litteras ad me scriptas a Serenio Graniano viro clariss. decessore tuo. Nec sane mihi videtur res ista absq. diligenti inquisitione praetereunda, ne forte Christiani homines turbentur, & delatoribus calumniandi occasio praebeatur. Igitur si provinciales palam adesse possunt petitionibus suis adversus Christianos, ita ut pro tribunali respondeant, in id unum incumbant, nec petitionibus solisque clamoribus utantur. Etenim multo justius fuerit cognoscere te, siquis accusare voluerit. Quod si quis eos detulerit probaveritque contra leges quidquam agere, tu pro gravitate delicti in eos statue. Sin mehercule calumniae causa istud intenderit; operam dabis, ut pro gravitate criminis in illum animadvertas. Et haec quidem de Rescripto Hadriani.*

Quum autem Justinus, uti diximus, genuinum Latinae epistolae exemplum suae Apologiae intexuerit; quid causae fuerit, cur postmodum librarii spreto exemplari primitivo, Eusebianam Graecam interpretationem Justino adtexuerint infra augurari conabimur. At interim post renatas litteras suborta est illa virorum (73) eruditorum expostulatio, primitivum ejus rescripti exemplum sibi de manibus ereptum dolentium.

At equidem quum casu in Hist. Miscellae librum X. incidissem, ubi ea epistola Latine inseritur ejusmodi, quae Hadriani aevum minime dedeceret, coepi dubitare an non illa ipsa esset, de qua conclamatum fuerat. Quid enim? cetera addicebant omnia, hoc uno excepto, quod Paulus Warnefridus qui eam Miscellam

(71) Non *proconsule*, sed potius *Legato* ut infra dicemus.

(72) Mallem *Illustrissimi Caesaris*; neque id ob eam causam quod Ἐπιφανὴς magis respondet Latino *Illustris* quam τῷ *Nobilis*, quod alterum Graece est ἐπιφανὴς [id enim levo est] quam ne Hadrianus Aug. cum vocatis ad spem imperii [qui quidem paullo post Hadriani tempora *Nobilissimi Caesares* inscribi coeperunt] confundatur.

(73) Tillemontius in S. Justino artic. 6. se ex Graeco Eusebii hanc Adriani epistolam traducturum professus, hanc adjicit causam, *Puisque l'on a perdu le texte original, que S. Justin avoit conservé*:

Digitized by Google

lam VIII. saeculo consarcinasset, minime idoneus ejus rei testis videretur. Itaque nihil prius habui, quam ut Eusebii Rufinianam interpretationem adirem: in qua eadem omnia Latina verba, atque in Miscella, nactus, haud duxi amplius dubitandum, quin primitivum ejus rescripti exemplar Aquileiensi presbytero redivivum debeamus: idque his maxime de causis.

I. Nec enim erat verisimile, Rufinum, qui genuinum ipsum illius epistolae textum ab Justino depromptum ad manus habere posset, non ipsummet fuisse exhibiturum, ac spreto fonte limpidissimo, ex rivulo potius Eusebianae haud plane fidissimae translationis fuisse novam adhuc, uti fit, liberiorem interpretationem obtrusurum.

II. Deinde quum ibi Rufinus Eusebii interpretem ageret, tamen illa omnia Eusebii membra praeteriit, quibus ille narrat, ejus rescripti ab Justino quidem primitivum textum fuisse productum, ab se vero Graece conversum proferri. Nec alia assignari causa ejus omissionis potest, quam quod ea sibi Rufinus supervacanea duceret, illum ipsum Latinum textum ab Justino depromptum inserturo. Confer quae infra ex Rufino adscribemus cum supra recitato Eusebii loco, & Adnot. 79.

III. Adhaec Rufinianum Hadriani rescriptum non nisi primitivum esse, planissime dictio universa demonstrat, cum Hadriani quidem aevo mire consentiens (id quod infra lector tum ex epistolae contextu per se ipse perspiciet, tum etiam ex ibi subjectis animadversionibus) a cetera vero Rufini oratione, qua in Eusebio traducendo utitur, longissime aberrans.

IV. Postremo sicui adhuc quis scrupulus haeserit, rogo, ut quae mox apud eumdem Rufinum cap. XII. sequitur Antonini ad Asiae communia epistola (quam, ut pote ab Justino Apologiae [74] suae non subjectam, certum est Rufinum ipsum de Graeca Eusebii translatione in Latinum traduxisse) cum Hadriani rescripto conferat: plane reperiet transiri, quod ajunt, a Dorio ad Phrygium: adeo multa in Antoninianae epistolae translatione ingenii Rufiniani (75) indicia se produnt. Cetera quae huc pertinent, ex ipsius Hadrianei rescripti contextu, & ibi adnotatis mox intelligentur. Ceterum quum non sit dubium, quin Valesius Rufinianam Hadriani epistolam (76) ob oculos habuerit; quid causae fuerit, cur tale nihil viro κριτικωτάτῳ suboluerit, est quod mirer. Nam de Scaligero (cui hoc ipsum latuit, plura ceteroqui de hoc rescripto adnotanti in Animad. Euseb. num. MMCXL.) minus miror. Nec enim vir sagacissimus tunc de Rufino in consilium adhibendo cogitavit.

Verum quid morae est, quo minus totum illum exhibeam Rufini locum, qui Eusebianis supra ex Valesii interpretatione recitatis respondet? Is igitur libri quarti extremo capite VII. haec (*) posuit.

Sed

(74) Nec Antonini veram epistolam ab Justino suae Apologiae fuisse subnexam, neque spuriam illam alteram M. Aurelii; sed utramque ab aliena manu accessisse, nemo hodie dubitat: de quo infra nonnulla adspergemus.

(75) Cujusmodi sunt illae locutiones: *Animam ponere pro Deo*, quod biblicum est. Et, *In omni tempore, quo de talibus ignoratis*. Rursus illud, *Venerabili* [quod in Eusebio est θεοσεβεῖ] *patri nostro* Hadriano. Adhaec, *Nihil molestiae hujusce modi hominibus generarent*. Necnon, *Aliquid adversum Rom. regni* (pro *imperii*) *statum moliri*. Postremo *Reus poenae ipsius, quam objecit* (atqui non poena, sed crimen objicitur: ἔγκλημα δίκης Eusebius posuerat) *exsistat*. Mitto subtiliora quaedam, ne fastidiosior videar.

(76) Quandoquidem plurimas epistolae a Rufino recitatae Latinas locutiones Valesius in eam quam ipse ex Eusebio Latine vertit, haud dubie transtudit.

(*) Editionem Rufini Lugdunensem anni 1526. ad manus habui.

Digitized by Google

Sed & idem ipse vir (Justinus) *scribit Adrianum principem, susceptis a Serenio Graniano* (77) *clarissimo viro praeside* (78) *litteris, in quibus de Christianis percontabatur, rescripsisse, quod non esset justum*

(77) Rufini Lugdunensis editio, qua usus sum, tum heic, tum initio rescripti, pro *Graniano* (quod rectum esse volunt) erat *Gratianus*. Ibidem in titulo Epistolae erat *ad Minutium Fundanium* pro *Minucium Fundanum*. Sed & ex ead. epistola complures sustuli Lugudunensis editionis mendas ope Historiae Miscellae.

Jam vero quod dixi, eum vulgo putari scribendum esse *Serenium Granianum* [quo modo in Eusebio & Justino legitur] de eo valde dubito, neque ob id solum, quod in Hieronymiano Eusebii Chronico, & Paulo Orosio *Serenus Granius* is vocatur, verum ob id potius, quod in Gruteriano marmore pag. 533. 6. occurrat quidam M. GRANIVS SERENVS MILES. Qui etsi cum hoc nostro nihil commune habeat; tamen satis inde intelligitur, & gentem *Granium* inter Romanas fuisse, & in ea gente extitisse qui *Sereni* cognomen ferrent; ita ut ex ea *Graniorum Serenorum* familia oriri noster potuerit. Qui quod turbato ordine *Serenus Granius* vocaretur, id non insuetum fuit, maxime Graecis; quibus familiare est cognomen nomini gentilitio praeferre: quod & Latini interdum assolent.

(78) In Graeco Eusebii erat, παρὰ Σερενίου Γρανιανοῦ λαμπροτάτου ἡγεμόνος, quod optime Rufinus in eum quem vides modum transtulit. Nam ἡγεμὼν & *Praeses* unum idemque significant [in Glossis ἡγεμὼν est *Praeses*] & utrumque quorumlibet rectorum provincialium commune nomen est. Et laudat quidem hoc Rufini interpretamentum Valesius, nos tamen sequitur, quippe interpretatus, *A viro clarissimo Serenio Graniano proconsule*. Insederat enim viro summo opinio, Granianum Asiae proconsulem fuisse, quippe quem Hadrianus initio rescripti *decessorem* Fundani vocet.

Atqui etiamsi Granianus hic re vera proconsularibus insulis insignitus fuisset; tamen sequi auctorem suum Valesius debuisset, cui satis fuerat illum ἡγεμόνα h. e. *praesidem* τετιμῆς nuncupare. Nec enim fido interpreti, ut sapit, quidquam de suo admetiri licet; maxime quum ea res non tantum infida sit, sed & plena periculi. Quid si enim Granianus non uti proconsul, sed alio jure ac titulo Asiae praefuisset?

Adde quod non ignotum viro magno fuit, Granianum hunc in Hieronymiano Eusebii chronico *Legatum* vocari. Locus sic habet pag. 167. num. MMCXL. *Serenus Granius LEGATVS vir apprime nobilis* (*Vir clarissimus* verti debuit; qui dignitatis titulus erat) *litteras ad Imperatorem misit, iniquum esse dicens clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine, nominis tantum & sectae reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano proconsuli Asiae scribit, non sine objectu criminum Christianos condemnandos. Cujus epistolae usque ad nostram memoriam durat exemplum.* Nec aliter in Pauli Orosii historia Serenus iste quam *Legatus* inscribitur. Quod argumento est, Eusebium in suo Graeco chronico non ἡγεμόνα (qua generali voce in Historia Eccl. utitur; itemque sive Georg. Syncellus, sive quicumque is fuit, cujus Graeca Scaliger huic loco Hieronymianae translationis in Σωζομένοις Graecis opposuit) appellasse hunc Serenium Granianum, sed πρεσβευτὴν, *legatum*. Alioqui quo ore Hieronymus pro ἡγεμόνα h. e. *Rectore*, peculiare & insolens eo tempore *Legati* nomen appendisset? Etsi, fateor, aliunde scire hoc Hieronymus poterat, Granianum (quem *Granium* vocat) legati nomine Asiae praefuisse. Multa autem incidere potuisse, cur interdum legati sine proconsule provinciam, populi Romani nomine, obtinerent, non nunc primum ex hoc Graniani exemplo discimus, sed jampridem a viris eruditis observatum fuit. Nihil igitur erat, cur Valesius Hieronymum erroris insimularet, quod Serenium hunc *legatum* dixisset, deque Scaligero miraretur, quod non eum errorem in Hieronymo suo notasset: quum contra agnoscere debuisset, Stridonensem nostrum sive πρεσβευτὴν in eo Chronici loco reperisse, sive, si ἡγεμόνα ibi legit, aliunde sciviſse, Granianum non alio quam legati nomine ei provinciae praefuisse. Quibus intellectis, jam illa etiam Valesiana argumentatio concidit [Fundani, inquit, Granianus *Decessor* in Hadriani epistola vocatur; ergo uterque proconsul fuit] nam quibus de causis legatus loco proconsulis regere provinciam poterat, ex eisdem & legato proconsuli succedere dicebatur.

Digitized by Google

stum Christianos nullius criminis reos absque judicio legibusque puniri: Simul & exemplum epistolae ipsius subjicit continentis hunc modum (79).

Capitulum VIII. De Epistola Adriani quae persecutionem in nostros parumper repressit.

Exemplum epistolae imperatoris Adriani ad Minucium Fundanum proconsulem Asiae.

Accepi litteras ad me scriptas a decessore tuo Serenio Graniano clarissimo viro, & non placet mihi relationem (80) silentio praeterire, ne & (81) innoxii perturbentur, & calumniatoribus (82). latro-

(79) Confer Eusebiana huic loco respondentia; ex quibus animadvertes, Rufinum iis omnibus supersedisse, quibus monetur lector, ab Justino primitivum rescriptum afferri, id vero ab Eusebio Graece versum proferri. Quae omnia idcirco securus omisit Aquilejensis, quod genuinum ipsum Hadriani textum ab Justino petitum depromptum iret.

(80) Hinc discimus, quam posterior aetas *Suggestionem* vocabat, eam aevo Hadriani *Relationem* fuisse nuncupatam. Et quidem quod *Relatio principi facta* tantumdem sit quod *Suggestio*, ex Glossis antiquis elicitur, in quibus *Suggestio* est ὑπόβολη aut ἡ ἀναφορὰ πρὸς βασιλέα [*Relatio ad Imperatorem*] ἢ ἀρχοντα. Ceterum praeter has Glossas, nunc primum in hoc Hadriani rescripto *Relationem* eo significatu usurpari reperio: neque id porro inepte; nam ad earum *relationum* similitudinem dicebatur, quae in senatu a consulibus (aut quicumque jus relationis haberent) fiebant. Alioqui judiciali notione *Relatio* erat *mutua accusatio*, l. 5. D. de publ. judic. Quo pertinet id quod in vet. Glossis *Relacio* est ἀντιστροφή. Unde & quid sit ἀντιστροφὴ (ignotum lexicis nomen) discis.

At Eusebius parum fortasse tenens, quid Hadrianus *Relationem* vocasset, generali πράγματος (*rei*) vocabulo usus fuit: ἵνα δοκῇ μοι ἐν ᾧ πράγμα ἀζήτητον καταλιπεῖν, *Non videtur res non inquisita mihi esse relinquenda*.

(81) Istud *Et* [quod a Rufini editione Lugdunensi aberat] ex Miscella (in cujus editionibus omnibus reperitur) restitui. Quod ceteroqui necessarium esse, non tantum locus ipse admonet, sed & Eusebii interpretatio μήτε h. e. *Neque*, aut [quod tantumdem est] *Ne et*.

Jam vero pro eo, quod sequitur, *Innoxii*, in Eusebio est οἱ ἄνθρωποι, *homines*. Quod quia nimis vagum videbatur, Valesius *Christiani* de suo addidit, *Ne forte & Christiani homines turbentur*. At mihi non est dubium, quin Eusebius ἀθῷοι [*insontes*] scripserit, quod postea in ἄνθρωποι degeneravit. Etsi autem ἀθῷος elegantiori Graeciae fuerit *Impunis*; tamen quia ea vox in Graecis Bibliis pro *Innoxio* saepe ponitur; hinc ea passim eodem significatu Christianis usurpata fuit. Vade in Cyrilli Glossis ἀθῷος non aliud quam *Innocens* redditur.

(82) *Latrocinandi* eleganter pro *Insidiandi*. Quid sit porro in judiciis *Latrocinari*, ostendit Tullius pro Rosc. Am. c. 22. *Putares hoc latrocinium futurum*: nempe Roscium per vim & insidias damnatum iri. Sallustius in Jug. *Furtim & per latrocinia ... ad imperia & honores nituntur*. Notum est in Ecclesiae historia quid sit *Latrocinium Ephesinum*. Ceteroqui λῃστικὸς *Latrocinari* est facinorose vivere. Cic. in 2. in Catil. *Latrocinantem se interfici mallet, quam exsulem vivere*. Et Eusebius quidem hanc generalem notionem secutus videbatur, utpote interpretatus κακοῦργοι. Sed & viciissim Eusebianum vocabulum ex generali peculiare latronum evasit. Lucae XXIII. 32. 33. 39. κακοῦργοι dicuntur, qui Interpreti *Latrones*. Nec aliter apud scriptores elegantissimos. Apud Thucydidem lib. IV. κακουργεῖσθαι tantumdem Scholiasti est quod λῃστεύεσθαι. Idem lib. 2. οὐ μὴ λῃσὰς ... κακουργεῖν τὴν Εὔβοιαν, *Ne latrones ... praedarentur Euboeam*. Eidem lib. 1. οἱ ἐκ τῶν νήσων κακοῦργοι sunt *latrones insulani*.

At vero quod *Latrocinari* hoc loco sit illud, quod initio diximus, nimirum clam & cuniculis aliquem in judicio evertere, ex eo quod sequitur, potest intelligi: *Si EVIDENTER provinciales huic petitioni suae ADESSE valent .. ut pro tribunali eos arguant*: cujus contrarium erat *latrocinari*; quandoquidem sine objectu criminum, *precibus* tantum & *acclamationibus* in eos grassabantur.

Digitized by Google

latrocinandi tribuatur occasio. Itaque si evidenter provinciales huic petitioni suae adesse (83) valent adversum Christianos, ut pro tribunali eos in aliquo (84) arguant, hoc eis exsequi non prohibeo. Precibus (85) autem in hoc solis & (86) acclamationibus uti, eis non permitto. Etenim multo aequius est, si quis volet accusare, te cognoscere de objectis. Si quis igitur accusat, & probat adversum leges quidquam agere memoratos homines, pro merito peccatorum etiam supplicia statues. (87) Illud mehercle magnopere curabis, ut si quis calumniae gratia quemquam horum postulaverit reum, in (88) hunc pro sui nequitia suppliciis saevioribus vindices.

Nunc illud breviter, qua possumus, auguremur, ecquid causae fuerit, cur ex Justini exemplaribus Latinum Hadrianei rescripti ἀντιγράφον (*exemplum*) exciderit; seu cur librarii posthabito αὐθεντικῷ (*genuino*) ejus textu, Eusebianam interpretationem ejus loco subrogaverint.

Jam primū omnium, ecquando primum ea in Justino jactura facta fuerit, non est dictu facile. Certum tamen est, non tantum IV. ineunte saeculo, quando Eusebius suam elucubrabat Historiam, sed & eodem finiente (quo maxime tempore eamdem Rufinus inferebat in Latium) primo-

(83) Pro *Adesse valent*, Eusebius δύνανται διισχυρίζεσθαι h. e. *contendere possunt*; quum contra non aliud sibi voluerit Hadrianus, quam *praesentes adesse & coram accusare sustinent*. Nam certe *Valent* heic non est aliud quam *Sustinent*.

(84) In hac tota sententia mentem potius principis pro more suo aucupatur, quam verborum vestigia premit Eusebius.

(85) *Preces* vocat, quas *Postulationes* civiliore vocabulo dixisset. Verum jam eo ventum fuerat, nihil ut judices aut principes populare aut ex aequo loco agerent dicerentve. Hinc porro ut alia plura, sic *Precum* & *Supplicationum* ambitiosa vocabula fluxerunt. *Supplicationes* ac saepius *Preces* in libris juris sunt desideria libellis, quae imperatori porriguntur, comprehensa. Exempla sunt passim obvia tum in Pandectis, tum potissimum in utroque Codice: quo & Justinianei codicis titulus spectat *De precib. Imperat. offerendis*. Sed & *preces* sine libello solis clamoribus concipi interdum consuevisse, non est dubitandum; idque hic locus abunde docet.

(86) De gentilium acclamationibus Christianos ad supplicia poscentium vide heic Valesium. Res est ceteroqui satis trita.

(87) Eleganter hoc loco Eusebius: ὡς μὲν ὑπὲρ Ἡρακλέα ἴσως . . . πάνυ φρονίμου &c. ubi ὡς [pro *Quod* usurpatum] refertur ad sequens εἰ, *Quod si*. Vertes igitur: *Quod si quis mehercule . . . hoc intenderit*. Mox ibid. in Eusebio sequitur, διαλαμβάνει . . καὶ φροντίζει h. e. *consultabis curabisque*. In Cyrilli Glossis Διαλαμβάνω est *Disputo*, & in vet. Onomastico Διαλαμβάνων est *Commentari*. Possis reddere idem verbum etiam *Dijudicare*.

(88) Elegans syntaxis, *Vindicare IN*, pro *Animadvertere*: quod antiquos usurpasse Diomedes notavit lib. I. in hunc modum: *Hoc verbum non pro DEFENDO veteres dicebant, sed pro ANIMADVERTO & PUNIO. Ut Sallustius* [exstat in Jugurth. in extrema C. Memmii concione]: *Nisi vindicatum fuerit in noxios. Et in Catilina* [cap. 9.]: Vindicatum in eos, qui contra imperium pugnaverant. Haec Diomedes. Sed & haud diu ante Hadrianum etiam Tacitum eodem significatu & constructione in IV. Historiarum [quibus eū volunt sub Trajano principe operam navasse] cap. 45. scripsisse reperio: *Et cognita causa, IN convictos vindicatum*. At Florus etiam alterum accusativum criminis puniti addit lib. II. cap. 6. sect. 55. *Coepit . . Italiae suae clades IN Africam vindicare*. Simili modo Justinus lib. 37. cap. 3. extremo: *Facinus IN auctores vindicavit*. Vbi non recte Schefferus mavult, *In auctore*. Haec eo subtilius enotavi, ut vel ex hac una locutione [a qua cetera non abludunt] hujus epistolae dictionem auctorem suum non dedecere, intelligas.

Digitized by Google

primitivum Hadriani reſcriptum adhuc in calce Juſtinianae Apologiae obvium fuiſſe. Nam ni ita foret; Aquilejenſis interpres illud ex Graeco Euſebii Latinum feciſſet; nec ſuarum partium duxiſſet, ut, ipſe cetera parum diligens, vetera tabularia excuteret, ſicubi primitivum contextum nanciſceretur. Vtinam vero & uſque ad Pauli diaconi tempora id monumentum in Juſtino ſuperfuiſſe, praeſtare poſſim. Nam quum is vergente VIII. ſaeculo Latinum ejus epiſtolae exemplar lib. X. Hiſt. Miſcellae inſeruit, id illum ex Rufino mutuatum, non dubito. Imo non alia Paulo huic Aquilejenſi diacono cauſa fuit, cur, tot illuſtribus Hadriani actis ſilentio praeteritis, hanc tamen ejus epiſtolam recitare integram geſtierit, quam quod eam olim Rufinus ejuſdem Eccleſiae presbyter in hiſtoriam a ſe tranſlatam conjeciſſet. Itaq. inter Rufini & Pauli, opinor, tempora ex Juſtini apologia deperiiſſe Latinum Hadriani reſcriptum oportuit.

Cauſa vero flagitii haec maxime librariis, ni fallor, fuit. Ea Hadriani epiſtola ad apologiae Juſtini calcem ita ſubnectebatur, ut Latinis quidem verbis decurreret, characteribus vero Graecis tota perſcripta eſſet. Sic enim antiquos factitaſſe, hodiedum in vetuſtiſſimis exemplaribus cernitur, ſive Latinis in quibus Graecorum loca Latinis elementis notantur, ſive Graecis in quibus Latina verba aut formulae Graecis characteribus exarantur. Poſterius hoc poteſt & in Graecis JCtis quivis hodie perſpicere, apud quos Latinae pluſculorum verborum formulae ita inſeruntur, ut tamen Graecis litteris exprimantur. Id vero dum faciunt, incredibile dictu eſt, quam foedis interim erroribus ſcateant, ſive ſcriptorum parum Latine ſcientium, ſive deſcriptorum indoctiſſimorum vitio id acciderit. Nec alia certe fortuna Hadrianei reſcripti in Juſtini codicibus fuit; in quo deſcribendo quum, Graecis librariis portenta ſemper immaniora cumulantibus, eo tandem ventū fuiſſet, ut nec caput neque pes, ac nemo vel Latine eruditiſſimus exſiſteret, qui, tamquam Punicos Plautini Poenuli verſiculos, ſic Latinam Hadriani epiſtolam exponere Latine ſuſtineret; ad id demum remedii, quod & factu facillimum & Graecis lectoribus multo gratiſſimum videbatur, res rediit, ut pro reſcripti Latino illo inextricabili labyrintho, Euſebiana clariſſima atque elegantiſſima interpretatio Apologiae Juſtini claudideret: idque tanto convenientius, quanto & idem ceteri Patrum Graecorum factitaſſe repetirentur; quorum commentariis Latinorum loca haud aliter quam Graece reddita inſpergi ſolent; ut ex Euſebio paſſim, & ex Actis Conciliorum animadvertitur.

Poſtquam autem id fieri coepit; multo etiam longius amanuenſium audacia progreſſa fuit. Qui quum animadverterent, in eodem Euſebio, unde Hadriani ad Fundanum litteras deſcripſiſſent, mox ſequi alteram Antonini ad Aſiae communia ejuſdem argumenti epiſtolam; putarunt ſe lectorem demerituros, ſi hanc etiam ibi admetirentur. Quaſi vero ea epiſtola ibi locum vindicare ſibi poſſet, quam neque Juſtinus pollicetur, quaeq. tunc nota Juſtino eſſe non potuit, quippe illius apologetico poſterior. Imo ne hac quidem tenus audacia ſtetit. Nam poſtremo neſcio quis Graeculus inventus eſt, qui M. Aurelio, ſcriptori Graece elegantiſſimo, epiſtolam ineptiſſimam ſupponeret, qua invitum imperatorem tum pluviae miraculum, tum & de Quadis victoriam precibus Chriſtianorum (id quod ceteroqui veriſſimum erat) acceptam referentem induceret; quaſi ſi vero actum de Religione Divina eſſet niſi Graeculus ex Caeſare nolente (imo & id prodigium Jovi pluvio palam tribuente) tam prolixum teſtimonium extudiſſet. Et is quoque pannus Juſtini purpurae ultimo loco adſutus fuit. Ac de genuino Hadrianei reſcripti textu plura jam quam neceſſe fuit.

Digitized by Google

II P S ERASMI MAR ET PETRI

HOc e. *Paſſio S. Eraſmi Martyris & Petri*. Cur Eraſmo expreſſe titulus *Martyris* [ſatis alioqui per notam *Paſſionis* deſignatus] ſubjungatur, poſtea viderimus. Nunc de ambobus hoc in commune monebimus, Martyres hoſce omnino diſpares eſſe; nec ullam inter eos intercеſſiſſe ſive certaminis, ſive quamvis aliam [praeter diei unius triumphalis, etſi facile non in eumdem annum incurrentis] ſocietatem. Nam *Paſſionis* nota [non heic temere, ſed cum judicio poſita] ad ambos pertinet, ſive eodem hoc die paſſos, ſive forſitan tumulatos, uti videbimus.

Et Eraſmus quidem tum in Hieronymianis Mrologiis & Rabano hoc die ſignatur, tum & in ejus Actis [apud Henſchenium ad hunc diem pag. 216. ad finem] diſerte *caelum penetraſſe quarto Nonas Junii* dicitur: etſi in aliquibus Mss. *tertio Nonas* legi moneat Henſchenius, id quod ſecuti videntur Auctor Romani Mrologii parvi, Ado, Vſuardus, atque Notkerus, ut & Graeci in Synaxariis quibuſdam, ac poſtremo Fuldenſe Mrologium apud Cl. Georgium ad Adonem. Verum ſicubi in notanda Paſſione aut Depoſitione uno alterove die variatur, id eo pertinet, quod alii diem emortualem, alii ſepulturae ſpectaverint: uterque enim dies *Paſſio* in Martyribus, aut *Depoſitio* in Confeſſoribus vocabatur. Id quod tum in aliis a me ſaepe adnotatum fuit, tum in eo qui ſequitur *Petro* poteſt intelligi.

Nam *Petrus* una cum *Marcellino* in Actis [apud eumdem Henſchenium ad hunc diem p. 173. ad finem] a Lucilla ſepultus dicitur *ſub die quarto Nonas Junias*; & tamen is dies tum in hoc marmore, tum alibi paſſim pro triumphali habetur. Atque haec de utroque communiter dixiſſe ſufficiat. Nunc ſeorſum de ſingulis.

P A R S P R I O R
De S. Eraſmo.

S. Eraſmi Acta jam olim Mombritius mox & Surius ediderant; quae poſtremo Henſchenius cum Mss. quotquot aſſequi potuit, & editis collata in alterum Junii diem intulit. Quumque ſcripti codices mire inter ſe diſcordent; nullus tamen ad hunc diem codex inventus eſt, qui ea Acta non portentis & incredibilibus narrationibus inquinatiſſima proferat (ut merito ea Tillemontius *excellemment mauvais* appellaverit) praeter breviſſimum compendium, quod in antiquo Breviario Capuano, quod penes me eſt, hoc die reperi: quod compendium (ex veris olim Actis, uti ſuſpicor, derivatum) ad finem hujus capitis dabimus. Cujuſcumque tamen modi cetera Acta vulgata ſunt, antiquiora tamen Martyrologiis IX. ac X. ſaeculi eſſe (89) volunt, quum ex illis Actis Rabanus, Ado, Vſuardus, Notkerus ſua elogia decerpſiſſe videantur.

Nunc illud eſt excutiendum, cur in hiſce marmoreis Tabulis [in quibus *Martyris* titulus, praeſertim praecedente nota *Paſſionis*, paſſim alibi omittitur].

(89) Ex Rabani tamen & Adonis elogiis [nam Vſuardus, utpote utroque brevior, minutias negligit] facile perſpicitur, eos ita quae nunc habemus Acta ad manus habuiſſe, ut tamen prorſus eadem non triverint. Nam quod in Rabano legitur in priore certamine, *Mortuos ſuſcitavit, & multos debiles ſanavit*, id ab hodiernis abeſt: niſi quod poſt diſceſſum ex Antiochia mortuus unus ſuſcitatur non in priore certamine, ſed in Illyrico. Item quod in Adonis elogio ad finem ſcribitur, Eraſmum in Campania *plurimos ſive in fide roboraſſe, ſive ad fidem convertiſſe* [quod & in Elogio Breviarii Capuani infra a me recitando legitur] id totum non tantum ab hodiernis abeſt, ſed & in eis contrarium legitur, quia *ſediſſe in civitate Formiana ſeptem diebus* dicitur [intra quos quid praeclari gereret?] ac demum obiiſſe. Ex his & aliis potes animadvertere, Acta illa quae Martyrologis patuerunt, alibi copioſiora fuiſſe, ſicuti & alibi contra haud dubie parciora.

Digitized by Google

MARtyris notam ſubjungere curae fuerit; praeſertim quum is poſt tormenta alibi ſuperata, tandem ἀνοσμωσὶ [*ſine ſanguine*] in Campania quieverit. Ac mihi quidem ob hanc ipſam cauſam, quod is in pace quieverit, & tamen ab omnibus uti Martyr coleretur, videtur antiquitas dedita opera id obſervaſſe, ut *Martyris* titulum numquam non ei ſubtexeret. In quo quidem praeivit Hieronymi Mrologium, in cujus Lucenſi apographo ſic annuntiatur id feſtum: *In Campania Eraſmi Martyris*: etſi raro admodum iſtud *Martyris* additamentum in Hieronymianis reperias, certe quia non niſi Martyres [pauciſſimis confeſſoribus exceptis] in ea inferri moris fuit. Deinde idem titulus nec a ſequentibus Mrologis omiſſus fuit. Acta vero ubi de pacato obitu loquuntur, tamen id quoque *Paſſionem* vocant: *PASSVS eſt* (ſic enim apud Mombritium legitur) *beatiſſ. MARTYR Eraſmus quarto Non. Jun.* At Ado: *Vocante Domino, Martyrio clarus, ſancto fine quievit*. Rabanus: *Ad extremum cum palma martyrii ad aeternam vitam migravit*.

De antiquis S. Eraſmi Eccleſiis ac Monaſteriis, praeſertim in Campania Romana, videatur poſt alios Cl. Georgius ad Adonem die craſtino.

Hujus vero cultus poſt has marmoreas Tabulas Neapoli diu perduravit; ſignatur enim hoc die in Kalendario Neapolitano Ms. quod veteri Rituali praemittitur. Affert praeterea hoc die Henſchenius in Comm. praevio num. 6. quaedam cultus Neapolitani & Reliquiarum Neapoli cultarum ex Caeſare de Engenio documenta: quae iterum repetere non eſt opus. De cultu vero Capuae adeatur Mich. Monachus p. 510. ubi eum in Kalendariis, Mrologio ac Breviario Capuanis ſignari tradit. Ibidem habuiſſe ſe teſtatur Acta S. Eraſmi integra manu exarata: quorum exemplum ad ſe Capua tranſmiſſum fuiſſe, laetatur Henſchenius n. 1. unde animadvertes, ea vulgatis nihilo meliora fuiſſe. De cultu Siculo haec habet Canonicus Joannes de Joanne (in de *Div. Siculor. Offic.* pag. 363.) *Die 2.* (Junii) *omnia Eccleſiae Siculae monumenta exhibent SS. Marcellinum presb. Petrum exorciſtam, & Eraſmum Epiſcopum*.

Nunc quod ſupereſt, fidem liberabimus noſtram, atque Actorum S. Eraſmi breviſſimum compendium huc comportabimus, quod hoc die prima Lectione comprehenſum (nam ſequentes duae ſunt de SS. Marcellino & Petro) reperi in Breviario Capuano his verbis.

Beatus Eraſmus Epiſcopus, perſecutionem in Chriſtianos ſeviſſimam expaveſcens: cum per ſeptem annos in monte Libano, corvis eſcam ſibi divino nutu miniſtrantibus, latitaſſet: ad patriam Antiochiam eſt reverſus. Qui tentus a (90) *Diocletiano, diverſis tormentis* (91) *affligitur, & immenſo ferri pondere conſtrictus, in obſcuriſſimo carcere retruditur. Vnde ab Angelo ereptus, Campaniam pervenit. Vbi cum plurimos jam credentes confirmaſſet* (92) *multoſque ad Deum convertens, unda ſacri baptiſmatis purificaſſet: vocante Domino, martyrio clarus, ſancto fine quievit.*

Vides

(90) Hoc eſt ex vi edicti Diocletianei comprehenſus.

(91) Non ab ipſo Diocletiano praeſente ac pro tribunali ſedente, ſed a rectore provinciae.

(92) Hoc totum cum hodiernis Actis [in quibus ſeptimo poſt adventum in Campaniam die moritur] pugnare, non item cum iis, quae Ado ad manus habuit, dictum eſt ſupra in Adnot. 89. Nec quidquam fuit veriſimilius, quam Eraſmum non ideo tam longum iter emenſum, ut in Campania potius, quam in Syria emoriis deponeret, ſed ut S. Epiſcopus plurimas animas Deo lucraretur.

Digitized by Google

Vides in hac Actorum epitome omnia moderata & apprime credibilia. Nulla tormentorum inauditorum, & tamen cum ludibrio Imperatoris Diocletiani superatorum, atrocitas: nulla in Imperatorem convicia: prodigia (quorum in vulgatis Actis inepta prorsus profusio cernitur) nulla, praeter corvi ministerium, & quod per Angelum eripitur a vinculis, quae duo nec inusitata sunt, nec in hoc thaumaturgo [93] Pugile incredibilia: adhaec nulla quadragenorum millium subita ad Fidem conversio: nihil de ejus [94] miro ex Syria in Illyricum adventu, ubi Martyr cum Maximiano saeviente congredi (quasi vero eas quoque partes sibi Principes sumerent, ut praeter decorum, Martyrum judiciis & cruciatibus praeessent) eumque saepius ac turpiter superare fingitur: nihil postremo de Archangelo Michaele eum in carcere constrictum ex Illyrico in Campaniam mirabiliter deducente. Dixeris fortasse, non esse mirandum, si Lectionis hujus auctor compendio studens a tantula hac epitome ἀπίστα (*incredibilia*) omnia resecuerit, etsi ea ab ipso fonte, unde haec pauca derivavit, non abessent. Atqui respondeo, si hujus Lectionis elogium cum Actorum compendiis, quae ex Rabano, Adone, Vsuardo habemus, conferantur, facile cerni quid distent aera lupinis. Itaque mihi videtur Lectionis Breviarii Capuani auctor sinceriora Acta ad manus habuisse, ex quibus specimen illud suum edidit. Sive ut clarius dicam: quamdiu veteris Capuae stetit Ecclesia, Acta probata S. Erasmi (quippe cujus corpus vicina in Ecclesia requiesceret) penes se haud dubie habuit, quae in sacris conventibus legebantur. Itaque ubi tandem ad Breviariorum usum ventum fuit; quum Lectio brevior consarcinanda esset, eadem illa inculpata Acta consarcinatori praesto fuerunt: quae Acta postmodum intercidisse, dolendum est.

Nec illud porro dissimulaverim, quod Graeci in Basilii Menologio ad finem diei X. Maii quemdam Martyrem Erasmum proponunt, quatuordecim sociorum commilitio celebrem, quos Puteolis obtruncatos narrant. Locus sic habet: Ἐν Ποτιόλοις ἀπεκεφαλίσθησαν &c. *Puteolos abducuntur . . . ubi Erasmus cum ceteris quatuordecim obtruncatus fuit*. Sed utrum is cum hodierno aliquid commune habere possit, doctiores viderint. Atqui hoc saltem conjicere possumus, quas S. Erasmi Reliquias Neapolitani (apud Caesarem de Engenio & ex eo Henschenium) coluisse dicuntur, eas ad Puteolanum potius (si modo ullus Puteolanus Erasmus a Formiano diversus in rerum natura fuit) quam ad Formianum Erasmum esse referendas. Ac de Erasmo hactenus.

PARS

(93) S. Erasmum Bollandistae ad hunc diem & alibi inter *XV Sanctos Auxiliatores* recenseri testantur: quae laus ei a miraculorum multitudine parta, facit ut minus incredibilia ea duo miracula videri debeant, praesertim non insolita. Posterius certe de liberatione a vinculis etiam in hujus diei Martyrib. Petro & Marcellino in eorum Actis num. 3. & 8. legitur.

In hujus autem miraculi narratione Acta vulgata plena sunt fabulosis circumstantiis: quod videbis, si tanti res erit, num. 6. Vbi & locus videbatur mendosus. Sic enim post medium ejus sectionis nunc legitur: *Imperator currens ad carcerem, signaturam annuli invenit* [nam supra dictus fuerat *annulo suo signasse ostia carceris*] *cumque designasset* &c. Quod videbatur corrigendum *Resignasset*. Verum cave mutes. Nam in Veterib. Glossis sic reperio: Ἀποσφραγίζω · *Absigno, Designo, Resigno*: quae sunt omnia synonyma.

(94) Itinera Erasmi ex Antiochia Syriae in Illyricum, mox hinc in Campaniam [etiam si portentosas circumstantias resecueris] adeo incredibilia viris doctis visa fuere, ut eis in mentem venerit duos Erasmos adstruere, Antiochenum unum, Illyricianum aut Italum alterum. de quo vide Tillemontium tom. V. Not. 1. in S. Erasmum. At ex Antiochia in Campaniam facillima & usitata passim navigatio erat; nec Angelo duce itineris opus habuit. Quo tantum indiguerat, ut e vinculis & custodia liber evaderet.

Digitized by Google

PARS ALTERA.

De SS. Petro & Marcellino.

CAP. I.

Vter prior altero nominari ſoleat. Hic dies Paſſionis, an ſepulturae ſit habendus. Horum Martyrum plenior notitia unde ſit haurienda.

Vt inde uſque de his duo viris ordiar, *Marcellinum ſemper in veteribus monumentis Petro praeferri, praeterquam in codice Gelaſiano & in Actis* (horum Martyrum credo) *nonnullis*, opportune atque ex vero monet vir pereruditus Dominicus Georgius in adnotatis ad Adonem a ſe egregie illuſtratum, quem pro ſua liberalitate mihi nuper dono miſit. Etſi bona cum viri amiciſſimi venia praeter codicem Gelaſianum, etiam Hieronymiani Mrologii omnium antiquiſſimus codex Epternacenſis (qui Florentinio *Antuerpienſis* vocatur) hoc ordine auſpicatur hunc diem: *Romae natalis PETRI Exorciſtae, & Marcellini Presbyteri, Thomati, Rogati, cum aliis quadraginta duobus*. At in aliis ejuſd. Mrologii apographis poſterioribus *Marcellinus* quidem praeſcribitur, ſed ita tamen ut in Corbejenſi bis *Marcellinus* ſignetur (ſemel ſcil. primus, iterum poſt Petrum in hunc modum: *Romae Marcellini presb. & Petri Exorc. & Marcellini presbyteri, Tomati &c.*)quo ſatis ſignificatur, Corbejenſis apographi deſcriptorem in ſuo autographo reperiſſe priorem *Petrum*, cui quum *Marcellinum* (uti vulgatum tunc a ceteris Mrologis ordinem ſequeretur) praeponere vellet, tamen vel ſic iterum *Marcellinum* (fort. alterum a priore arbitratus) inculcaſſe. His addi debet & *Veterrima Notitia* (uti quidem a noſtro Georgio vocatur, qui eam ex Eccardo protulit) ubi prope S. Helenam dormire dicuntur plures Martyres hoc ordine: *PETRVS, MARCELLINVS, Tiburtius* &c. Ex Gelaſiano igitur Sacramentario, & vera Hieronymiani Mrologii ſcriptura (quae duo ſunt omnium vetuſtiſſima monumenta) vides, hoc primitus obtinuiſſe, ut *Petrus* prior Marcellino recenſeretur: nec immerito, quis, quantum ex Actis (quae V. ſaeculo poſteriora non eſſe, infra demonſtrabimus) poteſt intelligi, Petrus prior comprehenſus, tum alios plures convertit, tum ipſi Marcellino coronae adipiſcendae anſam praebuit. Haec eo pluribus notavi, ut appareat non temere, ſed cum judicio in noſtris hiſce marmoreis Tabulis *Petrum* ſignari, omiſſo *Marcellino*. Hoc enim noſtrae Ephemerides ſollemne habent, ut anteſignano tantum notato, ſociale agmen ſubaudiatur. Nondum autem apud Neapolitanos mos invaluerat, ut presbyteralis dignitatis ratione habita, vetus inverteretur ordo, ac Presbyter Exorciſtae praemitteretur: quem tamen dignitatis ordinem Mrologia alibi per idem tempus ſcripta conſtanter tueri, ac presbyterum exorciſtae praeponere maluerunt.

Diximus initio, hunc diem *Paſſionis* nota in noſtro marmore (communiter ſcil. cum Eraſmo) praenotari, etſi revera dies eorum ſepulturae fuerit (quippe quum dies obitus, uti dixi, ac dies inhumationis eodem & honore & nomine inſignirentur) idque ex Actis confirmari, hos duoviros tumulantibus *ſub die IV. Non. Junias*. At Ado refragatur: jure an injuria, in fine animadverſionum ad Acta commentabimur.

Ceterum qui plenam horum Pugilum notitiam cupit (nam nos quidem non aliud quam de ſpicilegio laboramus) adeat Baronium in Annal. & ad Mrologium, adhaec Aringum, Florentinium, Tillemontium, Henſchenium hoc die, Bailletum, &, qui ultimus omnium hanc Spartam attigit, proxime laudatum Georgium ad ſuum Adonem.

CAP. II.

De Actorum SS. Petri & Marcellini antiquitate ac fide.

Horum Martyrum Acta quamvis nec per notarios excepta, nec ab auctore ſive aequali, ſive ſuppare ſcripta fuerint, tamen & perantiqua eſſe, & bona fide elucubrata, eorum lectio ſatis cuilibet aequo rerum aeſtimatori ſuaſerit. De anti-

Digitized by Google

antiquitate prius, tum de fide pauca dicentur.

Et ea quidem anno 384. (quo Damasus Papa obiit) haud paullo posteriora esse, id ostendit, quod ubi num. 13. ad Damasi, qui plura de his Athletis ex Dorotheo carnifice audierat, auctoritatem provocat scriptor, nihil interim affert, quo significet, se ex ore Damasi didicisse, quae ipse in commentarium retulit. Accedit quod ejusdem Damasi versiculos (quod scil. unū potuit) in Martyrum tumba scalptos describat; quum tamen eorum quibuscum viximus, producere versus palam expositos minime soleamus: ad quos (si quidē recens propositi fuissent) satis erat lectorem remittere. Ergo scriptor aut Damasum non vidit, aut aetate junior tunc erat, quam ut (utpote tener adhuc) de his cum Antistite ferere sermones posset. Itaque non ante V. saeculum jam labens & forsan provectius haec scribi poterant. Quod & initium arguit ejusmodi: *Dum Roma a paganis teneretur, Petrus Exorcistae officium gerens* &c. Quis enim vel exeunte IV. saeculo, vel vix V. incipiente monendum putasset, fuisse tempus, quum Roma a paganis principibus teneretur? At ubi plus aetatis processit, id adnotasse, saltem in simplicioris plebeculae gratiam profuit. Deinde si ante hoc tempus ad scribendum animum appulisset auctor, non ignorasset, ad Diocletiani persecutionem hoc Martyrium fuisse referendum, idque saltem ex simul collatis Dorothei, Julii Papae, atque Damasi annis conjecisset. Nunc quia ab illo aevo remotior erat, ne hoc quidem satis assequi valuit. Quod tamen satis feliciter Ado (aut siquis prior huic dux in eo praeivit) assecutus fuit; apud quem diserte hi Martyres *sub Diocletiano* ponuntur. Habes cur Acta non sint medio ferme V. saeculo antiquiora: nunc cur non posteriora quinto summum finiente fuerint, accipe.

Quod equidem hoc argumento suadere posse mihi videor. Num. 14. Julio Papae *Sancti* praenomen praescribitur (*Dorotheus*, inquit... *Sancto Julio episcopo & omni populo indicans quae vidisset*) & merito: nam Julius statim sub proximo suo successore Liberio inter caelicolas colebatur, teste laterculo Bucheriano (quem sub Liberio factum volunt) in quo legitur: *Prid. Id. Apr. JVLII in via Aurelia milliario III. in Callisti*. Contra vero in his eisdem Actis num. 13. nullum *Sancti* praenomen Damaso praeponitur, utique quod serius aliquanto Damasus ad eos honores perveniisset. Atqui jam sexto saeculo Damasus inter Sanctos numerabatur, & in Hieronymianis Mrologiis (quae aevo Gregorii jam Romae legebantur) die X. Xbris signabatur: quo die in Lucensi sic legitur: *Romae Depositio Sancti Damasi episcopi*: etsi in Epternacensi legitur tantū: *Romae Damasi episcopi*. Quocirca fine quinti saeculi recentiora haec Acta habenda esse minime censeo: cui aetati hoc etiam adstipulatur, quod tum Julio, tum Damaso, semper *Episcopi*, numquam *Papae* titulus (jam sexto saeculo tritissimus) tribuatur. Num. 13. *Factus episcopus*: num. 14. *S. Julio episcopo*. Postremo & scripti hujus dictio, & quaedam antiquae ejus temporis locutiones eamdem aetatem significant, de quibus cap. seq. dicemus. Haec de antiquitate. Venio ad scriptoris fidem.

Hanc vero summam adhibuisse auctorem nostrum, ac siquid peccavit in colligendis horum Martyrum memoriis, in judicium magis quam in sinceritatem peccasse, & styli simplicitas ab offuciis alieniissimi declarat; & quod fontem harum narrationum Dorotheum, necnon cum eo collocutos Julium, Damasum, omnemque populum, testes citat num. 13. 14. Postremo pro hujus scriptoris fide tota haec historia ipsa per sese clamat. In eo inquam unice lapsus videtur, quod praeter Damasi versus, & siquid aliud litteris consignatum reperit, plura alia ex simpliciorum hominum narrationibus corraserit, quas omnes a Dorotheo illo, qui Sanctos obtruncaverat, ad se per manus transmissas vulgus simplicior jactitabat.

Digitized by Google

bat. Incredibile autem dictu est, quam mire intra quinquaginta aut paullo plus ab exitu Damasi (qui certe a Dorotheo non ea tantum, quae ad sepulturam attinent, uti num. 13. dicitur, sed & pleraq. alia didicisse credendus est) annos narrationum fidelitas interpolari quiverit: quod vel ex horum Actorum documento possumus animadvertere. Adeo, ubi scriptae ab aequalibus memoriae defunt, etiam si non multum temporis intercesserit, parum traditis narrationibus fidendum est.

CAP. III.

Ad Acta SS. Petri & Marcellini Animadversiones aliquot.

§. 1. *Ad sectiones* 1. *& 3. An horum Actorum prologus recentior. Variae praeter morem adverbii* DENIQVE *intelligentiae. Vlpiani de Exorcistis locus. Iidem Judaeis usitati: sed non gentilibus. Gothofredus in eo refellitur, et Tertullianus explicatur. De verbi* Plango *tum activo tum etiam passivo usu. Virgilio & Actis lux. Proverbialis locutio,* Nec ipse Jupiter. *Quid* Crucis triumphus. *De ad Coloss. II.* 15. *Quid sit apud antiquos* Purgari *&* καθαρίζεσθαι.

Actorum initium tale est. *Benignitas Salvatoris nostri, Martyrum perseverantia comprobata, eo usque processit, ut & Fidei amicos coronaret, & inimicos eorum* (Artemium cum sua familia intelligit, in quorum conversionis gratiam ista praemittuntur) *ex ipsis inferorum claustris erueret.* DENIQVE *dum Roma a paganis teneretur, Petrus Exorcistae officium gerens, cum multis vicibus caesus... in vinculis maneret immobilis* &c. Quo in contextu illud DENIQVE, a quo altera periodus incipit, quum importune, nulla enumeratione praecedente, inferatur; suspicionem alicui injecerit, scriptorem quidem ab illis verbis incepisse, *Petrus Exorcistae* &c. sine ullo prooemio; deinde exstitisse aliquem, qui praecedens anteloquium praemiserit [eumdem fortasse atq. eum qui & ad Actorum finem quaedam adtexuit, ut in loco videbimus] qui vix una expleta prologi periodo, ubi ad narrationem ipsam venit, hanc inepte cum superioribus copulaverit per importunum particulae *Denique* nexum. Accedit, quod illud, *Dum Roma a paganis teneretur*, longe recentiorem scriptorem indicare videatur. Verum istud quidem, *Dum Roma a Paganis ten.* jam cap. superiore ostendimus scribi V. labente saeculo potuisse. Ceterum nihil necesse est prologum novitatis damnare, neque heic illud *Denique* improbare. Quod quidem παρὰ multa praeter morem [95] significat; sed nulla earum notionum huc facit, nisi tantum, quam in Vet. Glossis reperio, in quibus *Denique* inter cetera tantumdem est quod Τοιγαροῦν h. e. *Itaque*. Eaque est hujus loci significatio: *Denique Petrus*, i. e. *Itaque Petrus*. Haud raro, quantum meminisse possum, eâdem notione istud *Denique* in IV. & V. saeculi scriptis usurpatum reperi.

Jam vero Exorcistarum muneris inter paganos non tantum Julius Firmicus meminit, sed & longe antiquior Vlpianus l. 1. §. 3. D. de extraord. cognit. his verbis: *Medicos fortassis quis accipiet etiam eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur... non tamen si incantavit, si imprecatus est, si (ut vulgari verbo* IMPOSTORVM *utar) exorcizavit: non sunt ista medicinae genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum praedicatione adfirment.* Vbi videtur homo ethnicus Christianos Exorcistas *Impostorum* nomine taxare. Etsi potest & ad Judaeos

(95) DENIQVE, ubi nihil praecedit, in Pandectis modo est *Certe, Plane*, modo est *Proinde*. Exempla posterioris usus habes apud Jac. Gotofredum comm. ad l. 87. de R. J. De priore autem usurpatione plures passim leges testantur, quae in Brissonio ultimae editionis indicantur. Potest eadem particula tantumdem esse quod *Ad summam*, ut in Ciceronis Pisoniana c. 20. *Nemo bonus* [hoc unum membrum praecedit: cui subjungitur] *nemo denique civis est*. Postremo in Vet. Glossis praeter notas significationes, exponitur etiam Ἀλλά, & γὰρ, & Τοιγαροῦν. Ex quibus ultimum, ut dixi, huic loco Actorum convenit.

Digitized by Google

daeos exorciſtas referri, de quibus mentio eſt Actor. XIX. 13. Poſſet & ad gentiles exorciſtas Vlpianus trahi; niſi quos ejuſcemodi ex Tertulliano exſculpit Gothofredus ad dictam legem, ii commentitii eſſent. Nam Tertullianus de Idololatria cap. XI. in turarios Chriſtianos (tura ad ſacrificia vendentes) invehitur, ubi ait: *Qua conſtantia* (turarius ejuſmodi) *exorcizabit alumnos ſuos* (*ſuos* pro *ejus*: idoli ante dicti ſcil. alumnos daemonas) *quibus domum ſuam cellarium* (turis) *praeſtat*. Et ea eſt Septimii ſententia. Jam vero iidem Chriſtianorum Exorciſtae, Can. X. Antioch. & XXIV. Laodic. ἐξορκισταὶ (*adjuratores*) dicuntur.

Ibid. v. 9. *Cuſtas carceris nomine Arthemius*. Et conſtanter in hac hiſtoria id nomen cum Th ſcribitur: perverſe; nam & marmorum uſus perpetuus, & origo ab Ἄρτεμις (*Diana*) docet cum T non aſpirato, ſed tenui eſſe perſcribendum: quam orthographiam ſequemur, ſiquando poſthac ejus mentio inciderit. Etiam in Ammiano duplex occurrit *Artemius* [recte cum T tenui uterque] unus XVII. 11. *vicariam praefecturam curans*, alter XXII. 11. ab Imp. Juliano *ſupplicio capitali multatus*. At in Hiſtoriae Miſcellae (XV. 6.) editionibus Imperator *Artemius* perperam cum T aſpirato ſcribitur: credo, quod in Ms. ſic reperiſſent.

Ver. 11. *Cum* [Paulina Artemii filia] *a daemonio vexaretur, & quotidie plangeret. Plango* ſi ſit tranſitivum, eſt *percutio*, ut *Fluctus plangentes ſaxa* apud Lucretium, & *Plangere pectora palmis*. At heic eſt intranſitivum, cujuſmodi illud Virg. 1. Georg. 334. *Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt*, h. e. [96] *tunduntur*. Nec aliter aevo hujus ſcriptoris uſurpatum fuiſſe, oſtenditur ex Cyrilli Gloſſis, in quibus *Plango* reſpondet verbo Κόπτομαι h. e. *Percutior*. Ergo hoc loco, *Cum ... plangeret* eſt κοπτομένη i. e. quum ſe percuteret.

Num. 3. v. 7. Artemius uxori: *Hodie venturum* [Petrus] *aſſerit*: ſupple, *ſe venturum*. Syntaxis Graeca eſt, etiam Latinis uſitata.

Ver. 10. Artemius ut uxori amplificaret carceris diritatem, quo Petrus artabatur, ait: *Si enim dii ipſi de caelo deſcendant, non eum abſolvunt a vinculis: etiamſi ipſe Jupiter* [cujus ſcil. ambitioſa illa cognomina a gentilibus jactabantur, *Salutaris, Servatoris, Salvatoris, Opituli, Opitulatoris* &c.] *ad eum vadat, aperire ei non poterit*. Jupiter enim, ut eſt in Homeri Iliade, longe plus ceteris diis ſimul ſumptis valebat. Quin & hoc quod de Jove dicitur, proverbiale videtur; cujus ſimile eſt illud Horatii I. Od. 16.

> . . . . *Quas* (iras) *neque Noricus*
> *Deterret enſis, nec mare naufragum,*
> *Nec ſaevus ignis, nec tremendo*
> *Jupiter ipſe ruens tumultu*.

Haec dum Artemius cum uxore colloquitur, *Adeſt* (uti dicitur v. 17.) *homo Dei Petrus ... habens in manu ſua TRIVMPHVM Crucis*: h. e. Crucem in qua Chriſtus de diabolo triumphavit. Sumpta eſt locutio ex Coloſſ. II. 15. *Et exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans ipſos in ſemetipſo*. Graece eſt, θριαμβεύσας αὐτὸς ἐν αὐτῷ, *Triumphans eos in ipſa* Cruce, quam proxime nominaverat. Theophylactus ex Chryſoſtomo: φησίν, Ἐν τῷ σταυρῷ τοὺς δαίμονας ἐπτημένους δείξας, *Hoc eſt, In Cruce daemonas proſtratos monſtrans*. Hinc Θριαμβεύσας ejus loci in Heſychii lexico exponitur Πομπεύσας, h. e. *in pompa oſtentans*. Vides unde orta ſit ea locutio, *Triumphus Crucis*, pro eo quod aevo poſteriore uſurpabatur *Crux triumphalis*, cujus uſurpationis exempla aliquot habes apud Cangium. Sed & nobiles Conſtantini victo-

(96) Servius quidem eo loco illud *Plangunt* interpretatur *Reſonant*: at id eo fit quia ex tunſione & alliſione naſcitur ſonus. Ibidem Servius alibi *Plangit* legi monet, idque allatis optimis & antiquiſſimis exemplaribus firmat Pierius. Ea ſi lectio vera ſit, tum τὸ ὑποκείμενον erit *Denſiſſimus imber*, quod proxime praecedit, qui quidem *Tum nemora ingenti vento tum littora plangit* h. e. allidit.

Digitized by Google

riae per Crucis vexillum relatae non parum hiſce locutionibus anſae praebuerunt.

Verſus finem: *Statimque filia eorum* (Artemii & Candidae) *nomine & corpore virgo*, (neceſſario id in S. Paulinae gratiam praemonet: nam nudum ceteroqui *Virginis* nomen poterat *Innuptam* ſignificare, Italis *Zitella*, etſi defloratam: cujus notionis exempla haud rara ſunt) *Paulina, a ſpiritu immundo vexata . . . PVRGATA EST*. Proba priſcae Eccleſiae locutio, qua qui a ſpiritibus *immundis* liberi evaſerant, *purgati* dicebantur. Atque ex veteribus quidem Eccleſiae Latinae ſcriptoribus IV. & V. ſaeculi exempla ejus locutionis complura affert doctiſſ. Valeſius ad Euſebii V. 7. quibus & auctor hujus ſcripti conſonat. Conſonant vero etiam & Graeci ſcriptores, non tantum Euſebius V. 7. (ad quem locum, uti dixi, Valeſius Latinorum loca deprompſit) verum & Athanaſius bis in vita Antonii, & Nyſſenus in vita S. Macrinae (quorum loca vide apud Cangium in Gloſſar. Gr.) apud quos omnes καθαρίζεσθαι eadem notione de obſeſſis uſurpatur, qua *Purgari* a Latinis. At interim (quod horum Actorum antiquitatem oſtendit) nullusdum locus V. ſaeculo poſterior productus fuit, in quo *Purgari* eo ſenſu reperiatur.

§. 2. *Ad ſectiones* 4. 5. 6. Conſecratio *unum ex veteribus Baptiſmi nominibus. Quid* Commentarienſis *a* Carcerario *differat. Inſignis menda ex his Actis tollitur. Quid* Primo pullorum cantu. *De* Gallicinio *priore, ac poſteriore: de quo altero hic locus eſt capiendus. De Vicarii urbis Romae poteſtate in judiciis criminalibus. Quid ſit* Inſcriptio *in Vicarii formula. Quis* Serenus *iſte vicarius. Quid* Sub voce quaeſtionaria.

Sect. 4. poſt medium: *Illi omnes* (qui ſub Artemii cuſtodia detinebantur) . . . *a S. Marcellino presbytero baptizati ſunt, conſecratione illuminati*. Quod baptizati, iidem & *Illuminati* (ſicuti & Graece φωτισθέντες) dicantur, tritiſſimum eſt. At *Conſecratio* quid heic ſibi velit, haud perinde intelligerem, niſi me id Paſchaſinus medio V. ſaeculo (h. e. eo maxime tempore, quo haec Acta fuiſſe elucubrata, praediximus) Lilybaei in Sicilia epiſcopus doceret. Qui in Epiſt. ad S. Leonem de Paſchate haec poſuit: *Nocte ſacroſancta Paſchali, baptizandi hora . . . fons ex ſe repletur, paucisque qui affuerint, CONSECRATIS . . . ex ſeſe diſcedit.* Mox: *Vſque ad lucem aqua non veniente, non CONSECRATI, qui baptizandi fuerant, receſſerunt*. Hinc noſtro auctori (quem eod. V. ſaeculo ſcripſiſſe, pro certo habeo) CONSECRATIO eſt Baptiſmus ipſe. Nec id forſitan praeter communem loquendi morem. Nam Auguſtinus in libris de Civit. *conſecrationem* vocari tradit, quam Graeci τελετὴν vocant. Hoc idem & ex vet. Gloſſis licet animadvertere, in quibus *Conſecratio* tantumdem eſt, quod Τελετή. Atqui iſtud Τελετὴ unum quoque eſt ex Baptiſmi nominibus apud Graecos (97) uſitatum: ſicuti & *Initiatio* (quae vox apud Latinos Τελετὴ reſpondet) paſſim etiam eam notionem obtinet.

Sectio 5. ſic incipit: *Poſthaec commentarienſes miſerunt ad Artemium carcerarium, ut* (98) *noctu praeſto eſſet cum perſonis, quae erant in carcere*. Vides heic *carcerarium* a *commentarienſibus* diſtingui, & hos prae illo majoris dignationis fuiſſe. *Carcerarii* mentio fit a Victore Vitenſi ejuſd. ſaec. V. ſcriptore lib. 3. *Populus . . . dato munere carcerariis, die ac nocte Chriſti Martyres frequentabat*. In Vet. Gloſſis *Carcerarius* eſt φυλακτήριος, & φυλακίων. Sed hoc poſterius in Clemente IV. Conſtit. Apoſt. 2. ſignificat eos qui detinentur. Quocirca quando in Gloſſis *Carcerarius* red-

(97) Pſeudo-Areopagita cap. 3. Eccl. Hier. Baptiſmum vocat *Sacram Divinae generationis* (τελετὴν) *initiationem*.

(98) *Noctu* h. e. ὄρθρου βαθέως, *bene mane*, & *ante lucem*. Petitum eſt ex dialecto ἰδιωτικῇ (*vulgari*) qua quum aliquem bene mane adeſſe aut proficiſci volumus, jubemus id fieri *Di notte*. Mox v. 7. *primo pullorum cantu* vicarius pro tribunali ſedet; ſub quod utique tempus carcerarius praeſto eſſe debuit.

Digitized by Google

redditur per φυλακίτης, tunc *Carcerarius* ipsum detentum notat. Nam detenti etiam interdum *carcerarii* vocantur apud Greg. Turonensem & alios aevi sequioris scriptores. At *Commentarienses*, si vocis vim spectes, longe sunt aliud. Nempe eos proprie, ni fallor, significat, quos nunc vulgo *Scribas criminales* nuncupamus. Nam, Κομεντάριος Hesychio est, ὁ τὰς ἐγγραφὰς τῶν ἐγκλημάτων δεχόμενος, h. e. *qui criminum scripturas recipit*. De qua voce vide plura in Graecis Meursii & Cangii Glossariis. Non nego quidem, nonnumquam in Martyrum Actis *Commentarienses* modo pro *custode carceris*, modo etiam, si probe memini, pro carnifice videri sumptum. At hoc ex eo venit, quod interdum unus idemque pluribus officiis fungeretur, & quia suprema carceris custodia penes commentarienses esset, quibus carcerarii subjecti erant. Nam certe quidem in his Actis Commentarienses carcerarius subditur.

Statim sequitur: *Illi autem omnes qui baptizati fuerant, osculabantur manus eorum* (quorumnam osculabantur? aut quinam?) *& dicebant, ut siquis vellet ad martyrium venire, intrepidus iret; siquis autem vellet excedere, abiret illaesus*. Haec omnis plena συγκαταβάσεως oratio non nisi uni carcerario convenit. Nunc vero eadem baptizatis tribuitur. Jam quivis videt, hunc locum fuisse inquinatum, ac procul dubio scribendum: *ILLE autem* (Artemius carcerarius) *omnes qui bapt. fu. OSCVLABATVR manus eorum, & DICEBAT*. Quo loco illud OMNES per se stat, nec aliunde pendet; nam more Hebraico absolute ponitur, sequente pronomine relativo *Eorum*: sicuti, *Dominus, in caelo sedes ejus*, & sexcenta ejusdem modi. Quae certe insolens locutio librarium illum semidoctum fefellit, qui primus hanc maculam huic loco aspersit; ex cujus exemplari cetera deinde apographa propagata fuerunt. Ceterum Christianis scriptoribus Biblicos idiotismos usurpare familiare fuit.

Statim sequitur: *Cum ergo primo pullorum cantu sederet Serenus Vicarius*. Nihil in libris juris frequentius, quam quod praetor aut judices alii *sedere* absolute dicuntur, subaudito *Pro-tribunali*. Quod vero *Primo pullorum cantu* factum hoc dicitur, id haud facillimum enarratu arbitror. Et quidem *pullorum cantus* non aliud est, quam quod uno verbo Latini *gallicinium*, Graeci ἀλεκτρυοφωνίαν vocabant: nam in Glossis *Pullus* heic unum est ex (99) *Galli* synonymis. Ergo hoc loco *primus pullorum cantus* videbatur *gallicinium prius* notare, quod in noctem mediam incurrebat; quum *secundum* ante lucem fieret: quae sunt omnibus (100) satis cognita. Sed tamen ex his duobus posterior, quippe celebrior ac multo alacrior, vocabatur absolute ἀλεκτοροφωνία; & *Gallicinium* Gellio, Macrobio, Appuleio, Censorino. Sicuti & Matthaeus XXVI. 34. *Antequam gallus cantet* absolute dixit, nec aliter Lucas & Joannes; & id tamen de secundo gallicinio esse capiendum, Marcus XIV. 30. ostendit, apud quem *BIS cantet* legitur. Ergo ne dubita, quin hoc loco posterius gallicinium sit intelligendum. Quis enim nocte media vicarium sedisse credat? At summo mane judices Romanos sedere consueviisse, & hinc discimus, & ex eo quod hoc cum cetera Romani victus & agendi ratione consentit. Post nonam aut sub exitum diei illi caenabant: mature cubitum petebant: diu vero ante lucem de strato surgebant. Ergo quum *Pullorum cantu* hoc loco tantumdem sit quod *Gallicinio*, eoque posteriore & antelucano; illud *Primo* non ordinale nomen erit, sed maturationis vocabulum, quasi dixisset *ipso statim pullorum cantu*, seu *ubi primum cantare pulli ante lucem coeperunt*. Nunc cetera videamus.

Cum ergo sub gallicinii tempus *sederet Serenus vicarius, & juberet audiendas introducendas* δυσὶν ὀρνίθων ᾠδαῖν Synesius vocat.

(99) *Pullus* in Glossis tantumdem quod ὄρνις: hoc autem nomen etiam *gallum* complecti, ex eo patet, quod *Gallicinium Secun-*

(100) Vide Grotium & alios ad Matt. XXVI. 34.

Digitized by Google

tronitti personas. Inter Vicarios Praefecti praetorio Occidentis unus erat *Vrbis Romae* vicarius, alter *Africae*, tertius *Hispaniarum*; quorum singulis plures provinciae suberant. Porro Vicarii urbis Romae formulam habes apud Cassiodorum IV. Variarum 15. in qua hoc inter cetera legitur: *Vice sacra sententiam dicis: & quod maximae fidei signum est, in inscriptionibus* (101) *vita tibi committitur hominum, quod inter mortales constat esse pretiosum*. Ex qua formula intelligis, capitalia judicia a vicariis exerceri Romae consueviſſe, haud minus certe quam a praefectis urbi; ac proinde post vicariorum institutionem, in Christianos modo a praefectis urbanis, modo ab hisce vicariis fuisse animadversum. Nisi si vero volumus, Serenum hunc non tantum praefecti praetorio vicarium [qui absolute *Romae vicarius* dicebatur] fuisse, sed etiam praefecti urbani. Sicuti apud Ammianum XVII. 11. *Romae Artemius cursans vicariam, praefecturam pro Basso quoque agebat: qui recens promotus Vrbi praefectus, fatali decesserat sorte*. Nimirum Junius Bassus urbi praefectus, quum anno 359. Neophytus obiisset [ut ex vet. inscriptione Sirmundus ad Ennodium ostendit] Artemius, qui jam Romae praefecti praetoriani vicarius esset, etiam pro praefecto urbano interim agebat. Sic eum Ammiani locum accipio. Potuit & tale quidpiam tunc incidisse, cur hic Serenus curaret utramque Vicariam. Nam ceteroqui ordinarias criminum quaestiones magis est ut praefecti urbani exercuerint.

Jam vero de Sereno isto, qui circiter Diocletiani tempora Vicarius urbis Romae erat, nihil comperti habeo. Sed tamen *Serenos* sane quam plures illustres viros ante & post Diocletianeam aetatem reperio. Apud Gruterum p. IX. 1. quidā C. *Serenus* proconsul Galliae occurrit. Apud Tacitum in I. Hist. 31. *Amulius Serenus* primipilaris sub extrema Galbae tempora fuit. Celebris est ille [apud Eusebium IV. Hist. 8. 9. & ad finem Apologiae longioris Justini] *Serenius Granianus*, Minucii Fundani in Asiae provincia (102) decessor; cujus litteris permotus Hadrianus, rescripto ad Fundanum ejus successorem dato, persecutionem lenivit: quem tamen forsitan potius *Granium Serenum* esse appellandum, ex Latino Eusebii Chronico, ex Orosio, & ex collata Grut. inscriptione cujusdam M. GRANII SERENI, conjiciebam in Appendice ad Kal. Junias. Adhaec duo Sereni ex Origenis schola ad martyrium processerunt teste Eusebio VI. 4. Fuit & Valentis Imp. dux quidam nomine *Serenianus* Zosimo & Ammiano memoratus. Postremo *Serenos* innumerabiles marmora nobis exhibent: sed nullum adhuc *Serenum* reperire licuit, quem hunc ipsum horum Martyrum judicem exstitisse, suspicari queas.

Ibidem v. 9. Ingressus Artemius dixit: *Petrus Exorcista .. quem castigatum* (103) *& semivivum in carcere esse praecepisti, hic in nomine Dei sui* (104) *vincula omnium solvit, & ostia omnium patefecit* &c. Haec parum cum praecedentibus sect. 4. consentiunt, ubi ipse Artemius, non autem Petrus detentos abire fecit. Deinde miror, si Artemius recens baptizatus non tantum mentiatur, sed & eum, per quem ad fidem conversus fuerat, quique filiam a daemone liberaverat, palam accusat; qui contra profiteri se Christianum debuisset. Verum in his, uti dixi, judicium scriptoris

(101) H. e. accusationibus. Patet ex diversis legibus, accusatorem *inscribere* sive *subscribere* nomen suum debuisse ac *sese ad poenam, quae calumniantibus impendet, obstringere*, l. 7. C. de cal. Hinc Symmachus I. ep. 49. *Quid habeat condicionis INSCRIPTIO, nostis ..... Provisum enim est, nequis temere in alieni capitis discrimen irrueret, ni se idem prius poenae sponsione vinciret.*

(102) De quo vide dicta Kalendis Junii in Appendice.

(103) Hoc est *verberatum*. In vet. Glossis Castigo est δέρω, τύπτω. Nec alio modo *Castigandi* verbum plerumque in Pandectis accipitur.

(104) Imo *Dei nostri* palam dicere debuisset: alioqui isto modo loquens, adhuc se gentilem significabit.

Digitized by Google

ris hujus desidero: cujus nimia credulitas, non sinceritas est accusanda. Ac plura, ut semel dicam, ejusdem farinae passim in sequentibus narrationibus reperias; quae hunc scriptorem, ut in suum commentarium sine ullo delectu admitteret, non aliud quam simplicitas & improvida credulitas perpulit.

Sectio 6. sic orditur: *Tunc Vicarius ... jussit Marcellinum presb. & Petrum exorcistam intromitti sub voce quaestionaria*. *Quaestionarios* esse tortores, nemo ignorat. At *Sub voce quaestionaria* quid sibi vult? Non aliud certe hoc loco scriptor significat, quam quod vicarius ad hos reos perterrefaciendos, eos jusserit nec a carcerario nec ab aliquo ex commentariensibus pro more vocari, sed ab uno ex quaestionariis elata ac minaci voce citari, ut ingrederentur. Atque hoc est *Sub voce quaestionaria*: cujus simile est *Sub voce praeconis*, aut (quod alicubi legitur) *praeconia*. Ex Actis S. Marii cap. IV. n. 18. affert haec Cangius: *Qui dum caederentur, sub voce praeconia* (h.e. voce Stentorea [105] qualis praeconum esse solet) *dicentibus quaestionariis*: *Praecepta principum nolite contemnere*. Atqui quae in Actis S. Marii *vox praeconia* a *quaestionariis* edita dicitur, eadem heic brevius *vox quaestionaria* pulchre vocatur. Ceterum ab ipso quaestionario martyres minaciter fuisse inclamatos, ex hujus vicarii verbis perspicitur, sic ordientis: *Mitius vobiscum CARNIFICES agerent* (nihildum autem saevitum fuerat, nisi voce quaestionaria tenus) *si sacrilegium vestrae Christianitatis omitteretis*.

Ibidem v. 11. difficilis est de *Arteriis ambabus* locus; de quo videbis in *Appendice*, quae ad calcem harum animadversionum adtexetur. Ibi Disquisitionem integram [quae prior est] argumenti hujus reperies.

§. 3. *Ad sectiones sequentes alias*. Virgo *pro Filia*. *De vocibus* Limen & Liminare & Superliminare. Silvae Nigrae *in* Candidam *transnominatio quando acciderit*. *De ejus Ecclesia in Cathedralem erecta, & an V. saeculo*. *Damasi versus emaculantur*. *De criminosorum publica ante catechumenatum poenitentia*. *De formula IN PACE*.

Extrema sectione 7. *Tunc Serenus jussit ... pedes ejus* (Petri) *in cippo artissimo constringi*. De *Cippo* vetere Disquisitionem alteram mox in Appendice sepositam reperies.

Sect. 10. v. 5. *Ut tolleremus vobis Artemium & Candidam atque Virginem eorum*, h.e. *filiam eorum virginem* Paulinam. Eadem prorsus notione *Virgo* usurpatur 1. ad Cor. VII. 36. 37. 38. ad quem locum similia ex aliis scriptoribus loca deprompsimus.

Ibid. v. 10. *Sanctam vero Candidam atque Virginem* (supple *eorum*) *per praecipitium*, *id est* (istud *Id est* non interpretationi servit, quo modo apud Graecos ἀνείσιν, sed demonstrationis gratia interponitur, estque tantumdem ac *Quod est*) *per liminare cryptae, jactantes, lapidibus obruerunt*. Vult igitur praecipitium illud adhuc suo tempore fuisse monstratum *PER* (h.e. *circa*) *liminare cryptae*, sive ejus ingressum. Nam Nonio *Limen* est *Omnis ingressus*, ubi & Virgilii locum affert. Siculus Flaccus: *Limina introitus exitusque locis praestant*, non tantum scil. domibus. Ceterum & *Liminare* pro *Limen* jam usurpari coeperat. In Actis S. Thyrsi M. c. 4. *Cecidisque Apollo de liminari suo*. Et cap. 9. *Apollinis & Veneris simulacra de suis liminaribus acta*. Vbi *liminaria* sunt cellae, in quibus signa collocabantur. Nam sicut *Limen* pro tota domo aut delubro ponitur, sic & pro Cella, quasi parvo fano sive aedicula idoli. Hinc fit compositum *Superliminare* (ὑπέρθυρον) in Vulgato Exodi & Prophetar. interprete obvium: quod Latinis veteribus *Superum*

(105) Quam vasta esse debuerit praeconum vox, ex pluribus antiquorum scriptorum locis ostendi in adnotatis ad illud Dan. III. 4. *Et praeco clamabat VALENTER*. Iidem ut vocis vastitatem majorem efficerent, ad quasdam praeceptiones se conformantes, *vocem exercere & experiri* dicebantur, ut ibidem animadvertimus.

Digitized by Google

perum limen [cui opponitur *Inferum*] vocabatur.

Sect. 11. v. 2. *Jussit eos* [Marcellinum & Petrum] *duci ad Silvam nigram, quae hodie in honore Sanctorum Silva candida appellatur, & in eadem ambos pariter decollari.* De *Silva*, olim *Nigra* postmodum Candida, videbis plura apud Aringum lib. 2. cap. 16. ubi etiam ab Julio Papa Ecclesiam inceptam, quam Damasus postea perfecerit, ex Actis Damasi Mss. docet, in quibus legitur: *Perfecit quoque Basilicam SS. Rufinae & Secundae, quam Julius Marci successor inceperat, in territorio Silvae candidae, ubi sepulta fuerunt* [fort. *fuerant*: nam ea postea hinc in S. Tiburtii cryptam Lucilla transtulit] *corpora SS. Marcellini & Petri.* Haec eo notavi, quod transnominatio *Silvae Nigrae* in *Candidam* non tunc mihi videtur facta, quum hi Martyres ibi perempti, ibidem aliquamdiu jacuerunt, sed postea potius quando primum ibi Basilica consecrata fuit.

Jam vero quod ad finem hujus sectionis Lucillae & Firminae translaturis corpora horum Martyrum dicuntur *adjutorio fuisse duo Acolyti Ecclesiae Romanae*; illud ECCLESIAE ROMANAE videtur aevo forsan posteriore a descriptoribus additum, ac tunc maxime, quando Ecclesia SS. Rufinae & Secundae in Cathedralem erecta fuit, cujus praesules dicebantur *Episcopi Silvae Candidae*; quae demum Ecclesiae Portuensi adnexa fuisse reperitur. Nam eo tempore quum periculum esset, ne Acolyti illi Lucillae & Firminae adjutores haberentur pro Acolytis Cathedralis *Silvae Candidae*, unde translatio fiebat; idcirco additum expresse fuit, eos *Ecclesiae Romanae* incardinatos fuisse. Nam ceteroqui aevo scriptoris id monere necesse non erat, quia Ecclesia ibi a Damaso dedicata adhuc in Paroecia Episcopi Romae erat. Nisi si vero jam inde ab exeunte V. saeculo, quo haec auctor scribebat, Cathedralem Silvae Candidae erectam fuisse, hinc aliquis arguere satagat: ex eo inquam indicio, quod hujus historiolae auctor non alia de causa Acolytos illos disertis verbis Ecclesiae Romanae attribuit, quam quia verebatur, ne eos alioqui Ecclesiae *Silvae Candidae* (sive *SS. Rufinae & Secundae*: nam duplex ei Ecclesiae id nomen fuit) quae suo jam tempore in Episcopalem erecta fuerat, lector imprudens tribueret. Ejus quidem Cathedralis jam inde a medio VI. saeculo quidam Valentinus Episcopus erat, qui Constituto Vigilii Papae [ann. 553.] per Zachaeum Episcopum subscripsit his verbis: *Zachaeus Episcopus rogatus a fratre Valentino Episcopo Silvae Candidae, ipso praesente & consentiente & mihi dictante, huic Constituto pro ipso subscripsi.* Non alia vero de causa per alium subscripsit, quam quia Totilas Gotorum rex ei ἀμφω τω χειρε ἀπεκοψε, *ambas manus praeciderat*, uti narrat Procopius extremo cap. 15. libri 3. de bel. Got. Quum autem non sit verisimile, hunc Valentinum primum ejus sedis antistitem fuisse; haud aegre crediderim, jam inde a V. saeculo ei Ecclesiae Episcopos praefuisse. Id certe facilius suspicor (aut vero illud *Ecclesiae Romanae* a descriptoribus additum) quam hunc scriptorem a V. finiente saeculo ad VI. usque promoveam.

Sectiones porro duas ultimas [eae sunt 13. & 14.] proderit huc integras adscribere, propterea quod ex eis praecipua auctoritas his Actis, uti supra dixi, arcessitur.

Sect. 13. *Haec omnia Damasus, quum Lector esset, puerulus didicit ab eo, qui eas decollaverat, & postea factus Episcopus in eorum sepulcro his versiculis* (106) *declaravit.*

Mar-

(106) Quum haec auctor scriberet, exstabant hi hexametri [quos ὑποκορισικῶς vocat *Versiculos* more antiquorum] in tumba Martyrum scalpti. Ac plurima ejusmodi epigrammata ex Damasi elegantissimi poetae ingenio sepulcris Martyrum inscripta olim legebantur; quae in unum coegit Martii Milesii Sarazanii diligentia, quae postmodum Bibliothecae Patrum illata fuerunt; inter quae & hoc elogium num. XIII. legitur.

Digitized by Google

Marcelline tuos, pariter Petre, nosse (107) *triumphos,*
Percussor retulit Damaso mihi, quum puer essem,
Haec sibi (108) *carnificem rabidum mandata dedisse,*
Sentibus in mediis vestra ut tunc colla secaret,
Ne tumulum vestrum quisquam cognoscere posset:
Vos (109) *alacres vestris manibus mundasse sepulcra.* (110)
Candidulo occulte postquam jacuistis in antro,
Postea commonitam vestra pietate Lucillam
Hic placuisse magis sanctissima condere membra.

Sect. 14. *Ipse autem qui eos decollavit nomine Dorotheus, publicam* (111) *poenitentiam*

(107) Hoc est *Se nosse*. Graecismus est, cujus supra ad Acta S. Justini Adnot. 45. paria exempla notavimus.

(108) In Actis ab Henschenio datis legitur, *Haec tibi*: quod Damasi menti adversatur. Ego non dubitavi, quin *Sibi* emendandum putarem: nec aliter postea in Sarazanio editum reperi.

(109) Hoc idem in hisce Actis narratur num. 11. *Jussit eos* [Vicarius] *duci ad Silvam nigram* (*quae hodie in honore Sanctorum Silva Candida appellatur*) *& in eadem ambos pariter decollari. Cumque ventum fuisset in media Silva; ipsi sibi manibus suis mundaverunt locum a spinis: in quo orantes, & sibi dantes pacis osculum, genu posito decollati sunt.*

(110) In Henschenii Actis levi heic tantum distinctione adhibita, haec cum sequenti versu nectebantur in hunc modum: *Vos . . . mundasse sepulcra, Candidulo occulte postquam jacuistis in antro.* Atque heic demum κλαίων σιγμὴν posuit. Perverse: nec enim postquam jacuerunt, ipsi sibi suis manibus locum sepulcri mundaverunt, sed antequam occumberent. Quocirca κλαίων σιγμὴν in suam sedem retraxi, ita ut a *Candidulo* nova sententia procedat. Nec aliter forsitan Sarazanius heic distinxerat: quem nunc non vacat revisere.

Quod sequitur, quo pacto Lucilla & Firmina a S. Tiburtio Martyra cum his duoviris admonitae, eorum corpora de Silva nigra auferentes, juxta S. Tiburtium *in inferiori parte* [sepulcri S. Tiburtii] *in crypta* sepeliverint, id pluribus in his Actis proxime sect. 12. narratum fuit. Nisi quod pro eo, quod in Henschenii editione legitur, *In inferiori parte in crypta sepelirent*, longe melius ea verba ab Aringo tom. 2. p. 32. ex Actis citantur *In inferiore parte Cryptae*: nec aliter in Adonis compendio reperi.

(111) Quantivis pretii locus: ex quo intelligas, criminosos, antequam inter catechumenos referrentur, *publicam poenitentiam* egisse. Et hunc veteris Ecclesiae morem absque his Actis ignoraremus. Quod miror tot viris doctissimis, qui attigere haec Acta, non fuisse animadversum. Nec mirum est, criminosis, uti dixi, baptismum petentibus praemitti debuisse publicam poenitentiam; nam ex ad Heb. VI. 4. discimus, etiam baptismum sub *Poenitentiae* nomine venisse; quia post baptismum in aliquod crimen lapsi, *Rursus renovari ad poenitentiam* ibi Apostolo dicuntur: quod *Impossibile* h. e. *perdifficile* idem vocat, quia ut Baptismi poenitentia levior ac facilior, sic illa altera post baptismum tabula *Baptismus laboriosus* antiquis dicebatur.

Hanc autem criminosorum poenitentiam non tantum lotioni, sed & catechumenatui, quod modo monebam, antecessisse, ex eo didici, quod Dorotheus dicitur *publicam poenitentiam gessisse PAGANVS*, i. e. dum adhuc paganus esset, necdum inter catechumenos adscitus. Nam statim ut quis inter catechumenos referebatur, desinebat *paganus* dici. Nam quo pacto pagani dicerentur ii, qui morte ante lavacrum praeventi, ad salutem [utique per baptismi votum] adipiscendam comparati habebantur? Omnino enim catechumenatus medius quidam inter ethnicismum & Christianismum status fuit. Catechumeni ante baptismum nec stricte *Christiani* [nam laxe interdum & hi *Christiani* vocabantur, quatenus in Christum crediderant] nec umquam *Fideles* vocabantur: at non continuo *Pagani*, sed interim *Cathecumeni* (id quod erant) dicebantur, aut *Credentes*, aut laxius *Christiani*. De quo vide quae plura in Epist. posteriore ad Illustris. Dominicum Georgium adnotavimus.

Jam vero non tantum publicam, uti dixi, poenitentiam, verum & *Confessionem* praemitti forsitan consuevisse (nec enim hanc habitam fuisse necessariam, sed tamen uti laudabilem publicae illorum poenitentiae partem, existimo) ex sequentibus illis verbis conjici posset: *Et per bonam Confessionem pervenit ad misericordiam Salvatoris.* Quo spectat illud Act.

XIX.

Digitized by Google

viam gessit paganus, S. Julio Episcopo, & omni populo indicans quae vidisset, & baptizatus est in senectute sua, & per bonam confessionem pervenit ad misericordiam Salvatoris: cui est honor & gloria in saecula saeculorum. Amen. (112) *Quorum corpora, beatissimor. scil. Marcellini Presb. & Petri Exorcistae Martyrum, collegit Lucilla, & posuit in vehiculo noctu, & adduxit via Lavicana milliario ab Vrbe tertio, & sepelivit sub die quarto* (113) *Nonas Junias, in* (114) *pace.*

APPENDIX
DISQVISITIONVM LONGIORVM DVARVM

In totidem Actorum S. Marcellini loca.

DISQVISITIO PRIOR

De ARTERIIS AMBABVS *S. Marcellini Mart.*

De *Arteriis* hisce *ambabus* quum nuper epistolam ad virum undecumque eruditissimum, in hisce vero studiis facile principem conscripsissem; non parum existimationis hisce commentariis accessurum putavi, si quidquid id reculae erat, huc conferrem, si minus suo pondere valiturum, at ex splendore certe tanti nominis haud parum sibi & hisce ὑποῤῥιμασι dignitatis corrogaturum.

EPISTOLA

Ad V. Cl. atque eruditissimum Joannem Baptistam Morgagnum in Patavino Gymnasio rei anatomicae professorem.

Tum sane multum viro utriusque nostrum amicissimo, ac parium studiorum societate conjuncto, Francisco Serao, pluribus de causis debeo, tum ea potissimum, quod eo maxime conciliatore post aliquot annos novum mihi tecum amicitiae genus coaluerit, non illud quidem sive coram usu ac sermonibus, sive (quod inter absentes usuvenit) crebro litterarum commercio excultum, sed per Seraum ipsum, quasi per sequestrem & utriusque nostrum voluntatis interpretem, assidue altum atque confotum. Nulla enim hujus ad te, aut tua vicissim ad eum *epistola* scribitur, quibus non ambo nos mutuis per illum officiis decertemus. In quo fateor, tu multis partibus vincis. Sic enim es. Sicuti nemo est hominum, cui non eruditione & sapientia antecellas, sic universis humanitate, ac mira prorsus illa tuae naturae bonitate praeis. Nec tamen usque adeo stipes sum, quem non a te officiis tam longo intervallo superari poeniteat. Nam certe piget ac pudet. Et tamen meditantem aliquando sive epistolis alloqui, sive quidpiam de mea inopia depromere, quod observantiae in te testis exsisteret, subrusticus nescio quis pudor, ac summa simul de tuo limatissimo judicio existimatio prohibuit. De quo

XIX. 18. *Multique credentium* (sed nondum totorum) *veniebant, confitentes & annunciantes actus suos.* Quod siquis heic *bonam confessionem* eam intelligi malit, qua antea incredulus, postea Christum palam confitebatur, non repugnabo; maxime quum antea baptismi, postea confessionis mentionem injecerit. Ergo haec verba, *Et per bonam confessionem* &c. summam totius conversionis complectuntur, quasi diceret, *Et ut uno verbo dicam, per bonam fidei Christianae confessionem salutem est consecutus.*

(112) Quae mox sequuntur, ab aliena sunt manu, sed non multo posteriore, uti patet ex illo IN PACE aliisque styli antiquioris indiciis.

(113) At in Adone *Quinto Kalend. Septembris* legitur: quod videndum an non ad aliam quamlibet translationem pertineat ab ea quam Acta describunt.

(114) De formula IN PACE plura diximus in utraque ad Clariss. Georgium epistola, ex quibus appareat, ea formula *Pacem ecclesiasticam* designari, in qua is, de quo titulus sepulcralis loquitur, obierit. Hinc non mirum si etiam Martyribus his inscriptum sollemne illud IN PACE fuerit; quia & sectae, quae extra Ecclesiae pacem & unitatem erant, suos Martyres jactitabant.

Digitized by Google

quo quum aliquando cum Serao noſtro conquererer, meque ipſe inertiae damnarem; eo demum hortatore excuſſi me tamen, planeque pervici. Nam commodum in Acta S. Marcellini mart. commentanti mihi nodus vindice dignus in re anatomica quum incidiſſet; ſenſi illico quam mihi ſubſidio futurus fuiſſes, ſi quidem aut adfuiſſes, aut ſi vero propius abeſſes, quam ut, dum per epiſtolam de cortina tua χρησιήριον elicio, parva interim feſtinanti prelo mora intercederet. Nunc quia maturandum fuit; quidquid equidem augurando potui extundere, id raptim χαλκογραφείῳ mandavi. Ceterum ſi dignus per te fiam, qui tantulum a te, quamvis aliud agente (ſi commodum eſt) reſponſi auferam, id omne ad hujus, quem tamdiu obrodo, libelli calcem rejicietur: locum ſcil. omnium conſpectiſſimum, quique lectorem quamlibet faſtidioſum raro praeterit. Quotus enim quiſque eſt, qui non ſaltem exordia librorum fineſque pertentet? de mediis interim quantislibet rebus ſecurus.

PARS I. ἐξηγητική.

Quid ſint ambae arteriae. I. *Arteriae carotides duae, quae laeſae ἀφωνίαν inducunt, videbantur accipiendae. Verum ea explicatio rejicitur.* II. Arteriae *nomine ſolum reſpirationis iter apud antiquos veniebat: ceterae, quarum pulſum medici explorant,* venae *dicebantur. Eamdem ſpiritus ſemitam ſaepius plurativè* Arterias *antiqui vocabant: an quia non tantum tracheam ſed & cibariam fiſtulam ad reſpirationem & vocem valere crederent? Id ſi eſt; tum* Ambae arteriae *non aliud erunt, quam fiſtulae ambae quas modo nominavi. Ea interpretatio adſcitis undecumque veterum locis & argumentis ſuadetur; ac tamen poſtea merito reſellitur.* III. *Tertia eaque veriſſima explicatio talis eſt.* Arterias *&* Fauces *invicem ab antiquis confundi, demonſtratur. Jam vero Fauces ab antiquis cenſitas fuiſſe duas, dextram ſiniſtramque, ex Hippocrate oſtenditur. Quocirca* Ambae *Marcellini* Arteriae *non aliud, quam* Fauces ambae *intelligi debent. Antiquorum loca paſſim illuſtrantur.*

Locus autem S. Marcellini Actorum videbatur αἰνιγματώδης, quique non alium Oedipodem, quam te ipſum, unum ſcil. ex genuina Aſclepiadarum familia eximium, non conjectorem, ſed plane explicatorem requireret. Is vero locus in Bollandiana (ad poſtrid. Kal. Junias) horum Actorum editione, ſectione 6. v. 11. his verbis concipitur. *Cum haec & ſimilia diceret Marcellinus presbyter; juſſit eum Serenus pugnis caedi in arteriis ambabus.* Ac ne de menda ſuſpicio ſubeat; ſcito ita in omnibus Mſs. peraeque legi, nec aliter eſſe in Adonis horum Actorum compendio, in quo ſcribitur: *Juſſit pugnis caedi in ambabus arteriis.* Quumque hic locus torſerit (115) eruditos viros; tamen ſi quid in his rebus video, ea maxime locutio antiquitatem hujus ſcripti prodit.

Ac me quidem, ubi plura jam de ea difficultate in commentarios relata typographo tradidiſſem, quae vulgo probatum iri non deſperarem, ecce Seraus noſter, ubi primum in eum ex longo tempore incidiſſem, nova interpretatione pulcherrima perculit: quam, quod ei tamen acquieſcere minime potuiſſem, primam omnium producam in medium. Conjecit igitur *Arterias ambas* non alias videri poſſe, quam *Carotidas*, quae duae numero, dextra ſiniſtraque cum venis jugularibus copulantur, ac ſurſum feruntur. Has autem potiſſimum pugnis caedi Serenum juſſiſſe, ut eis quoquo modo laeſis, Martyr, qui acriter concionando in judicem offendiſſet, ἄφωνος (*vocis expers*) evaderet. Nam certe duas illas idcirco *Carotidas* antiquis dictas, recte Gorrhaeus docuit, quod vinculo exceptae, κάρον ſive lethargum & apoplexiam inducant, unde etiam *Arterias* ληθαργικὰς aut ἀποπληκτικὰς fuiſſe appellatas. Atqui apoplexiam Hippocrati haud alio uſitatiore

(115) Tillemontius in horum Actor. compendio, quod Notae 1. inſeruit: *Il commanda, que l'on battiſt a coups de poings ſur les arteres; [je ne ſçai ce que c'eſt.]*

Digitized by Google

vocabulo quam ἀφωνίας (quā male quidam *obmutescentiam* reddiderunt, quum nec muti sint re vera ἄφωνοι, nec aliud omnino vertendum sit ἀφωνία quam *vocis defectio*) nuncupari, Galenus optimus Coi praeceptoris interpres passim ostendit. Nimirum enim ab eximio symptomate is morbus ἀφωνία Hippocrati (idque κατ' ἐξοχήν, uti Galenus loquitur) dici consuevit: de quo adeatur Foesius in Oeconomia Hippocratis. De Carotidibus loquitur Aristoteles in III. Hist.anim. Aretaeus, Rufus Ephesius, Galenus, & quis non? De eisdem Celsus IV. 1. in hunc modum: *In dextra sinistraque circa guttur venae grandes, quae σφαγίτιδες nominantur, itemque arteriae quas carotidas vocant, sursum procedentes ultra aures feruntur.*

Huic quamvis elegantissimae explicationi cur tamen ego juxta atque ejus auctor Seraus noster minus assentiamur, plures sunt causae. Nam primum ea interpretatio non tantum judicem, qui sic jussit, sed & carnifices, qui jussa exsequuturi erant, rei anatomicae gnaros requireret. Deinde duo illi ductus numquam absolute *Arteriae* sunt appellatae, sed *Arteriae* cum suo διορισμῷ adjuncto *Carotides*. Neque vero carotides interceptae per se natae putabantur vocalitatem adimere, sed *earum* aut apoplexiam inducere, ex quibus inter cetera vocis ademptio consequitur. Adhaec non aliis, quam uni Hippocrati, ἀφωνία apoplexiam notabat. Nec postremo credendum est, Romanorum vulgus, hisce de rebus crassius quiddam sentire atque effari solitum, ad ea spectasse, quae vix eruditissimis medicorum perspecta esse possent. Nec te aliter, Morgagne doctissime, de his esse judicaturum auguror. Quocirca ad populare opinandi ac loquendi genus nos convertamus licebit.

Ac primum veto heic de arteriis illis per totum corpus diffusis, quarum σφυγμὸς (*pulsum*) in carpo maxime medici explorant, quidquam prorsus cogitari. Nam ut inde usque ordiar: antiquos *Arteriae* nomine solam (116) primitus illam intellexisse, per quam ultro citroque permeat

(116) Ante Hippocratem solam illam semitam, per quam spiritus reciprocatur, dictam fuisse *Arteriam*, nemo dubitat. Id quidem ex pluribus Hippocratis locis constat [quae vide apud Foesium in *Oeconomia Hippocratis*] in quibus Ἀρτηρίη simpliciter h. e. sine τραχείας (*asperae*) additamento id quod dixi significat. Nam quas medici febrem exploraturi pertentant, eas Graecorum antiqui φλέβας, Latini vero *Venas*, non *Arterias* nuncupabant. Ita passim Coum medicinae parentem esse locutum, ex iis tum Hippocratis tum Galeni in Hippocratem commentantis locis intelliges, quae Foesii diligentia (in φλέβες) cumulavit. Adde & Rufum Ephesium sic scribentem: Τὰς δὲ ἀρτηρίας τὸ ἀρχαιότατον φλέβας ὠνόμαζον &c. *Quas nunc Arterias, eas primitus Venas nominabant; & quum pulsare dicebant Venas, Arterias dicere volebant.* Nec aliter Latini loquebantur. Lucilius: *Neque prius quam venam hominis tetigit.* Cicero quoque in II. de nat. deor. & *venas micare* dixit, & ex eis signa a medicis peti. Ovidius VI. Met. *Venae desistunt posse moveri.* Et in X. *Saliunt tentatae pollice venae.* Ibid. *Micant venae.* Etiam Celsus in prooemio bis *Venas* pro Arteriis posuit. Adeo sero admodum de Graecia in Latium illud inter sanguinea vasa discrimen manavit, ut alia *Venarum* nomen [quod erat antea commune] sibi peculiare facerent, alia *Arteriarum* vocabulum sibi arrogarent, quod solius semitae spiritum antea proprium fuerat. Atqui aevo A. Gellii jam tandem ea distinctio a viris doctis observabatur; ita ut quum medicus ille, qui Gellio aegrotanti assidebat, φλεβὸς ἅπτεσθαι, venam tangere antiquo more usurpasset, a Tauro & ipso Gellio habitus fuerit indoctior. Vide XVIII. Noct. Att. 10.

Dixi initio adnotationis hujus, ante Hippocratem *Arteriae* nomine solum venisse spiritus tramitem. Nam ceteroqui nolo dissimulare, ipso Hippocratis aevo jam sensim coepisse id nomen cum aliis ductibus communicari. Hic enim lib. de corde sect. 9. duas agnoscit arterias cum duobus cordis ventriculis conjunctas, quarum certe una [quae μεγάλη *magna* ei cognominatur] non alia quam Aorta erit, altera vero [quae cum dextro ventriculo nectitur, quamq. ὑ λιφαιμίαν, *sanguine non carentem* dicit] quaenam esse debeat, satis apparet. Eodem & illud pertinet quod in de Aliment. sect. 7. re-

meat ſpiritus, non eſt dubium. Mox ubi *Arteriae* nomen cum illis ductibus, quorum pulſatio a medicis perſentitur, commune factum fuit; vel ſic tamen adhuc diu *Arteria* (117) ſimpliciter & ſine *Aſperae* additamento iter ſpiritus deſignabat.

At Latini interim eamdem partem, qua ſpiramus & vocem in verba formamus, haud raro quidem ſingulari numero *Arteriam*, ſed tamen multo ſaepius numero multitudinis *Arterias* (118) efferebant: quid in eo ſecuti, haud plane liquet (119). Niſi illud eſt, quod quum priſci illi Latini, a quibus ea loquendi conſuetudo deſcendit, duas junctim *fiſtulas* (120) animadverterent, unam per quam ſpiritum ducimus, alteram per quam manſa demittimus, utramque exiſtimarint ad reſpirandum valere, unde & ambas *Arterias* appellarint: ex quo *Arteriarum* numero multitudinis appellatio manſerit.

Ac re vera antiquos (ſaltem

7. venas quidem in hepate, arterias vero in corde radicari dixit, ex his vero *ſanguinem* & (πνεῦμα) *ſpiritum* errare per omnia. Quod ita eſt diſtribuendum, ut ſanguis a venis, ſpiritus ab arteriis per omnia tranſfundi intelligatur. His fundamentis mox medici poſteriores illud inter venas & arterias diſcrimen ſuperſtruxerunt, quod Pollux quidem lib. II. ſect. 235. ſic finivit: *Arteriae ſunt* (ὁδοὶ πνεύματος) *viae ſpiritus, ſicut venae ſanguinis*: at ſubtilius Gellius in XVIII. 10. his verbis: *Vena eſt conceptaculum ſanguinis . . . miſti confuſique cum ſpiritu naturali, in quo plus ſanguinis eſt, minus ſpiritus. Arteria eſt conceptaculum ſpiritus naturalis miſti confuſique cum ſanguine, in quo plus ſpiritus eſt, minus ſanguinis.* At ſimul fatendum eſt, Hippocrati *Arteriam* abſolute dictam non aliam fuiſſe, quam qua ſpiritum trahimus: ex quo ſimul oſtenditur, id nomen unius tracheae primitus proprium, mox ad alia vaſa translatum. Et hoc eſſe veriſſimum, ex iis intelligemus, quae de Arteriae etymologia infra in parte 2. dicentur.

(117) Poſtquam *Arteriae* nomen ex peculiari commune pluribus evaſit, illud reſpirationis iter diſcriminis cauſa *Arteriam* cognomento [τραχεῖαν] *aſperam* vocare coeperunt. Et tamen adhuc antiqua conſuetudo perduravit, ut *Arteriam* ſine *Aſperae* cognomine, aut pluraliter *Arterias*, reſpirationis organum nuncuparent. Ac Latini praecipue hic loqui amabant, ad quos ſerius inter venas & arterias diſcrimen pervaſit. Id vero ſupervacaneum eſt exemplis confirmare. Videbis loca quae plurima mox in ſequ. Adnotatione & alibi pro re nata afferentur.

(118) Exempla ſunt paſſim obvia. Auctor ad Her. III. 12. *Laeduntur Arteriae, ſi antequam leni voce permulſae fuerint, acri clamore compleantur.* Mox idem nomen quum iterum ac tertio pluraliter ibidem extuliſſet, tandem ait: *Fauces enim calefiunt, & arteriae* [per contentioſam pronuntiationem ſpiritu] *complentur*. Lucretii locum Adnot. 132. producemus. Plinius idem nomen tum ſingulo numero tum plurativo uſurpavit, ſed ſaepius pluraliter. Itaque vel ſolo libro XX. quinquies numero multitudinis eum *arterias* pro *aſpera* dixiſſe reperio. Neroni apud Sueton. c. 25. aſſtabat ſemper phonaſcus, *qui moneret, Parceret arteriis*. Appuleius Florid. XVII. *Tragoedi adeo ni quotidie proclament, claritudo arteriis obſoleſcit*. Tertullianus lib. de Anima cap. 10. *Culicibus et formicis et tineis deeſſe pulmones et arterias*. Et ut alia exempla in ſequentibus producenda praeteream; etiam Servius ad Aen. VII. 533. ſic adnotat: *Non enim vox uda eſt, ſed per udam arteriarum labitur viam.*

(119) Foeſius quidem in Oecon. Hipp. in Ἀρτηρίη hanc numeri multitudinis [etiam ab Hippocrate uſurpati] rationem aſſignat, quam & aliis neſcio quibus veniſſe in mentem memini. *Arteriam*, inquit, *aſperam Ἀρτηρίας num. multitudinis vocat* [Hippocrates] *ea forte ratione, quod per totos pulmones multis ramulis diducatur*. Atqui ſi haec ratio valeret, etiam arborem unicam dicemus *Arbores*, quod plurimos ex ſe ramos proferat; & nervum ſingularem eadem de cauſa *Nervos* appellabimus. Non eo inficias interdum nervi aut arteriae ramum aliquem *Nervum* aut *Arteriam* dici; at non continuo truncum cum ſua propagine quamlibet numeroſa ſive Nervos ſive Arterias nuncupabimus. Sed fruſtra his immoror; nam ex variis antiquorum ſcriptorum locis mox proferendis luce clarius eſt, eos nullam τῶν βρογχίων (*bronchiorum*) habuiſſe rationem, quando *Arterias* plurative uſurpabant.

(120) Non tantum *Fiſtulae*, ſed & *Cannae* nomine utraque donatur. Et arteria quidem aſpera a Coelio Aurel. *Canna gutturis* nominatur, ut & in Galeni operibus ſaltem ſpuriis *Canna pulmonis*. At etiam oeſophagus Italis *Canna*, aut *Canna della gola* dicitur, unde verbum *Trecannare* & vulgi vox *Cannarute*.

Digitized by Google

ita existimasse conjici potest, ex illa Isidori XI. 1. *Arteriae*, sive, uti vocat, *Arteriarum* etymologia. *ARTERIAE* (inquit) *vocatae, sive quod per eas* (ambas scil.) *a pulmone aer h. e. spiritus fertur, seu quod artis & angustis meatibus spiritum vitalem retineant, unde vocum sonos emittunt*. At aliquis dixerit, quia Isidorus *Arterias* (sicuti *Scalas* & similia) plurative usurpavit, hinc fuisse consequens, ut eidem plurali numero insistens, *PER EAS aerem ferri* easque *sonos emittere* diceret; non quod fistulas duas adstrueret ad spirandum aptas. At huic exceptioni occurrit primum ipsemet Isidorus qui in originatione altera, *Artos & angustos MEATVS* plurative eos dixit, quibus ad spirandum utimur, forsitan MEATVM appellaturus, si de uno ductu ageretur. Deinde occurrit Tertullianus lib. de Anima c. 10. ubi non tantum *Arterias* pluraliter dixit, sed *FISTVLAS Arteriarum*; dicturus certe *Fistulam*, nisi praeter asperam arteriam, illum etiam meatum, per quem cibos transmittimus, *arteriarum* seu *fistularum* alteram statuisset. Locus sic habet: *Ita & spirari cur non putes sine pulmonum follibus, & sine FISTVLIS ARTERIARVM* (121)? Hanc vero conjecturam ex Tertulliani & Isidori locis ductam hic Actorum locus juvare videtur. Nam quum plura magnifice & confidenter, & quidem elata voce Marcellinus esset elocutus; *jussit eum Serenus pugnis caedi in arteriis ambabus*, quasi utraque ad verba concipienda valuisset, ac proinde utramque uti noxiam puniendam censuisset.

Mitto quod eadem conjectura potest ex eo etiam fulciri, quod sicuti apud antiquos utraq. fistula ad (122) deglutiendum valere credebatur; ita & utraq. ad reciprocandum spiritum (123) contulisse aliquid existimari potuerit. Quo etiam illud pertinet, quod apud Graecos Λάρυγξ & Φάρυγξ (quorum nominum prius ad asperam arteriam, posterius ad gulam proprie pertinere grammatici edixerunt) *ita* promiscue passim a veteribus usurpata fuerint, tamquam si essent plane synonyma, & utrovis promiscue capita fistulae utriuslibet notarentur. Vide de utroque vocabulo Gorrhaeum, Henr. Stephanum, & Foesium in Oecon. Hippocr.

Postremo & illustria Jul. Pollucis (124) loca reperire licuit, ex quibus satis intelligi-

(121) Mox easdem *Arteriarum fistulas* eleganter *Artus flaturales* vocat.

(122) Exstat de hoc argumento A. Gellii dissertatio in XVII. 11. ubi ostendit, Platonem immerito ab Erasistrato reprehensum, quod potum non tantum per gulam in ventriculum, verum etiam per arteriam in pulmonem defluere affirmaverit: quod & Alcaeus ante dixerat. Mox & Plutarchi defensionem pro Platone affert his verbis: *Sed Plutarchus in libro Symposiacorum auctorem Platonis sententiae Hippocratem dicit fuisse, idemque esse opinatos & Philistiona Locrum, & Dioxippum* (aliis Dexippum) *Hippocraticum, veteres medicos & nobiles*: ex quorum sententia etiam arteria, etsi moderate, potu perfundebatur.

(123) Saltem sicuti potus aliquid per τραχεῖαν [*Asperam*] dematti, veteres edixerunt; sic & vicissim per oesophagum non parum spiritus intromitti crediderunt. Quod aperte docet Hippocrates lib. de Flatibus sect. 8. ubi πνεῦμα (*Spiritum*) cum alimentis intra corpus ingeri multum oportere, non dubitat.

Hanc vero Coi seuis sententiam cave ridiculam putes. Nam contra eruditissimi plures hujus temporis medici fidenter docent, non aliam aeri patere viam, per quam se sanguini immisceat quam per gulam, vectante ciborum vehiculo: quum ceteroqui per pulmones nullum esse aeri cum sanguine commercium, pro explorato habeant.

(124) Julius Pollux lib. II. sect. 201. Οἱ (στόμαχον) καὶ βρόγχον, καὶ ἀρτηρίαν ὄντες, οἱ δὲ καὶ φάρυγγα καλοῦσι. Quem [stomachum, h. e. *gulam*: nam scitum est, ab antiquis *Stomachum* fuisse unum ex Oesophagi synonymis: nec alia passim notione *stomachum* Pollux usurpat] & *bronchum* (h. e. asperam arteriam; ut ex subjecta βρόγχου definitione dix intelligere) & *arteriam nonnulli, alii vero pharyngem* [h. e. sive *guttur*, sive *fauces*] *vocant*. Sect. 202. ὁ δὲ στόμαχος ... κοινωνεῖ εἰς πνεύμονα. *Stomachus ad pulmonem usque pertinet*. Vbi Hier. Mercurialis in I. Var. lect. 1. corrigit εἰς κοιλίαν, *in ventrem*. Sed tamen Mss. illud πνεύμονα tuentur, teste Pollu-

cis

ligitur, gulam & aſperam arteriam pari loco ac nomine apud antiquos, ſaltem τὰς πολλὰς, fuiſſe cenſitas.

Ac videbar hactenus difficultati feciſſe ſatis. Verum nondum mihi ipſe ſatisfacio: tuo vero, Morgagne, acri judicio, quod maxime revereor, multo equidem minus. Quid enim? ubi judex *in ambabus arteriis* caedi Marcellinum Martyrem jubet, nae is videtur dextrum ſiniſtrumque colli (qua parte iſtud mento ſubjicitur) latus ſubinnuere. Nunc vero aſpera arteria ita cum fiſtula cibaria committitur, non ut una ad dextram, altera ad ſiniſtram colli partem vergat, ſed ut una anterior, altera poſterior deorſum porrigatur. Deinde non tantum Latini *Arterias* plurative pro ſpiritus itinere uſurpabant, ſed etiam (125) Graeci: quibus ſubtilius omnia rimatis grave eſt tam craſſum errorem tribuere, ut etiam cibariam fiſtulam in cenſum arteriarum τυμμικῶν (*flaturalium*) retulerint. Jam vero quid Galeno fiet, qui (in VII. de uſu part. cap. 5.) reſpirationis inſtrumentum non tantum plurative *Arterias*, ſed & cum epitheto *Aſperas* appellavit? An ne virum tantum ejus locutionis ambitu cibariam etiam fiſtulam (quae certe levis eſt) complecti voluiſſe dicemus? Quocirca alia quaerenda eſt hujus difficillimi loci certior expoſitio: quae niſi fallor ejuſmodi eſt:

Scio equidem *Fauces* & *Arteriam* ſeu *Arterias* duo fuiſſe rerum diverſarum vocabula. Nam *Arteria* quidem fiſtulam ipſam deorſum ad pulmonem uſque pertinentem notat: quum contra *Fauces* (Gr. φάρυγξ) ſi Gorrhaeum audimus, ſit *regio intra os, ubi tum gulae, tum arteriae extrema concurrunt*. Tamen etſi ſint partium diverſarum nomina; uſus tamen effecit ut promiſcue acciperentur, & modo *Arteria* non aliud quam *Fauces* deſignaret, modo *Fauces* pro pulmonis canna ponerentur. Id quia nunc primum notaſſe mihi videor, & ſtruit ad nodi ſolutionem viam, inferne (126) feorſum exponere non gravabor. Quo poſito, nihil

eis adnotatore Jungermanno. Ex quibus facile intelligas, antiquos haud raro unam cum altera fiſtula confudiſſe. Poſtremo quod dixi, βρόγχον huic grammatico, non aliud eſſe quam aſperam arteriam id ex ſequenti definitione, quae ſect. 204. talis eſt. *βρόγχος* [*Arteria aſpera*] *autem ſtomacho* (i.e. gulae) *praetenditur, & ad pulmonem vergens, linguae & ſtomacho* (ſive gulae) *adnaſcitur: in pulmone vero medio radicatur ... ac porro in plures tenues apophyſes ſcinditur, quae & fiſtulae & βράγχια & aortae vocantur. Ipſe vero* (*βρόγχος*) *in teretem figuram contornatus, in poſtica parte ſtomacho* [*ea eſt gula*] *adhaerescens, ex pluribus quaſi annulis componitur.*

(125) Unum alterumve locum attuliſſe ſatis erit. Hippocrates lib. VII. Epid. καὶ ἄσθμα καὶ ὑπονεφελιὸν περὶ σῆτα καὶ ἀρτηρίας, *Et creber anhelitus & circa pectus & arterias ſtridula aſperitas.* Adhaec Sophocles τυμμένος ἀρτηρίας, *Pulmonis arterias* uſurpavit. His adde Galenum locis pluribus & alios non paucos, quibus producendis abſtineo.

(126) *Arteriam* pro faucibus ſaepiſſime uſurpari, vel hoc declarat, quod ἀρτηριακὸν πάθος Paullo Aeginetae III. 28. non aliud eſt, quam βράγχος h. e. *raucitas*, quae faucibus praecipue accidit; ut ἀρτηριακὸς quum de homine dicitur, eſt idem qui *raucus*. Sed ut ex Latinis potiſſimum hauriam: hos video quoties *Arterias* plurative uſurparunt, vix aliud quam fauces intellexiſſe. Itaque Plinius extremo cap. 1. libri XX. *Illitum anginas et arterias* (h. e. fauces) ... *ſanat*. Cap. 5. *Arteriis medetur*. Cap. 14. *Arterias humidas ſiccat*. Cap. 17. *Ad arterias aſperas* [h. e. exaſperatas] *cum galla et melle teritur*. Cap. 20. *Arterias et tonſillas ... perfricent*. Lib. XXII. 23. *Prodeſt arteriis exaſperatis*. XXVIII. 12. *Exulcerationi arteriarum*. Pluribus ſupersedeo.

At iidem vicissim & *Fauces* haud dubie videntur pro ductu arteriae aſperae ſaepiſſime uſurpaſſe. Itaque ubi *Elidere fauces*, aut *oblidere* aut *frangere fauces laqueo* dixerunt, itemque *Innectere fauces laqueo*, & quae ſunt plura talia, ὅσα κόπις; hae profecto locutiones non niſi in aſperam arteriam proprie conveniunt: cujus ductus ratione ſuae longitudinis intercipi laqueo poteſt; quum contra in fauces proprie dictas nihil horum conveniat.

Eam vero invicem confundendi arteriae & faucium vocabula conſuetudinem Graecis etiam fuiſſe familiarem, jamdiu Gorrhaeus, & Foeſius in Oecon. Hippocr. obſervarunt. Itaque tum φάρυγξ tum etiam λάρυγξ non tantum

de

Digitized by Google

hil facilius dictu est, quam Serenum Marcellini judicem, ubi *Arterias ambas* caedi jussit, *Fauces ambas* intellexisse: de quo nihil est quod dubitari posse suspicer.

Atqui hoc ipsum, inquis, inauditum est, Fauces adstrui binas: quod nusquam alibi reperitur. At equidem ut de *Faucibus ambabus* Latini cujusquam auctoris exemplum adhuc quaero; ita Graeci peridonei scriptoris locum promptissimum habeo. Is est magnus Hippocrates ipso statim initio Fragmenti περὶ ἀναπν. ubi *Arteriam* in hunc maxime modum describit: Ἀρτηρίη ἐξ ἑκατέρης φαρυγγίτιδος τὴν ἐκφυσιν ποιευμένη, ἐς ἄκρον τὸν πνεύμονα πέλυται. *Arteria ab UTRAQUE FAUCE exortum capiens in summum pulmonem desinit*. Vides heic duplicem agnosci faucem ab Hippocrate: ex quo factum, ut & Graecis non tantum φάρυγξ singulari numero usurpetur, sed & plurali φάρυγες; & Latini raro singulariter, plurimum autem pluraliter *Fauces* dixerint, certe quod duas agnoscerent. Ergo quia [uti modo in Adnot. 126. demonstratum fuit] *Arteriarum* nomen haud raro pro *Faucibus* posuerunt; ob eam causam ubi hoc loco Serenus S. Marcellinum *in Arteriis ambabus* caedi jubet, nihil aliud intellexit, quam *in Faucibus ambabus*. Atque ea unica est *Arteriarum ambarum*, quae tantum negotii viris eruditis facessebant, expositio.

Hinc vero & illud tandem assequimur, eccur persaepe Latini *Arterias* numero multitudinis usurpaverint. Non enim ea est ejus locutionis ratio, quod per plurativum numerum duas fistulas designari voluissent, quemadmodum supra conjiciebamus; sed quod quotiescumque *Arterias* scripsere pluraliter, iis locis *Arteriarum* nomine plerumq. *Fauces* [quas duas scil. agnoscebant] intelligi oporteat. Percurre, si lubet, loca illa omnia, quae in Adnotationes 118. & 126. conjecimus: plane reperies, non modo nullum ex iis locum esse, qui non percommode de faucibus sumi possit, verum etiam eorum exemplorum pleraque haud aliter debere quam de eisdem faucibus intelligi. Adde quod Auctor ad Her. III. 12. ubi dixisset: *Vulnerantur arteriae acuta ... acclamatione*, mox idem prorsus de faucibus affirmat: *Acuta exclamatio .. fauces vulnerat*. Adde & Lucretium IV. 531. cujus locum infra Parte 2. proferemus, & alios pari synonymia utentes.

PARS altera (127) ἐτυμολογικὴ. *De* Faucium *&* Arteriae *aliarumq. vocum originatione.* Fauces *non aliunde quam a* φάρυγες, *eliso rhotacismo.* φάρυγξ & φάραγξ co-

de faucibus [quas plerumque voces illae designant] sed saepe etiam pro ipsa *arteria aspera* usurpantur. Exempla hujus notionis haud pauca qui noisse avet, adeat Gorrhaeum, aut, qui inde plura hausit, Henr. Stephanum in φάρυγξ. Illud etiam satis constat, etsi grammatici inter Ἀάρυγξ & φάρυγξ ita distinguant, ut illud arteriae, hoc gulae exordia sint habenda; tamen ex usu luculenter ostendi, ita passim permisceri invicem ea vocabula [sicuti etiam apud Latinos *Fauces* & *Guttur*] ut facile pro synonymis sine ulla prorsus reprehensione haberi queant.

Postremo & ex voce βρόγχος hoc ipsum potest intelligi. Nam τὸν βρόγχον apud Hippocratem vel totam *asperam arteriam* notare, vel *fauces* dumtaxat designare, Galenus in Comm. 3. in lib. de Artic. docet: quem tamen locum misere depravatum, conqueritur Foesius; apud quem exempla Coi senis, quibus βρόγχος est *Guttur*, ibidem reperies. *Guttur*, autem & *fauces* apud Latinos confunduntur. Rursus autem βρόγχον apud Hippocratem significare interdum etiam *gulam*, sicuti & derivata ab eo verba tantumdem esse quod *deglutire*, ostendit idem Foesius: quem consulere poteris in voce βρόγχια. Huc etiam refer quae supra in Adnot. 124. ex Polluce adscripsimus; a quo βρόγχος ita describitur, ut ea definitio non nisi in ductum Asperae arteriae convenire possit; quum tamen aliis ea vox *fauces* designet. Sed jam sufficiat grammatici satis.

(127) Hanc partem alteram prodire in publicum equidem noluissem, quippe tricarum ac salebrarum plenam. Neque vero nunc erat his locus, ut pro una alterave etymologia tamquam pro aris sociisque dimicarem. Tamen quia interim ὁδὸς τὰ φάρυγγος multa heic etiam illustrantur; aliud viris quibusdam gravissimis visum fuit. Quorum judicio freti, ita haec senticeta foras emittimus, ut tamen spinosiora quae sunt, secretum in ima ora sepositurimus, non nisi harum mercium amatoribus adeunda.

Digitized by Google

cognata sunt vocabula: incertum, an unum ab altero, an utrumque ab inusitata radice. Arteria *non est quasi* ἅλμρία. *Nec quasi* ἀερομρία. *Haec altera etymologia antiquitate plurimum, verisimilitudine minimum valet. Nam non tam* aeris, *quam stationarii cujusdam* spiritus *conceptaculum antiquis arteria definiebatur. Deinde analogia vocis refragatur, quae docet eam a tertia praeteriti passivi esse repetendam; a tertia scil. praeteriti verbi* Ἄ̓ρομαι, *a qua tria formantur Arteriae synonyma, non tantum scil.* Ἀερμία, sed & Ἀερτὴρ & Ἀερτήριον [*de quorum singulis agitur*] *quorum saltem ultimum originem a tertia praeteriti aperte ostentat. Obiter de veriloquio vocis* ἀερος. *Cur porro* Arteria *recte ab* ἀρομαι *descendat, ex ejus annulis sibi invicem* aptis *atque* consertis *ostenditur. Locus Hippocratis difficillimus explanatur. An Arteria ab* ἀρτὴρ (*qua* strigilem *significat*) *derivetur, ob asperitatem scil. An potius* ἀρτὴρ *idcirco strigilem* [*non quamvis, sed auricularium*] *designarit, quia instar arteriae asperae annulosa erat? Erotiani locus correctus & illustratus. De strigilis auricularis structura, aliisque scitu non indignis.*

Ac plura sane, quam praevideram, in hunc intricatum Actorum locum cumulasse nondum plane poenitet: primum quidem quod non inutilem operam horum Actorum antiquitati navasse mihi videor: deinde quod eadem opera ὀδὸν παίφυγος plurium antiquarum locutionum vim in apertum protulimus. Et tamen adhuc *Faucium* & *Arteriae* originationes [non illae quidem speciosae, quas hactenus tradiderunt, sed nativae ac genuinae] producendae restant. A *Faucibus* ordiar, propterea quod earum veriloquium multo est facillimum. Eas quidem Martinius, & ex eo Vossius, a verbo φαύω (*eloquor*) dictas voluerunt. Darem manus, si aut formationis analogia adstipularetur, aut nisi meliora suppeterent. Verum quid moror? FAVCES est ipsissimum Graecum φάυγες; unde submoto tantum rhotacismo, fit φαῦγες. At vetus Latium, quia littera G carebat, FAVCES appellavit. Similiter & a singulari φάρυξ (quomodo pro φάφυγξ veteres usurpabant) sublata canina littera, factum est FAVX: qui nominativus non alibi quam in vet. Onomastico legitur, & respondet Graeco φάφυγξ. At et FAVCIS recto casu in Cyrilli Glossis occurrit, respondens eidem φάρυγξ. Ceteroqui ablativus FAVCE tritissimum est.

Graecum autem φάφυγξ tam arta cum φάραγξ cognatione junctum reperio, ut non dubitem quin aut unum ab altero, aut ambo a communi radice pullulaverint. Et φάραγξ quidem est *Barathrum*, h.e. *hiatus*, *praecipitium*. Vicissim autem & Latini veteres *Barathrum* pro faucibus sive gula accipiebant: proprie an translate, non interpretor. Nam etiam tum Graecum φάφυγες, tum & Latinum *Fauces* adeo frequenter ingressum ad praecipitium (sicuti & laxius postea aditum ad quemcumque locum) designat, ut ambigi possit, utrum ea vocabula ab humanis faucibus ad praecipitem locum, an contra, translata fuerint.

Venio jam ad multo difficiliorem & varie vexatam *Arteriae* etymologiam. Isidorus duplicem originem (locū priore hujus Disquisitionis parte adscripsi) tradidit, sed quasi si Latina vox esset, eam Latino ex penore hausit. Fuere qui ἀερομρία quasi ἅλμρία [*a saliendo* scil.] dictam voluerint: id vero non tantum spiritu [qui in ἄλλομαι densatur, quum sit in *Arteria* tenuis] sed & antiquitate refragante. Nam Hippocratis & aliorum antiquorum Ἀερμία dumtaxat ad respirandum, non item ad pulsandum & saliendum valebat; & tamen non tantum *Arteria* vocabatur, verum etiam id nomen una sibi ferme tamquam peculiare arrogabat. Postremo illa originatio potissimum ab antiquitate & verisimilitudine apud H. Stephanum, Martinium, Vossium & alios se probavit, ut *Arteria* ab ἀὴρ & τηρέω dicta videatur, ab eo scil. quod *aerem servet* atque contineat.

Ac

Ac fateor hanc ultimam etymologiam & satis (128) antiquam esse, & minime insulsam: at non continuo satis veram arbitror, quippe antiquae loquendi consuetudini minus consentientem. Priscis enim mortalibus πνεύματος (*spiritus*) non *aeris* conceptaculum & semita definiebatur ea, de qua tamdiu loquimur, aspera arteria. De quo sexcenta sunt Graecorum & Latinorum loca. Et aliquid certe antiquissimi medici inter *aerem* & *spiritum* interesse voluerunt: de quo vide inferne (129) animadversa. Ex quo efficitur, priscos illos homines, si quidem consentanea suis opinionibus vocabula rebus imponere voluissent, hoc respirandi instrumentum non ab *aere* [cujus mentio ferme (130) nulla primi-

(128) Satis antiquam esse id ostendit, quod ab H. Stephano (in Ἀρτηρία) ejus meminisse dicatur quidam *Philar.* Sic enim compendiose ibi scribitur. Is vero non videtur esse *Philarius* (medii IV. saeculi medicus, cujus fragmenta sunt apud Aetium) sed potius Philaretus is, cujus exstat *De pulsuum scientia* Graecum opusculum.

Sed re vera ejus etymologiae primus, quod reperire potuerim, auctor Bacchius apud Erotianum (in voce Ἀρτίας) fuit, ubi Ἀρτῆρας (unum scil. ex Hippocraticis asperae arteriae nominibus) dictos ait, quasi ἀεροτῆρας. Quem locum a me emendatum atque expositum ad hujus epistolae finem reperies.

(129) Quid inter πνεῦμα (*spiritum*) & *aerem* antiquissimi hominum distinxerint, ex iis potest intelligi, quae magnus medicorum parens lib. περὶ φυσῶν (*de flatibus*) sect. 4. edisserit; ubi tribus maxime rebus hominem enutriri, *cibo*, *potu* & (πνεύματι) *spiritu*, praefatus (quod & transtulit Tullius in 2. de Nat. deor. scribens, *Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, spiritu*) statim haec posuit: *Ac* (πνεύματα) *spiritus quidem, qui corporibus insunt, flatus* (Gr. φύσας: sed cave heic accipias hoc vocabulum pro crassioribus ac morbosis flatibus, quum potius sint *spiritus* in homine stationarii: quos discriminis causa heic Hippocrates *flatus vocat*, at alibi, Erotiano auctore, eosdem simpliciter *Spiritus*, generis retento nomine, appellat) *vocantur: qui vero extra corpora exsistunt, Aer: qui* (aer extimus, & hominis corpori circumfusus) *sane maximus est in omnibus, quae corpori accidunt, & auctor & dominus.* Ex quo vides, aliud fuisse Hippocrati aerem corpus hominis ambientem, aliud *Spiritus*, corporis cavitatibus primitus insitos, atque ibidem assidue reparatos. Vbi autem de respiratione agebatur, non nisi *Spiritus* olim mentio fiebat: quem Latini saepius *Vitalem*, interdum & *Naturalem Spiritum* vocant. Loca sunt passim obvia. Quo etiam pertinet illud Galeni in Comm. ad περὶ ἀγμῶν διαίτης: Respirationem esse dicit Hippocrates, τὴν διὰ τοῦ σώματος ἔξω τε καὶ ἔσω φορὰν τοῦ πνεύματος, *intro & foras spiritus per os lationem.* Nemo autem melius, quam Plinius (cui & alii Latinorum concinunt) eam, de qua loquimur, *Spiritus* notionem (ex populari scil. acceptione) explicuit, ubi Arteriam asperam *Spiritus conceptaculum* definivit. Nam *conceptaculi* vox quiddam stationarium indicat. Eodem *spiritu* cavitates corporis internas & spatia inania repleri docet Hippocrates lib. περὶ σαρκῶν: quem spiritum lib. περὶ ἑπτὰ etiam *rorida* sive *vaporem* vocat.

(130) Id quod & ex superiore adnotatione, & ex vulgari antiquorum loquendi consuetudine intelligitur, ex qua nomina rebus imponebantur, potius quam ex subtilioribus philosophorum observationibus. Ceterum quis dubitat, diu ante Ciceronis aevum jam hoc tandem fuisse intellectum, id quod ultro citroque per arteriam permeat, non aliud esse quam aerem? Nam clare id certe & sine ambagibus eloquitur Cicero in II. de Nat. deor. in quo plura legantur eo pertinentia; ut: *AER quem spiritu ducimus*: item: *AER spiritu ductus alit .. animantes*: & illud: *Aer ... spiritum praebet animantibus.* Lucretius ad philosophicam obrussam exactior IV. 935.

Interiorem etiam partem spirantibus aer
Verberat hic idem (hic idem, inquit, exterior aer, de quo proxime dixerat) *quum ducitur atque refertur.*

Verum quid de his mirum, quando etiam Hippocrates videtur id antea vidisse? Qui quidem lib. de flatibus sect. 6. ex eo aeris necessitatem arguit, quod a respirando cessare nequeamus. Et tamen ejus glossographus Erotianus mira prorsus edisserit, modo quae ex eo Foesius in Ἀήρ affert (quae tamen in Erotiani lexico frustra quaesivi) vere ab eo petita fuerint. Nam praeter tritam ἀήρος (*aeris*) notionem, tres alias explicat: inter quas etiam ponitur, *Qui in nobis est spiritus, & aer quem efflamus.* Atqui quum haec significatio a primaria illa & celebri plane diversa ponatur; ex eo fit consequens, aerem qui spirando reciprocatur, negari esse elementarem aera; aut tam vere dici aerem oportere, quam canis caelestis est vere canis.

Digitized by Google

primitus fuit, quoties de reciprocando ſpiritu agebatur] ſed potius παρὰ τὸ πνεύματος [a *ſpiritu*] aut omnino a verbo πνέω (*reſpiro*) fuiſſe nuncupaturos, ac πνευματωτήριον aut πνευμοτήριον aut tale quidpiam facilius appellaturos.

At vero nativa *Arteriae* etymologia ex certiſſimo potius analogiae indicio commonſtranda fuerat: cujus antiquos etymologos [ne Platone quidem & Varrone, viris alioqui ſummis, exceptis] haud magnam habuiſſe rationem, eſt quod doleamus. Nunc hanc vocabulorum veregrinam [analogiam dico] ſi ducem ſequamur, haud deinde dubitabimus, quonam ex fonte id nomen corrivari neceſſe ſit. Fuit enim hoc a grammaticis obſervatum, nomina in ωρ, in τήριον, atque in τρία finientia, omnia ab una eademque tertia praeteriti paſſivi perſona proficiſci. Itaque ſicuti a σέσωται ſit & σωτὴρ [*ſervator*] & σωτήριον (vox Graecis ferme (131) Bibliis peculiaris, quae a Vulgato interprete per neutrum *Salutare* redditur) & σωτηρία [*ſalus*] producuntur; ita reperiendum eſt verbum, unde non tantum ἀρτηρία, ſed & (132) ἀρτήριον & (133) ἀρτὴρ [quae duo poſteriora etiam in uſu fuiſſe pro *Arteria* reperio] propagentur. Atqui ab his vocabulis ſi retro κατ' ἀναλυτικὴν τέχνην [quod pueri ἀλλαντίζοντες aſſolent] progrediamur; non alibi certe ad ultimum conſiſtemus, quam ſive in αἴρομαι, ſive in ἄρομαι; quorum alterutrum pro radice propaginis hujus, qua de quaerimus, agnoſcamus neceſſe eſt. At ab αἴρομαι [*tollor, erigor*] vix eſt ut quiſquam ſanae mentis *Arteriae* vocem

(131) Vox Σωτήριον apud profanos ſcriptores inuſitata, in Graecis autem Bibliis decantatiſſima (ex quibus videtur eam deprompſiſſe Heſychius, ubi ſcripſit, Σωτήρια, ἐξιλασμοῦ) facile Alexandrina dictio fuerit. Verum ea neglecta Graeci ſemininum Σωτηρία praetulerunt; ſicuti & pro neutro Ἀρτήριον eiſdem ſemininum Ἀρτηρία viſum eſt magis probum.

(132) Ἀρτήριον etſi nunc quidem nuſquam apud Graecos reperies, at olim eos ſpiritus ſemitam ἀρτήριον neutraliter non minus quam Ἀρτηρίαν nuncupaſſe, teſtis eſt Lucretius lib. IV. quo loco id laborans, ut vocem corpoream eſſe demonſtret, haec poſuit v. 531.

Praeterradit enim vox fauceis ſaepe, facitque
Aſperiora foras gradiens ARTERIA clamor.

Vox, inquit, foras gradiens, efficit *arterias* [h. e. arterias] aſperiora. Recitat & A. Gellius hos verſus, ſi probe memini.

Atqui ſi nihil aliud, hoc certe Lucretianum nomen non poteſt aliunde, quam a tertia paſſivi praeteriti (unde & cetera verbalia nomina in τήριον exeuntia fiunt) exiſtere. Quod ſi Ἀρτήριον ejus, quam dixi, originis atque indolis eſſe conceditur; non poterit non indidem & Ἀρτηρία genus ſuum repetere.

(133) Ἀρτὴρ genus calceamenti fuit Pherecrati in *Vetulis* uſurpatum, teſte Suida. Id vero fortaſſis ab eo ſibi nomen quaeſivit, quod in cothurni tragici morem hominem attolleret, & procerior em efficeret. Itaque is calceus dici Latine *Erector* poſſit, ab ἄρτομαι ſcil. quod eſt *attollor*. Sed tamen ea ſe mihi potius etymologia probat, ut ſit a tertia praeteriti perſona verbi ἄρομαι, quod eſt *aptari, apte haerere*. Ea enim praecipua calcei laus putabatur, ut apte induceretur. Nam ſi paullo artior, urebat; ſi laxior, follebat & riſus ciebat: de quo antiquorum loca producere ſuperſedeo.

Sed & in Graeco Nehemiae IV. 17. ἀρτὴρ genus inſtrumenti eſt, quo onus *attollitur*. Locus is Hebraice totidem verbis ſonat: *Portantes* [*baſſebel*] *in onere*. At facile eſt, heic *Sebel* non ipſum *onus* ſignificare, ſed inſtrumentum, quo onus attollitur, quod ſcite Syrus heic *Veſtem* reddidit: pro quo ſcil. Graeci interpretes ἀρτῆρα poſuerunt: Αἴροντες ἐν τοῖς ἀρτήροσιν, h. e. *tollentes in inſtrumentis ad attollendum*. Nam certe analogia vocis ſuadet, iſtud ἀρτὴρ non aliud eſſe quam machinam, qua attollitur aliquid. Sive, ſi alios audimus, eſt *humerus* ipſe: qui cur non in bajulis ἀρτὴρ h. e. *ſublator* vocari poſſit? Hoc igitur ſi ſequimur, Ἀρτὴρ ejus loci ab αἴρομαι fiet. At poteſt & ab Ἄρομαι derivari, ſi modo ἀρτὴρ ſit *ciſta*, ſive *corbis*, ſive quid aliud, quod *apte* onera recipiat, aut quod *apte* humero haereat.

Fuere & ἀρτῆρες (ſic enim Artemidoro vocantur, qui paſſim alibi ſunt ἁλτῆρες, *halteres*, trita rei gymnaſticae vox) quos ab ἄιρομαι deductos crediderim, quod in eis *erigendis* ſeſe in gymnaſiis exercerent.

Poſtremo ἀρτῆρα quibuſdam eſſe ξύστρον (*ſtrigilem*) Heſychius dixit: quo loco *ſtrigilem* ne communem per ξύστρον, an auricularem intellexerit, infra expendemus; ſimulq. Ἀρτὴρ eſſe aſperae arteriae ſynonymum, ex Erotiani loco, uti par eſt, correcto, oſtendemus.

Digitized by Google

cem deducere velle ſuſtineat: quid enim utrique commune?

Reſtat igitur ut in Ἄρομαι [quod eſt *aptari, aptum eſſe*] periculum faciamus. Quod verbum etſi eſt inuſitatum in ſuo themate [quum ceteroqui nec praeterito medio, nec quibuſdam aliorum temporum vocibus careat] tamen incredibile dictu eſt, quam numeroſa propagine, antiquis eam grammaticis oſtentantibus, ſuboleſcat. Verum innumeris omiſſis (134) quae ab eo deduci ſolent: ad ea tantum venio, quae ex tertia praeteriti paſſivi perſona ſecundum legitimos analogiae tramites exeunt. Nam inde oxytonum Ἀρώς [imaginaria vox: nam Ἄρως *panis* eſt facile alterius (135) originis] exſiſteret, h. e. *aptus, connexus*: quae vox etſi in uſu non eſt, inde tamen eſt Latinum non tantum *Artus* ſed & (136) *Artis* nomen; & in ſuo ſolo nativo apud Graecos indidem fit Ἄρθρος, Ἀρθρόω, Ἀρθρόομαι, cum ſuis ſingula ἀπογόνοις. Ab eadem vero tertia praeteriti ἐι Ἄρομαι & Ἀρώγ oritur [de quo jam ſup. in Adnot. 133. diſſeruimus] & Ἀρώριον Lucretianum, & Ἀρωγία: idque eodem tramite, per quem & σωγὲ & σωγήριον & σωγία deſcendunt.

Et hactenus quidem, Morgagne eruditiſſime, analogia, vocum inquam illa gignendarum unica moderatrix & domina, pulchre procedit. Nunc quid ſignificationis *Arteria* cum verbo Ἄρομαι commune habeat, videamus. In Arteria aſpera [quae ut initio monuimus ſola primitus *Arteria* vocabatur, idque ἁπλῶς & ſine *Aſperae* adjuncto, nondum quippe cum micantibus venis eo nomine communicato] hoc primum in oculos incurrit, quod & in ejus definitione nemo ſibi omittendum putavit, quod ex plurimis annulis *ſibi invicem aptis* continua ſerie nectatur. Hippocrates initio fragmenti περὶ ἀρτηριῶν, poſt ea verba, quibus monet, *Arteriam*

(134) Cujuſmodi ſunt Ἄρμενος, Ἀριθμός, Ἄρθρον, Ἀρτάω, Ἄρκος, Ἁρμάζω, Ἅρμα, &c. quaeque propago uberrima ex horum ſingulis fruticat.

(135) *De paroxytoni* Ἄρτος *etymologia.*

ΑΡΤΟΣ ab ἀείρω ſignificante κουφοφορέω deducit Etymologici Auctor, quaſi ſcil. quotidie corpori noſtro φερεφερόμενος. Cui etymologiae etiam Euſtathium favere, oſtendit H. Stephanus. Ergo veteres non dubitabant, quin Ἄρτος eſſet a tertia praeteriti verbi ἄειρομαι: niſi quod uſus opinor fecit, ut ἄρτος penacueretur, quum ceteroqui analogia oxytonum eſſe juberet. Eſt igitur, inquam, Ἄρτος ab ἄειρομαι, ſed non eo ſignificatu, quo antiqui grammatici docuerunt, quum id ſit longe petitum; ſed potius eſt ab ἄειρομαι, *attollor, erigor*, quia panis per fermentationem levatur ac turget. Dixeris, panem etiam non fermentatum vocari ἄρτον. Atqui reſpondeo in Ἄρτος ἄζυμος eamdem κατάχρησιν occurrere atque in οἰνοχοὸν ὕδωρ. Ergo panis initio a fermentatione & erectione [ab eo ſcil. quod plerumque accidit, quodque in pane perfecto requiritur] nomen ſibi adſcivit; quod nomen deinde tum etiam ſibi retinuit, ubi fermentatio deeſſet.

Ceterum ſcitum eſt in epiſtola S. Innocentii Papae ad Decentium *Fermentum* (cujus vocis etiam Anaſtaſius ſaepe meminit) eſſe panis (etſi ibi de pane euchariſtico agitur) nomen: ſed ita generale (ut equidem accipio) ut ſuo ambitu panem etiam ἄζυμον (h. e. non fermentatum) complectatur. Nam ſpeciei late patentis nomen paſſim generis ſignificationem invadit. Nec aliter de *Fermento* illo Innocentiano difficultatem, quae viros ſummos exercuit, ſolvi commodius poſſe ſuſpicor. Quo confirmatur originatio vocis Ἄρτος ab ἄειρω *Levo, attollo.*

Quamquam & ab Ἄρομαι (quod eſt *aptari, & compingi*) Ἄρτος oriri potuit. Quo id modo? Quia apud veteres panis vix aliter quam buccellatus fiebat, h. e. ex pluribus buccellis *aptus* atque *connexus*; nec enim cultro ad incidendum panem olim utebantur. Sic Hebraei, ſic Latini, Graecique ſuos panes vulgares conficiebant; quos ſcil. ab illa compage ἄρτους dixere a tertia praeteriti verbi Ἄρομαι.

(136) De *artubus* non eſt dubium (etſi alii apud Voſſium inepte ab *Arceo* derivent) ſicuti & adjectivum *Artus* [ſic enim ante C antiqui ſcribebant] indidem eſt. Ac ne de *Artis* quidem vocabulo eſt dubitandum. Nam *Artem* eam antiqui definiebant, quae vagas doctrinas atque praeceptiones in unam aptam ſcitorum compagem reduceret. Itaque juris cognitionem ſuo tempore vagantem ac diſſolutam *neri* Tullius conquerebatur, ſimul augurans, fore tempus, quum in *Artis* formam articulata atque apta exſiſteret.

Digitized by Google

riam ex utraque fauce incipientem in ſummum pulmonem deſinere,[quae verba Graece & Latine ſupra in fine Partis I. recitavi] hoc ſtatim addit: κρίκοις ξυγκειμένη (137) ὁμοιορυσμοῖς, τῶν (138) περιγείων (139) ἀπτομένη κατ' ἐπίπεδον ἀλλήλων. Quod licebit ſic totidem verbis reddere: *Ex anſulis ſimiliter figuratis conſerta, rotunditatibus* [ſupple anſularum: h. e. *ſemicirculis*] *ſibi mutuo ſecundum ſuperficiem adhaereſcentibus.* Quae videtur Pollux imitatus: cui [lib. 2. ſegm. 204.] βρόγχος [h. e. arteria aſpera] ἐκ πολλῶν κύκλων συγκείμενος, *ex pluribus annulis conſertus* dicitur. Jam vero ſi loco participii συγκείμενος [quo Hippocrates & Pollux in arteriae definitione utuntur] ſubſtituas aequipollens participium ἀρμοὺς, atque Arteriam definias, ἐκ πολλῶν κρίκων [aut κύκλων] ἁρμοὺς, *ex multis anſulis aptam*, ſive *conſertam*; jam porro intelliges cur id, quod definitur, dictum fuerit Ἁρμόν, ſive Ἁρμία, a tertia ſcil. paſſivi praeteriti perſona ejuſdem verbi Ἀρόμαι, a quo fit medium praeteritum uſitatiſſimum ἄρμαι, & partic. ἁρμοὺς. Eodem pertinet, quod quae ex pluribus ejuſdem generis conſeruntur, ea noſtri homines vulgo nunc vocant *Inſerta*; ut *Vn' inſerta di fiori, di caſtagne, di nocciuole* &c. Itaque ſi vim vocabuli *Arteriae* iidem noſtri homines ſua dialecto exprimere ſatagant; jam eam appellare poſſint, *Vn' inſerta di anelli*.

Poſſet & illud dici, *Arterium* & *Arteriam* ex eo quidem, quo dixi fonte cadere, ex praeterito ſcil. verbi ἄρομαι; ſed ita ut prius Ἁρμήρ [ut pote brevius]

(137) Ὁμοιόρυσμος ab omnibus lexicis abeſt, etiam a Foeſii Oeconomia: niſi quod in Περιηγῆς legit ὁμορυσμοῖς, ut in ſeq. Adnot. videbis. Quum autem ῥυσμὸς ad verbum ſit *Tractus*, deinde etiam teſte Euſtathio ad Dionyſ. ſit σχῆμα, τύπος, *figura, forma*; hinc ὁμοιόρισμος erit *ſimiliter figuratus*.

[138] *Locus Hippocratis parum intellectus exponitur.*

Hoc maxime adjectivum [quod omnibus, quod ſciam, offendiculo fuit] inextricabilem hunc locum reddidit. Nam περιγῆς quum ſit *Rotundus*, omnino huic vacabat. Quo enim modo annuli eſſe non circumacti poſſent? Deinde cur adjectivo nomini, quod nec διορισικὴν, nec aliam vim ſingularem habet, articulus praeit? Poſtremo ſaltem copula Καὶ praeponenda erat, ne eſſet oratio ἀσύνδετος: quam tamen interpretes ad ſyntaxin ſulciendam in verſione de ſuo addiderunt.

Verum caligo ſtatim omnis diſpellitur, ſimul ac mecum intelligas, iſtud τῶν περιγείων non venire a maſculino περιγῆς [ut ſit epitheton τῶν Κρίκων] ſed a neutro περιγῆς, quod praecedente articulo ſubſtantive ſumitur, ac *rotunditatem* potius ſignificat. Summa eo redit. Annuli, ex quibus Arteria apta exſiſtit, circulum non abſolvunt, ſumtque potius Galeno σιγμοειδὴς h. e. litterae Sigma [cujuſmodi id elementum Galeni aevo figurabatur, non in arcus Scythici morem, ſed plane ut C Latinum] figuram referentes. Hoc igitur ſibi vult magnus medicinae parens, arteriam ex annulis ſive potius *anſulis* [nam id quoque κρίκος deſignat] connecti, atque ex earum rotunditatibus invicem eſſe connexam atque conſertam. Optime. Nam qua parte anſulae illae rotundae exſtant, earum unamquamlibet cum finitimis compingi, intelligimus. Ceteroqui qua parte anſulae cartilaginoſae illae deſinunt ad ultimum in membranam, ea parte nulla amplius connexio deprehenditur, ſed una perpetua membrana continuatur. His poſitis, textus luce clarior exſiſtet; cujus interpretationem habes poſt Graeca Hippocratis a me poſitam. Conſer cum his & ſeq. Adnotationem.

[139] Citat hunc locum Foeſius, in Περιηγῆς, & ſimul explicat in hunc modum: Κρίκοις ξυγκειμένη ὁμορυσμοῖς, τῶν περιγείων ἀπτομένη. *Annulis inter ſe ſimilibus conſtans, & rotundis aptata.* Ac ſtatim pergit: *Illic enim* ἀπτομένη idem quod ἠρμένη, *aut* προσδεδεμένη *mihi ſignificare videtur, h. e. annexa, aptata & compoſita. Etſi interpretes* τῶν περιγείων ἀπτομένων κατ' ἐπίπεδον ἀλλήλων *legunt; ut ſit, Annulis in ſuperficie ſe mutuo contingentibus.* Haec Foeſius. Sane vero utut illud ἀπτομένη ferri utcumque poſſit; tamen ἀπτομένων longe huic pronius & pulchrius eſt. Nam ἅπτεσθαι eſt *ſimul nectι* atque *adhaereſcere* non tantum apud ceteros (v. H. Steph. in Ἅπτω) ſed & apud Hippocratem lib. περὶ γυναικ. ubi ait: *Vteri ſi* (ἂν ὑστέραι) *adhaeſerint*. In loco autem, qui praemanibus eſt, illud κατ' ἐπίπεδον ἀλλήλων vix eſt ut intelligi poſſit, niſi ſimul & ἀπτομένων legeris. Idque in interpretatione ſum ſecutus.

Digitized by Google

ex eo derivetur, deinde ex ἀρτὴρ fiat ἀρτήριον & ἀρτηρία. Ἀρτῖδες autem [praeter cetera quae in Adnot. 133. ediſſeruimus] Heſychio etiam ξύσραι [*ſtrigilem*] ſignificat: cujus τὸ εἶναι (τὸ *quid eſſe*) in *aſperitate* poſitum eſt. Hinc forſitan & *Arteria* qua ſpiritum ducimus, ab aſperitate, quae in ſtrigili maxime conſpicua eſt, nomen invenerit: quae demum [poſtquam *Arteriae* vox etiam cum levibus arteriis communicata fuit] diſcriminis cauſa τραχείας [*aſperae*] cognomentum adſcivit.

Quamquam quid *Arteriam* contendo ab Ἀρτῖδες, quatenus *ſtrigilem* deſignabat, derivari, quum ipſum Ἀρτῖδες primitus aſperae Arteriae nomen fuerit? Id quidem antea ex eo conjiciebam, quod haud dubie Hippocrates reſpirationis inſtrumentum & ἀορτῆς interdum, & alibi [in loco ſaltem quem Foeſius in Ἀορτὴ recitat ex libr. *de loc. in homine*, ubi pro ἀορτῆσιν, in pluribus exemplaribus legi ἀορτήραιν teſtatur] ἀορτῆρας vocavit. Atqui ſi ab utroque vocabulo pleonaſmum litterae O removeris, pro ἀορτὴ reſtabit ἀρτὴ, & pro ἀορτῆρες, ἀρτῖδες: quorum utrumque tam cum pleonaſmo, quam ſine, ab Ἄγομαι ſine controverſia deſcendit. Ita equidem antea conjiciebam. Verum quid fruſtra conjecturas aucupor, quum aperte videatur Erotianus ἀρτῆρας pro *Arteriis* agnoviſſe, modo is locus ſuae integritati reſtituatur? Is igitur ad vocem Ἀρτέων [ubi tamen reponendum eſt meo periculo Ἀορτέων] relata Bacchii ſententia interpretantis *Arterias*, tum Epiclis & Lyci Neapolitani accipientium *pulmonis* & aſperae arteriae βρόγχια ſive *ſemicirculares cartilagines*; tandem haec ſubjicit: *Sed praeſtabilius eſt* [eo nomine] *Arterias intelligere, uti Bacchius dixit*. In his vero quae ſtatim ſequuntur, addendum eſt initio Oᵉˢ, aut tale aliud, quod orationem fulciat: [ὅς] οἷον ἀεροπῶρας τινας ἔσας, κατὰ ἐθνικὴν τραχείων ἀναλλαγήν, ἅπερ ἀνομάσθαι φησίν. *Qui* [Bacchius] *quaſi aeris conſervatrices quaſdam, ſic* [ἀρτῆρας] *appellari ait*. Perverſe autem Foeſius in Ἀορτὴ pro Ἀρτέων (quod equidem in Ἀορτέων mutandum dixi) correxit Ἀορτέων; nam Bacchii etymologia illa [quaſi ἀεροπῶρας] in Ἀρτῆρας quidem optime convenit, in Ἀορτῆς autem nullo modo. Ex his autem diſcimus, Hippocratem quidem Ἀρτέων vocabulum pro ſpiritus itinere uſurpaſſe, ſed deinde librariorum culpa eam vocem in ejus exemplaribus fuiſſe vitiatam.

Verum ut ad *ſtrigilem* redeam, quam olim Ἀρτῆρα dictam ex Heſychio didici; ſane etiam atque etiam conſiderandum cenſeo, communis ne balnearum ſtrigilis eo nomine deſignetur, an potius, ut equidem ſuſpicor, peculiaris quaedam medicorum ſtrigilis, qua ad liquores auribus inſtillandos utebantur. Verum quum in eo negotio paullo liberiores conjecturis habenas laxaverim, malui ea conjectaria, cuicuimodi ſunt, inferne (140) ſeponere, quam

(140) Heſychius: Ἀρτῆρ· ὑποδήματος· οἱ δὲ ξύσραν· *Artes* eſt *calceus*: *aliis vero ſtrigilis*. Cur calceum ſignificaverit, ſup. in Adnot. 133. dictum fuit. Nunc de *ſtrigilis* notione aliquid dicendum. Non enim quamlibet ſtrigilem heic ab Heſychio intelligi, ſed tantum medicam, per quam liquores auribus infundebantur, ſuſpicor; itaut illud οἱ δὲ apud Heſychium ad medicos ſcriptores reſtringatur. Fuit autem ſtrigilis genus auricularis plurimo in uſu apud medicos, per quam liquores in aures inſtillabantur, cujus & Galenus & alii plures meminerunt. Niſi quod hi quidem ξύσραν, numquam vero quod ſciam ἀρτῆρα vocant. Celſus quoque & Scribonius hujus *ſtrigilis* meminerunt: ſed prior etiam *auricularium clyſterem* nuncupavit.

At equidem medicorum hanc ſtrigilem duplice apud Graecos vocabulo fuiſſe inſignitam ſuſpicor. Nam ξύσρα quidem vocabatur, quod gymnaſticam ſtrigilem in pluribus referret, tum in manubrio ſcil. tum etiam quod canaliculo conſtaret, eoque non tantum incurvo, verum etiam intus cavo: quae cavitas gymnicae ſtrigili ad id neceſſaria fuit, ut deraſum ſudorem exciperet contineretque, cujus poſtea medici colorem, ſaporem, ceteraque accidentia explorarent, quantum quidem ex Galeni X. de ſimplic. med. facult. & V. de loc. affect. verſus finem, & alibi didici. Ergo in his clyſter auricularius vulgatam ſtrigilem referebat, eoque ſtrigilis nomen ſibi

quam per sortes & auguria te jam, Morgagne, diutius, aut vero quisquis alius in haec inciderit, demorari.

In hoc autem conjecturali genere & illud forsitan sibi locum jure vindicaverit, quod sicuti ARTVS [unde fit & *Articulus*,& *Articulandi* verbum] haud dubie ab Ἄρομαι (ut in Adnot. 136. ante diximus) inclinatur; sic magis adeo apud Graecos ipsos ex eodem Ἄρομαι non modo ἀραίζω & ἀρτύω, cū suis singula compositis,(quae Latino *Articulandi* verbo nō male respondent)proficiscuntur,sed praeterea & Ἀρτήρ & Ἀρτηρία & Ἄρτηριον, tria scil. synonyma, quibus *articulandae vocis instrumentum* notaretur. Nam scitum est in τήρ aut τηρία aut τήριον terminata, instrumentorum significationem imbibere. Atqui totam asperam Arteriam cum suo capite, gutture scil. sive faucibus,& maxime lingula, voci articulandae servire, jam pridem Medicorum filii animadverterunt: de quo Galenus in VII. de usu partium magnifice disserit. Idque quum ne Latinos quidem fugeret; hinc tot illorum locutiones, per quas totum vocis negotium unice (141) arteriis, nempe asperis assignatur.

Atque ea, Morgagne optime, genuina (nisi vehementer fallor) *Arteriae* etymologia esto ab Ἄρομαι: quam Lucretio potissimum indice in apertum protulimus. Nam nisi ille priscam vocem Ἀρτήριον [quae non potest aliunde quam a tertia praeteriti passivi fieri] ab interitu vindicasset, quis mihi potius ἀρτηρίων ab eodem fonte corrivanti,quam plausibili antiquorum originationi ab ἀήρ & τηρέω credidisset? Atqui scimus antiquos in vocibus derivandis magis quamlibet verisimilitudinis speciem, qua percellerent animos, quam fidam ducem analogiam secutos;& ob eā causam eosdem commentando & argutando effecisse, ut plurima haud dubie simplicia nomina [cujusmodi antiquissima magna ex parte erant] tandem pro compositis haberentur. Quo in genere mirum quantum lusus verborum valet. Atque haec eo pluribus ad te perscripsi, non quod te quidquam horum fugiat, qui non modo medicam, sed & ceteram omnem antiquitatem in numerato habes; sed ut eadem haec improvido nescio quo calore fusa, tuo demum unius judicio stent, aut cadant: quorum utrumque per mihi gratum accidet; dum sive suffragator,adhuc fluctuantem firmaveris; sive refragator, ab errore tamen revocaveris.Quod alterum adeo non molestum erit, ut nihil rerum omnium malim, quam ut per te doctior factus, volens in tua castra transfugiam. Vale.

DIS-

sibi peperit. At quod in structurae genere etiam asperam arteriam imitaretur, ob id praeter usitatius Σύριγξ nomen, etiam ἀρτήριος (h. e. *Arteriae*) vocabulum sibi peculiariter vindicavit. Ecquid autem clyster is cum aspera arteria cognatum habuit? Hoc credo prae ceteris, quod quemadmodum illa ex annulis plerisq. semicircularibus conferitur, pares quosdam & hic clyster annulos inter se aptos & continua serie connexos praesetulerit.

Cui vero, inquis, usui disposita annulorum series in eo clystere fuit? In hoc potissimum, credo, ne totus confertim inferretur auribus liquor, sed ut potius per annulos, sic tamquam per objices aut valvulas impeditus, non nisi sensim & guttatim dispensaretur atque instillaretur. Nam certe verbo ἐνσταζω (*instillo*) aut alio simili in ea re uti Galenus solet. Habes cur oricularia strigilis, alio vocabulo ἀρτήρ nuncupare-

tur? quod Ἀρτήρ fuisse primitus unum ex *Arteriae* vocabulis supra observatum fuit.

(141) Cujusmodi illa sunt, quae in Adnot. 118. ex auctore ad Heren. deprompsimus. *Laedi arterias* aut *vulnerari* ille dixit *acuta acclamatione*: contra vero identidem requiescendo *recreari*. Quorum praeceptorum Nero non immemor, nihil *serio jocove* egit, *nisi adstante phonasco qui moneret, Parceret arteriis*, teste Suetonio cap. 25. Ejus praecepti Lucretius rationem eam reddidit, quam supra habes in Adnot. 132. Ceterum arterias sicuti continuus clamor laedebat, sic & diutina desuetudo hebetare credebatur. Appuleius in XVII. Florid. *Vt gladius usu splendescit, situ rubiginat; ita vox in vagina silentii condita .. hebetatur ... Tragoedi adeo ni quotidie PROCLAMENT, claritudo ARTERIIS obsolescit. Igitur identidem boando purgant ravim.*

Digitized by Google

DISQVISITIO ALTERA

De Cippo noxiorum: ad sect. 7. 8.

CIPPVS primario truncum arboreum notat: cujus etymologia ex Hebraeo petitur. Mox ea vox ad reorum compedes ligneas designandas restricta: quod ex vet. Glossis, & Suida ostenditur. Quo tamen significatu ea vox apud probos Latii scriptores non reperitur, quod inter sordida & humiliora vocabula numeraretur. Gellio & Laberio lux. Quid Ligneae soleae? *Non videntur tantumdem, quod* Cippus *fuisse. Notantur utriusque differentiae: sicuti & quid interesit inter* Annulos & Cippum. *Quid sit,* In ferro & cippo.

Sectio 7. Sic desinit: *Tunc Serenus jussit & Petrum in vinculis recipi, & pedes ejus in cippo arctissimo constringi.* Et ejus *cippi* sect. 8. bis mentio iteratur: *Petrus . . in ferro & cippo.* Mox: *Vbi Petrus . . erat in cippo & ferro.* Nec Itali nesciunt, quid ea vox notet; apud quos hodiedum pedum vincula vocantur *Ceppi*. Sed juvat rem altius repetere.

In Veteribus Glossis *Cippus* tantumdem est quod Κορμὸς h. e. *Truncus*, sive stipes arboris crassior utrimque detruncatus. Ex quo vides *Cippum* primario esse *ligneum stipitem* sive truncum [unde vallos quos Caesar describit VII. B. G. 73. vulgo *Cippos* vocari testatur] ex *lignei* vero *Cippi* similitudine etiam lapideos truncos translate *Cippos* fuisse dictos, eosque in primis, quibus aliquid inscribebatur, aut qui pro terminis depangebantur, Gr. στῆλαι. At primitiva, uti dixi, *Cippi* notio est, qua truncum arborei rami designat. Id vero nomen ne una littera minus totum Hebraicum est: nam Is. IX. 14. & Job. XV. 32. כִּפָּה *Cippah* est *ramus arboris*: nec alia invenienda est hujus nominis etymologia.

Hinc facile esset, quid in his Actis *Cippus* significet, ostendere, nisi tanto ante id Graeci grammatici praestitissent. In veteribus enim Philoxeni Glossis *Cippus* non tantum Κορμὸς [h. e. arboreus truncus] exponitur, verum etiam Ποδοκάκη h. e. pedum retinaculum. Ac plura de his habes in Ποδοκάκη apud Suidam his verbis: Ποδοκάκκη (nam cū duplici K frequentius scribi, grammatici observarunt) ξύλον, εἰς ὃ ἐν εἱρκτῇ αἱ τῶν ποδῶν ἁμβάλλυπες συνέχυσιν· ὃ παρὰ Ῥωμαίοις Κίππος καλεῖται. Hoc est Ποδοκάκκη est *Lignum, in quod in carcere pedes* (noxiorum) *immittunt, atque hoc modo constringunt. Quod a Romanis CIPPVS vocatur.* Eadem totidem verbis in Graecis Glossis verborum juris reperies: nisi quod pro Κίππος scribitur Κίσσος: mendose scil. pro Κίππος, quomodo apud Graecos recentiores ea vox Latina scribi solet, etsi alicubi & istud corruptum Κίσσος nihilo minus occurrit. Vide Graecum Cangii Glossarium.

Habes de nativa *Cippi* significatione & etymologia, quae satis ad hunc *locum* esse possint: ex quibus etiam intelligis, *Cippum* pro pedum vinculis non esse barbarum aevi posterioris vocabulum, sed Romanum aevi melioris: sed tamen uti suspicor, sordidum & vulgi tantum ore usurpatum. Ab eo vero factum, ut nullum ejus vocabuli vestigium in Latinorum, qui nunc exstant, scriptis reperiatur, nisi tantum, uti judico, in Laberii Mimis apud A. Gellium XVI. 7. quo loco inter ejus Mimographi *obsoleta & maculantia, & ex sordidiore vulgi usu* arcessita hoc recensēt, quod *in Mimo, qui inscribitur Natta, CIPPVM dicit, & OBBAM* &c. Nec enim dubito, quin ibi Laberius *Cippum* pro compede lignea usurpaverit: nam ceteroqui si *Cippum* pro στύλῳ [qua notione utitur Horatius ac Persius] usurpasset, id ἄμαυτον (*inculpatum*) fuisset. At quod *Cippus* pro ποδοκάκῃ sordidius esset nomen, eo fastidito, COMPEDE uti scriptores maluerunt.

Ceterum utrum *Ligneae soleae* tantumdem essent, ac sordidius *Cippi* nomen, est quod dubitem. Earum meminit Auctor ad Heren. I. cap. 13. *Malleolus judicatus est matrem necasse. Ei damnato statim folliculo lupino os obvolutum est, & so-*

leae

Digitized by Google

leae ligneae pedibus inductae sunt, & in carcerem ductus est. Ac Cicero in II. de Invent. c. 50. eamdem speciem totidem prope verbis exponit. An inquam istae Ciceronis & Auctoris ad Her. *ligneae soleae* Cippi περιφραξις complectantur, valde dubito: nec enim ei *Cippi* notioni respondent, quam nobis Acta Martyrum exhibent. Ex Actis SS. Chrysanti & Dariae Ms. haec exhibet Cangius: *Milites mittunt eum in Cippum novum & nodosissimum, ita ut tertio puncto* [haec puncta in aliis historiis passionum *foramina*, in quae scil. surae inserebantur, dici solent] *ejus tibias coarctarent*. In S. Lupercii Passione apud Bosquetum: *Eum jussit in carcerem trudi, & in arcto cippo extendi*, cruribus scil. divaricatis. Aldhelmus VII. saeculi desinentis scriptor de Laud. Virg.

Et suras iterum cipporum vincula claudunt,
Cruraq. cum rigidis nectebant turgida lignis.

Quae descriptio cum eo cipporum bipatentium genere consentit, quos carcer hodiernus usurpat: quum contra ligneae soleae, quantum perspici potest, pedibus tantum inducerentur, intactis interim suris. Adde quod apud Ciceronem prius soleae illae inducebantur, mox in carcerem trudebantur: quum contra Cippus in Actis descriptus Martyres reddiderit immobiles; sicuti & ποδοκάκη immotos efficiebat, quantum ex locis ab H. Stephano productis in eo vocabulo perspici potest. His de causis *Ligneae soleae* videntur aliud a *Cippo* & ποδοκάκη fuisse.

Nec eis accedo, qui *Cippum* definiunt *instrumentum ad instar annuli factum, quo pedes damnatorum aut servorum vinciebantur*; eoque trahunt quod Appuleio in IX. Met. pag. 280. *pedes annulati* noxiorum dicuntur. Verum hi annuli [qui hodiedum usurpantur] ferrei erant, non lignei; nec unus pro utroque pede, sed geminus; nec impediebant, quo minus reus gradi retur; & immane quantum a cippo differunt. De hoc annulorum genere Martialis XI. 38. in Zoilum.

Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus. Alibi:

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus annulos priores.

Ex quibus vides, eos annulos alio vocabulo *compedes geminas* fuisse vocatas. Etenim *Compedes* generale nomen fuisse suspicor, omnia pedum vincula continens; nam in vet. Glossis *Compedes* etiam τῇ ποδοκάκῃ (h. e. *Cippo*) respondent.

Nequid vero intactum relinquam, notabile id quoque est quod in his Actis num. 8. *Cippus ferro* opponitur. *In ferro & cippo*. Rursus: *In cippo & ferro*. Ex quo vides, hoc tantumdem fuisse ac si diceret, *In ferro & ligno*. Nam *Cippus*, uti supra ostendimus, *ligneas* tantum compedes notabat; *Ferrum* vero quidquid praeterea ferrearum catenarum adhibebatur. Hinc *mitti in ferro* vetus anonymus Auctor de gestis Constantini M. usurpavit: *Missi sunt in ferro, & adducti Ravennam*.

III P S LVCIANV

SVpple, & *Sociorum*; pro more hujus Kalendarii. Fuere autem huic in certamine socii *Claudius*, *Hypatius*, *Paulus*, *Dionysius* pueri, & *Paula* seu *Paulina* (142) virgo, omnes Nicomediae primo, mox Byzantii sub Aureliano passi, ut in omnibus Graecorum libris hoc die legitur. Nisi quod primus in Graecorum Officiis non aliter quam *Lucillianus* vocatur: sed tamen Bollandista Janningus ad hunc diem pag. 274. num. 1. eumdem aliis *Lucianum* dici fatetur: ceterum ubinam sic scriptum inve-

(142) Paula seu Paulina in Menaeis quidem cum praecedentibus encomio continetur: at in utroq. Menologio tum Basilii, tum etiam Sirleti haec sancta mulier a maribus sejungitur, ac diverso elogio donatur, quasi ei ad eorum comitatum minime pertineat; etsi ob id comprehensa & affecta martyrio dicitur, quod eorum certamini praesens, sanguinem colligeret, & eorum corpora curaret. Qua gratia merito illis comes adjungi potest.

Digitized by Google

invenerit, non eloquitur, nisi quod ad ultimum num. 12. in Hagiologio metrico Habessinorum *Lucianum* scribi testatur. Sollemne est autem huic marmori juxta cum omnibus aevi sequioris scriptoribus nomina diminutiva (143) cum primitivis alterna facere. Meminit eorumdem Molanus, & Galesinius, ac Romanum hodiernum ex Sirleti (144) Menologio. Cetera quae huc pertinent, petenda ex laudato Janningo, qui & Photii cujusdam Scevophylacis Encomium adnectit. Ceterum *Passionis* nota a nostris recte heic scalpta fuit; adstipulante auctore Ephemeridum Metricarum, in quibus scribitur, Τῇ δὲ τρίτῃ Λυκιλλιανὸς σταυρῷ πεπήγεσο, *In cruce suspendit lux tertia Lucilianum*.

Adhaec in MS. Chiffletiano apud Janningum num. 7. legitur eadem sententia paullo aliter expressa.

Σταυρῷ ἀμφὶ τρίτην Λυκιλλιανὸν θανάτωσαν.

Quae hactenus dixi, magno consensu in Graecorum libris leguntur: nisi quod in magnis Menaeis impressis, ut & in Maximo Citherorum Episcopo S. Claudius, unus ex pueris Lucilliani commilitonibus, praetermittitur: & insuper utrobique loco Silvani Comitis (qui in Basilii & Sirleti Menologiis ceterisque libris horum judicio praefuisse narratur) sub Libanio praeside iidem passi dicuntur. Quod dissidium componi sic posse videtur, ut quamdiu hi Martyres Nicomediae decertarunt, omnia per Silvanum Comitem acta fuerint: ubi vero iidem Byzantium abducti fuerunt, ibi Libanio praesidi oblati, & ab eo consummati ad ultimum videantur.

De *Silvano Comite* coram quo Martyres hi steterunt, nihil prorsus litteris commendatum reperi. Duplex quidem in Prosopographia Cod. Theod. *Silvanus* notatur: unus sub Constante ann. 349. *Comes & Magister peditum*: alter sub Theodosio Magno *Dux & Corrector* (sed vide an non pro *Corrector*, quod erat forsitan per compendium scriptum, reponendum sit *Comes*) *limitis Tripolitani* ann. 393. Verum absunt hi longissime ab Aureliani aetate, sub quo hi martyres depugnarunt.

IVNTS MITROPHANI EPI

DE S. Metrophane, primo (145) inter Byzantinos Episcopos numerando, longum fuerit, si circa initia finemque Episcopatus ambages explicare sata-

(143) Cujus moris exempla nec hodie inusitata Italis sunt (apud quos *Lorenzo & Lorenzino*, & cetera in eumdem modum promiscue usurpantur) & in hisce Fastis plurima passim observavimus, ut & in omni sequioris aevi historia. Certe hoc ipso die *Paula* alibi *Paulina* scribitur.

(144) Menologii Sirletiani elogium quum a Bollandistis omissum fuerit; non gravabor adtexere, vel ob eam certe causam, quod ex eo Baronius suas Graecorum Sanctorum narrationes plerumq. hauserit. Habet ergo in hunc modum. *Certamen SS. MM. Lucilliani & quatuor puerorum, qui cum illo erant, Claudii, Hypatii, Pauli & Dionysii. Fuit S. Lucillianus temporibus Aureliani Imp. sacerdos idolorum, canus capite, ex urbe Nicomedia. Translatus autem ad Christi fidem, & oblatus Silvano comiti, neq. ullo modo passus Christum negare, in maxillis percutitur, virgis caeditur, & in caput suspenditur: postea in carcerem conjectus est, ubi & quatuor pueros invenit ob eamdem Christi fidem detentos, quibuscum rursus Silvano comiti oblatus est. Qui cum in Christiana fidei confessione constanter permaneret, in ardentem fornacem cum quatuor illis beatis pueris injectus est. Desuper autem demisso imbre atq. extincta flamma, exierunt incolumes. Postea ducti sunt Byzantium. Et ipsi quidem pueri obtruncati sunt; Lucillianus vero crucifixus, martyrio consummatus est.* Sub haec sejunctum elogium de S. Paulina adjungitur.

(145) Rejectis scil. aliis commenticiis, quos novorum Graecorum fabulositas invexit: quum contra Chronicon Paschale (ad ann. VIII. Constantini) Metrophanem PRIMVM ejus sedis episcopum agnoscat, cui & plures alii catalogi adhaeserunt. Ceterum ante hoc tempus Byzantium Heracleae episcopo parebat; a cujus territorio Constantinus forsan videtur primus abstraxisse Byzantium, eiq. peculiarem episcopum dari curasse.

Digitized by Google

fatagam. Nec enim idem omnes sentiunt. Sane piget in arenam descendere; ac satius est avidiorem harum rerum lectorem ad virorum doctorum concertationes amandare, Valesii ad Eusebium, Tillemontii tom. V. in S. Alexandro CPolitano, Bollandistae Janningi in bene longa dissertatione ad hunc diem p. 384. Pagii ad Baronium, Guil. Cuperi in Chronologia Patriarchar. CPolitan.

Mihi nihil videtur tutius, quam Cuperi hujus, qui haec ultimus attigit, rationes sequi: quae huc redeunt. Ex Eusebio satis constat, a Concilio Niceno *Vrbis regiae Antistitem abfuisse, senio praepeditum; sed adfuisse ejus presbyteros, qui vices ejus obibant*. Porro quam *Vrbem Regiam* Eusebius vocat, non Romam fuisse [quod Valesio venit in mentem] sed Byzantium, postea CPolim appellatam, ac simul Metrophanem tunc Byzantinae Ecclesiae praefuisse, qui senio impeditus, Alexandrum, suum postea successorem, ad Synodum miserit, a Gelasio Cyziceno saeculi V. scriptore disertim in Historia Niceni Concilii declaratur. Eaque Gelasii Eusebium interpretantis narratione nihil verisimilius esse judico.

Atqui turbat Theophanes, qui haec eadem narrans, loco Metrophanis Alexandrum substituit his maxime verbis: *Alexander demum Byzantii praesul ob extremam senectutem ... synodo non interfuit: presbyteri tamen ipsius locum tenuerunt*. Verum quo pacto Alexandro extremam senectutem anno 325. tribuemus, qui eodem Theophane teste usque ad ann. 340. Ecclesiam Byzantinam rexit, & multa contra Arianos strenue gessit? An non hinc aperte intelligitur, Theophani [aut saltem ejus descriptoribus] incogitanti obrepsisse *Alexandrum* pro *Metrophane*? in quem unum extrema senectus cadere potest, quem re vera aetate decrepita id temporis obiisse volunt.

Ergo anno 325. quo Synodus Nicena coivit, adhuc Metrophanes in vivis erat; ac verisimillime eodem anno ex humanis sublatus, Alexandrum successorem habuit. Et quidem eodem anno, sed post solutam Synodum hodiernum praesulem excessisse, Janningus & eum secutus Cuperus voluit. At alii (146) antequam Nicenus Senatus dimitteretur, devexa aetate Metrophanem e vivis sublatum malunt.

Quum igitur satis constet, anno 325. Metrophanem obiisse; necesse est eum non ante annum 315. Episcopum Byzantinum fuisse ordinatum, si Chronici Paschalis calculos sequimur, annos decem Metrophani imputantis: *Byzantinae*, ait, *Ecclesiae primus praeest Metrophanes annos X.* Idq. omnes posteriores catalogi secuti fuerunt, teste Carolo a S. Paulo in Geographia sacra; in quibus Metrophanes et *primus* Byzantio praefuisse, & *annos decem*, maximo consensu refertur. Et haec curioso lectori satis esse possunt. Nam qui plura volunt, ad eos fontes, ad quos initio digitum intendi, recurrant licebit.

Verum his missis ac pluribus aliis, quae ex laudatis auctoribus cognosci possunt; illud scire interest, cur in his Fastis bis Metrophanes colatur, semel hoc die cum Graecis [in quorum omnibus libris hoc die sollemni officio celebratur] iterum autem die IV. Januarii: ubi & *PATriarchae CONstantinopolitani* titulo decoratur, non secus ac Graeci in suis officiorum libris faciunt; κατὰ πρόληψιν scil. quum ceteroqui nondum CPolis esset, sed Byzantium, multo autem minus ejus Episcopus Patriarchali dignitate ornaretur. Ac de hodierno quidem die nihil est mirandum: in quem, uti dixi, diem & Graeci & Aegyptii & totus oriens consentit; quum ceteroqui in occidente altum de Metrophane silentium fuerit, nisi tantum in

(146) Bailletus in S. Metrophane sic de S. Alexandro Metrophanis legato scribit. *Celui-cy parut si peu de temps apres en qualité d' Eveque de Byzance, qu' on ne peut presque point douter que S. Metrophane ne soit mort durant la tenue meme de ce Concile. Car il semble que ce fut comme eveque plutot que comme delegué, qu' Alexandre condamna Arius avec les autres peres du concile.*

Digitized by Google

quibusdam Vsuardi auctariis aetatis ultimae, & hodierno Romano. Verum cur idem Metrophanes a nostris singulari exemplo etiam die IV. Januarii colebatur? Non alia certe de causa, nisi aut Translationis reliquiarum eo die huc aliquando factae, aut Dedicationis Ecclesiae sub ejus nomine, ut in loco diximus.

Et quidem neutro die *Depositionis*, sed utroque *Natalis* nota inscribitur: quo plane ostenditur, diem ejus emortualem ignotum latuisse. Imo si verum sit, quod Janningus & Cuperus tuentur, Metrophanem paullisper fini Concilii supervixisse; quum Augusto mense dimissus fuerit Senatus ille; non potuit Metrophanes Junio mense occumbere, sed saltem Septembri aut Octobri.

Ad Graecos quod attinet: quum aliquid causae [sive scil. Translationis alicujus sive Dedicationis] antiquitus incidisset, ut ejus festum diei IV. Junii a Politanis affigeretur, idque postmodum per totum orientem obtinuisset; id postea errandi occasionem obtulit Ephemeridum Metricarum Auctori, ac scribendi:

Μετροφάνης δὲ τετάρτῃ ὑπὸ χθόνα βεβαίνηκεν,

Metrophanes quartâ sub terram condita almam.

Quanto cautius ac sapientius auctor marmoris hujus fecit, qui utroque die *Natalis* notam scalpendam locavit.

VPS ZINAIDA

NOn est mas a recto *Zenaidas* [cujus formae nomina interdum genitivum terminant in A, ut *Ζηναίδα*] sed femina a nominativo *Zenais*. Deest heic autem in fine littera E ad absolvendam diphthongum; nam integre scribendum erat *Zenaidae*, sive [quia tunc temporis vocalis *Eta* a nostris ut I efferebatur] *Zinaidae*. Hoc autem positum est pro *Zenaidis*, quia saepe nomina quintae declinationis Graecor. apud Latinos sequioris aevi in primam Latinorum transeunt.

§. I. *De συνοδίᾳ* (societate) *S. Zenaidis: nimirum Siculis, an Caesarienſibus Martyribus ſit aggreganda.*

Ipsa autem non alia est, quam illa θαυματουργὸς (*miraculorum patratrix*) Zenais (147) quae die crastino in Ms. Synaxario Claromontano, itemque in tribus aliis [Mazariniano, Combefisiano, Chifletiano apud Papebroch. p. 621. n. 3.] subjicitur duabus S. Pancratii discipulabus, *Eusebiae* et *Susannae* in haec verba: *Et certamen sanctarum Martyrum mulierum Eusebiae* (sive potius (148) AESIAE) *& Susannae, discipularum S. Pancratii Episcopi Tauromenitani*; & [*καὶ τῆς ἁγίας μάρτυρος καὶ θαυματουργοῦ Ζηναΐδος*) *sanctae martyris & thaumaturgae Zenaidis*. Ac statim subnectitur: *Peragitur autem earum* (*σύναξις*) *celebritas in sanctissimo earum* [*οἴκῳ*: at in Menaeis *μαρτυρίῳ*] *templo, quod est* (*ἐν τοῖς βασιλίσκοις*) *in aedibus Basilisci*. At eadem Zenais non die crastino cum praedictis Synaxariis, sed sequenti [h. e. VII. Junii] colitur in magnis Menaeis; nec subjicitur duabus illis, sed praeponitur. Ea de causa Octavius Cajetanus non tantum duas illas, sed & Zenaidem Mrologio suo Sicu-

(147) Ceteroqui fuit Zenais altera Tarsensis, Philonillae soror & socia, & Pauli Apostoli propinqua, uti volunt: de qua ad XI. Octob. agemus Deo dante: quo die tum in his Fastis, tum in Graecorum liturgicis libris signatur.

(148) In tribus Mss. Synaxariis, & in Menaeis magnis ea non *Eusibia*, sed (*Αισία*) *Aesia* vocatur, uti testatur Papebroch. ad hos Martyres pag. 611. num. 3. Qui tamen spreta quatuor exemplarium scriptura, unius Claromontani Synaxarii (quod in Parisiensi Collegio S. J. asservatur) scripturam sequitur, dum hanc *Eusebiam* inscribit. Quod minime probari potest.

Digitized by Google

Siculo (149) inſeruit, *quaſi* [inquit Papebrochius ad VI. Junii pag. 622. num. 4.] *conſequens ſit, etiam hanc Siculam eſſe, quae cum duabus Siculis conjunctim colitur.* Re autem vera non alia de cauſa (ut equidem ſentio) in Claromontano & aliis tribus Synaxariis junctim cū diſcipulabus S. Pancratii colitur, quam ratione ſepulturae; quia Synaxaria illa in uſum Eccleſiae CPolitanae conſcripta fuerunt, in qua Zenais una cum duabus illis una in aede tumulatur.

Tantum autem abeſt, ut Zenais ſocia *Euſebiae* [ſive *Aeſiae*] & *Suſannae* fuerit [quod ceteroqui verba Synaxariorum ſupra recitata non praeſeferunt; in quibus Zenais ſeorſum ab illis duabus refertur] ut potius videatur cum Caeſareenſibus Martyribus *Cyria*, *Valeria*, *Marcia* eſſe ſocianda, ſi Menologio Sirletiano [ad hunc diem V. Junii] credimus. Quod Menologium, utpote a Graecis (150) Italienſibus ſcriptum, nullam habuit communis ſepulturae cum Aeſia & Suſanna rationem [quam in Officiorum libris CPoli ſcriptis habitam diximus] ſed videtur rem ex vero dijudicaſſe, dum ex veteribus opinor memoriis S. Zenaidem Caeſarienſibus martyribus aggregavit: quod & Baronius in Romano Mrologio ſecutus fuit, fruſtra eum ſubaccuſante, & Zenaidis cum tribus illis Caeſarienſibus ſocietatem reprehendente Papebrochio, quem vide pag. 622. num. 4. Atque haec de ea quaeſtione, cum Siculis ne an cum Caeſarienſibus martyribus Zenais ſocianda veniat.

Ceterum ſollemne hoc hi Faſti noſtri marmorei habent, ut quoties plures commilitones incidunt, eorum tantum anteſignano conſignato, ceteri ſubaudiri jubeantur: cujus conſuetudinis exemplum vel proxime nudius tertius obſervavimus. Quocirca ex hujus marmoris ſilentio noli decernere, Zenaidem fuiſſe *μοναδικὴν* (*ſolitariam*) martyrem, ſed trium Caeſarienſium ducem, uti §. ſequenti declarabitur.

§. II. *De die Paſſionis S. Zenaidis.*

Vti jam §. ſuperiore vidimus, inter Sirleti Menologium, interque ceteros Graecorum libros in ſocietate S. Zenaidis diſconvenit, quod in illo S. Zenais martyribus Caeſarienſibus [*Cyriae*, *Valeriae* & *Marciae*] uti ſignifera antegreditur; in his vero, utpote CPoli ſcriptis, Zenais cum iis ſociata proponitur, quibuſcum in Vrbe Regia tumulata fuit, Aeſia ac Suſanna ſcilicet. Verum & in die Paſſionis Italicum Sirleti Menologium ab illis, quos dixi, CPolitanis libris diſcrepat. Sirletiani Menologii verba utpote a Bollandiſtis praeterita, heic legi non pigebit. *Eodem die* (quinto Junii) *certamen SS. Virginum & ſociarum, Zenaidis, & ſanctarum mulierum Cyriae, Valeriae & Marciae, ex urbe Caeſarea Palaeſtinae: quae quum abnegaſſent idola & exſecrabiles victimas; a Chriſtiano quodam homine catechizatae atque inſtructae, in Chriſtum crediderunt, & baptizatae ſunt, cum multa pietate viventes, Deumque propitium ſibi facientes jejunio & oratione, temperantia & juſtitia. Itaque ab omni populo cognitae ſunt; ac detentae & multis ac diverſis tormentis cruciatae, ad Deum migrarunt.* Ex his vides, Graecos Italienſes S. Zenaidis & ſociarum paſſionem in hodiernum diem V. Junii conjeciſſe. At contra ſtant Graecorum Vrbis Regiae libri: nam in quatuor Synaxariis [de quibus §. ſuperiore] & in Baſilii Menologio ea die VI. Junii colitur, in magnis vero Menaeis die VII.

In hoc opinionum diſcidio Papebrochius Synaxariorum auctoritatem ſequi-

(149) At apud Joannem de Joanne canonicum Panormitanum (qui inſulanos codices officiorum omnes excuſſit) nec de Zenaide, nec de duabus illis S. Pancratii alumnis veſtigium ullum menſe Junio aut alias omnino exſtat: ut plane verendum ſit, ne Aeſiae & Suſannae diſcipulatus S. Pancratii Tauromenitani ex recentiorum Graecorum officina prodierit.

(150) Menologium illud, quod de Graeco Sirletus tranſtulit, a monachis Graecis Monaſterii Cryptae Ferratae haud longe ab urbe Roma in ejuſdem Monaſterii uſum conſcriptum fuiſſe, viri docti perſuaſum habent.

Digitized by Google

tur, Zenaidem cum Eusebia & Susanna in VI. diem conferens; in eamdem vero, sed seorsum, Caesarienses Martyres, Cyriam, Valeriam & Marciam. Fruatur is quidem opinione sua, modo a convellenda Sirleti & Baronii, virorum summorum (151) existimatione abstinuisset. Nunc Baronii ac Sirleti reverentia, simulque veritas hoc a me flagitat, uti bona cum Papebrochii venia paucas ratiunculas pro Graecorum nostrorum Italiensium sententia circa diem passionis afferam.

I. Ac primum Graecis CPolitanis, ut Zenaidem de die suo deturbarent, ea causa, uti monuimus, esse potuit, quod eam uno communi festo cum Aesia & Susanna, quibuscum uno sub tecto tumulata fuit, sibi celebrandam putarint: contra vero Italiënses Graeci diem ipsum passionis videntur secuti. II. Adde quod inter transmarinos ipsos Graecos in die assignando minime convenit, quum in magnis Menaeis [quorum auctoritas potior quam ceterorum librorum haberi consuevit] non VI. die sed VII. Zenais celebretur. III. Deinde, in quo caput est, pro die Sirletiani Menologii stant nostri Fasti marmorei a Graecis Neapolitanis compositi; quorum fidem atque judicium in apponendis *Passionis* aut Depositionis notis millies expertum comprobavimus. In hoc enim marmore die V. huic S. Zenaidi P. h. e. *Passionis* nota praescribitur. IV. Postremo si testium antiquitate certandum sit; hujus quidem marmorei Kalendarii aetatem scalpturae novimus, quod certo certius est, medio IX. saeculo incisum fuisse: quum contra Graecanicorum officiorum libri omnes longe posterioris temporis censeantur.

VI N S ANTHIMI EPI

C A P. I.

Quisnam sit hodiernus Anthimus.

NVllus usquam hoc die *Anthimus* reperitur. Nisi quod apud Graecos in Synaxario Claromontani Collegii Parisiensis S. J. & aliis ritualibus libris occurrunt non hoc, sed sequenti die *SS. Anthimus presbyter & Stephanus*: de quibus vide (152) Bollandistas. Itaq. si probari posset sive nostros Fastos errasse hodierno die, *Episcopum* pro *Presbytero* scalpentes, sive

(151) Vir magni ingenii (ad VI. Junii in Caesarienſibus Martyribus Cyria &c. pag. 622. n. 3.) ubi expostulasset, Sirletum (Menologii auctorem accusare potius debuisset: cujus Menologii Sirletus interpres, non auctor fuit) tres Martyres Caesarienses una cum Zenaide in diem V. Junii retraxisse; haec insuper addit. *Hujus* [Sirleti] *Menologio in notis Baronianis citato, ista ad dictum V. Junii habet Romanum hodiernum Mrologium*: Caesareae in Palaestina passio sanctarum Zenaidis, Cyriae, Valeriae & Marciae: quae per multa tormenta gaudentes ad martyrium pervenerunt. *Sed jam* [pergit eruditus Bollandista] *saepe notavimus, optandum esse, ut vel Sirletus majori cum accuratione, & plurium exemplarium facta collatione, suum illud Menologium collegisset* [atqui, uti jam monuimus, non collegit, sed de Graeco transtulit, teste Baronio in Notis ad V. Januarii, ubi translationem illam ab ejus auctore vivente manu exaratam dono se accepisse gratulatur] *vel Baronius ei uni non omnia credidisset, quorum aliunde nullam habebat notitiam. Sic enim aut multo pauciores Sancti accessissent veteri textui Vsuardi, quo eatenus usa fuerat Romana Ecclesia* [non puro tamen; nam quo tempore ei Baronius admovit manus, jam novis subinde accessionibus auctius evaserat] *aut tum noviter additis pauciores irrepsissent errores, difficulter corrigendi, nisi postquam hoc opere nostro absoluto, singula recognita fuerint . . . ac more nostro examinata.*

At mihi contra optandum videtur, ut Papebrochius Bollandi & sociorum consuetudinem tenuisset; quibus in more fuit Sanctos ad eos dies referre, quibus Mrologio Rom. inscribuntur: siquid vero in die festi peccatum videretur, ea in criticis suis observationibus adnotare

(152) Bollandiani socii diei VII. Junii pag. 35. inseruerunt *SS. Anthimum presbyterum, ab*

Digitized by Google

ſive erraſſe Graecos die craſtino, dum ſuum Anthimum presbyterum fecerint, qui fuiſſet Epiſcopus; jam confecta res eſſet. Nam diei unius varietas haud raro alibi inter noſtros & Graecos intercedit, ſaepe etiam in ipſis Graecorum libris inter ſe comparatis. Verum grave eſt dicere, in aſſignando Anthimi hierarchico gradu ſive a noſtris, ſive a Graecis fuiſſe aberratum. Illud facilius dictu eſſet, Anthimum hunc fuiſſe forſitan chorepiſcopum, uti poſtea dicetur. Nunc experiri prius omnia, antequam ad hoc temperamentum deveniatur, praeſtabilius duco.

Nec enim in anguſto res eſt; quandoquidem nihil nos cogit ad eum Anthimum, qui a Graecis die VII. Junii colitur, Neapolitanorum hunc Anthimum referre. Qua de cauſa? quia quum *Natalis* nota, quae huic Anthimo a noſtris praeſcribitur, diem non ſuum notet; amplam poteſtatem facit eum ex aliis diebus (undecumque commodius & ad noſtras rationes accommodatius videatur) adſciſcendi. Et Anthimos certe plures fuiſſe intelligo: quorum ſingulos, aut praecipuos pertentare, ſiquis forte e re fuerit, neceſſe habeo.

Tres autem paullo celebriores Anthimos, miſſis (153) obſcurioribus, reperio. Quorum omnium illuſtriſſimus ille eſt Nicomediae epiſcopus, qui in Diocletianea perſecutione martyrium pertulit, teſte Euſebio VIII. 6. & 13. & S. Luciani epiſtola, quae Chronico Paſchali inſeritur. De eo agit Mrologium Rom. die 27. Aprilis, & eodem die Bollandiani ſocii. Poſſent ſane de eo Faſti Neapolitani hoc die intelligi (nam illud nihil eſt, quod *Martyris* elogium a noſtris reticetur; quia & alibi in hoc marmore tantum epiſcopalis dignitas, omiſſo martyris titulo, ſcalpitur) niſi illud forſan obeſſet, quod de Nicomedienſi Anthimo in omnibus Graecor. libris die 3. Septembris agitur, quibuſcum convenire hi faſti debuiſſent, aut non niſi graviſſima de cauſa ab iis diſcedere; veluti ſi die 3. Septembris illuſtrior aliquis Sanctus die ſuo coleretur. Atqui eo die S. Vitalianus neſcio quis ſignatur, & quidem die non ſuo.

Fuit & Anthimus Interamnae in Vmbria epiſcopus, quem Ferrarius ad 21. Febr. S. Pio I. Papae aequalem facit: de quo vide etiam Bollandiſtas ad 21. Febr. p. 236. Verum hic obſcurior eſt, quam ut eum a Neapolitanis celebratum ſuſpicer.

Fuit poſtremo & Anthimus presbyter idemque Martyr via Salaria in Sabinis; cujus die XI. Maii Mrologia Hieronymiana mentionem faciunt, itemque Ado, Vſuardus, alii, ut & Rom. Mrologium eod. die. De quo conſiderandum cenſeo, an non huc pertinere poſſit.

At enim ineptire me viri eruditi dixerint, qui pro Anthimo *Epiſcopo* (qualis hodiernus a noſtris inſcribitur) Anthimum

que Stephanum, quorum veluti ſociorum meminit Synaxarium Claromontanum his verbis: *Μνήμη τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν* &c. *Memoria ſanctorum patrum noſtrorum Anthimi presbyteri & Stephani*. Ac ſtatim ſequitur, *τῶν σπουδαίων σπλησίον τῶν φλορεντίᾳ*: ex quibus verbis videtur ſubindicare, eos in Monaſterio, quod in aedibus Florentii conſtructum fuit [de quo vide Codinum] ſeſe in ſtudio pietatis exercuiſſe; id enim vox *σπουδαίων* hoc notare videtur. Accedit quod illud *ὁσίων πατέρων ἡμῶν* de ſanctis monachis uſurpari ſolet. Ceterum nullum de his elogium nec in dicto Synaxario adtexitur, nec in Menaeis, de quibus jam eſt dicendum.

In Menaeis enim Venetae editionis eodem die VII. poſt aliquot Sanctos longiuſcule tractatos, reperio ſeorſum Stephanum, mox ſeorſum Anthimum: de utroque vero littera rubra ſcribitur *ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται*, *in pace conſummatur*. Vtrique etiam bini ſenarii adtexuntur, in quibus nihil eſt quod ad eorum vitam reſque geſtas pertineat. Ibidem in Stephani diſticho male *τέφος* pro *τέφος* editum fuit.

(153) Inter obſcuros locus eſſe poſſit *Anthimo* cuidam Antiochiae [in Phoenice, uti ſuſpicatur Tillemontius to. V. in *SS. Cypriano & Juſtina*] epiſcopo; cui in epiſcopatu ſucceſſit S. Cyprianus is, qui ex mago Chriſtianus, poſtea illuſtris martyr occubuit. Exſtat hujus Anthimi mentio apud Photium, ubi de Cypriani epiſcopatu Antiocheno.

Digitized by Google

mum presbyterum obtrudere adnitar. Verum haec difficultas facillime removetur. Etenim etsi in omnibus Actorum hujus S. Anthimi (quae Bollandista Henschenius ad XI. Maii dedit) exemplaribus is Martyr locis pluribus *Presbyter* nominetur; tamen, eodem Henschenio fatente, in duobus Neapolitanis apographis idem locis omnibus *Episcopus* disertim inscribitur. Ac de hujus quidem hierarchico gradu postea viderimus. Interim vel si tantisper fateamur, in eo Acta Neapoli descripta errasse; at is error ex antiqua Neapolitanorum persuasione manasse deprehenditur, quippe quum idem jam inde a IX. saeculo EPISCOPVS in hoc marmore scalptus reperiatur.

Hac difficultate remota, jam ea proponamus, quae suadere possint, hodiernum Anthimum haud alium a Sabinensi fuisse. I. Ac primum favet hujus Martyris celebritas, in omnibus Hieronymiani Mrologii apographis, ceterisq. secutis Martyrologiis memorati. II. Favet & loci passionis vicinitas; & quod Anthimus inter Romanos martyres numerari solet, quorum in his fastis Neapolitanis haberi ratio prae ceteris assolet. III. Hujus Anthimi Acta quum plura Neapoli antiquitus manu exarata reperta fuerint, dant intelligere cultus apud nostros antiquitatem. IV. Sed & aliunde eamdem antiquitatem ostendit pagus populosissimus *S. Anthimi* nomine insignitus, quinq. aut sex passuum millibus Neapoli distans; in quo pago Ecclesia parochialis sub *S. Anthimi* nomine ab antiquis temporibus hunc S. Anthimum Martyrem Sabinensem sive Romanum colit. V. Eodem pertinet quod in Brancatiana bibliotheca inter excerpta a Tutino ex veteribus chartis quorumdam Oratoriorum nomina, reperi *Oratorium S. Anthimi ad filicem S. Georgii*: quem non alium fuisse ab Anthimo in Sabinis passo credere omnino debemus.

Ex hactenus dictis animadvertitur, duos maxime Anthimos esse, ad quos hodiernus in hoc Kalendario signatus referri possit, unum die VII. Junii a Graecis cultum, alterum vero in Sabinis passum & martyrum plurium antesignanum. Etsi vero priori illi a Graecis memorato vicinitas diei festi favet [quippe qui postridie in eorum libris signatur] tamen is quum sit obscurior, ac de nomine tantum notus, facile notiori alteri ac nobiliori Anthimo Romano cedet, in omnibus antiquissimis Mrologiis adscripto.

Quid si vero Graecorum Anthimus, qui crastino die colitur, non alius ab Romano, qui hodie in hoc marmore scalpitur, fuerit? Is enim CPolitanae ecclesiae (quantum quidem ex liturgicis libris deprehendi potest) mos fuit, ut quoscumq. Sanctos, praesertim Graecos, in provinciis Regiae urbi subjectis coli reperissent, eorū saltem memoriam suis libris insererent. Hinc quum a Neapolitanis die VI. Junii quemdam *Anthimum* Graecae originis [quippe Asiaticum, uti ex Anthimi Romani Actis constat] celebrari Byzantini didicissent, nō inviti ejus saltem *Μνήμην* (*Memoriam*) suis libris inseruerunt. Nam quod eum in Menaeis *ἐν εἰρήνῃ τελειοῦσθαι* [*in pace consummari*] induxerunt, & quod ei *Stephanum* nescio quem socium alii libri dederunt, id ex consueta novorum Graecorum sive indiligentia, sive *ἀνεπιστασίᾳ* [*historiae ignoratione*] sive comminiscendi libidine profectum suspicari possumus. Cui conjecturae & illud favet, quod quum in Actis S. Anthimi de quodam Florentio [qui unus ejus sociorum fuit, cujusque Auximi praecipuus cultus exstitit] mentionem fieri inaudissent; CPoli autem celebre esset Florentii nomen, in cujus aedibus monasterium exaedificatum fuit; hinc Graeci caelum terrae commiscuerunt, & Anthimum suum *πλησίον τοῦ φλορεντίου* (de quo vide Adnot. 152.) monasticam egisse vitam, commenti fuerunt. Verum hodiernus Neapolitanorum Anthimus (quem eumdem ac Romanum putamus) idem an diversus a crastino Graecorum CPolitanorum fuerit; id quidem quia praestare non possumus, in medio relinquimus.

Maneat tamen, hujus diei Anthimum haud

haud alium esse, quam Romanum sive Sabinensem martyrem, qui in Hieronymianis ac postea secutis Mrologiis die XI. Maii colitur. At ejusdem festum a Neapolitanis die VI. Junii agitabatur die non suo, propter aliquam scil. Reliquiarum Translationem, aut Ecclesiae dedicationem, aut quia die suo celebrari nequivit. Eoque non *Passio*, sed NT. h.e. *Natale* in hoc marmore signatur.

CAP. II.

De S. Anthimi hierarchico gradu.

In omnibus quidem S. Anthimi Mart. Romani Actorum exemplaribus is *Presbyter* inscribitur. At eadem acta in Neapolitanis tabulariis reperta in ceteris omnibus cum aliis codicibus consentiunt, in eo ferme solum diversa, quod ubicumque in illis *Anthimus presbyter* dicitur, in his *Anthimus Episcopus* appellatur. Id quod argumento est, hunc Martyrem a Neapolitanis pro Episcopo fuisse habitum. Eam vero persuasionem fuisse apud nostros antiquissimam, hoc marmoreum IX. saeculi Kalendarium docet, in quo is diserte *Episcopus* inscribitur.

In hoc autem nostrorum cum aliis discidio circa hierarchicum Anthimi gradum equidem non dubitarem Neapolitanorum causam deserere [nec enim tam impotens animi sum, ut patriae studio abripiar; praesertim qui ad illustrandum hoc marmor satis habeam ex Actis Neapoli descriptis ostendisse, a nostris Anthimum Sabinensem pro Episcopo habitum fuisse] nisi lis eo modo, quo initio superioris cap. subinnuimus, componi posse videretur. Nam si fingamus animo, hunc Anthimum in Sabinorum regione ab Romae Episcopo chorepiscopum fuisse constitutum; potuit is tam recte ab aliis *presbyter*, quam a nostris *Episcopus* nominari. Quum enim chorepiscopi, mediam quamdam inter presbyteros & Episcopos dignitatem nacti, modo cum his, modo cum illis permiscerentur; hinc dissidium inter Neapolitanos ceteroque oriri potuit, nostris Episcopum appellantibus, quem alii presbyterum nominarent.

Quid quod conjicere hinc possumus, haec maxime fuisse Episcopatus Sabinensis, unius ex Romani suffraganeis, rudimenta? Etenim quum in ea regione tam frequens Christianorum populus sub finem saeculi tertii fuisset, ut ei chorepiscopus praeficiendus fuisse videretur; facile mox fuit sedata persecutionum procella, & augescentibus Christianis, ibidem sedem Episcopalem figere. Quae quidem facile IV. saeculo, ubi pax affulsit Ecclesiis, constituta fuit; etsi ex veterum monumentorum inopia non ante sequentis saeculi medietatem quidam unus ejus cathedrae praesul compareat, *Tiberius* scil. *Sabinorum episcopus*, qui anno 465. in concilio Romano sub Hilario Papa reperitur.

Postremo, nequid dissimulem: demus sane erasse Neapolitanos circa Anthimi episcopatum; at eos cum multis, imo cum ipsis Sabinensibus erasse mihi persuadeo. Nam hoc in locis pluribus usuvenisse deprehenditur, ut non eum primum episcopum numerent, qui postquam ibi sedes episcopalis stabilita fuit, primus re vera sedit, sed eum qui primus ibi Evangelium disseminavit, praesertim si idem magna multitudine ad Christum conversa, regionem illam suo sanguine irrigaverit. Ita ferme Bollandus ad XVII. Jan. in S. Genulpho §. 2. & Tillemontius in S. Dionysio Parisiensi censuerunt. Qua de causa, etiam si Anthimus merus presbyter fuerit, tamen crediderim, sequenti tempore eum a Sabinensibus pro primo eorum episcopo habitum, idque Neapolitanos secutos. Haec de Anthimi gradu hierarchicho. Restat de ejus Actis dicendum.

CAP. III.

De Actorum S. Anthimi & socior. aetate & pretio.

Acta haec olim a Surio evulgata, postmodum ad fidem variorum scriptorum codicum emendata dedit Henschenius ad XI. Maii, quae & in tria capita distribuit. Quorum primum est παρασκευ-

σικὸν

σιὸν, quippe quod Faltonii Piniani ejusque conjugis S. Lucinae [illius utique, quae in fovendis omni ope Christicolis aevo Diocletiani egregiam operam navavit] conversionem complectitur, simul quo pacto Pinianus ex Asia provincia decedens, aliquot Christianos secum adductos [quorum princeps Anthimus hic fuit] in diversis suorum latifundiorum locis, quae in Piceno & Sabinis possidebat, alios alibi latitare permiserit. Mox caput alterum passiones septem illustrium athletarum, Sisinii Diaconi cum Diocletiano & Florentio, adhaec Anthimi, Maximi, Bassi, Fabii [haud scil. dignitatis, sed quo decertarunt ordine] exsequitur. Caput ultimum Piniani ac praesertim Lucinae reliquam historiam continet.

Sane vero inter tres hasce hujus totius historiae partes difficile est notabilem styli (154) varietatem animadvertere. Tamen quum Henschenius *a praecipuis Mss. codicib.* abesse compererit caput tertium, idque fabulosa illa narratione inquinetur de Diocletiani & Saporis filiabus per S. Cyriacum a daemone liberatis [quae tamen etiam in Actis S. Marcelli pervetustis legitur] ea de causa haud frustra incessit quibusdam suspicio, totam eam partem ab aliqua posteriore manu accessisse. Surius ipse, qui primus hanc historiam evulgavit, caput hoc tertium maxima ex parte resecuit, certe quod impar horum Actorum dignitati putarit.

At duo priora capita nihil magnopere habent quo novitatis coarguantur. Nec tamen contendo, ea ab aequali scriptore prodiisse: praesertim quum in fine sect. 6. scribatur, Christianos sepeliisse Sisinium, Diocletianum & Florentium in loco certaminis: *in quo etiam*, inquit, *loco orationes eorum exuberant beneficiis VSQVE IN HODIERNVM DIEM in civitate Auximo*: quae verba scriptorem posteriorem arguunt. Verum ejusmodi saltem sunt, quae medio quarto saeculo contexi verisimiliter quiverint. Quae quidem aetas ex his maxime conjecturis qualibuscumque colligi potest.

Etenim fuit Pinianus quidam sub Juniore Valentiniano (155) praefectus urbis, cujus etiam S. Augustinus mentionem facit. Hunc ab antiquiore Faltonio Piniano S. Lucinae marito, cujus haec Acta plurimum meminerunt, ortum duxisse Baronius credidit, idque Tillemontius non improbat tom. IV. ubi de S. Lucina. Neque id nunc laboro, utrum junior hic Pinianus prioris illius filius neposve fuerit, an vero ex latere venerit. Satis est si quovis modo ab eo descenderit. Et tamen posterioris hujus perillustris viri nulla ab hoc historiographo mentio injicitur; qui tamen sect. 1. in pertexendis cognationibus atq. stemmatibus se mire sedulum praestat. Id inquam indicio est, eo maxime tempore hanc historiam fuisse elucubratam, quo junior Pinianus nondum inclarescere coeperat, medio nim. IV. saeculo: nam idem nonnisi circ. annum 386. praefectus urbanus fuit, ac magnorum Ecclesiae luminum amicitia floruit. Eamdem medii IV. saeculi aetatem & illud suadere potest, quod ab hac tota historia vox *Paganorum* (quae non ante annum 365. usurpata reperitur) absit; cujus loco modo *Gentilium*, vocabulum,

(154) Non tantum nulla est notabilis styli diversitas inter tertium, & duo superiora capita, verum etiam subtilius intendenti similitudo plurima occurret: quarum illa vel maxime insignis est, quod capite 2. quod mox adscribemus, perpetua fere est illa narrandi ratio per verbum *Coepit*, ut *Coeperunt dicere, coeperunt venerari, prohibere* &c. Quae loquendi consuetudo non abest a cap. 3. in quo sect. 14. ea locutio ter usurpatur, *Coepit ei confiteri diabolus ... diabolus coepit clamare ... coepit dicere ei daemon*. Ceteras similitudines praetermitto.

(155) Vide Prosopographiam Cod. Theod. de hoc juniore Piniano praefecto urbis sub Valentiniano Jun. ann. 386. & 387. De eodem loquitur quaedam S. Augustini epistola, & Palladius in Lausiaca. Videatur & Baronius ad ann. 385. n. 6. ubi memorat rescriptum Valentiniani Jun. ad Pinianum urbis praefectum ex Cod. Vaticano de ordinatione Siricii.

Digitized by Google

bulum, modo diverſae *gentilium* periphraſes ſubrogantur. Quod eo magis mirandum, quod ſuperſtitio in his Actis deſcripta vere *paganica* eſſet. De quo toto vide inferne (156) adnotata.

Atque huic circa aetatem conjectioni nihil magnopere eorū, quae in hiſce Actis continentur, refragari equidem animadverto. Nam certe quas Tillemontius [to. 4. in Not. ad S. Lucinam] difficultates proponit, earum pars potiſſima rejecto Actorum ultimo capite, ſimul concidunt; alias ipſe Tillemontius diluit; ceteris ſiquae reſtant facillime occurri poteſt. Nam quae de catecheſi, qua Pinianus ab Anthimo eruditur, opponit; ea ab auctore ſummatim ſcribuntur, non qualia longo verborum ambitu ex ore utriuſque prodierunt: ut omittam quod in hujuſmodi allocutionibus multum ſibi licere hiſtoriographi ſinunt. Neq. enim hic commentarius ad actorum verbalium, ſed omnino ad hiſtoriolae liberius ſcriptae effigiem contextus fuit. Quod addit, non debuiſſe Anthimum presbyterum ab uſque Aſia arceſſi in Italiam, ut in villae latebra ſe conderet; jam cap. ſuperiore oſtendimus, videri Anthimum Sabinenſis Eccleſiae, quantum quidem ſaeviente perſecutione licuit, fundamenta jeciſſe. Et omnino plurimos ab his ſeptemviris ad Chriſtum converſos fuiſſe non dubito: quorum ſilentium auctorem hunc tanto minus adulteratae aut amplificatae veritatis ſuſpectum reddit. Vel ſic tamen crebra paſſim eſt *populi credentium* aut convenientium Chriſtianorum in his Actis mentio, quos non niſi ab his ſeptemviris converſos neceſſe eſt.

Illud majoris momenti videtur, quod idem vir χριστιανώτατος Not. 2. conqueritur, Sergium Terentianum [qui in his Actis ſect. 1. bis Vrbis praefectus fuiſſe narratur] ab Vrbanorum praefectorum ſub Gallieno & ſequentibus principibus laterculo abſit. Atqui vereor ut is indiculus ab omni parte abſolutus ſit. Quid ſi enim non tam ex publicis tabulariis manaverit, quam privata alicujus diligentia ex variis monumentis collectus fuerit? Re vera ab eo catalogo abſunt Agreſtius, Chromatius & Fabianus, qui in praeclaris S. Sebaſtiani Actis praefecti urbani ſub Diocletiano fuiſſe dicuntur. Deeſt anno 259. Junius Donatus, & anno 275. Aelius Caeſetianus. Haec de praefecto Terentiano. At de Priſco *conſulari* [qui tamen alicubi in his Actis *proconſul* vocatur] cap. ſequ. reſpondebitur. De ſtylo, qui ſimplex eſt & ab omni fuco alienus, nihil dico, quum ejus ſpecimen cap. ſeq. habeas.

Inte-

(156) Hujus conjecturae ſumma huc redit. I. Ab hac univerſa hiſtoria abeſt *Paganorum* nomen, cujus loco ii modo *gentiles* vocantur [ut ſect. 8. *Cum . . . viderent gentiles Chriſtianos* &c.] modo περιφράζονται [*circumſcribuntur*] ut ſect. 6. *Populus malignus*; ſect. 8. initio iidem vocantur *Increduli*, & ſect. 10. *Inimici fidei Chriſtianae*; & alibi aliis circumlocutionibus idololatrae deſignantur; qui numquam tamen *Pagani* dicuntur. II. Atqui illi re vera pagani erant, non tantum quia pagorum incolae, verum etiam quia religionem paganicam ſequebantur, ut qui non modo idololatrae erant, ſed idolorum in pagis cultorum [Silvani, Liberi, Cereris] adoratores. III. Ergo quum tanta opportunitas eſſet, ut idololatrae iſti *paganorum* vocabulo donarentur, nec tamen uſquam id fiat, id indicio eſt, haec ſub ſaeculi IV. medietatem ſcripta fuiſſe, quum nondum *Paganus* tantumdem eſſet quod idololatra, aut ſaltem pro ſuperſtitionis pagorum ſectatore acciperetur: qui quidem primus gradus fuit ad eam uſurpationem, qua tandem *Paganus* pro quocumque idololatra, etiam urbano, ſumi tandem coepit. Cujus ultimae uſurpationis exemplum non ante annum 365. reperitur in L. 18. Cod. Th. de Epiſc. quae eſt Valentiniani & Valentis, & in ejuſd. temporis ſcriptore Mario Victorino lib. de Homouſio.

Siquid igitur huic conjecturae fidendum, Acta haec medio maxime IV. ſaeculo ſcribi potuerunt. At ob eamdem rationem Acta S. Sebaſtiani, quamvis a ſeverioribus ipſis criticis magni fiant, poſteriora his Actis cenſeri poſſunt; nam in iis ſect. 73. S. Zoe *ab inſidiantibus PAGANIS arcetur*: jam enim uſurpari ea vox coeperat. Nec ſane Tillemontius ea S. Sebaſtiani Acta antiquiora IV. ſaeculo finiente cenſuit.

Digitized by Google

Interim in paucas I. & III. capitis (quae duo capita apud Bollandiſtas loco citato proſtant) voces inferne (157) inquiremus.

CAP. IV.

Ex Actis SS. Anthimi & ſocior. caput ſecundum, quo eorum paſſio deſcribitur.

Hactenus dictis quia majorem ex ipſis Actis lucem affuſum iri, certum habeo; ſtatui ex iis caput alterum [quod a ſect. 6. incipit] huc afferre, quo ſeptemvirorum certamina nativa ſimplicitate ac brevitate deſcribuntur. Id quod & noſtris hominibus non ingratum erit, apud quos, maxime in vicinia, S. Anthimi mart. cultus minime friget.

Acto-

(157) *In I. & III. Actorum caput animadverſiones aliquot. Quid ſint* Archiatri & Diaſoſtae. *Quid* Levare. *De jejunio ſuperpoſitionis.* Capſa *pro humano corpore.*

Cap. I. ſect. 2. S. Lucina marito aegrotanti ait: *Quanti quotque medici et archiatri & diaſophiſtae adte venerunt, & nulla te ratione curare potuerunt. Archiatros* quidem capio: quae vox in Cod. Theod. *Principis medicos*, aut ſaltem urbium regiarum medicos deſignat. At *Diaſophiſtae* quid ſibi volunt? An ſunt ſophiſtarum praeſtantiſſimi? ſicuti apud Jo: Sarisberienſem ep. 59. *Diagnatus* eſt valde agnatus, *utpote*, inquit, *ſororis filius*. Vide ejus locum in Cangii Gloſſario. Verum quid moror? Mihi non eſt dubium quin legi debeat *Diaſoſtae*. Jam vero διασωσαι, ſi vim vocis nativam ſequare, ii erunt qui aliquem opera ſua ſanum praeſtant: eaq. notio heic locum habet. Etſi uſus fecit, ut ea vox, maxime apud poſteriorem Graeciam, de iis uſurpetur, qui ſanum aliquem & integrum aliquo perducunt, ac poſtremo ſimpliciter de *viae ducibus* accipiatur.

Cap. III. ſect. 12. de S. Lucina ſcribitur: *Quod* [corpus S. Sebaſtiani] *cum levaſſet & ſepeliſſet*. Ac videbatur heic *Levandi* verbum arguere aevum poſterius. Eo enim verbo utebantur VIII. & IX. ſaeculo, quoties Sanctorum corpora de priore ſepultura in alium locum transferebantur. De eo ſignificatu diximus in Diatriba de aetate hujus Kalendarii, quam huic Commentario praefiximus, pag. XXXI. Verum quid moror? In Actis S. Sebaſtiani [IV. ſaeculo exeunte haud dubie ſcriptis] ſect. 88. ubi eadem res narratur, S. Sebaſtianus Lucinae apparens his verbis utitur: *In cloaca illa . . . invenies corpus meum pendens in gompho. Hoc tu dum LEVAVERIS, perduces ad Catacumbas, et ſepelies . . .* Et hactenus id verbum de iis corporibus uſurpabatur, quae levabantur, ut tunc primo ſepelirentur. At ſtatim jam V. ſaeculo de iis dici coepit, quae de priore ſepulcro *levabantur*, ut alio transferrentur. Nam Paulinus in vita S. Ambroſii cap. 14. ſic de ſuo Antiſtite ſcripſit. *In eadem civitate* (Florentia) *baſilicam conſtituit in qua depoſuit reliquias Martyrum Vitalis & Agricolae, quorum corpora in Bononienſi civitate LEVAVERAT*. Ex quo vides, quibus gradibus *Levandi* aut *Elevandi* verba [quae aevo ſequiore plurimo in uſu fuere] ad eam, quam in Diatriba attigi, notionem proceſſerint. Poſt pauca ſic pergit de eadem S. Lucina: *Cum triduana exerceret jejunia . . . monuit eam S. Sebaſtianus, ut . . . quotidiano eſſet contenta jejunio*: h. e. quum totum triduum nihil prorſus guſtaret, [quod genus ὑποθέσεως h. e. *ſuperpoſitionis* jejunium vocabatur antiquis] juſſa eſt quotidie hora legitima ἀποτάσσειν, *jejunium ſolvere*. Huc pertinet, quod in Actis S. Sebaſtiani ſect. 48. eadem Lucina *tribus diebus et tribus noctibus* [ea eſt ſuperpoſitionis deſcriptio] *jejunaſſe* cum vivo adhuc Sebaſtiano dicitur.

Sect. 14. ubi narratur filia Saporis a daemone per Cyriacum liberata, dicit Cyriaco daemon: *Da mihi capſam, in quam intrem, et exeo. Dicit ei Cyriacus: Ego alterius capſam tibi non dabo, ſed ecce meam capſam: ſi potes, ingredere. Tunc ululatum tetervimum dirae vocis emittens, abſceſſit a filia Saporis*. Ex his vides *Capſam* pro corpore humano fuiſſe uſurpatam. Idque etiam ex Actis S. Marcelli [apud Bollandum die XVI. Januar.] conſtat, in quibus in eadem fabuloſa narratione ſemper *Vas* pro eo, quod heic dicitur *Capſa*, uſurpatur; ut Cap. V. Sect. XI. *Da mihi vas, ubi ingrediar*. Et ita paſſim eodem capite. Atqui certum eſt in Scripturis *Vas* eſſe corporis humani nomen. Vt *Vas ſuum poſſidere in ſanctificatione*.

Digitized by Google

Actorum S. ANTHIMI & sociorum caput secundum.

6. Erat ibi (158) conventus eorum, qui sacrificantes, semel in triennio dicebant sibi dari responsa. Hi dum convenissent, & solitas impietates sceleratis sacrificiis exercerent, dicunt se talia accepisse responsa: quod nisi sacrificare voluerint *Sisinius*, *Diocletianus* & *Florentius*, illis dare amplius solita responsa non possent. Tunc tracti a populo violenter, cum sacrificare contemnerent, lapidibus interfecti sunt, & sub ipso monte lapidum derelicti. In quo loco post abscessum populi maligni, Christiani mundaverunt locum, & ibidem sanctos Dei martyres sepelierunt: in quo etiam loco orationes eorum exuberant beneficiis usque in hodiernum diem in civitate Auximo.

7. *Anthimus* autem (159) Presbyter non longe ab urbe Roma, (160) milliario vigesimo secundo in via Salaria circa Piniani praedia latitabat. Contigit autem ut dum Silvano (161) suo rustici sa-

(158) Hoc est prope Auximum, ubi mansiones his triumviris dederat Pinianus. Sic enim ad finem cap. I. h. e. proxime ante haec verba legitur. *Et quia multi erant* [Confessores illi, quos secum ex provincia Asia attulerat] *& simul in unum esse non poterant; divisit eis mansiones per praedia sua in Piceni provincia, quae possidebat juxta Auximum civitatem* (in aliis Mss. est *Auximatium civitatem*, ut in talibus antiqui usurpabant) *deditque praedium Sisinio, Diocletiano & Florentio: qui habebant secum alios plurimos, cum quibus vacabant Deo & Christi laudibus: in quo sine molestia conversantes per tres annos, hoc ordine ad martyrii palmam pervenerunt.* Mox sequitur sectio sexta, quam heic habes.

(159) Vbicumque in aliis Mss. *Anthimus presbyter* erat, ibi in Mss. Neapolitanis *Anthimus episcopus* Henschenius reperit, uti initio monuimus. Quod argumento est, jam inde a constructione marmorei Kalendarii (in quo idem inscribitur *Episcopus*) & secutis deinceps temporibus Sabinensem Anthimum (nec enim nisi hunc Sabinensem apographa Neapoli descripta *Episcopum* vocant) episcopali dignitate a Neapolitanis fuisse donatum. Qua ratione id verum esse possit, cap. 2. explicuimus.

(160) Haec tota loci designatio cum sua ab urbe Roma distantia, a ceteris codicibus aberrat; quam particulam ex Neapolitanis Mss. in textum admisit Henschenius. Merito: nam eadem in Mrologiis noni saeculi uti legitima agnoscitur. Via *Salaria* a porta Collina in Sabinorum regionem ducebat. Festus: *Salaria via Romae est appellata, quia per eam Sabini sal a mari deferebant*, a salinis scil. quas circa Ostiam factas, Livius I. 33. narrat. De via Salaria vide plura infra Adnot. 180. Quum autem in his Actis sect. 8. Anthimus in Tiberim praecipitatus dicatur; hinc discimus, Anthimi mansionem inter sinistram Tiberis ripam & viam Salariam fuisse positam, vigesimo secundo ab Vrbe lapide.

(161) Istud *Silvano SVO* satis ostendit, eum rusticorum deum fuisse; & quidem praecipuum, uti ex Horat. II. ep. 1. 143. ex Juvenale VI. 447. & aliis constat. Eidem porcus immolabatur. Exstant de Silvano plurimae apud Gruterum inscriptiones a pag. LXII. & exinde; in quibus plura diversa epitheta agresti huic deo tribuuntur, ut & in aliorum inscriptionibus, in primis Muratorii a pag. 67. ad 71. Verum ex lapide Ferrariensi apud eumdem Muratorium pag. 70. n. 6. quae commoda rustici ex Silvano suo exspectaverint, pulchre ostenditur. In eo sic scribitur: *Silvano sancto, patri et custodi, pecudifero, lactifero, glandifero, pomifero, cannabifero, linifero Q. Zosimus Q. L. Tertullus grammaticus, L. Sergius L. L. Ciparissmensor, C. Petilius C. L. Strabo caelator, C. Rufus C. L. Charito musicus ex voto FF.* In quo quidem epigrammate omnia pulchre procedunt. Tantum versu 7. [in quo GRAMMATICVS edidit ex Baruffaldo Muratorius] vi-

den-

Digitized by Google

crificarent, ipso qui auctor (162) erat sacrificantium, diaboli arreptus furore, omnes qui ei occurrissent, gladio transverberaret. Cumque omnes fugarent (163) annuntiatum est Anthimo, quod jam multos occidisset, & furens a diabolo percuteret omnes qui ei occurrere potuissent. Qui orans & commendans se Deo, occurrit ei & dixit: *In nomine Domini Dei mei Jesu Christi, sta vinctus catenis spiritualibus, & projice gladium, quem ad interfectionem hominum assumpsisti.* Ad hanc vocem stetit, fecit (164): statimque tenuit eum Anthimus presbyter, & ducit eum ad habitaculum suum, jejuniis & orationibus vacans infra (165) tres dies, ita ut eum menti suae restitueret, & etiam Christianum efficeret: qui cum uxore & filiis suis Domino Jesu Christo credidit, quin etiam multos converti fecit & credere, ita ut lucum ipsum Silvani igne combureret, reddens ei hanc vicem, quod ei tale daemonium immisisset, per quod homines (166) innoxios jugularet.

8. Tunc transeuntem Priscum (167) proconsulem increduli tenuerunt dicentes ei: Per Anthimum eversa sunt omnia simulacra, & omnis lucus incensus est. Tunc Priscus Consularis jussit eum teneri a populo, & ad sacrificandum impelli. Sed cum contemneret minas

dendum an non litterae ita detritae fuerint, ut ficum descriptori fecerint. Nam certe mallem GROMATICVS h. e. gromaticae artis professor. Quid sit *Groma* aut *Gruma* sive in agris metiendis, sive in castris metandis, nemo ignorat. Gromatico autem cum *Mensore* [quae vox in marmoribus est γενικωτέρα, & ad plura pertinens] & cum *Mensico* (agretti scil.) locus esse potuit: grammaticus autem quid heic facit? Quod si lapis vere illud GRAMMATICVS tuetur; dicemus eum rusticis operibus delectatum, pro opimis agri proventibus suscepisse votum.

(162) Pro *Ipso* legendum est *Ipse*. Pro *Auctor* reperit in Mss. Neapolitanis Henschenius *Advocatus*. *Advocatus* in vetere Onomastico est προσκλητὸς, h. e. qui cujuscumque rei gratia advocatur, adsciscitur que, non tantum in judiciis sed & extra. Eaque notione antiqui utebantur, antequam ea vox ad causidicos restringeretur. Ergo heic *Advocatus sacrificantium* est sacrificulus, sive omnino is qui arcessitur, ut sacris & caeremoniis praesit. Ea significatio suadetur etiam ex praeeunte pronomine ἐμφατικῷ *Ipse*, quo non unus e multis, sed dux ipse designatur.

(163) Sive scribendum est *Fugaret*, sive *Fugerent*.

(164) Pro *Fecit* videtur scribendum *Flexit*.

(165) *Infra* pro *Intra* locutio est aevo sequiore usitatissima; unde Italicum *Fra*, sicut ab *Intra* est *Tra*. Cui locutioni cum descriptores insuevissent, nihil proclivius fuit, ut passim *Intra* in *Infra* mutarent, ut etiam in Actis S. Caeciliae: *Coepit intra se legere*. At mox: *Cumque hoc infra se legisset*. Atqui horum certe Actorum auctor *Intra* usurpaverat.

(166) Excepta idololatria; in cujus poenam justo Dei judicio jugulabantur.

(167) Alibi in his Actis *Consularis* vocatur, quod magis est ex usu scriptorum. Spartianus, ab Hadriano primum constitutos in Italia consulares narrat. At eosdem etiam *proconsules* interdum fuisse appellatos, ex quadam Gruteriana inscriptione Graeca primum didici, ubi mentio fit cujusdam Bassi ἀνθυπάτου Καμπανίας [*Campaniae proconsulis*] quum tamen sciamus Campaniae rectores & ab Hadriano institutore, & a scriptoribus & marmoribus *Consulares* vocatos. Vide quae diximus ad initium Actorum S. Patricii mart. ad XIX. April. ubi Bassus quidam semel ἀνθύπατος, *proconsul*, alibi ὑπατικὸς *consularis* nominatur. Quocirca nihil causae fuit, cur Tillemontius his Actis crimini verteret, quod *Proconsulem* vocent, qui *Consularis* dicendus fuisset.

Digitized by Google

minas & seditiones eorum, ligaverunt in collo saxum & in Tiberis medio eum jactaverunt. Sed Angelus Domini apparuit ei in Tiberi, & rupit vincula ejus, & revocavit eũ in cellulam (168) orationis suae. Cum autem mane facto viderent gentiles Christianos more solito venientes ad eum, coeperunt insultantes dicere: Ite ad Anthimum vestrum in fundum Tiberis, ubi demersus jacet. Christiani autem dicebant: *Nos Anthimum Dei servum vidimus sanum, & benedixit nos more solito: incolumis est & nulla macula in eo.* Tunc dicere inter se coeperunt: Nos eum per pedem traximus, & nullum membrum ejus sanum (169) dereliquimus, ac manibus nostris, saxo collo ejus ligato, praecipitem in mediam Tiberis undam jactavimus: quomodo haec isti affirmant? Tunc ingressi singulatim attendebant (170) eũ sanum populo praedicantem. Tunc poenae (171) omnes qui jactaverunt eum in Tiberim, advoluti genibus ejus poenitentiam agentes, baptizati sunt.

9. Requirente (172) deinde Prisco consulari, facta est de eo accusatio talis, quod non solum non potuisset occidi, sed & omnes qui eum occidere conati sunt, ad fidem Christi convertisset. Tunc Priscus jussit eum adduci ad se; quem per triduum in vinculis & in torturis agens (173) cum nulla posset ratione ad hoc perducere, ut idolis immolaret, fecit eum capite caedi. Cujus corpus tulerunt populi, qui per eum fuerant conversi, & in suo oratorio, ubi orare consueverat posuerunt (174): in quo loco praestantur beneficia orationibus ejus, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, cui est honor & gloria in saecula saeculorum.

10. *Maximum* autem coeperunt venerari, qui fuerat amicus Anthimi individuus. Tunc Prisco proconsulari dixerunt inimici fidei Christianae: Quid prodest quod Anthimum occidisti? Ecce Maxi-

mus

(168) Hoc est *oratorium*, aut *proseucham*; ubi non tantum orare, sed & coetus Christianorum cogere consueverat.

(169) Pro *reliquimus*. *Derelinquo* [*Abbandonare*] olim plus fuit quam *Relinquo*. At apud scriptores IV. saeculi & deinceps ea confunduntur.

(170) *Attendo* & *Intendo* pro *Video* declinante Latinitate sumpta sunt ex Gr. ἐνατίζομαι. In vet. Glossis *Attendit* tantumdem est quod καθορᾷ h. e. *videt*.

(171) Scribendum est *paene*. Istud *paene*, quod ad minuendum valet, scriptoris candorem ostendit, nihil amplificantis, aut παραλογίως.

(172) Videri poterat corrigendum *Inquirente*; nisi & praetor *requirere* pro *Inquirere* dicere tur l. 5. §. 1. D. *Quibus ex caus. in poss.* & nisi omnino *Requirere* eodem significatu usurparetur l. 36. D. *de rei vindic.*

(173) Scribe *Agentem* ut referatur ad Anthimum. *In vinculis agere* ita dicitur, sicuti e contrario *agere sine vinculis* in l. 8. D. *de cust. et exhibit.*

(174) In Mss. Bodecensi & Barberino additur: *Via Salaria, milliario ab urbe Roma vigesimo, territorio Savinensi.* Sed rectius in Mss. Neapolitanis [uti monebam in Adnot. 160] XXII. ab Roma passuum millia colliguntur; quem numerum etiam Mrologia tuentur.

Digitized by Google

mus amicus ejus ampliorem populum ad se (175) invitat. Missis itaq; apparitoribus ut comprehenderent eum, populi prohibere coeperunt. Dixit eis Maximus: *Nolite filioli mei profectionem meam impedire*. Et constanter intrepidus abiit. Cui Priscus proconsularis dixit: Tu es qui avertis ceremonias Principum, & facis provinciales omnes a Deorum cultura recedere? Dixit ei Maximus: *Vtinam & te ipsum ab eorum cultura divellere, & tuo restituere Creatori possemus*. Tunc indignatus Priscus jussit eum fustibus caedi & ad sacrificandum impelli. Sed in Dei nomine fixus permanens & ipse capite caesus est: & a Christianis raptus est, & positus in via Salaria milliario ab urbe Roma tricesimo, in eodem loco ubi orare consueverat: & celebratur dies ejus natalis quarto (176) decimo Kal. Novembrium: regnante Domino nostro Jesu Christo in saecula saeculorum. Amen.

11. *Bassus* autem in eodem loco permanens, ubi positus erat Maximus martyr, hortabatur populum credentium ut in sanctor. passione gauderent potius quam lugerent. Factum est autem ut convenirent ad mercatum populi, in loco qui appellatur (177) Forum-novum, ubi fiebant sacrificia Libero (178) patri & Cereri. Tunc tenuerunt Bassum & duxerunt eum dicentes: Sacrifica Deo Libero, qui

(175) Ex diserta coetuum Christianorum mentio, apud Anthimum [verisimiliter chorepiscopum, uti cap. 2. praemonui] primo, mox apud Maximum. Nihil ergo fuit, quod Tillemontius conquereretur, frustra hos septemviros ab Asia usque in Italiam adductos non alia de causa, nisi ut desidiosi sederent. Porro quam frequentem populum Anthimus convertisset, habes in proxima sect. 9. illis verbis: *Populi qui per eum fuerant conversi*.

(176) In Mrologiis tamen nulla fit eo die mentio.

(177) De hoc *Foro Novo* plures inscriptiones loquuntur. Nam eo pertinet quod apud Muratorium p. 681. 2. in marmore Montis Falisco-rum legitur FOR. NOV. Inde gentile nomen fit *Foronovanus* in lapide Romano apud Reinesium VI. n. 129. At vero *Municipium Foronovanum* apud Grut. p. 492. 5. non huc spectat, sed ad alterum Forum Novum in Cisalpinis haud longe ab Fidentia, ubi nunc *Fornovo* dicitur. A quo diversum est hoc *Forum Novum*, de quo Acta loquuntur: quod quidem Balbus de limit. (p. 122. edit. Goesianae) in Piceno agnoscit: *Foronovanus* (ager) *per limites & centurias est assignatus*. Porro qua parte Piceni fuerit, incertum Cellarius habuit. Verum ex his Actis manifeste colligitur ibi positum fuisse, qua Picenum Sabinensi territorio adhaeret. Etenim initio sectionis hujus Bassus ibi permansisse dicitur, ubi Maximus sepultus fuerat. At Maximus *milliario ab urbe Roma tricesimo* (uti sect. 10. scribitur) nactus est sepulturam, proxime Sabinos scilicet; quandoquidem Anthimus, cujus sepulcrum XXII. ab Vrbe lapide aberat, in Sabinis sepultus dicitur.

Jam vero ex *mercatu*, cujus hoc mentio fit, illud universe colligitur, urbes illas omnes, quae plurimae in Italia *Fori* praenomen gerunt, a nundinis quae apud illas statae erant, nomen *Fori* invenisse.

(178) *Liber* Latinis est qui Graecis *Dionysius* aut *Bacchus* vocatur. Is a Latinis junctim cum Cerere invocabatur, uti non tantum hinc, sed ex Virgiliano illo, *Liber et alma Ceres*, potest intelligi, & ex Cicerone de Nat. deor. *Nostri majores auguste sanctequae Liberum cum Cerere et Libera, consecraverunt*. *Liberum* autem vulgo περσεφόνην (*Proserpinam*) intelligunt. At vero non idem omnes sentiebant. Nam certe si Vet. Glossis credimus, *Liber* est Σεμέλη, *Semele* scil. Bacchi mater. De quo Glossarum loco viri eruditi viderint.

Digitized by Google

qui dat nobis vineas plenas, & deae Cereri quae dat fertiles meſſes. Tunc Baſſus dixit ad eos: *Deus in caelo eſt qui dat pluviam matutinam* (179) *& ſerotinam, ipſe dat nobis omnia quae vitae ſunt neceſſaria: veſtra autem ſimulacra mortua ſunt, & ſine voce & anima, nec ſibi poſſunt & aliis ſubvenire.* Haec dicens exſufflavit ſuper ea, & ceciderunt, & omnia confracta ſunt. Tunc populi irruentes ſuper eum, alii pugnis, alii calcibus & fuſtibus tamdiu eum ceciderunt, quamdiu ſpiritum exhalaret. *Fabium* deinde tradiderunt Conſulari. Qui diuturna cuſtodia maceratus, cum nollet penitus daemoniis immolare, & ipſe capite truncatus eſt. Ita autem factum eſt, ut omnes hi, ideſt *Anthimus, Maximus, Baſſus* & *Fabius* in his locis ponerentur, ubi orare conſueverant, juxta viam Salariam, quae mittit (180) ad Picenum; *Siſinnius* autem & *Diocletianus* & *Florentius* in eodem loco ubi lapidibus obruti ſunt, juxta civitatem nomine Auximum, quae eſt in montano (181) culmine conſtituta. De quorum martyrio habet civitas ipſa gratulationem magnam, & de meritis eorum apud Deum interceſſionis auxilium.

VII

[179] Etſi plerumque in vulgato Scripturarum interprete *ſerotino* imbri *temporaneus* opponitur; tamen & Joelis II. 23. *Imbrem matutinum et ſerotinum* legere licet, & prior Scripturarum interpres [quem hic auctor ad manus habebat] eo nomine pro *temporaneo* libentius utebatur.

[180] *Acta emendantur. Via Salaria illuſtratur, & cum Nomentana comparatur. Strabonis locus nondum intellectus enucleatur.*

Corrige, *Qua mittit ad Picenum*. Nam ea certe in Sabinos prius mittebat, Feſto [cujus verba in Adnot. 160. deſcripſimus] & Strabone teſtibus. Ergo Salaria ducebat prius ad Sabinos, mox e Sabinis ad Picenum. In utriuſque provinciae confinio [h. e. QVA Salaria e Sabinis mittit ad Picenum) illorum Quatuorvirum corpora jacebant, ſingula in ſuis oratoriis. Confer dicta in Adnot. 177. de poſtu Fori Novi, & quae de Salaria in Adnot. 160. praelibavimus.

Jam vero Strabonis locus de via Salaria illuſtris eſt lib. V. p. 228. *Per eos* [Sabinos] *ſtrata eſt* [ἡ διὰ Σαλαρίας: rectius ἡ Σαλαρία, ut vitetur ἀναχόλουθον] *via Salaria non admodum longa: in quam Nomentana incidit apud Eretum, Sabinorum vicum ſupra Tiberim poſitum, quae* [Nomentana] *ab eadem incipit porta Collina*. Ab eadem, inquit, Collinâ incipit, a qua & Salaria: quae viae ubi diverterunt, tandem apud Eretum Nomentana in Salariam deſinit. Ea ſententia Geographi eſt: quam plures eruditiſſimi viri non ſunt aſſecuti, dumtaxat Salariam a Collina derivantes. Inter quos Cellarius, ut ultima Strabonis verba (ὑπὲρ τῆς αὐτῆς πύλης ἀρχομένη τῆς Κολλίνης) ad Salariam unice referat, illud τῆς αὐτῆς interpretatur *ab ipſa* [non *ab eadem*, uti par erat] *porta Collina*: quem videſis in fine Italiae ubi de Viis. Ibidem [ubi de Nomentana] nollem addubitaſſet, utrum haec in Salariam, an contra Salaria in Nomentanam deſineret. Atqui Nomentana apud Eretum [ubi in Salariam incurrebat] finiebatur: Salaria autem non tantum Sabinos percurrebat univerſos, verum etiam *in Picenum mittebat*, ut ex hoc Actorum iſtorum loco intelligis.

Sed eodem redeo, ut extrema Geographi verba adhuc ultimo limae morſu expoliam. Nec enim temere eſt, quod non ſcripſit, Nomentanam [ἄρχεσθαι ΑΠΟ. ſed ΥΠΕΡ τῆς αὐτῆς πύλης] *incipere AB*, ſed *SVPRA eamdem portam* Collinam, a qua Salaria proficiſcebatur. Hoc enim ſibi vult, Salariam quidem a Collina exiſſe (id quod & Tacitus in III. hiſt. 82. ſignificat) Nomentanam autem non quidem ab ipſa Collina, ſed prope (nam ὑπὲρ, *ſupra*, in rebus geographicis vicinitatem notat) Collinam a pomerio ſive ambitu muri cepiſſe exordium. Ea mens Amaſeno fuit ὑπὲρ pro ἀπὸ uſurpanti.

[181] Conſentit Procopius in II. de B. Got. de Auximi ſitu haec narrans: *Abeſt a littore ſinus Jonii*

Digitized by Google

VII N S CVRILLV EPI

ET hunc die non ſuo coli ex nota *Natalis* inſculpta intelligitur, aliunde adſciſcendum; nec enim uſpiam quod ſciam hoc die Cyrilli ullius veſtigium occurrit. Sunt autem Cyrilli martyres (182) ſane plures, qui huc non pertinent: ſunt & epiſcopi duo, Trevirenſis unus die XIX. Maii, alter Slavorum Apoſtolus appellatus, qui hoc marmore poſteriores ſunt. Erunt fortaſſis & alii hoc nomine epiſcopi. Sed omnium celeberrimi fuere, Hieroſolymitanus unus, alter Alexandrinus. Prior in his Faſtis die XVIII. Martii cum Graecis ac Latinis ſignatur. Non alius ergo hodiernus Cyrillus futurus eſt, quam Alexandrinus; quem Latini die XXVIII. Januarii venerantur. At Graeci in libris ſuis tria, quod adhuc repererim, de eo feſta agunt: ſemel quidem die XVIII. Januar. junctim cum S. Athanaſio (quod feſtum ab hoc marmore non abeſt, niſi quod prior Athanaſius ſcalpitur, poſterior pro more ſubauditur: vide adnotatum diem) iterum ſolus die (183) XXVII. Junii: ac poſtremo die (184) IX. Junii. At in his Faſtis quia dies 27. Junii Irini Paſſione, dies vero IX. Junii Nicaſii Paſſione (quae ſunt feſta diebus illis propria, non temere loco movenda) occupatur; hinc eum Neapolitani hoc die repoſuerunt, viciniore ſcil. diei nono.

Obſervavi autem, in hoc marmore *Patriarchalem* dignitatem non niſi in urbis Regiae epiſcopis, neque id ſemper, uſurpari; ceterarum autem ſedium Patriarchas ſimpliciter *Epiſcopos* appellari, nuſquam autem *Patriarchas*. Imo, quod majus eſt, PATRIARCHA ſine addito in his Faſtis non alium quam CPolitanum notat, ut alibi non ſemel animadvertimus: adeo apud Neapolitanam remp. CPolitanae urbis, cui ſe non uno modo ſubjectam agnoſcebat, reverentia valebat.

VIII N S ALEXANDRI EPI

NVllus alibi Epiſcopus Alexander huic diei inſcribitur: & ceteroqui *Natalis* nota oſtendit, qui heic ſignatur, eum die non ſuo coli, undelibet potius arceſſendum. Ac poterat ſane ex vicino peti: nam in Eccleſiae Veronenſis tabulariis die IV. Junii occurrit Depoſitio *S. Alexandri* ejus urbis Epiſcopi, etiam in Romanum hodiernum invecti. In quo Martyrologio etiam die VI. Junii Faeſulis in Tuſcia *S. Alexander* Epiſc. & Martyr ponitur. Verum *hi duo* Alexandri & obſcurioris ſunt nominis, quam ut de alterutro cogitemus, ac praeterea

Junii [ſic Graeci Hadriaticum vocant] *ſtadia LXXXIV., ſitaque in EDITO COLLE, aditum habet in plano nullum, eoque hoſtibus penitus inacceſſa eſt.*

(182) Inter martyres referri poteſt Antiochenus Cyrillus, qui die XXII. Julii Mrologio Rom. his verbis inſcribitur: *Antiochiae S. Cyrilli epiſcopi doctrina & ſanctitate conſpicui.* Vbi Baronius adnotat, in Actis reperiri ſcriptum, *ipſum ob Chriſti fidem paſſum, ac tandem in carcere Deo ſpiritum reddidiſſe.* Verum is nihil commune habet cum noſtro.

(183) Colitur S. Cyrillus die XXVII. Junii in Baſilii Menologio, & aliis Graecorum libris.

(184) Henſchenius (ad IX. Junii pag. 147. in praetermiſſis) eum dicto die non tantum a Graecis, ſed & Aegyptiis & Aethiopibus celebrari teſtatur his verbis: *S. Cyrillus Epiſc. Alexandrinus colitur a Graecis in Menaeis, & Menologio* [Sirletianum ne intelligat, an Synaxarium aliquod, neſcio: nam a Baſilii Menologio id feſtum dicto die certe exſulat] *item in Kalendariis Copticis & Aethiopicis; necnon Hagiologio metrico Anonymi Habeſſini nuddum edito.* Ex quo vides hunc diem celebriorem ceteris feſtivis fuiſſe; in quem praeter Graecos, etiam Aegypti & Aethiopiae Eccleſiae conveniant. At eum diem noſtri, S. Nicaſii paſſione compulſi, biduo anteverterunt.

Digitized by Google

terea recentis (185) memoriae.

Tres ergo clariſſimi Epiſcopi *Alexandri* ſuperſunt, *Alexander Alexandrinus* [qui diei 26. Febr. inſcribitur apud Bollandiſtas p.634.] *Alexander CPolitanus*,(qui ab Vſuardo & Mrologio Rom.diei XXVIII. Auguſti inſeritur, at idem a Graecis die 30. Aug. colitur) ac poſtremo Hieroſolymitanus, de quo Graeci die XII.Decembris, Latini die XVIII. Martii.

Sane vero ſi ex tribus his tantum clariſſimis Epiſcopis unus ſit deligendus, quem hoc die a Neapolitanis cultum conjiciam, nemo eſt de quo magis ſuſpicer,quam de Alexandrino Alexandro. Cur ita putem, dicetur a me alio loco.

At interim illud eſt potius conſiderandum, an non hodiernus noſtri marmoris Epiſcopus idem ſane ſit atque Alexander Pruſae in Bithynia Epiſcopus, cujus non hoc ſed craſtino die quidam Graecorum libri ſine elogio mentionem faciunt apud Bollandiſtas ad IX. Junii pag. 164. Nam quod in noſtris Faſtis is pridie ſignetur, hoc nihil eſt; quia eſt hoc libris Graecorū familiare, ut uno alterove die contiguo in eiſdem Sanctis ſignandis inter ſe differant; & non ſemel animadvertimus hos Faſtos marmoreos biduo triduove a Graecorum Officiis diſſidere ; praeſertim ſi Natalis nota praefigatur. In Claromontano igitur Synaxario die IX. Junii ſic legitur; Ἄθλησις τῶ ἁγίυ ἱερομάρτυρος Ἀλεξάνδρυ ἐπισκόπυ Πρύσης, *Certamen S.Hieromartyris Alexandri Epiſcopi Pruſae.* Sed & eodem die ejuſdem Alexandri memoriam Bollandiani repererunt tum in Graeco Ambroſiano codice liturgico, tum etiam in Mss. Menaeis Mazarinianis, Patrum Praedicatorum Congreg. S. Ludovici, & Chiffletianis : in quorum ultimo additur : ξίφει τελειῶται, *gladio conſummatur*, adjunctis ſenariis duobus,

Παντυφρικτὶς σοι κόσμος ἱερωσύνης
Ὁ λαμπρὸς ἄθλος, Ἀλέξανδρε, τῶ ξίφυς.
Quodnam inſulis decus eſt, Alexander, tuis
Majus, niſi ut truncatus enſe concidas ?

Ad Menaea quod attinet, ab iis quibus utor, Venetae editionis, Alexander hic abeſt : ſed tamen Mich. Le Quien in *Oriente Chriſtiano* primum (186) Pruſae Epiſcoporum Alexandrum recenſet, non aliunde hauriens de eo notitiam, quam ex Menaeis, in quibus die IX. Junii Memoriam fieri dicit καὶ τῶ ἁγίυ ἱερομάρτυρος Ἀλεξάνδρυ ἐπισκόπυ Πρύσης, *& ſancti Hieromartyris Alexandri Epiſcopi Pruſae*. Vbi ex copula *Et* ſatis cognoſcitur, eum cum alio quopiam ſimul fuiſſe in illis Menaeis cultum.

VIII P S NICASII

MArtyrem fuiſſe, ex praefixa *Paſſionis* nota intelligimus. Verum quiſnam hujus diei Nicaſius Martyr fuerit, haud facile dictu exiſtimo.Nec enim in ullis Graecorum aut Latinorum libris Eccleſiaſticis hoc die Nicaſius ullus comparet. Experiundum eſt tamen, ſiquid aſſequi indagando poſſimus. Nam vel ſi minus res e ſententia ſucceſſerit, at conſcientia ſaltem nullius praetermiſſae indaginis ſatis ſolabitur.

CAP. I.

Plurium Nicaſiorum recenſio.

Atque ut inde ordiar ; *Nicaſii* nomen extra Galliam perquam (187) rarum, in Galliis contra frequentiſſimum invenio,

(185) Nam Veronenſis VIII. ſinienti ſaeculo aſſigitur a Ferrario : at Faeſulanus in IX. medium incidit.

(186) Ex conjectura ſcil. qua putavit, eum S. Patricio Mart.[quem Alexandro poſtponit] antiquiorem fuiſſe. At nos ad XIX. Maii luculenter oſtendimus, S. Patricium ſub Trajano (ac ſatis veriſimiliter centeſimo Chriſti anno) glorioſum certamen ſubiiſſe. Quo recentiorem fuiſſe hunc Alexandrum neceſſe eſt.

(187) Extra Galliam *Nicaſium* quemdam laicum ſub Conſtantino reperio, quem dignitate aliqua ornatum fuiſſe neceſſe eſt. De eo videatur Baronius ad annum 314. §. 45. in exemplo epiſtolae Conſtantini ad Ablavium. Hunc quidem ſi quis Gallum genere fuiſſe per-

ten-

Digitized by Google

ita ut intra trium saeculorum ambitum in aliquammultos (188) ejus nominis in Gallia florentes inciderim; quibus plures fortassis aliorum diligentia addiderit. Verum quatuor tantum ex his omnibus maxime illustres fuerunt, & aut cultum sacrum adepti, aut digni qui adipiscerentur: quos jam ordine chronologico recensebimus.

Primus is est, qui Gallico Mrologio Andreae de Saussay die XI. Octob. his verbis describitur:. *S. Nicasius Martyr, antistes Rotomagensis a S. Dionysio vices in Gallia Apostolicae sedis obeunte designatus, & in Secundam Lugdunensem ... Evangelii promulgandi ergo ... ablegatus.* Verum uti hujus Nicasii Martyris certissima est notitia, ita de episcopatu Rotomagensi, & aetate qua vixit, viri eruditi a Saussayo dissident: de quo vide quae in extrema (189) ora adnotamus.

Alter ordine Nicasius is est, qui in Nicenae synodi subscriptionibus cernitur, episcopus *Divionensis*, sive (quia ea sedes num-

tenderit, quemadmodum non repugnabo, ita nec praestare possum. Quamquam is verisimilius Africanus fuit, in qua & Ablavius erat. Et in Africa mihi certe Nicasius unus & alter occurrerunt. Quorum unus sive Leptitanus, sive Oeensis aedilis erat: quem Ammianus cum aliis pluribus necatum scribit in XXVIII. cap. 6. edit. Vales. *Inter quos ... Nicasius enitebat aedilis.* Alter item in Africa episcopus fuit, ille scil. *Nicasius Culasitanus*, qui in concilio Carthaginensi sub Grato memora ur.

Sed & tertius item admittitur passim Africanus ejus nominis episcopus Donatista, quem volunt ad Arianos defeciſſe, freti Victore Vitensi in extrema historia persec. Vandal. ubi sic vulgo editum reperitur: *Sed & ille legis dator & transversor, ex Donatianorum haeresi ad eos* (Vandalos scil. Arianos) *veniens, quondam Nicasius in brevi simili morte periit.* Verum Ruinartus ex veterum in Mss. lectionum vestigiis ita locum eumdem edidit, ut *Nicasius* (pro quo in Mss. erat *Vcasius* aut *Vtasius*) jam nullus supersit. *Sicut ille legis datae transgressor Rex* (Joakim scil. quem Jeremias XXII. 19. sepultura asini donat) *quondam ut asinus sepultus est, ita iste* (Hunnericus) *in brevi simili morte periit.*

(183) 1. Primus omnium is est S. Nicasius Mart. qui die XI. Octobris in Gallicanis Mrologiis colitur, quique inter socios S. Dionysii Parisiensis numeratur.

2. Nicasius Diaconus, qui anno 314. Conc. Arelatensi interfuit.

3. Nicasius Diensis episc. qui Nicenae Synodo subscripsit.

4. Nicasius nescio quis, quem Sardicensi Concilio subscripsisse, alicubi apud Tillemontium reperi. Verum inter ejus Synodi subscriptiones nusquam hunc Nicasium deprehendi.

5. S. Nicasius episc. Remensis qui ineunte aut medio V. saeculo Martyr occubuit.

6. Nicasius quidam Gotorum Arianorum in Gallia episcopus V. saeculo, qui Pompejacensem ecclesiam unaque S. Vincentii Martyris socii S. Fidei tumbam evertit, uti narrat Tillemontius to. IV. ubi de S. Fide cum suis sociis Martyribus.

7. Alter Remensis Nicasius sub Heraclio Imp. ex Ferrario & aliis.

8. In Conc. Matisconensi an. 585. occurrit Nicasius episc. Inculismensis.

9. In Annalibus Ecclesiasticis Gallicanis Caroli Contii legitur anno 652. Nicasius monachus Elnonensis. Nec abnuerim, plures alios (praesertim VI. & VII. saeculi) meam effugisse ceteroqui morosam diligentiam.

(189) Quin Nicasius iste unus ex sociis S. Dionysii Parisiensis fuerit, haud dubitat Tillemontius tom. IV. in S. Dionysio Artic. 18. Quare quum idem vir summus S. Dionysii passionem ad Aureliani tempora referat; ad eadem possumus & hujus S. Nicasii martyrium revocare. Haec de aetate.

At quod Saussayus hunc Nicasium primum episcopum Rotomagensem numeret, *id* pernegat Tillemontius; eumdem dumtaxat presbyterum fuisse ostendens ex Vsuardo, qui eum in Martyrologia primus invexit: primus, inquam, quia in Corbejense Hieronymianum apographum, & Adonem non nisi ex recentiore manu Nicasius die XI. Octob. intrusus fuit; qui ab antiquioribus Hieronymianis, & Adone nostri Dominici Georgii rectissime exsulat. In Vsuardo igitur Solleriano dicto die sic legitur: *In pago Vilcasino* (hodie *le Vexin*) *passio sanctorum Nigasii PRESBYTERI & sociorum ejus Quirini & Pientiae.* At postquam Vsuardi textus variis accessionibus patuit, etiam *a presbytero* evasit *episcopus*, ut in aliquot Vsuardi auctariis a Sollerio editis legitur, aut etiam *primus Rotomagensium episcopus* ut in Cenalensi cod. scriptum reperitur: id quod ex Actis haud fide dignis manavit.

Digitized by Google

numquam episcopalis fuit) ex aliorum correctione *Dinienſis*. Quamquam, quia inter Dinienſes antiſtites nullus eo nomine fuit, alii cenſent, Nicaſium hunc Nicenae ſynodi ſubſcriptorem fuiſſe re vera non alius quam *Dienſis* eccleſiae praeſulem; inter cujus epiſcopos quidam *Nicaſius* fuit, cujus corpus in ſua Cathedrali ſaec. XI. colebatur. Verum quae ad hunc Patrem Nicenum pertinent, ea praeſtabit non ex turbidis (190) fontibus, ſed ex Sanmarthanorum (191) Gallia Chriſtiana cognoſcere. Quam vellem de hujus Dienſis pontificis religioſo cultu certiora monumenta exſiſterent. Nunc non aliud eo pertinens reperio, quam quod in Bulla Hugonis Dienſis Apoſtolicae ſedis legati Nicaſii hujus Dienſis ac Niceni patris *VENERABILE corpus in eadem ſacra* (Dienſi) *requieſcere Eccleſia* dicatur: quae tamen locutio non plurimum habet ad cultus poſſeſſionem ei vindicandam momenti.

Tertius longe eſt ceteris celebrior, *Nicaſius* Remenſis epiſcopus, qui V. ſaeculo (ineunte an medio, incertum) glorioſus Martyr occubuit. Ejus meminere in primis Hieronymiani antiquiſſimi Mrologii apographa; in quorum vetuſtiſſimo illo Epternacenſi codice die XIV. Decembris (quo die ab omnibus colitur) ſic ſcribitur: *Remis natalis Nicati epiſcopi*. At in Corbejenſi: *Remis S.Nicaſii*: & in Lucenſi: *Remis natalis S.Nigaſi epiſcopi*. Porro *Nigaſium* pro *Nicaſio* etiã ſuperiorem illum, qui die XI. Octob. celebratur, Vſuardus vocavit. At hodie vulgo apud Gallos ſic diſtinguitur, ut Martyr Vilcaſinus *S.Nigaiſe* per G pronuntietur, Remenſis autem per C, *S.Nicaiſe*: quum revera unum idemque ſit utriuſque nomen.

Ad recitatum autem Hieronymiani

(190) In Claudii Roberti Gallia Chriſtiana re vera inter *Dinienſes* antiſtites hunc Nicaſium numerari deprehendi, eum ſcil. qui ſolus ex univerſa Gallia Niceno ſenatui affuit: quem alii antea inter *Divionenſes* recenſuerant: utrumque parum recte.

(191) Quum *Galliam Chriſtianam* Sanmarthanorum nuſquam Neapoli nanciſci potuiſſem; per eruditum adoleſcentem Emmanuelem Thomaſium presbyterum Neapolitanum Romae degentem ea mihi ex laudato opere deſcribenda curavi, quae huc pertinent. Ibi to. 2. in ſerie Dienſium pontificum pag. 554. ſic legitur.

» V. Nicaſius celebris inter Gallicanos Epiſcopos vixit circiter an. 325. interfuitque Nicenae Synodo ſolus ex provincia Gallorum, ut produnt acta Conciliorum, & vita B. Marcelli. Non igitur Dinienſis Praeſul, quemadmodum interpretantur quidam, & perperam inſcribitur Eccleſiaſticis tabulis hujus Eccleſiae: namque in bulla Hugonis Dienſis, Sedis Apoſtolicae legati, fit mentio *memorandi illius Nicaſii, qui pro Eccleſia Gallicana ſanctae & oecumenicae adfuit Nicenae Synodo, cujuſque venerabile corpus in eadem ſancta requieſcit eccleſia*. In vita Marcelli Epiſcopi memorata recenſetur inter cetera legatio Nicaſii ad hanc Synodum Nicenam, ac reſponſum Patrum Gallis per Nicaſium relatum.

Et infra pag. 558. in ſerie Dinienſium Epiſcoporum haec de laudato Nicaſio habentur.

» At vero praetermitti hic non debet, pleroſque falſo inſeruiſſe Catalogo Dinienſium » Epiſcoporum Nicaſium, qui Dienſis revera » Praeſul fuit in Provincia Viennenſi, numquam vero hujus Dinienſis Eccleſiae in Provincia Alpium Maritimarum: & ſolus ipſe » Nicaſius, ut memoratum eſt, ex Epiſcopis » Galliarum inter 318. Patres celeberrimae » Synodo Nicenae interfuit. Aſtruunt vero » Nicaſium Sedi Dinienſi Fronto Ducaeus, Papirius Maſſo, (Claudius) Robertus, Galterius, Petrus Saxius in Arelatenſi Pontificio, » & alii. Quod autem ex Praeſulum diptychis » expungatur, penes legendarium ſit fides; & » Gaſſendus adductum ſe fatetur ſcriptis Rivierae Cartuſiani: videlicet D. Vincentium » ſupervixiſſe adhuc aetate Synodi Valentinae, » ideſt annis 49. poſt Nicenam, & poſt Mediolanenſem 19. probatque legi debere in » ſubſcriptionibus Synodi *Dienſem*, cùm Nicaſius ille certo eſſet hujus Eccleſiae Pontifex: interque cetera hanc ſuam aſſertionem probat ex Apoſtolico diplomate legationis Galliarum collatae Hugoni Pontifici » Dienſi anno 1076. Atque haec de Nicaſii vel » expungendi, vel reſtituendi ſuae Eccleſiae tabulariis dicta ſufficiant; de quo conſule fuſius Gaſſendum in notitia ſuae Dinienſis Eccleſiae cap. 8.

Digitized by Google

Mrologii locum adnotata Florentinii huc libenter adscribam *Vndecimus Remensis episcopus numeratur in serie illius Ecclesiae praesulum apud Sammarthanos : quem martyrium cum Eutropia sorore et sociis fecisse signant circa finem anni* 407. *sive a Vandalis sive ab Hunnis die* 4. *Dec. sive* 14. *acciderit* (192) *Acta habet Surius to.*12. *Et Flodoardus lib.*1. . . *Meminit Rom. Mrologium , et eũ eo Vsuardus, Ado, Rabanus et ceteri recentiores.* Sane de Rabano , ut & de Vsuardo recte monet Florentinius, apud quem alterum diem XIV. Dec. sic in Solleriana editione legitur : *Remis passio sancti Nicasii episcopi , et Eutropiae Virginis sororis ejusdem* . At abest ab Adone sincero Dominici Georgii ; qui tamen vir eruditus subnotat, in tribus codicib. eod.die XIV. hanc reperiri appendicem : *Remis natalis Sancti Nicasii episcopi et martyris , qui a Vandalis pro fide Christi decollatus est intra domum Ecclesiae* . Haec nunc de Nicasio Remensi sufficiant : de quo postea plura viderimus .

Quartus denique est S. Nicasius item Remensis episcopus , quem sub Heraclio Imp. sedisse , ex Remensis Ecclesiae tabulis Ferrarius ostendit , qui eum in catalogum Sanctor. extra Rom.Mrologium die XVI. ejusdem Decembris intulit. De eodem citat Sigeberti chronicon ad an. 631. & Nauclerum ; *licet* , inquit, *in Tab. apud Democh. non appareat* .

CAP. II.

Quisnam hodiernus Nicasius esse videatur.

Ex quatuor recensitorum Nicasiorum numero eximendus est alter , qui Concilio Niceno interfuit , itemque quartus , qui sub Heraclio Imp. Remensi praefuit Ecclesiae ; nam de neutrius martyrio quidquam traditum litteris exstat , Niceno autem Patri ne sacri quidem cultus possessio suffragatur . De primo igitur , qui tertio exeunte saeculo in pago Vilcasino martyr occubuit , itemque de tertio , Remensi episcopo ac martyre , disquiri potest , uter eorum in nostro Kalendario signari hodie quiverit .

Ac prior quidem Vilcasinus pugil antiquitate alteri Remensi longo intervallo praeit: cui & hoc addi potest, quod ob ejus memoriã *Nicasiorum* nomen apud Gallos longe lateque propagatum mihi videatur. Nam ante hunc Vilcasinum nusquam nec apud profanos (193) nec apud Christianos auditum hoc nomen memini : at postgisse memini : nisi huc trahere libeat , quod in basi praegrandi apud Grut. p.241. col. 1. scribitur , SER. CORNELIVS. NICAS. forsitan pro *Nicasius* . Ceterum *Nicasius* in Constantini epistola memoratus incertae religionis erat; sicuti & Ammiani *Nicasius aedilis* haud certo gentilibus est accensendus . Adhaec Stephanus *Nicasius* nomen proprium esse tradens , tamen gentilis an Christiani , dicere supersedit . Et hoc quidem nomen ex insula *Nicasia* , una ex Sporadum numero , manare primitus debuit : cujus insulae meminit Plinius in IV. 12. cujusq. situm prope Naxum Stephanus & Suidas docent. Sed Stephani locum non invitus adscribam . Νικασία , νησίδιον μικρὸν πλησίον Νάξου . *Nicasia perparva est insula prope Naxum* . Totidem verbis Suidas . A Naxo Plinius ceterarum insularum finitimarum, quas IV. 12. recenset , intervalla colligere haud raro erat . Pergit Ethnicographus : *Ejus gentile nomen est* (Νικάσιος) *Nicasius , uti* (Θηρασία) *Therasius , & genere femineo & neutro* (inclinatur) . *Est & nomen proprium* (Νικάσιος) *Nicasius* .

(192) Haec Ferrarius ex Sanmarthanis . Quae tamen satis negligenter ex eo opere fuisse contracta , ex integro Sanmarthanorum loco , quem idem a me supra laudatus Thomasius descriptum misit , judicari potest . Qui locus in Remensium antistitum serie hunc in modum habet . *S. Nicasius martyrium passus a Vandalis una cum sorore Eutropia & sociis , sub finem anni* 407. *quarta* (sed scribere prorsus in animo habuerunt , *decima quarta*) *Decembris , licet alii occubuisse referant sub Hunnis an.*453. *qua de re legendi Colvenerius in notis ad Flodoardum lib.*1. *cap.*6. *& Molanus in Natalib. Belgicis , quorum verba exscribere omisimus . Quae autem narrat idem Flodoardus de morte hujus Episcopi , ea desumpsit ex gestis ipsorum Martyrum , quae extant etiam apud eumdem Surium tomo* 7. *& alios Scriptores . Abbatiam habet sui nominis Nicasius in urbe , ubi olim SS. Vitalis & Agricolae Ecclesia . Ipse vero dicitur condidisse basilicam S. Mariae , ubi constituit Cathedram Remensem , quae antea in aede Beatorum Apostolorum fuerat aedificata .*

(193) Nullumdum ex profanis *Nicasium* le-

Digitized by Google

poſtquam illuſtris hic athleta ſanguinem pro Chriſti confeſſione profudit, ſtatim Chriſtiana Gallia id nomen ambivit. Accedit quod idem Martyr in Vſuardi Mrologio, & aliis quibuſdam ſibi locum quaeſivit.

Ceterum ubi ab antiquitate diſceſſeris, ſi de claritudine certamen inſtituatur, pluribus partibus ſuperior Remenſis martyr evadet; quippe cui non tantum in Adonem et Vſuardum & alios ſecutos Martyrologes, ſed & in ipſa Hieronymiana mrologia patuerit aditus. His accedit hujus Remenſis pontificis celebritas tanta, ut nomen Remenſi baſilicæ dederit: quae antea ab Jovino magiſtro militiae ſub Agricolae & Vitalis Martyrum nomine conſtructa, poſt illatas hujus Nicaſii reliquias *Nicaſiana* ab eo tempore eſt appellata. De hoc Nicaſio exſtant Acta paſſionis apud Surium die XIV. Decemb. lectu digniſſima: de eodem & Hincmarus & alii honorifice meminerunt, & omnium copioſiſſime Flodoardus plenis buccis res ejus geſtas & mortem pro Chriſto obitam ſuae Hiſtoriae intexuit. De cujus cultu haec habet Sollerius ad Vſuardi XIV. Dec. *Patet Nicaſii cultus tota Gallia, praeſertim in provincia Remenſi, et inde toto etiam Belgio celeberrimus*. Et quum ejus pretioſae Reliquiae in plures Eccleſias maximo ſtudio aſportatae fuerint; fieri poteſt, ut & Neapolitanis aliqua pars contigerit, cujus rei gratia hodierno die ejus feſtum majores noſtri in Faſtos retulerint.

Haec quidem maxima veri ſimilitudine non carerent, niſi illud tamen obſiſteret, primum quod *Epiſcopi* dignitas, quae perraro in his marmoribus omitti ſolet, hinc abſit; deinde quod Nicaſii feſtum omni tempore die XIV. Decembris celebratum fuerit, eoque die eum decertaſſe veriſimile videatur: nunc vero in hiſce marmoreis Faſtis Nicaſius hodierno diei inſeritur: neque id praepoſita *Natalis* (quae vox diebus non ſuis in hoc marmore praefigi ſolet) verum *Paſſionis* nota, ex qua intelligitur, hodiernum Nicaſium hoc ipſo die fuiſſe coronatum. Eſtne vero credibile, verum Nicaſii Remenſis triumphalem diem Hieronymianis ac ſecutis mrologiis, adhaec autem & toti Galliae ignotum, unis Neapolitanis fuiſſe perſpectum?

Ob eam cauſam eo poſtremo labebar, ut conjicerem, hodiernum hujus Kalendarii *Nicaſium* diverſum ab omnibus Galliae Nicaſiis fuiſſe, ac facile hujus viciniae Martyrem aliquem exſtitiſſe, nunc demum poſt tot ſaecula ignotum; aut vero Africanum aliquem athletam (nam & in Africa, ut vidimus, non incelebre Nicaſiorum nomen fuit) in Vandalica perſecutione mortem aut tormenta perpeſſum, atque una cum aliis fortiſſimis athletis ſive viventem in Campaniam appuliſſe (de quorum appulſu non una exſtat in mrologiis mentio) ſive poſt paſſionem translatum. Vtinam exſiſtat alius felicior, qui aliquando exploratiora de hodierno Nicaſio proferre orbi erudito queat.

Verum tantiſper, dum certiora aucupamur, non licebit interim ab uno omnium per Occidentem celebratiſſimo Remenſi Nicaſio diſcedere, eumque hoc die a Neapolitanis cultum abnuere. Fortaſſis enim Neapolitanis eo aut ſuperiore tempore monumenta aliqua [ſive vera ſive ſpuria] ad manus erant, quibus docerentur, verum hujus Athletae Paſſionis diem in IX. Junii incidiſſe, eoque ab eiſdem in hoc Kalendario Nicaſii *Paſſionem* huic diei fuiſſe aſſignatam. Ac de Antiſtitis hujus tum anno tum die θανατίμῳ plura equidem ſeorſum in ſubjectam (194) adnotationem contuli, quae ab rerum ejuſmodi amatoribus legi per otium poſſint, tuto interim a ceteris praeteriri.

X

(194) *De anno & die paſſionis S. Nicaſii Remenſis,*

Si Acta paſſionis S. Nicaſii hujus audimus, in quibus irruptione Vandalica is martyrium feciſſe

fecisse scribitur; necesse erit V. ineunte saeculo, quo primum Vandali in Gallias inundantes Remorum urbem crudeliter ac modis omnibus divexarunt, id contigisse.

Sed jamdiu Sanmarthani [quorum verba supra in Adnotationibus adscripsimus] monuerant, non deesse, qui Nicasii confessionem ad Hunnorum tempora conferre maluerint. Eaque sententia Tillemontio arrisit; qui non uno suarum memoriarum loco, sed praesertim to. ult. Imp. in Attila Art. 14. Not. 4. non ad Vandalorum, sed ad Hunnorum sub Attila irruptionem, per quam Remorum civitas extrema iterum passa fuit, Nicasii certamen refert. Eamdem sententiam passis ulnis amplexus est Pagius. Quorum criticorum momenta rationum lector, tanti videbitur, cognoscere per se poterit. Hos si sequimur, in annum 451. ex Tillemontii calculis Nicasii passio inciderit necesse est.

At contra Ruinartus (cui praeter alios Colvenerius in adnotatis ad Flodoardum in eam sententiam dux praeiverat) in suo commentario historico de persec. Vandal. pro Remensis Ecclesiae traditione stat: quae traditio IX. & X. saeculo, testibus Hincmaro & Flodoardo, a Vandalis Nicasium oppetiisse agnoscebat. Adde quod hoc ipsum & Acta martyrii, quae haud paullo antiquiora his testibus fuisse necesse est, prae se aperte ferunt. Sed & Flodoardus, quod ex Hieronymi ad Agerruchiam epistola testimonium describit (qui locus totus est de Vandalorum aliorumque barbarorum tunc temporis crudelitatibus) id inquam testimonium cum Hunnorum temporibus nihil commune habet.

Tamen qui contra sentiunt, id in ea traditione criminantur, quod Remorum vastatio & Nicasii passio paganis auctoribus tribuatur, quum contra re vera Vandali Christiani fuerint, etsi Ariana labe infecti. His respondetur, Vandalos nec omnes Christianismum tunc amplexos videri, & qui amplexi fuerunt, eos adhuc paganicis plerisq. superstitionibus fuisse implicitos.

Nunc illud videamus, an ex S. Nicasii aequalibus praesulibus lux aliqua affulgeat. Et quidem *S. Aniani* Aurelianensis episcopatum (cui Nicasius in ejus Actis & Flodoardo σύγχρονος inducitur) volunt latissime patuisse; ut utramvis opinionem sequare, Nicasius Aniani amicus esse potuerit. Addit porro Flodoardus & alios Nicasii aequales duos, *Lupum* Tricassinum, & *Servatium* Tungrensem. De Lupo quidem quando sederit, alii viderint. At de Servatii aetate, ad initia ne an medietatem V. saeculi sit referenda, paullisper experiamur. Henschenius ad XIII. Maii in S. Servatio Tungrensi num. 12. & sequ. ostendit, & quidem ex, antiquissimo Ecclesiae Trajectensis pittacio, hunc praesulem excessisse ex hoc saeculo anno 384. die XIII. Maii quum esset Fer. 2. Pentecostes: qui quidem characteres pulchre in annum 384. conveniunt. Ex quo palam fit, Nicasii, quem ineunte V. saeculo interemptum volumus, episcopatum cum Servatii pontificatu concurrere potuisse. At si idem Nicasius medio V. saeculo sanguinem effudisset, nullo modo Nicasius episcopus Servatium antistitem nosse potuisset. Ac Flodoardus quidem SVB [i. e. proxime ante] Vandalorum irruptionem eos episcopos simul vixisse dicit, ac suis precibus hoc tantum flagellum aliquamdiu distulisse. quod malum diu dilatum, tandem erupit. *Sub hujus vero* (inquit) *tempestatis turbinem glorioso renitebant in Galliis inter episcopos viri Sanctissimus Remorum praesul Nicasius, & beatiss. Aurelianensium pontifex Anianus, sanctus quoque Lupus Tricassinus, & beatus Servatius Tungrensis antistes, aliique nonnulli virtutibus insignes: qui hanc indignationis Dei suis meritis ac precibus iram diu differre certaverunt.* Hic sane locus cum detecta Servatii aetate collatus mihi videbatur litem posse dirimere, ac Vandalicae impressioni h. e. anno 407. Nicasii martyrium affigere.

Sed sero animadverti jam pridem Pagium huic rationi occurrisse: qui duos adtrait Tungrenses Servatios; quorum junior (quem seniori proxime successisse vult) ad Attilae & Nicasii tempora pervenerit. Adhaec Lupum Tricassinum anno 428. episcopatum iniisse ex auctore vitae docet (etsi Tillemontius in S. Lupo, Pagium refellens, ejus episcopatus initia retrahit ad an. 426.) ut facile hic quoque ad Hunnicam calamitatem vivendo processerit. Cetera apud eumdem criticum videantur, tum ad annum 407. & 451. [ubi multus in Nicasii temporibus est] tum etiam ad 428. ubi quaedam de Lupo attingit. De Aniano Aurelianensi hoc tantum addam, certum quidem esse [uti ostendit alicubi Tillemontius] eum anno 453. biennio post Hunnorum irruptionem ex hac vita migrasse: at quamlibet longus ejusdem episcopatus fingatur, vix fieri potuisse, ut jam tum ab anno 407. in cathedra Aurelianensi sederit. Ex dictis intelligitur, non nisi anno 451. Nicasii certamen assignari posse. Ceterum quod Acta ubique Vandalos pro Hunnis nobis obtrudant, id eo fit, quod, ut ex Grotio ostenditur, *Vandalorum* nomine omnes ejus temporis barbarae nationes venirent.

Haec de anno emortuali. Quem tamen nescio cur Bailletus (ad 14. Dec.) qui haec ultima attigit, adhuc Vandalicae irruptioni anni 407. assi-

X NT S BARNABE APLI

CAP. I.

Vnde haurienda sit S. Barnabae historia.

DE S. Barnaba Apostolo ea solum indubitata habemus, quae de eo in S. Lucae Actis Apost. scribuntur usq. ad id tempus, quo is a Paulo divertit. Ceterum alia plura de eo Clemens Alex. plura Chrysostomus in Homiliis ad Acta Apost. prodiderunt: haud pauca etiam ex ceteris antiquis scriptoribus corradi possunt, ut plenior de eo historia componatur: id quod breviter quidem sed accurate Tillemontius praestitit. At ex antiquis nemo unus exstitit, qui ad Barnabae res gestas pertexendas optimam fidem una cum judicio attulerit. Nam quae tria de hoc Apostolo commentaria antiquitus scripta circumferuntur, utroque aut alterutro peccare deprehenduntur. Inter ea vero primus antiquitatis locus debetur ei libello, qui sub specioso Joannis Marci nomine personatus, haud ineptis aevi sequioris viris fraudi fuit. Proxime sequitur Alexandri monachi laudatio. Vltimum antiquitatis gradum Acta Latina meo judicio obtinent, quae integra prius Mombritius, mox priorem partem Papebrochius die XI. Junii edidit. De horum singulis dum nos aliquot animadversiones proferemus, eadem opera παραλειπόμενα, siqua forte ceteros praeterierunt, de hoc Apostolo in medium proferemus.

CAP. II.

Ad Acta Joanni Marco tributa.

§. I. *Horum Actorum notitia. Quis auctor. Ejus aetas, patria, genus....*

Meminerat hujus historiae primus ex scriptoribus, qui nunc exstant, Sigebertus [195] Gemblacensis. Eamdem Baronius ad ann. LI. acri censura notavit, *ab aliquo nebulone scriptam* docens, & *apertissimis coagmentatam mendaciis, ut sunt ea potissimum .. quae Actorum Apostolorum historiae .. repugnant.* In eo tamen Baronium forsitan memoria fefellit, quod in Abdiae libro ea Acta circumferri subdidit. In nulla enim Abdiae editione hunc

affigere maluerit. Sed facile Tillemontiana & Pagiana virum doctum praeterierunt.

Diem autem passionis eumdem vulgo ac festivitatis, h. e. XIV. Decembris, habent. Flodoardus *hiemali tempore* ejus festum agitatum fuisse significat, ceterum die ac mense supersedens. At in Hieronymi & posterioribus Mrologiis ea festivitas diei XIV. Decembris affigitur. Sed ut fatear; ex Actis ac Flodoardo satis intelligitur, in illa Remorum clade cives omnes fuga dilapsos, in montes vicinos se recepisse, nec nisi diu post redeuntes de levando S. Nicasii corpore cogitasse. Itaque facile adducor ut credam, eos in festo instituendo non tam diei θανατίμῳ (*emortualis*) quem eos tenuisse memoria aegre arbitror, quam diei sepulturae anniversariam celebrasse memoriam.

Accedit quod sive a Vandalis sive ab Hunnis Nicasius effectus sit martyr, nequiverit die XIV. Dec. interfici. Nam Vandali die ultimo Decembris anni 406. irruperunt: nec credi potest ad alterum usque Decembrem anni 407. eos distulisse impetum in episcopum. At vero die IX. Junii eum adortos esse, longe est credibilius. Jam vero si de Hunnorum impressione agitur; Tillemontius (to. ult. Imp. in Attila art. 14.) negat hunc cum sorore Eutropia die XIV. Dec. occisum ab Hunnis videri, sed verisimilius mense Aprili aut Maio. Cur id verisimilius duxerit, non exponit. At quaecumque causa fuerit, quae eum ad hoc impulit, ea causa facile nos ad diem usque IX. insequentis Junii protrahet: cui diei marmorum nostrorum Fasti S. Nicasium (quem tantisper dum certiora affulserint, pro Remensi habebimus) affigunt; neque id vero sub *Natalis* generali nota, sed *Passionis*, qua declaratur eum hoc ipso die agonem perfeciisse. Haec tam multa de Remensi Nicasio diximus, ut lector vel sine Actorum & Flodoardi lectione decernere queat, num is, quem hodie Fasti Neapolitani passum praedicant, Remensis haberi queat.

(195) Sigebertus de script. Eccl. cap. 2. *Joannes qui & Marcus, ex ministro sacerdotis Jovis, minister Pauli* (*Barnabae* scribi debuit, aut *Pauli & Barnabae*) *Apostoli, scripsit passionem Barnabae Apostoli.* Ex quo discimus, jam tum tempore Sigeberti (imo & antea, ut alibi ostendam) Pseudo-Joannis opusculum Latine per Occidentem circumlatum.

Digitized by Google

hunc Pseudo-Joannem Tillemontius, & post eum Fabricius (in Pseudepigr. Cod. N. T.) reperit. Sed satius est credere aliquam Abdiae editionem, aut potius manu exaratum codicem Baronio ad manum fuisse, in quo Abdiae Joannes Marcus subjungebatur, utpote ad eamdem Apostolicam historiam pertinens.

Tandem Daniel Papebrochius hoc Joannis Marci ὑπόμνημα diei XI. Junii Graece & Latine ex Sirleti interpretatione inseruit; plus alicubi in suis ad illud adnotationibus ei tribuens, quam pro scripti ὑποβολιμαίου merito. Cui Jesuitae in eo prorsus assentior, quod illud antiquius inventione corporis S. Barnabae sub Zenone facta credidit. Nam si auctor post detectas Reliquias scripsisset, numquam affirmasset, Apostoli corpus rogo in cinerem fuisse redactum: quod corpus sub Zenone ad finem saeculi V. repertum fuit; & quidem adhuc humano positu integro figuratum, quippe Matthaei Evangelium supra pectus gerens. Aut si vero post detectas Reliquias de rogo, quae dixi, Pseudo-Joannes scripsisset; id mendacium eo intolerabilius fuisset, quod eum ejusdem insulae, in qua corpus repertum fuit, fuisse incolam, infra conjiciemus. Hinc Actorum a Mombritio edi-

torum auctor quum posteriorem suae historiae partem ab isto Joanne Marco totam sublegisset, tamen de exustione corporis tacuit, non conciliabilem ratus cum inventionis historia. Si non plane eadem, at aliqua saltem cautio quoque cernitur in Joannis Marci translatione Latina, quam §. seq. damus: ubi etsi crematus narretur, tamen (vid. finem sect. 12.) *corpus ejus loculo* conditum dicitur, quasi scil. ambustum magis, quam ustum & in cinerem redactum fuisset.

Atqui parum hoc est, quod hoc scriptum exeunte V. saeculo, quo Reliquiae prodierunt, antiquius dixi; quum re vera mihi videatur ducentis & amplius annis vetustius, nec tertio saeculo recentius, & ad eam aetatem prorsus esse referendum, per quam Judaei χριστιανίζοντες plura ejusce modi scripta sub praeclaris Apostolorum aut virorum Apostolicorum nominibus supposuerunt. Quam dixi aetatem suadet vox Περίοδοι in titulo praenotata (qui titulus in Cod. Vaticano, teste Papebrochio, talis erat: Περίοδοι καὶ μαρτύριον τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Βαρνάβα, *Circuitiones et martyrium S. Apostoli Barnabae*) in ejusdem farinae ac temporis (196) operibus obvia: suadet & Hellenistica (197) dialectus, qua [ut ad Acta S. Marci ad

XXV.

(196) Nam ut Περίοδοι *Pauli & Theclae* praeteream, quas certum est primo saeculo prodiisse, quippe ab Joanne Apostolo rejectas, auctore Hieronymo: circumferebantur sub eadem tempora & *Petri* περίοδοι (quarum meminit Origenes in Philocalia cap. 23. & Epiphanius Haer. 30. de Ebionaeis) tum aliae *Joannis*, aliaeque *Thomae*. Ab Athanasio in Synopsi inter ἀναλεγόμενα N.T. numerantur περίοδοι Πέτρου, περίοδοι Ἰωάννου, περίοδοι Θωμᾶ, *Petri*, itemque *Joannis* ac rursus *Thomae circuitiones*.

(197) Hellenistica dialectus in hoc scripto passim se peritis prodit. Verbi causa sect. 41. v. 6. ἔγνωσαν ἑαυτοὺς ὅτι ἐνεδύσαντο pro ἔγνωσαν ἐνδύσασθαι, aut ἔγνωσαν ὅτι ἐνεδύσαντο. Quamquam ea syntaxis etiam meliori Graecitate, si probe memini, interdum usurpatur. Statim sequitur: *Cum accepisset a me stolam unam*, (ἐνδύσασθαι τὸν ἕνα) *induit unum, & propria stola* (ἐνδύσασθαι τὸν ἕτερον) *induit alterum*. Quae partiendi ratio est Judaeorum ἑλληνιζόντων; nam ceteri Graecorum usum passent τὸν μὲν, τὸν δέ. Adhaec acta Christi τοιμάματα vocantur, prorsus more Judaeorum Graeca balbutientium: de quo *vide quae* dicimus infra Sect. 3. Mitto quod *in* motu ad locum semper ἐν usurpatur more istiusmodi Hellenistarum, vix umquam εἰς more Graecorum. Mitto etiam quod sect. 47. v. 11. περάσαντες transitivam notionem habet pro more Hebraicae conjugationis *Hiphil*, ita ut respondere videatur verbo עָבַר *Ebir*, h. e. *transire fecit, traduxit*: & quod ad finem sect. 44. ἑσπέρα pro *nocte* ponitur ex Hebraicae linguae ingenio. Illud vero, quod ad finem sect. 48. Apostolus depositus dicitur δευτέρᾳ σαββάτου, *altera* die *sabbati* (pro eo quod nunc dicimus *feria II*, veteres autem *die lunae*) id apertam habet Judaismi significationem. Mitto plurima hujusmodi, quae quivis per se notaverit. Omnino autem stylum non tam Biblicum dixeris, quam talem qui Judaeum Hellenistam prodat. Nisi vero Syriace haec primitus scripta, postea Hellenistica dialecto graece reddita fuerint.

Digitized by Google

XXV. Aprilis notavimus] ſcribi poſt tria priora ſaecula fere deſitum fuit: ſuadent & quaedam (198) locutiones eam quam dixi antiquitatem praeſeferentes. Auctorem vero aliquem ex Judaeo Chriſtianum fuiſſe, non tantum ex Helleniſtico idiomate, verum & ex eo oſtenditur, quod fetus ſubdititios edere peculiare Judaeae gentis tunc fuerit: qui ne Chriſtiani quidem facti exuere morem ſuum potuerunt, ſperantes ſcilicet per ſpecioſa nomina ſe Chriſtianiſmo velificaturos.

Hunc vero ſcriptorem incolatu Cyprium fuiſſe [ſcatebat autem Judaeis inſula] tota haec ſcriptio declarat. Nam niſi Cyprius fuiſſet; cur omiſſis certiſſimis S. Lucae narrationibus, quas ſuſpenſo pede pertranſit, ad Cyprias tantum Apoſtoli περιόδους (*circuitiones*) narrandas ſe totum transfert? Deinde idem hic ſcriptor ſeptentrionale & ortivum inſulae latus totamque fere Cyprum tam curioſe deſcribit, dum non modo in ἀξιολόγους urbes ſed & vicos deducit Apoſtolum, ut niſi Cyprius incola eſſet, facile in errores geographicos incidiſſet. Proinde id ſcriptum quamvis parvi ſit ad hiſtoriae rationes pretii, at veteri tamen inſulae chorographiae non parum opitulatur, quum & plura nova locorum nomina complectatur, & veterum vix de nomine notorum ſitum edoceat. Itaque in eorum gratiam, qui veteris geographiae ſtudio capiuntur, hujus Pſeudo-Joannis γεωγραφήματα in §. 3. conjeci.

Et hactenus quidem de Cyprio ſcriptoris iſtius incolatu dicta recte procederent, niſi Alexandri monachi Cyprii ſilentium de hoc ſcripto obſiſteret [maxime in fine prooemii, ubi ex quibus profecerit, profitetur] quo tamen ſcripto refertam fuiſſe inſulam neceſſe erat, ſi quidem illud auctor in Cypro & in ejus gratiam condidiſſet. Atqui reſpondeo, non eſſe hoc novum, per ea maxime tempora, quibus gliſcentes Chriſtianorum infectationes propagari haſce hiſtorias non ſinebant, ſaepe accidiſſe, ut ibi prorſus exemplaria iſta interirent, ubi ſcripta fuerunt. Deciana maxime & Dioclетianea tempora hujus generis Actis peſtilentiſſima fuerunt, quando ea Chriſtiani *tradere* cogebantur, tradita vero aut conquiſita funditus extinguebantur: dum interim aliquam ex naufragio tabulam alicubi, uti fit, caſu ſervari contigit. Itaque nil mirum, ſi quando Alexander laudationem Barnabae contexuit, hujus commentarii exemplum nullum in inſula nactus, ad traditiones inſulanorum (caſu in pleriſque cum Pſeudo-Joanne conſentientes) colligendas, quod unum reſtabat, ſe converterit, de Joannis Marci hiſtoria prorſus ignarus. Cujus monachum hunc prorſus fuiſſe neſcium, ſaltem Barnabae feſtum ſuadet: quod Alexander tum primum poſt corporis inventionem diei XI. Junii affignatum tradit; quum tamen tanto ante Pſeudo-Joannes eopte die XI. depoſitum Barnabam docuiſſet: de qua re nos fuſius cap. ultimo. Ergo Alexander Acta Pſeudo-Joannis nuſ-

(198) Sect. 41. alibi & ἱεροδούλων meminit, quos *aedituos* verterimus. Strabo & alii hoc vocabulo utuntur pro viris aut mulieribus Deo alicui ſacratis. Hos eoſdem idem Strabo in Comanis θεοδούλους vocat, Bellonae ſcil. ſacratos & (θεοφορήτους) *arreptitios*. de quibus nonnulla diximus ad XXII. Maii in S. Baſiliſco pag. 421. & Adnot. 267. Et ἱεροδούλων quidem vocabulo utitur ſaepe & Auctor libri 3. Eſdrae, ſed pro Numini vero ſacratis. At haec Acta uſurpant pro Veneris ſervituti addictis, cui tota ferme inſula cultum peculiarem impendebat. Quae vox argumento eſt, hoc ſcriptum non niſi tempore paganicae ſuperſtitionis fuiſſe elucubratum, quando iſtiuſmodi ἱεροδοῦλοι in ea inſula plurimi erant. Paganos autem ipſos haec hiſtoria haud aliter quam ἕλληνας (*Graecos*) more antiquo nuncupat. Vide ſect. 45. & alibi. Adhaec quod Evangelium a Matthaeo ſcriptum vocat μαθήματα, ea antiqua eſt locutio: de qua dicam hoc ipſo cap. §. 4. His adde quod in hac hiſtoria ſect. 46. & ſeq. urbs *Salamin* totius inſulae metropolis vetus hoc nomen ſuum perpetuo retinet. Atqui ſi IV. aut V. ſaeculo ea ſcripta fuiſſet, haud aegre auctor, utpote ineruditus, ſui temporis loquendi more abductus, eam *Conſtantiam* nuncupaſſet, quo nomine aevo illo vocari coepit.

Digitized by Google

quam in Cypro reperit. At interim fieri potuit, ut eadem apud vicinos Syros ſervata fuerint, apud quos plurimus hujus Apoſtoli cultus fuit; qui & eum (in Ordinatione magni Oeconomi apud Morinum) uti Martyrem venerantur: quod illi non aliunde quam ex hujus Pſeudo-Joannis Actis martyrii hauſiſſe videntur. A Syris vero in Occidentem ea Acta non alio tempore quam circa VIII. aut IX. ſaeculum delata ſuſpicor, quo tempore peregrinationes in ſacra loca ſuſcipi a Chriſtianis coeperunt, uti ſectione ſequ. dicam. Haec de hujus commentarii auctore. Ceterum quam fidem is ad hoc ſcriptum elucubrandum attulerit, & utrum fallendi animus per omnem hanc hiſtoriam late graſſetur, de eo quaedam ad finem §. 3. alia vero alibi pro re nata a me dicentur.

§. II. *De Pſeudo-Joannis Marci antiqua interpretatione Latina. Eam videri Neapoli factam eſſe, & feſto Apoſtoli hujus occaſionem praebuiſſe.*

In his dum eram, incidi in hujus ipſius Paſſionis Barnabae Joanni Marco tributae Latinum exemplar abhinc quadringentos plus minus annos exaratum, quod aſſervatur in Bibliotheca antiqui Monaſterii Neapolitani *Montis Oliveti*. Dubitavi primo an non ſatius eſſet eam tranſlationem in totum omittere, quippe Graeco fonte a Bollandiſtis propoſito deteriorem; in qua nim. detractis quae in Graeco ſunt, geographicis Cypri deſcriptionibus (in quod ferme unicum hujus ſcripti decus §. ſeq. commentabimur) cetera ſunt interdum auctiora & inſulſiora: ut merito eam ſcriptionem Baronius (nec enim aliud quam hanc veterem interpretationem ab eo viſam arbitror) ſit inſectatus, ut initio ſect. 1. animadvertimus. Tamen non invitus hoc quidquid quiſquiliarum eſt, huc afferendum putavi non una de cauſa. Nam quas utilitates iſthaec apocrypha ad antiquitatem pernoſcendam afferant, jampridem pluribus expoſuit Jo: Alb. Fabricius Praef. in Cod. Pſeudepigr. N. T. Deinde quum Bollandiſtae Graecum Pſeudo-Joannem cum Sirletiana interpretatione conjunxerint, operae pretium videbatur, & antiquam heic tranſlationem dari, quae nim. a pluribus ſaeculis toto occidente legebatur, tum ſejunctim inter Sanctorum *Legendas* tum in veteribus Breviariis in uſum Eccleſiaſtici curſus: ex qua forſitan & Ordericus Vitalis lib. 2. Hiſt. Eccl. ſuas de Barnaba narrationes hauſit. Poſtremo (in quo rei caput eſt) quod eadem tranſlatio in cauſa fuit, ut Barnabae cultus & feſtivitas per Occidentem poſtmodum increbuerit. Eadem an diverſa Pſeudo-Joannis interpretatio in Acta Mombritiana transfuſa fuerit, non dum certum habeo. Sed forſitan horum Actorum ſcriptor Joannem Marcum ἀμίσων ex Graeco vertit, uti cap. 4. dicemus. Vnde & Orderici Vitalis de Barnaba narrationes lib. 2. *Hiſt.* Eccl. intextae ex eodem quidem Jo: Marco manarunt, ſed forſitan prout in Actis Mombritianis extat. Nam certe Ordericiana ſatis diverſis locutionibus haud raro utuntur ab iis quae daturi ſumus.

Nunc ſi a me quaeratur, quo potiſſimum tempore Graeca Pſeudo-Joannis Latino, quod damus, interpretamento donata ſuſpicer; non aliud commodius tempus aſſignaturus mihi videor, quam octavi nonive ſaeculi. Nec abludit eorum opinio, qui hanc tranſlationem ad Bedam auctorem referunt: de quo Adnot. 199. aliquid dicemus. Sed ut ut eſt, fetus certe eſt VIII. aut IX. ſaeculi. Nam §. I. obſervatum fuit, τὰ ῥαδιούργα Joannis Marci in Cypro primum nata, poſtea in Syria facile delituiſſe. Non alio ergo opportuniore tempore illinc in occidentem ea commentaria deferri debuerunt, quam quo peregrinationes in ſacra Palaeſtinae loca frequentari coeperunt. Eodem tempore (uti ad IX. April. oſtendimus) Paulus Diaconus Neapolitanus Graecam Mariae Aegyptiae vitam recens ab Oriente allatam Latina civitate donavit. Et quis ſcit, an non Neapoli [quippe Graeco-Latina civitate] & quidem ab eodem Paulo diacono haec Pſeudo-Joannis

Digitized by Google

nis translatio prodierit? Indicio est primum par utriusque interpretationis indoles (quippe utraque liberior est, haud verbis addicta, imo saepe nec ipsis sententiis, sed scopo scriptoris unice serviens, ceterum plura passim addens, demens plurima) deinde quod ea Latina Barnabae Acta per Neapolitanas bibliothecas proseminata (& quidem eodem exemplo ac tenore) visebantur, uti postea dicetur; & quod in hoc marmoreo IX. saeculi Kalendario Barnabae festivitas sibi locum (atque haud scio an in hujus recens tunc evulgatae historiae gratiam) invenerit, dum interim in Romano Allatii ejusdem aetatis Kalendario nihil de Barnaba fieret; ac postremo quod in Capuano Breviario (idem in ceteris vicinioribus facile forsitan is deprehenderit, cui ea vacabit excutere) eadem Acta eisdem verbis in novem Lectiones distributa repererim ad XI. Junii. His aliisque de causis suspicabar a Pauli diaconi, alteriusve Neapolitani calamo hanc interpretationem IX. saeculo prodiisse.

Verum ubiubi & a quocumque auctore haec ipsa, quam nunc [199] edimus, primum profecta fuerit, certe octavo aut IX. ineunte saeculo per occasionem sacrarum peregrinationum Graeca Pseudo-Joannis historia huc allata, ac statim (nim. ob eximiam personati scriptoris falso creditam auctoritatem) Latine reddita fuisse videtur. Ejus temporis non leve argumentum praebent, quae in ea interpretatione ad extremum sectionis 4. leguntur, ubi Christus Paulum monens inducitur: *Ne prohibeas Barnabam ire in Cyprum . . . Tu autem perge in Jerusalem ad LOCA SACRA VISENDA.* Quae quidem a Graeco absunt, ab interprete autem non alia de causa adjecta fuerunt, quam ut peregrinationum in sacra Hierosolymorum loca commendationem tamquam ex ore Christi loco opportuno insereret, plausibilem eo maxime tempore futuram, quo nihil sanctius ac Deo acceptius sacris istiusmodi itineribus habebatur.

Habes quibus de causis hoc opusculum heic inferendum duxerim. Secutus sum autem codicis Olivetani fidem, in quem primum incidi; etsi postea eadem Acta in Teatino tabulario Aedis SS. Apostolorum nactus, ex iis aliquot loca correxerim, ceteras autem alicujus momenti variantias in Adnotationes conjecerim. Itaque ad earum, quas dixi, lectionum intelligentiam, *Oliv.* codicem Olivetanum notabit, *Teat.* codicem Teatinum SS. Apostolorum. Qui duo codices parem aetatem annorum plus minus quadringentorum praeseferunt; sed Teatinus meliores alicubi lectiones offert. Deinde *Order.* designat Ordericum Vitalem, *Brev. Cap.* Breviarium Capuanum; in utroque enim eadem Acta, sed contractiora leguntur: nisi quod in Capuano Breviario eodem filo ac verbis, ut in Actis, in Orderico haud plane eodem ordine ac dictione. Sub idem tempus quum in cod. Ms. num. 97. [qui Sanctor. vitas secundum anni circulum continet] Bibliothecae S. Jo: ad Carbonariam incidissem, in quo quaedam

(199) Haec (iterum dico) quae heic evulgatur. Nam forsitan, uti modo diximus, Mombritiana alium auctorem habuit (sive Gallus sive Anglus is fuerit) qua & Ordericus usus videtur. Sicuti autem ea interpretatio quae Neapoli aut in vicinis locis prodiit, id effecit, ut S. Barnabas in Fastos referretur; sic illa quae in Actis Mombritianis prostat (si quidem diversa ab hac est: non enim Mombritium ad manus habere licuit) in causa fuit ut idem Apostolus & in Bedae Mrologio, aut Flori auctariis, & in aliis IX. saeculi Mrologiis locum invenerit.

Sane quidem in Jacobo de Voragine haec leguntur. *Ejus* [Barnabae] *passionem compilavit Joannes qui & Marcus, ejus consobrinus, maxime a visione ipsius Joannis usque fere in finem* (nam in fine quae de Inventione sub Zenone leguntur, uti vides num. 14. ea ab Joanne scribi nequiverunt) *quam* (passionem) *Beda de Graeco in Latinum creditur transtulisse.* Quae totidem verbis in Collectaneis Ms. S. Joan. ad Carbonariam reperi. Fortassis igitur sive Beda sive alius translationem in Mombritiana Acta & Ordericum transfusam elucubravit; alius vero sive Neapolitanus, sive omnino Italus eam, quae heic editur.

Digitized by Google

dam ſunt de S. Barnaba tum ex Jo:Marco tum ex aliis collectanea ; ex eo quoque interdum proficiemus.

Et Papebrochius quidem in hoc monumento Graece & Latine edendo, ſectiones praecedentes continuas, Pſeudo-Joannem a num. 35. orditur. Ego ut cuique expeditum ſit hunc antiquum interpretem cum Graeco Bollandiſtar. textu, aut cum Latina ibidem Sirleti translatione conferre, ſectiones Graeco textui pares feci. Itaque ex numeris, qui ſingulis ſectionibus praeeunt, poſterior Papebrochianus eſt: cui prior a me praepoſitus naturalem ordinem ſectionum, nulla ratione habita Papebrochii, deſignat. Ex quo etiam primo intuitu animadvertes, ubi Latina haec translatio manca ſit, ubi redundet. Nam in juſto longioribus plura quam Graece habet interpres, contra vero in brevioribus ſectionibus accidit.

Incipit paſſio Barnabe Apoſtholi.

1 (35) *EGo Johannes qui & Marcus famulus Domini Jeſu Chriſti, diſcipulus vero Apoſtolorum Pauli, & Barnabæ, miſtica Dei opera, quæ divinitus vidi, & diligenter cognovi, gradiendo ſcilicet cum praditis Sanctis Apoſtolis, & famulando in miniſterio illorum omnibus fidelibus in Chriſti Eccleſia commorantibus per gratiam Domini fideliter pando. Denique* (200) *cum eſſem ethnicus, & famulator idolorum, commorando ſcilicet in miniſterio* (201) *Cyrilli quond. pontificis nefandiſſimi templi Jovis, annuente gratia Domini Jeſu Chriſti baptizatus ſum per beatum Paulum, & Barnaban, qui digni fuerunt vocatione Dei, in loco, qui dicitur Iconium* (202). *Poſtquam vero ſacrum baptiſmum percepi* (203), *vidi in viſione virum ſplendidum, atq. mirabilem, amictum ſtola candida, qui dixit mihi.* Conſtans eſto Johannes, & crede fiducialiter, quoniam quidem amodo non Johannes, ſed Marcus, id eſt Excelſus (204) vocaberis, & gloriam excellentiæ tuæ ubique prædicari, & (205) glorificari oportet, pro eo ſcilicet, quia tenebræ, quæ acte-

(200) Iſtud DENIQVE (quod in Oliv. Teat. & Brev. Cap. legitur) quam vim initio narrationum habeat, dixi ad 2. Jun. ad Acta SS. Petri & Marcellini pag. 486. Adnot. 95. In Gloſſis *Denique* eſt τοιγαρῦν h. e. *Itaque*. Nec aliud heic valet.

(201) Haec etiam eiſdem verbis in Oliv. in Teat. At in Order. plura leguntur in hunc modum: *Hic* (Joannes Marcus) *quando ethnicus eſſet, & cum Orduone ſocio ſuo, Cyrillo pontifici nefandiſſimi Jovis miniſtraret*, Graece autem apud Bollandiſtas hoc tantum legitur: ὑπηρέτης ὢν τῶ ψευδ. Κυρίλλου τῦ ἀρχιερέως, νῦν δὲ &c. *Miniſter olim Cyrilli pontificis, nunc vero* . . . Vbi adnotator haud recte monet, poſſe hoc intelligi de aliquo Cyrillo Judaeorum pontifice. Videbis ad eum locum infra §. 4.

(202) De *Iconio* cum Oliv. conſentit & Teat. & Brev. Cap. in quo ὀρθογραφίας ſcribitur *In civitate Iconio*. In Collect. Carbonar. [ſi probe memini] *Yconia*. At Graece de loco baptiſmi nihil: ſatis tamen initio ſect. 37. innuitur eum Hieroſolymis contigiſſe. Vide Adnot. 207.

(203) In Teat. & Brev. Cap. *Suſcepi*. At rectius in Oliv. *Percepi*. Id enim ejus rei proprium verbum eſſe, (uſque adeo ut *Percipere* abſolute ſit *baptizari*) oſtendimus in utraque ad Georgium epiſtola de Monumento Hilari.

(204) Ita in Oliv. Teat. Brev. Cap. Admenſus eſt hoc interpres ex communi rerum ejuſcemodi genere, nim. ex antiquis *Nominum Hebraicor. interpretationibus*, quae antiquitus omnium manibus terebantur, cumque Bibliis compingebantur. Habeo Biblia quaedam Lugduni an. 1526. impreſſa, in quibus adhuc ad calcem ea Interpretatio adjecta fuit. In qua MARCVS inter cetera redditur SVBLIMIS. Nec inepta eſt interpretatio: nam Hebraicum *Racas* eſt *attollere*, unde *Recaſim* ſunt *Excelſa* aut *colles*. Hinc, praelato M formativo nominum Hebraicorum, oritur MARCVS (in quo ultimum S ad radicem pertinet) h. e. *Excelſus*. Ceteroqui idem nomen ab alio themate [a *marak* ſcil.] adſcitum, redditur *Abſterſus* aut *Expolitus*.

[205] In Teat. pro *Glorificari* eſt *Manifeſtari*. Sunt autem ea duo ex ingenio linguae Helleniſticae plane ſynonyma. Helleniſtis enim Δόξα non tantum *gloriam* ſed & *manifeſtationem* notat: & δοξάζω iiſdem eſt *Glorifico* & *Manifeſto*.

Digitized by Google

actenus fuerunt in te, penitus effugatæ sunt, & data est tibi gratia, & intellectus, ut agnoscas misteria Dei omnipotentis.

2. (36) *Cernendo itaque Johannes revelationem obstupui fateor, & evigilans procidi ad pedes Beati Barnabæ, ac seriatim illi omnia, quæ a prædicto viro cognovi, professus sum. Interea Paulus non ibi erat, quando hæc secreta Dei S. Barnabæ pandere* (206) *studebam. Postquam vero idem Beatus Barnabas animadvertit nostram revelationem, commonuit me dicens.* Præcave diligenter, & pone custodiam ori tuo, ne alicui virtutem misterii, quod vidisti afferas. Nam & michi similiter hac nocte apparuit Dominus Jesus dicens: Constans esto Barnaba credendo verissime, quoniam pro sancta devocione, qua dereliquisti generacionem tuam, & tradidisti animam tuam pro nomine meo in ea perseverando, præmia æterna percipies: attamen convoca Johannem ministrum tuum, quoniam quidem & ipse similiter vidit quædam mysteria. Interim conserva omnia, quæ vidisti, & audisti, quia veniet tempus, quando manifestius appareat, hanc commonitionem ab illo percipiendo.

3. (37) *Commorati sumus in prædicto* (207) *Ychonio per dies aliquot, in quo erat quidam homo justus & timoratus, qui nos recepit, & hospitalitatem benigne exhibuit, cujus domum Beatus Paulus placide benedixit. Deinde venimus Seleuciam, in qua mansimus diebus tribus. Inde navigantes venimus Cyprum; eramque in ministerio eorum donec ex Cypro egrederemur. Exeuntes autem de Cypro venimus Pergen Pamphiliæ. Illis autem abeuntibus ad prædicandum, commoratus sum ibi mensibus duobus. Cumq. disponerem ire in partes* (208) *Occidentis, prohibuit me Spiritus Sanctus. Igitur cum audissem, quod idem sancti Apostoli Paulus, & Barnabas Antiochiæ essent, continuo perrexi ad illos; inveniique beatum Paulum fatigatum ex itinere, atque in grabato requiescentem. Qui cum me cerneret, gavisus est, sed arguere cepit pro eo quod moram feciissem venire de Pamphylia & detinuissem libros* (209) *prædicationis. Recreati autem ex itinere ceperunt prædicare verbum Domini. Ad quorum prædicationem plurimi Judeorum, atque Gentilium illuminatr crediderunt in Dominum Jesum Christum. Expleta itaque prædicatione, statuerunt ire ad prædicandum in Orientem, & tum demum reverti ad Cyprum, ut visitarent Ecclesias, in quibus verbum Domini prædicaverant, sed Beatus Barnabas exorabat, ut prius iret in Cyprum ad visitandos Parentes suos, ac postea communiter Jerusalem pergerent.*

4. (38) *Inter hæc autem angelica visio per noctem facta est beato Paulo Apostolo dicens.* Celerius propera Jerusalem, nec moram facies, quoniam quidem fratres valde præstolantur adventum tuum.

Quod

[206] In Teat. pro *panel. stud.* est *Confessus sum.*

[207] In Graeco non *Iconii*, sed *Hierosolymis* dies plures commorati dicuntur; ubi & Joannem Marcum baptizatum fuisse oportet. Quis scit an non *Jerusalem* tali litterarum compendio scriptum fuerit, ut priscus interpres pro Iconio habuerit? Nisi vero id contra accidit.

[208] Brev. Cap. *In partibus Orientis.* Sed Oliv. & Teat. *Occidentis.* Idque Graeco consonat, in quo ἐπὶ τὰ δυσικὰ μέρη, *in occidentales partes.*

[209] Ab illis verbis, *Sed arguere coepit*, usque ad *Expleta itaque praedicatione*, Graece deest; sicuti & plura passim Latina versio Graecis supermetitur, maxime in allocutionibus, quae plurimum sunt in Latino impendio longiores. *Libri praedicationis* [quos sero sibi allatos Paulus conqueritur] etsi a Graeco absunt; tamen videtur esse liber Evangelii Matthaei Graece redditi, quod Paulus sibi sero perlatum expostulat. Certe in N. T. κήρυγμα [*praedicatio*] non est aliud quam Evangelium aut Evangelii doctrina. De hoc autem Matthaei Evangelio nonnulla conficiemus infra in animadv. ad Graeca hujus Pseudo-Joannis & rursus cap. 5.

Digitized by Google

Quod cũ beato Barnabæ panderet, ait (*) Quia voluntati Dei contradicere non expedit; fiat voluntas Domini. Tantum obsecro intercede pro me ad Dominum ut decertatio mea fiat acceptabilis in conspectu ejus secundum devotionem, qua famulati sumus in ministerio, quod datum est nobis. Nunc autem propero Cyprum, ibique finem complebo vitæ, faciem tuam, eheu pro dolor, corporaliter non visurus. *Hæc perloquens procidit ad pedes ejus, & flevit diu amare. Cujus dolori Beatus Paulus compatiens,* Noli, *inquit*, merere, Frater, non enim hoc sine misterio divino agitur. Namque apparuit in hac nocte Dominus dicens: Ne prohibeas Barnaban ire Cyprum, quoniam illic præparata est ei gratia Dei ad illuminationem multorum, & sacrum martirium perficiendum. Tu autem perge in Jerusalem ad loca sacra visenda.

5. (39) *Tunc positis genibus, orantes, & osculantes nos invicem, valefecimus.*

6. (40) *Et navigantes descendimus Laodiciam, decernentes* (210) *ut pergeremus Cyprum. Deinde venimus in civitatem, quæ vocatur Anemoria, in qua invenimus quosdam viros, quanquam ethnicos, tamen sagacitate pollentes. Qui nos cernentes sagaciter interrogare ceperunt dicentes.* O viri qui estis? unde (venitis? & quo itis? [211]) vel quæ res vos attulit in nostras horas? *Animadvertens autem beatus Barnabas illorum sagacitatem,* (212) *sagaciter eis respondere studuit.* Si nosse, *inquit*, cupitis, qui sumus unde, & quo, vel ob quam rem venimus, scitote, quia famuli sumus Domini Jesu Christi creatoris cæli, & terræ: venientes ab Jerosolimis pergimus ubique ad prædicandum nomen ejus, quia ipse est Filius Dei omnipotentis, & qui crediderit in illum, non morietur, sed vitam percipiet sempiternam. Veruntamen si hoc vere cognoscere cupitis, exuite vos vestimentis, quæ veterascunt & pereunt, & induimini vestes, quæ non pereunt, sed gloriose, & splendide permanent in æternum. *Hæc audientes attoniti valde compuncti sunt corde, & admirantes aiunt.* Mira res, quam dicitis. Quis enim Deus præpotens talia præbere valet? *Ad hæc beatus Barnabas.* Si enim consequi vultis, quæ dicimus, confitemini peccata vestra, credentes in Dominum Christum, percipientes sacrum baptismum, & procul dubio accipietis quæ vobis promittimus.

7. (41) *Cumque illi* (213) *sponderent se cunta patrare, breviter Sanctæ Trinitatis misterium exponendo, descendit cum illis in fontem, & baptizavit eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, induitque vestibus religionis sanctæ. Cum autem se cognovissent esse Christicolas, & virtutem accepisse Spiritus Sancti, cæperunt gaudere, & glorificare Dominum Jesum Christum. Et cum contulissent nobis quedam subsidia, convocatis pauperibus Apostolus distribuit illis prout cuique opus erat, instruens, & commonens, ut permanerent in gratia Dei, quam perceperant.*

8. (42) *Navigantes autem pervenimus Cyprum, ibique invenimus Timonem, &* (214) *Aristinem famulos Domini. Timon autem urebatur magnis febribus. Cui cum manus imposuisset beatus Barnabas, & sacrum Evangelium per invocationem Domini Salvatoris, statim febris fugata est, & adeo corroboratus, est ut continuo nos cum gaudio sequeretur. Ex doctrina namque, Sanctorum Apostolorum Barnabas Evangelium Sancti Mathei Apostoli secum ferebat, & ubicunque inveniebat infirmos, ponebat illud super eos, & continuo sanabantur.*

9. (43)

[*] Ipse Barnabas.

[210] In Teat. *decertantes*.

[211] Quae parenthesi interposui, ea in Teat. desunt.

[212] In Teat. pro *sagaciter* est *humiliter*.

[213] In Teat. *responderent*.

[214] Rectius in Teat. *Aristonem*. At in Order. *Aristionem*.

Digitized by Google

9. (43) *Exeuntes autem inde, invenimus virum nomine Eraclium, quem Beatus Paulus cum Sancto Barnaba baptizaverat, & recepto Spiritu Sancto Episcopum ordinaverat ad commonitionem fidelium. Hic nos cum gaudio excipiens hospitalitatem præcipuam exhibuit. Posthæc autem invenimus Rodonem quendam virum, quamvis ethnicum, tamen justum, atque benignum. Huic cum beatus Apostolus sanctam Fidem exponeret, continuo credidit in Dominum, & baptizatus est, & secutus est nos. His ita gestis obviam habuimus quendam impium, & maleficum Judeum nomine (215) Barieu, quem olim Beatus Paulus lumine (216) privaverat. Hic namque cum agnovisset beatum Apostolum, malitia commotus prohibuit nos introire(*) Pamphum.*

10. (44) *Proinde revertentes in locum, in quo ethnici viri, & feminæ ludendo nudi currebant. Hoc cum vidisset Beatus Barnabas indignatus super tale facinus, maledixit continuo templum; statimq. a parte(217)orientis funditus corruit, magnaque contritio ex ethnicis facta est, qui sub ruina ipsa mortui sunt. Cæteri, qui evaserunt, fugerunt in templum Apollinis.* (218) *Nemo itaque miretur, quod prædictus Barieu maleficus, postquam a Beato Paulo Apostolo lumine privatus fuerat, visum receperit, cum* (219) *non illum perpetualiter, sed ut converteretur ad tempus percusserit, dicens,* Eris cæcus usque ad tempus. *Ergo liquidius constat, ut ad precem Sergii Proconsulis per beatum Apostolum conversus lumen receperit, postmodum vero, sicut ille Symon magus apostatando transgressor fieret.*

11. (46) (*) *Introeuntibus itaque nobis Salaminam, invenimus synagogam Judeorum, quos beatus Apostolus exhortari cepit, & per evangelium sancti Mathei de Christi gratia* (220) *introducere.*

12. (47) *Hoc dum prephatus comperisset Barieu, quia plurimi Judeorum recepissent prædicationem sancti Apostoli; omnem malitiam iniquitatis suæ ostendens, seditione facta(221)commovit populum, & comprehenderunt eum, & querebant tradere* (222) *Consuli ejusd. Sala-*

[215] Eodem plane modo & in Order. hic *Barjeu* eliso sibilo, ut & in antiquis interpretationib. Nominum Hebr. vocatur: at in Teat. *Bargeu.*

[216] In Order. & Brev. Cap. additur *ad tempus*. At in Oliv. & Teat. istud quidem *ad tempus* heic omittitur, at ejus loco sect. sequ. longa interjicitur de hac ipsa re digressio.

[*] In aliis *Paphum*. At media sect. 12. in Teat. *ympodromum* pro *hippodromum*.

[217] Hinc usque ad finem sectionis sunt omnia ab interpretis calamo. De quo vide animadversa ad Graecum Pseudo-Joannem §. 4.

[218] Sic ex Teat. edidi: nam male in Oliv. *Cum enim illum perpetualiter, scil. ut* &c. Ad finem hujus sect. in Oliv. *pacem Sergii procons.* At recte in Teat. *precem. Ser. proc.*

[219] Sic Oliv. & Teat. At Ordericus, *Occidentis*; idque Graeco [ubi δυσμῶν legitur] consonat. Similem *Orientis* & *Occidentis* variantiam notavimus Adnotat. 208. Apparet haec pro diverso scribentis aut describentium positu fuisse mutata.

(*) Multa heic desunt, quae Graece habentur apud Bollandistas sect. 44. & tota 45. ac maxima parte sect. 46.

[220] Hebdomiter *imbuere*, sicuti initio catechumeni erudiuntur. In historia S. Apollinaris mart. apud Cangium scribitur in eamdem sententiam: *Cum vero per multos dies sermocinaretur Judaeis, introducebat eis de nomine Jesu, quod verus Dei esset filius.* Heic ergo *De Christi gratia* [in Teat. *gratiam* : & paullo ante *Quam* pro *quos*] est primae catecheseos ὑποτύπωσις, quali scil. gratia nos dignatus sit Deus, ut Filium suum nobis largiretur. Ceterum illud *Introducere* est ex Graeco εἰσαγειν: quo verbo Origenes, Eusebius, aliique utuntur pro eo quod est novellis credentibus prima Fidei elementa tradere.

[221] In Teat. loco *Commovit populum* est *Contra sanctum Apostolum*.

[222] Recte in Graeco est ὑπατικῷ h. e. *consulari*. Quod nescio quis *Hypatico*, tamquam si nomen sit proprium vertit. Vide ad Graeca hujus Pseudo-Joannis. At in Teat. Oliv. & Order. *Consuli*: in Brev. Cap. & Collectaneis Carbonariae *Judici*.

Digitized by Google

Salaminæ Civitatis, affligentes illum (223) *suppliciis, & cruciatibus. Debinc cum iam maceratum, & quassatum penis ducerent ad judicandum, accidit, ut deveniret in eandem Insulam Cyprum quidam vir magnus, & præpotens nomine Eusebius, scilicet de progenie Imperatoris Neronis. Comperientes autem Judei adventum ejus, verentes nimium, ne illum eriperet de manibus eorum, ligantes funem in collo ejus, nocturno tempore dilaceratum a Synagoga in ypodromum protraxerunt, & inde foris* (224) *portam. Post hæc autem circumdantes illum igne crudeliter cremaverunt. Sicque Beatus Apostolus per multos agones, & diuturna certamina pro Christi amore usus migravit ad gaudia sempiterna. Impii autem Judei, non saciati de nece illius, zelo odii concitati, tulerunt sacratissimum corpus ejus, & in* (225) *locello plumbeo recludentes, in mare præcipitare disponebant.*

13. (48) *Interim ego præphatus Johannes qui & Marcus una cum prædictis Timone, et Rodone occulte nocturnis horis tali* (226) *illud, & collocavi in cripta* (*), *quæ olim fuerat habitatio Jebusæorum* (**) *tertio Idus Junii, hoc est undecima die ipsius mensis.*

14. (49) *Propter* (227) *hanc itaque occultam collocationem pluribus annorum curriculis venerabile corpus illius latuit, nec inveniri a Christicolis valuit. Sed quia Deus omnipotens non patitur gloriam occultari Sanctorum suorum, tempore Zenonis imperatoris, & sancti Gelasii* (228) *Papæ eodem sancto Apostolo revelante inventum est, atque cum ymnis, & laudibus mirifice collocatum est, ad honorem, & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

§. III. *Ad Acta Graeca Joannis Marci geographicae animadversiones.*

Coracesium *fuisse maritimum. Locus Strabonis mancus suppletur, cui duo vici restituuntur*, Isauria Palaea & Isauria Everces. Pityusa & Aconesiae *ignotae hactenus insulae.* Κερωναξία *quid sit, & quo modo perscribendum.* Lapithii [*non vero* Lapithae] *qui sint.* De vico Lampadistae *h. e. cursus lampadici.* Chionodes *mons ignotus.* Nesi (*ignotus adhuc locus*) *eaedem quae Straboni* Clides: *& cur* Clides *vocatae, & quo sensu portus Salaminius Straboni* clausus *dicatur.* Ledrorum *situs. Quid* Λιμνία *huic scriptori: Limeniae situs. Hoc scriptum non esse nullius pretii. Pseudo-Joannis defensio: quem, praeter personam sibi falso pro more temporum impositam, haud passim mendacii coarguas;*

[223] In Teat. *multis suppliciis & variis cruciatibus.* Mox Quassatum *multis poenis.*

[224] In Teat. *foras portam*, alibi *foris portam*: male in Oliv. *foris portum.*

[225] Sic in Oliv. & Teat. & Order. [nisi quod in Oliv. *praecludentes*] at in Brev. Cap. & Collectaneis Carbon. *Ossa ejus in quodam vase plumb. recl.* Graece longe est aliter. Vide ad locum.

[226] In Teat. *tulimus*, & mox *collocavimus.*

(*) Ad finem Collectaneorum S. Jo: ad Carbonariam pro *Crypta* est ejus interpretamentum *Occulta:* quae vox notanda, quippe quae a Glossariis abest. *Et in quadam occulta sepelivit.*

[**] In Brev. Cap. *Gebusaeorum.*

[227] Hinc usque ad finem additamentum interpretis est, quod & in Oliv. & Teat. & Order. reperitur. Abest a Brev. Cap.

[228] Rectius dictum fuisset *Felicis*: qui quidem sub Zenone diu pontifex fuit, maxime circ. ann. 488. quando inventio facta creditur. At Gelasius pontificatum iniit anno 492. quum Zeno jam vivere desiviset.

At in Collectaneis Carbon. ad finem sic legitur: *Et in quadam occulta sepelivit; qui, ut ait Sigebertus, usque ad tempora navis imperatoris, & Gelasii tempore, scil. usque ad annum quingentesimum latuerit.* Illud navis ita evanidum est, ut quid scriptum sit, praestare nequeam: nec ex eo quidquam, ne Sigeberto quidem in consilium adhibito, valui extundere. Videndum an non ex *Tarasicus* nomine [id enim olim Zenoni fuit] plura olim portenta librarii exsculpserint.

Digitized by Google

guas; *quemque traditiones insulanas secutum*, *consensus Alexandri ostendit*.

Hactenus veterem Pseudo-Joannis interpretationem percurrimus: nunc in Graeci textus geographica [quae quidem utpote spinosiora interpres vetus praecidit] commentemur. Et quidem a sect. 40. incipiam unde περίοδος hic scriptor orditur. Volentes, inquit, in Cyprum trajicere, nec tamen, quia vento adverso utebamur, id valentes, ἤλθομεν ἐν τῷ Κορασίῳ, *venimus Corasium*. Sed scribendum est unius syllabae additione, Κοραξισίῳ. Erat autem *Coracesium* (sive castellum ex Strabone fuerit, sive secundum alios oppidum) initium Asperae Ciliciae, qua parte haec Pamphyliae adhaerebat. Ex hoc autem Pseudo-Joannis loco nunc primum discimus, id fuisse maritimum; nam *littoris* meminit.

Sequitur: ἐκεῖθεν δὲ ἤλθομεν εἰς παλαιὰς τὰς Ἰσαυρίας. *Inde venimus* (terrestri credo itinere, quia locus, quem designat, intus erat) *in Palaeas* (h.e. Veteres) *Isauriae*. Sed libentius legerim εἰς παλαιὰν (supple Ἰσαυρίαν; nam τὴν Παλαιὰν Ἰσαυρίαν plena locutione alicubi Strabo memorat, teste Casaubono) *in Palaeam*. Is vicus erat ex urbe *Isaura* olim vocata superstes. Quid sit porro *Palaea* ista (quam Sirletus in sua interpretatione praetervehitur) Strabo ostendit lib. 12. Qui tamen locus medica (229) manu haud dubie indiget.

Pergit autem: *Et inde venimus* (ἐν νήσῳ τινὶ Πιτιούσῃ καλουμένῃ) *in quamdam insulam*, *quae dicitur Pitiusa*, sive potius *Pityusa*. Chium insulam aliquando & Pityusam fuisse nuncupatam, Plinius memorat. Sed haec nimium quantum ab ora Ciliciae, quae heic lustratur, abest. Itaq. tum hanc *Pityusam*, tum *Aconesias* (quas mox sese praetervectos, Pseudo-Joannes narrat) inter ignotas adhuc hujus orae insulas numerabimus: quas parvas fuisse oportet, eoque geographis praetermissas. Ex his *Pityusa* a pinorum feracitate, *Aconesiae* vero ab arboris *thyiae* proventu (quae

(229) *Locus Strabonis mutilus restituitur & illustratur. Duplicem vicum Isauriae cognominem fuisse*, Isauriam Palaeam & Isauriam Evercen. *Trebellio lux.*

Strabo lib. XII. pag. 568. *Deinde* (post Lycaoniam) *Isauria est duos habens pagos cognomines* (ipsi provinciae) *quorum unus Palaea* (i. e. *Vetus*) *vocatur* &c. Hoc ultimum Graece sic habet: τὴν μὲν Παλαιὰν καλουμένην, ἐυεργῆ. Unum *quidem Palaeam* (i. e. *veterem*) *vocatum*, *bene munitum*. Heic vero alterius nomen dum exspecto, ecce tibi Geographus securus ad alia transit in hunc modum: *His* (duobus) *suberant alii frequentes pagi*, *omnes praedonum domicilia* &c. Itaque non dubito, quin quatuor syllabis mancus ad nos hic locus pervenerit. Nam omnino Geographus scripserat, Τὴν μὲν Παλ. καλ. ΤΗΝ ΔΕ ΝΕΑΝ, ἐυεργῆ. *Unum quidem* (ex his duobus pagis) *Palaeam* (Veterem) *vocatum*, *alterum vero Neam* (i. e. Novum) *probe munitum*. Hinc Xylandro tenebrae obortae, qui non Παλαιὰν (quod *veterem* appellative reddit) sed Εὐεργῆ proprium pagi nomen habuit: & Casaubono Xylandrum in eo reprehendenti, ne ipsi quidem quidpiam de menda suboluit.

Quamquam meo judicio Xylander immunis ab eo saltem errore videtur, quo Εὐεργῆ *Evercen* uti nomen pagi propriū interpretatur. Nam videtur re vera pago uni *Palaeae* nomen fuisse, alteri *Everces*. Id si verum est; tum duobus dumtaxat monosyllabis locus supplebitur, τὴν μὲν Παλ. καλ. ΤΗΝ ΔΕ Εὐεργῆ. Ex iis pagis *unum Palaeam* h. e. veterem (supple *Isauriam*) *alterum Evercen* h. e. permunitam (Isauriam) *vocatum*. In utroque *Isauria* subauditur, quia provinciae ipsi cognomines erant. Atque hinc plane potest intelligi, quid sit quod apud Trebellium Pollionem Trebellianus tyrannus *Palatium in ARCE ISAVRIAE constituit*. Vbi *Arx Isauriae* non est aliud, quam *Isauria Everces*, ex recensitis a Strabone pagis alter. Nec satis causae fuit, cur Valesius ad Ammianum [XIV. 8. aliis 25.] in hoc Pollionis loco *Isaurae* pro *Isauriae* scribi juberet: quia jam a Strabonis aevo in locum urbis *Isaurae* [sive plurative τῶν Ἰσαύρων a recto ἡ Ἴσαυρα] solo aequatae successit duplex *Isauria*, *Palaea* una, *Everces* altera; & sicuti alibi Strabo τὴν Παλαιὰν Ἰσαυρίαν [teste Casaubono ad lib. XII. nec enim Geographi locum inquirere nunc vacat] memorat; sic ille alter pagus Εὐεργὴς Ἰσαυρία, *Everces* [permunita] *Isauria* vocari debuit, quae Pollioni est *Arx Isauriae*.

Digitized by Google

quae ἀκόνη Hippocrati & Theophrasto vocatur, teste Galeno in lex. Hipp.) dicebantur. Nisi malumus Aconesias a *cotibus* dictas, aut vero a *cautibus*, quibus eae insulae horrebant: vide H. Steph. Thes. tom. V. in Ἀκόνιτον.

Jam vero Aconesias praetervecti (uti mox sequitur) *venimus* (ἐν τόλι Ἀνεμουρίῳ) *in urbem Anemurium*. Id & oppidi nomen fuit (etiam in nummis obvium apud Harduinum) & promontorii: quod promontorium Strabo ea parte positum dicit, qua Cilicia proxime ad objectum sibi in Cypro *Crommyon* promontorium accedit. Quare ex Anemurio in Crommyon usitatus passim trajectus erat. Hinc non inepte Pseudo-Joannes scripsit secum Apostolo ex Anemurio solventes, in Cypri promontorium Crommyon appulisse. Nisi quod alterum hoc nomen in hoc scripto mendis librariorum patuit.

Sic enim media sect. 41. (unde Cypri periplus personato huic scriptori procedit) scribitur: *In Cyprum transmittentes, ingressi fuimus* (ἐν τῷ λεγομένῳ Κρομμυακιάτῃ) *in locum qui Cromyaciatis vocatur*. Ac danda est descriptoribus venia quod minus emendate hunc locum perscripserint, quando etiam in Ciceronis exemplaribus mire id nomen corruptum fuit: apud quem XII. Fam. 13. Cassius sic suam ad Tullium epistolam concludit: *Idibus Jun. Cypro a Crommyu-acride*; quemadmodum ex veteribus libris restituit Victorius, quum antea is locus misere inquinatus esset. Est autem id nomen promontorii in septentrionali Cypri latere maxime in boream excurrentis: quod Straboni Κρομμύου ἄκρα, Ptolemaeo Κρομμύων ἄκρα, h. e. *cepae* aut *ceparum promontorium* vocatur. Ac fortassis hic Actorum locus derivativum ejus loci nomen complectitur, ut legendum sit Κρομμυακριάτῃ, supple τόπῳ aut χώρῳ. Nam a Κρομμύου ἄκρα, aut junctim Κρομμυάκρα videtur totus is tractus ὁ Κρομμυακριάτης (*Crommyacriates*) vulgo appellatus. Hanc lectionem suadet praecedens illud τῷ λεγομένῳ, quod notissimo Κρομμύου ἄκρας vocabulo non nisi inepte praemissum fuisset: at derivativo minus noto scite praepositum fuit.

Versu quinto ante ejusdem sectionis finem: *Quumque pervenissemus* (ἐν τῇ τόλι Λαπιθίων) *ad urbem Lapithiorum*. Male Sirletus, *Lapitharum*: qui nusquam in Cypro sed in Thessalia fuisse leguntur. Atqui legendum est potius Λαπιθίων, *Lapithiorum*, ut sit patrium nomen a Λάπιθος, quo modo urbs vocatur, quae est aliis Λάπηθος, aut Λάπαθος. Gentili supra scripto nomine utitur Diodorus Siculus XIX. 59. ubi quidam Λαπίθων βασιλεύς ei memoratur. Recte autem post Crommyacriaten Apostolus Lapithum deducitur; re enim vera συνάπτουσι, *cohaerent*.

Sect. 42. initio: *Montano itinere venimus* (εἰς κώμην Λαμπαδιστὰ) *in vicum Lampadistae*, non *Lampadistum*, uti Sirletus posuit. Is locus [qui haud dubie a celeberrimo lampadis [230] certamine nomen invenit] ignotus est geographis; nec enim pagos, nisi clarissimos recensere solent. Intus eum fuisse, hinc discimus.

Mox v. 5. mentio fit τῆς Ταμασίων, *urbis Tamasiorum*, non quod eo venerit Apostolus (nec enim *Tamasus* aut potius *Tamassus* eo itinere fuit, sed in mediterraneis supra Curium) verū quod Heracleon, qui

(230) Cursu lampadico pleni sunt Graecorum libri; nec enim quidquam Athenis (vide Pausaniam in Atticis) in nostra Neapoli, ceterisque Graecanicis urbibus usitatius fuit. Restitutior est, quamut explicatione indigeat. Tum vero qui certabant λαμπαδηφόροι (*lampadiferi*) vocabantur, tum etiam certamen ipsum non tantum λαμπαδηδρομία aut λαμπαδηφορία dicebatur, verum etiam ἀγὼν λαμπαδοῦχος, aut (copte vocabulo quod heic usurpatur) λαμπαδισμός. Etenim apud Aristophanis Scholiasten λαμπαδισταὶ ἀγῶνες sunt certamina quibus currentes λαμπαδίζουσιν h. e. lampadem ferunt. Ex quibus vides, hoc loco κώμην λαμπαδιστὰ (supple ἀγῶνος) haud plane aliud fuisse, quam *pagum lampadici certaminis*. Ac saepe quidem in hoc Pseudo-Joanne (τὸν δρόμον) h. e. cursus in honorem deorum fit mentio. Nec a vero abhorret, eorum pleroſque fuisse lampadicos.

Digitized by Google

qui tunc in Lampadiſtae vicum venerat, ex *Tamaſo* fuiſſe dicatur. Videndum tamen an non pro Ταμασιων ſcribendum ſit Ταμασιτων (ut in Golzianis nummis) aut Ταμασιων, ut alibi. Quamquam ex Ταμασος recte fit Ταμασιος; & ceteroqui gentilia variant non uno modo.

Aliquanto poſt medium: *Quum autem montem appellatum* χιονῶδες (i.e. *nivalem*) *pertranſiſſemus, attigimus* (εἰς Παλαιὰν Πάφον) *Palaepaphum.* De monte *Chionode* nihildum ſcriptum reperi. Prorſus in mediterraneis erat; quippe eo monte peragrato, Palaepaphum venerunt, quae ad latus inſulae occiduum pertinebat, decem ſtadiis a mari reducta. Scitum eſt, Paphum aliam fuiſſe νέαν, *Novam*, aliam παλαιὰν (*veterem*) quae ſaepius conjunctim *Palaepaphus* vocabatur. Inter utramque ſtadiorum LX. auctore Strabone intervallum fuit. Verſu quarto ante finem Barnabas cum Joanne Marco occurrunt Judaeo Bar-Jeſu venienti *a Papho*. Nova ne, an vetere? Videbatur *Nova* eſſe capienda, quae plerumque intelligitur, quoties abſolute *Paphus* uſurpatur. Verum quia proxime de Παλαιᾷ Πάφῳ ſermo fuit, haec potius eſt accipienda; praeſertim quum mox dicatur is Judaeus impediviſſe Apoſtolum *Paphum* ingredi, ac *reverti Curium* verſus coegerit. Curium autem (in extremo auſtrino latere, aut ex Strabone initio occidui lateris poſitum) *Palaepapho* propinquius erat, a *Nova* remotum.

Sect. 44. ingreſſu Curii oppidi prohibiti, mox Sect. 45. in vico quodam innominato in ſpelunca diem unū diverſati, poſtremo *Amathuntem* pervenerunt, ab Curio in eodem Auſtrali latere Orientem verſus aliquanto remotam. Regrediuntur nimirum, ſed non eadem veſtigia relegentes.

Initio ſect. 46. profecti Amathunte per deſerta loca Citium in extremo ferme auſtrino latere, qua in orientem porrigitur, tetigerunt. Mox eâdem ſect. media navi conſcenſa ad *Neſos* primo, mox Salamina appulerunt. Immorari *Neſis* iſtis operae fuerit. De *Neſis* h. e. *Inſulis* ſic habet Pſeudo-Joannes: κατήχθημεν εἰς τὰς λεγομένας Νήσους, *appulimus ad eas, quae Neſi* (h. e. *Inſulae*) *vocitantur*. Quiſnam hic locus fuerit, haud facile quis expediat. Sed tamen inſulas (& quidem obſcuras, quippe innominatas) numero plures eas fuiſſe oportet, orientali lateri objectas, ac poſtremo ex adverſo Salaminis, ad quam ſtatim ex *Neſis* trajecerunt. Ex his omnibus indiciis adducimur, ut putemus has inſulas fuiſſe tum eas, quae *Clides* vocabantur, tum alias plures minores atque innominatas. Strabo duas ibi fuiſſe *Clidas*, parvas inſulas, prodidit, qui tamen ſtatim addidit, καὶ ἄλλαι πλείους, *& aliae plures*; imo & mox *Carpaſias inſulas* adjecit. Quum tot numero νησίοις (*parvis inſulis*) interque ſe vicinis id mare diſſeminatum eſſet; merito ea inſularum congeries Νῆσοι *Inſulae* a Cypriis (e quorum numero ſcriptor hic fuit) vulgo appellabantur: inter quas eminebant αἱ Κλεῖδες δύο, *Clides* (h. e. *claves*) *duae*. Si a me quaeras cur *Claves* vocarentur, rationem appellationis haec hiſtoria ſubindicabit; quia nim. Salaminium portum ingreſſuris non alia quam per has inſulas via patebat (ſi quidem brevia aut caecos ſcopulos vitari curae eſſet) ob eam cauſam *clavium* nomen adeptas: qua ratione aevo ſequiore Capua *Clavis regni* dicebatur, & plures olim anguſtiae πυλῶν (*portarum*) nomen ſortiebantur. Hanc etymologiam Strabo adjuvat, ubi λιμένα κλειστὸν (*portum clauſum*) Salamini tribuit: clauſum autem intelligit non montium ſepto, aut murali ambitu, ſed caecis ſub ſalo ſcopulis; cujuſmodi & Bajanus noſter celeberrimus portus eſt. Ceterum non alia ex parte, quam e *Neſis* (h. e. inſulis, inter quas illae *Clides*) portum hunc adiri potuiſſe, Pſeudo Joannes noſter, uti modo innuebam, haud obſcure ſignificat. Sic enim narrat v. 8. *Quum porro e Citio ſolviſſemus* [in Graeco ἀναστάντων perperam legitur: ſed ſcribendum eſt ἀναχθέντων, quod *ſolventium* eſt; ſicuti καταγόμεθα, quod mox ſequitur, eſt *appellentium*] *venimus Salamina, ad eas, quae Neſi* [i.e.

Digitized by Google

Insulae] *vocantur, exscensione facta; ubi* [ἔνθα, cor. ἔνθα] *locus idolorum cultui addictus erat.* Ac ne *idololatram* hunc locum pro Salamine accipias, additur, ibi ab Apostolo Heracliden quemdam fuisse institutum, qui Ecclesias & ministros [ἐν αὐταῖς supple νήσοις] *in ipsis Nesis constitueret.* Illinc vero se Salamina ingressos fuisse, mox narrat, non aliunde scil.quam per *Nesos*, sive *Clidas* [*Claves*] adeundum. Ex quibus hoc etiam intelligis, *Clidas* cum sociis insulis Salamini e proximo objectas fuisse: quem situm antea ignorabamus.

Sect. 49. initio scriptor testatur, sepulto Barnaba, Judaeos [ἕως τῆς κώμης τῶν Λεδρῶν] *usque ad vicum Ledrorum* se Joannem fuisse insecutos. Hinc situs Ledrorum intelligitur, haud longissime ab Salamine. Et quidem quem Noster *vicum Ledrorum* vocat, hunc postea crevisse in tantum necesse est, ut IV. saeculo urbs episcopalis esset, Sozomeno I. 11. memorante quemdam Τριφύλλιον ἐπίσκοπον τῶν Λεδρῶν, *Triphyllium Ledrorum episcopum*. Meminit & Hieronymus in script. Eccl. cum eloquentiae laude hujus Triphyllii, quem dicit *Ledrensem sive* Λεδρηνὸς episcopum. Nisi vero volumus *vicum Ledrorum* Jo. Marco aliud fuisse ab urbe *Ledris*, imo ei urbi contributum.

Ad extremum v. 9. perveniisse se dicit [ἐν κώμῃ Λιμνίᾳ] *in vicum Limnetidem.* Verebar ne non Λιμνιάς scribendum esset; nisi Strabo *Limeniam* & inter urbes numerasset, & ἐν μεσογαίᾳ [*in mediterraneis*] eam posuisset; quum contra ex hoc vico solvisse auctor se dicat Alexandriam. Sed facilis est responsio. Vicus hic erat Limeniae attributus, eoque una interposita littera, ἐν κώμῃ Λιμενιάδι, sive potius Λιμενιάσι scripserim. Quum autem hic vicus in australi littore fuerit; oportet Limeniam [cujus positum antea ignorabamus] ita in mediterraneis fuisse, ut tamen ad latus australem vergeret.

Et hactenus quidem aurum ex stercore, ut ille ajebat, collegimus. Ceterum nequis dicat ex personato scriptore nihil tuto colligi posse: sciat, hunc, quum in locis aliunde notis minime fallat, seque chorographiae Cypri ita peritum prodat, ut plane insulanum fuisse oporteat; dignum videri, cui & de ignotis quibusdam locis credamus, & de aliorum de nomine dumtaxat compertorum situ. Ad Apostoli vero circuitiones quod attinet: re vera Barnabam aut ea omnia adiisse loca, aut eopte quo heic docetur ordine, nullo modo praestare nos quidem possumus. Sed tamen quamvis scriptor iste Joannis Marci persona pro more sui saeculi indutus inter apocryphos recte numeretur; tamen a παραλογίᾳ apocryphorum scriptorum longissime abest; ita ut credibile sit eum populares suae insulae traditiones sectatum, ita demum haec litteris mandasse. Et certe tum in martyrio, tum in loco martyrii, quod Salamine accidisse docet, minime fallit. Nam quum sub Zenone Aug. ejus corpus proxime Salamina repertum fuerit; eum non alibi quam in eadem urbe necatum fuisse necesse est. Nec in loco sepulturae fallit: nam in spelunca Apostolum tumulatum dicit; nec secus monachus Alexander in specu inventum postea prodidit. Uterque cum μαθήμασι sive Evangelio Matthaei tumulatum prodit: uterque tum in die festi tum in pluribus aliis consentit; etsi Alexander Joannis hujus personati scriptum minime viderit.

Sicubi autem Noster Apostolicis Lucae Actis levissime repugnat, id imperitia magis, quā fallendi consilio fecit. Adde quod quum huic nostro insulana tantum Apostoli itinera scriptis mandare [patriae, scil. amore rapto] propositum fuisset; superiores ejusdem vagationes susque deque habuit. Quarum ultimas quum neglectim levique brachio post B. Lucam refricaret; hinc memoriae fidens, alicubi forsitan (231) leviter offendit. Ceterum etsi pro Judaeorum more sub alte-

(231) Non aliam inter B. Lucam, & Pseudo-Joannem pugnam reperio, quam quod hic alter

alterius persona larvatus incedat ; tamen judicium quidem & accurationem in eo desidero, at imponendi studium ab eodem amolior. Hinc nihil de eo prisca aetas sinisterius judicavit : & Mombritiana Acta quae tertio loco expendemus, quae per plura saecula occidentis Ecclesiis usui fuere, non aliunde quã ex B. Luca, &, ubi Lucas deficit, ex isto Pseudo-Joanne contexta fuerunt ; ex quo & Ordericus Vitalis sua hausit. Ac postremo saltem Neapoli & in vicinis locis Acta haec ipsa personati Joannis Marci de Graeco translata [etsi insulsis auctibus interpolata, eoq. spreta a Baronio, & Tillemontio; qui certe Graeca, multo meliora, non viderunt] adeo non explodebantur, ut etiam admirationi essent. Denique ab his Actis adeo fallaciam omnem amovet Papebroch. ut non dubitet, *quin Timon, Ariston, Heraclides* [alibi *Heraclius*] *Rhodon, Aristoclianus, vera sint nomina Sanctorum a Barnaba ibidem* [in Cypro scil.] *ordinatorum, quibus suus olim cultus fuerit, fortassis & nunc sit.* Haec ille ad finem adnotator. ad Jo: Marcum. Fatendum est autem Graeca longe Latinis non tantum emendatiora & tolerabiliora esse, verum etiam pulchriora ac praestantiora : quod non semel admonui.

§. IV. *Ad eadem Graeca Pseudo-Joannis Acta παραλειπόμενα.*

De patribus spiritualibus. Textus corrigitur. Μαθήματα *pro* Evangelio. *Quo sensu Barnabas Evangelium a Matthaeo sive* acceperit *sive* exceperit. *Mos curandi per impositionem Evangelii. De Barjesu conversione, ac mox defectione a Fide. Quid* Μαγὸν *&* Μαγεύς. *Textus bis corrigitur. De synagoga Byblia. Veritas martyrii Barnabae. Vox superflua ejicitur. De Cypri consularibus sive proconsulibus. Specum, in qua raptim sepultus est Apostolus, fuisse sepulcrale hypogaeum. Antiquitas festi Barnabae.*

In sequentibus numeros sectionum Papebrochii [quos hic cum superioribus continuavit] sequar. Siquis autem haec cum Latina interpretatione [quae sup. §. 2. ponitur] conferre velit, ibi praeter numeros ab I. incipientes, etiam Papebrochianos reperiet.

Sectione 35. apud Bollandistas [quae tamen prima est opusculi hujus] circa medium ementitus iste Joannes Marcus se ante conversionem *ministrum fuisse* cujusdam *Cyrilli Pontificis* dicit : ὑπηρέτης ὢν τὸ πρὶν μὲν Κυρίλλου τοῦ Ἀρχιερέως. Id quod de Judaeorum pontifice intelligens Papebrochius id verum esse potuisse existimat. At Baronius de idolorum sacerdote id accepit, secutus exemplaria sua. Nam & Sirletus verterat *Pontificis idolorum* [quam posteriorem vocem Bollandista de interpretatione removit] & Acta Mombritiana posuerant, *nefandissimi templi Jovis*. Mihi non est dubium, quin auctor de sacerdote idololatra intellexerit, & quin plura olim in Graeco heic lecta fuerint, quam quae nunc visuntur. Nam & Ordericus Vitalis lib. 2. Hist. Eccl. quo loco de S. Barnaba ex hoc Pseudo-Joanne, aut ex Actis Mombritianis haurit, in hunc modum scripsit: *Hic nim.* [Jo: Marcus] *quando ethnicus esset, & cum Orduone socio suo, Cyrillo pontifici nefandissimi Jovis ministraret, in loco qui dicitur Iconium per Barnabam & Paulum baptizatus est.* In Latino Pseudo-Joanne quem supra dedimus eadem contractiora leguntur.

Sect. 36. versu quarto ante finem legitur, *μυστήρια δεικά*. Cor. *θεῖκά*, *Divina.*

Sect. 38. & 39. Barnabas *Patris* elogio Pau-

alter sect. 3. 4. [quae in Papebrochio suas sectiones continuante sunt 37. 38.] plura quam Lucas dicit, eaque parum cum Act. XV. 35. & seq. convenientia. Quam quidem dissonantiam ita emollit Papebroch. in adnotatis ad Jo: Marcum (not. e) ut plane tollat. *Nihil hic* (inquit) *contrarium dicitur, etsi aliter res narretur.* Sed profecto laterem lavat. Etenim, si nihil aliud, quanam tergiversatione id excusari poterit, quod quum S. Lucas non alibi quam Antiochiae divortium inter Barnabam & Paulum illud notissimum narret, contra hic personatus scriptor ad Pergen Pamphyliae ambos ab se digressos longo verborum circuitu memoret? Verum, uti dixi, negligentiae magis, quam fallaciae crimen in Pseudo-Joanne residet.

Digitized by Google

Paulum passim donat, Πάπας Παῦλε. Id ab indulgentissimo Barnabae ingenio [de quo & Scriptura & Chrysostomus ad Acta testatur] minime abludit; quum ceteroqui plura Barnabas arrogare sibi supra Paulum posset, ut ostendit Tillemontius in Barnaba paullo ante medium. At Paulus vicissim Barnabam *fratrem* suum vocat, eumque non dubitavit [ejus σωφροσύνῃ fidens] tamquam major minorem ad Corinthios mittere. *Misimus*, inquit 2. ad Cor. VIII. 22. *& fratrem nostrum* [Barnabam post veteres aliquot Chrysostomus, & Theodoretus intelligunt] *quem probavimus in multis saepe sollicitum* &c. Quam loci hujus interpretationem frustra Tillemontius [ibidem post medium] improbat. Non novum hoc in antiquitate est, ut viri ingentium meritorum alium sive parem, sive minorem in πατέρα πνευματικὸν [*patrem spiritualem*] sibi adsciscant, eique ut parenti obtemperent. Sicuti & cujusdam υἱῷ πνευματικῷ [*filii spiritualis*] mentionem in Reinesiano marmore Christiano memini legisse.

Sect. 41. versu decimo ante finem sic scribitur: ἦν δὲ ὁ βαρνάβας μαθήματα παρὰ Ματθαίου εἰληφώς [notabis heic obiter Hellenisticum idiotismum, cujusmodi scatet hic liber, ἦν εἰληφώς, pro εἰλήφει: ad finem sect. 46. eadem verba repetuntur, ἦν λαβὼν παρὰ Ματθαίου) βίβλον οἷς τὸ Θεῦ φωνῆς, καὶ ποιμαίνων σύγγραμμα. Ταύτην &c. Haec primum distinctione peccant [tollenda est enim post φωνῆς distinctio] deinde & glossemate abundant. Nam illud σύγγραμμα margini primum illitum, mox in textum insutum fuit, invito auctore; qui sequens ταύτην ad βίβλον retulit, scripturus αὐτὸν, si quidem proxime antecedens σύγγραμμα pro suo agnovisset. Sic vertes igitur: *Porro Barnabas a Matthaeo doctrinas acceperat*, [nempe] *verborum atque actorum Dei librum. Hunc* &c. In his duae sunt perantiquae locutiones. Nam quod Evangelium vocat μαθήματα [idque non tantum heic, sed etiam in fine, ubi sepelitur Apostolus ἅμα τοῖς μαθήμασιν, οἷς παρέλαβεν παρὰ Ματθαίου, *una cum doctrinis* h.e. Evangelio, *quod a Matthaeo acceperat*] id cum Justino commune habet, quo loco in Actis [quae ad Kal. Jun. illustravimus] Christum vocat καλῶν μαθημάτων διδάσκαλον. Deinde quod *opera* Christi vocat ποιήματα [pro eo scil. quod alii ἔργα aut πράξεις dixissent] id ex Hellenistarum dialecto manavit. Familiare est Judaeis ποίημα eo significatu usurpare, in primis Graeco Ecclesiastis interpreti. Sed ad illud redeo, ubi se Evangelium *accepisse* [λαβὼν] a Matthaeo dicit. Nam quum Alexander Monachus [de quo cap. seq.] in eadem narratione Barnabam utentem *excipiendi* verbo [ὃ ἐξέλαβον, *quod excepi*] inducat; id variis interpretationibus ansam praebuit [de quibus vide Tillem. Not. V.] illique in primis, quasi Matthaeo dictante illud *exceperit* Barnabas. Verum nec Alexandri monachi Ἐκλαμβάνω aliud est quam *Accipio*, & pro eo Pseudo-Joannes simplici λαμβάνω bis usus fuit. Id vero Evangelium in Barnabae tumba repertum, liquet Graece scriptum fuisse; quia quotannis CPoli Fer. V. Paschae legebatur. Ex quo efficitur, Barnabam [idem de ceteris Apostolis est dicendum] illud sive Graece ab ipso Matthaeo redditum accepisse, sive [quod eodem redit] ab ore Evangelistae illud Graece dictantis descripsisse. Dixi de hoc quaedam supra ad haec Acta Latina, & infra alibi de eodem forsitan sermo redibit.

Statim sequitur: Ταύτην (βίβλον) &c. *Hunc* [librum] *aegrotis omnibus Barnabas imponens, secundum collatam nobis gratiam, statim morborum curationem efficiebat.* Hanc Barnabae circumstantiam videtur auctor, ut alia plurima, ex popularium suorum narrationibus didicisse, haud sane improbabilem. Saltem libri Evangeliorum decumbentibus imponendorum morem prioribus saeculis viguisse, ex hoc qualicumque scripto discimus. Nam illud κατὰ τὴν ἀπαντῶσαν ἡμῖν χάριν, *secundum eam quae NOBIS contigit gratiam*, satis

Digitized by Google

tis oſtendit, eum curandi modum non unius Barnabae peculiarem fuiſſe, ſed & a ceteris frequentatum.

Sect. 42. *Heracleonis* meminit, poſtea *Heraclidis* vocati. At hunc *Heraclium* Latinus Joannes Marcus & Ordericus Vitalis vocat. Ad finem ſect. hujus de Barjeſu incipit, quē pluries infra Barnabae adverſantem inducit: quod forſan ſuſpectum eſt, quia Origenes in Exodum, & Chryſoſtomus ad Acta, cenſuerunt, caecitatem temporariam, quā Paulus iſti Bar-Jesu intulit, ei remedio fuiſſe ad veritatis lumen adipiſcendum. Saltem Judaei iſtius inſidiae non minus illis Patribus inauditae fuerunt, quam quod in Pſeudo-Areopagitae libro de Div. Nom. ſcribitur, iſtum Bar-Jeſu poſtea librum contra Chriſtianam Religionem, & adverſus Paulum ſcripſiſſe. Etſi fatendum eſt, nec certam eſſe Origenis ſententiam, & fieri potuiſſe, ut idem ille Evangelii perpetuus infectator poſtea ante exitum vitae Chriſti miſericordiam ſit conſecutus. Aut vero omnia ſimul in hunc modum componi poſſunt. Initio magus ille ab Apoſtolo viſu *uſque ad tempus* (ut in Lucae Actis dicitur) privatus, mox reſipuit lumenque recuperavit. Eoque modo Origenis & Chryſoſtomi ſententia conſiſtit. At vero idem poſtmodum ad ingenium rediens, & Barnabae ſe infenſiſſimum hoſtem praebuit, et etiam (ſi Areopagitae credimus) ſcriptis Chriſtianos exagitavit. Haecque illa eſt apoſtaſia, quam Latinus Pſeudo-Joannes Mago huic affingit, ad finem ſect. 10. (quae Papebr. eſt 44.), ubi Graeco cod. haec admetitur. *Ergo liquidius conſtat, ut ad precem Sergii proconſ. per B. Apoſtolum converſus lumen receperit, poſtmodum vero, ſicut ille Symon magus, APOSTATANDO transgreſſor fieret.* Haec traditio videtur a Syris (unde hic Pſeudo-Joannes aevo ſequiore arceſſitus orbem pervaſit) hauſta: ſicuti & Areopagitae dictum de Barjeſu libris contra Chriſtianos a Syris itidem prodiit. Nam certe Areopagitae opera a Syris Severianis primum omnium producta fuerunt, antea ignota.

Sect. 43. ſic incipit: *Et invenimus* ἀνά *μιαρὸν, ἐν τῷ ὄρει ἐστιλιτευμενον*, h. e. ſi totidem verbis reddas, *quemdam impurum in monte peragi*, idque (uti ſtatim ſubjicitur) *prope urbem*. Porro hiulcum hunc locum Sirletus voce δρόμον (*curſum*) de ſuo ſupplevit, utpote interpretatus: *Ibi exſecrabilem quemdam curſum in monte illo prope urbem celebrari vidimus*. Mihi ſane legendum videbatur, ἀ ἱερὸν: *Invenimus quoddam ſacrum in monte celebrari prope urbem*. Niſi vero malumus, ſcriptum initio fuiſſe ἱερὸν ἀ μιαρὸν, *ſacrum quoddam impurum* (in quo & paronomaſia erat cum farcaſmo conjuncta, antiquis (*) uſitatiſſima) ſed vocum ſimilitudinem fraudi librario fuiſſe, ita ut unam ex his vocibus ſibi excidere ſiverit. Re vera id ſacrum, quod mox deſcribitur, obſcenum erat. Sic initio ſuſpicabar. At ſero tandem venit in mentem, hunc locum ſatis cetera ſanum, duobus tantum litterulis redundare, ac ſcribendū, ἤγουμέν ἀ μιαρὸν ἐν τῷ &c. Μιαρὸν autem per contumeliam pro ἱερὸν fuiſſe huic auctori appellatum. Eo enim ſpectat, quod idolorum ſacerdotes Μιαροὶ [ut equidem ſcribendum puto, ut eorum impuritas notetur] aut Μιγεῖς ſive Μιηγεῖς [h. e. *Non-ſacerdotes*] aut poſtremo Μιγεῖς vocari ab Epiphanio Haer. XXX. 33. & alio ejuſd. loco relato in Quaeſtionib. Anaſtaſii Antioch. q. 45. ab Auctore Conſtitutionum Apoſt. II. 28. 61. a Petro Siculo in Hiſt. Manichaeor. [ubi ſcholion marginale vult conflatum eſſe vocabulum ex μιαρὸς *impurus* & ἱερεὺς *ſacerdos*] & in Paſſione S. Baſilii presb. Quo etiam ſpectat μιαφωνίαν pro ἱερωσύνην apud Balſamonem. Videantur de his Cotelerius ad Barnabae epiſt. cap. 9. & Cangius in Graeco Gloſſ. ut alios taceam. Verte igitur: *Invenimus* (ἀ μιαρὸν, aut μιαρὸν) *impu-*

(*) Vti quum Euclidis *ſcholam* Diogenes Cynicus χολὴν vocabat, & Platonis *diatribam* κατατριβὴν: & quum Antiochum *Epiphanem* multi vocabant *Epimanem*: & Apollo, uti volunt, in Apocalypſi IX. 11. eſt Απολλύων: & alia παμμιξόδια.

Digitized by Google

impurum quoddam ſacrum in monte peragi.

Mox v.4.Barnabas ἐπετίμησεν [adde τῷ ναῷ] *increpuit templo & decidit pars ad occidentem ſpectans.* At Sirletus interpres non recte monti ruinam tribuit, *Montis pars ad occidentem vergens decidit.* Omnino antiquitus ἱερῷ aut ναῷ vox heic legebatur; quia haec in Orderico Vitale hunc in modum narrantur, *Indignatus ergo Barnabas mox templum maledixit, ſtatimque pars TEMPLI funditus corruit.* Sic etiam Latinus Pſeudo-Joan. ſect.10. *Maledixit continuo templum, ſtatimque a parte orientis* [cor.*occidentis*] *funditus corruit.*

Ad finem ſectionis 46. mentio fit ſynagogae ἐπιλεγομένης βιβλίας. Sed ſcribendum βυβλίας. *Synagogae quae vocatur Byblia*, ut ſit a *Byblo* urbe Phoenices, non a βίβλος quod *librum* notat. Nam par eſt, Salamine [quippe urbe metropoli] ſynagogas fuiſſe plurium nationum, quibuſcum commercia exercebantur; ſicuti Hieroſolymis in Actis Ap. Synagogae erant Cyrenenſium, Alexandrinorum, Cilicum, Aſianorum &c. Et *Byblus* quidem in nummis & antiquorum libris per Y ſcribitur: at in Zoſimi [I. 58.] editionibus, & in Notitiis Eccleſiaſticis, & alibi per I: ex quo intelligitur librarios aevi medii in eo nomine permutaſſe vocalem.

A Sect. 47. Barnabae martyrium incipit: de quo martyrio nihil eſt cur dubitemus; nam & Syrorum Cypro vicinorum libri liturgici [uti ſup. §. 1. oſtendimus] Barnabam uti martyrem colebant; & eadem παράδοσις in Cypro vigebat VI. ſaeculo, quando Alexander monachus ſuam laudationem contexuit. Accedit, quod non alia afferri cauſa poteſt, cur Apoſtoli ſepulcrum per quatuor ſaecula ignotum latuerit, niſi quod ſaeviente Judaeorum perſecutione, Barnabae corpus raptim in ſpecu ſepultum fuerit, pauciſſimis conſciis, qui teſtes [uti infra ſect.49. narratur] mox relicta inſula Alexandriam petere coacti fuerunt. Nunc vero ſi Apoſtolus in pace obiiſſet; ejus tumba ſecutae poſteritati minime latuiſſet. Eâdem ſect. Judaei adverſus Apoſtolum concitantur. De Judaeis in Barnabam conjurantibus tandemq. interficientibus ferme eadem omnia narrat Alexander in ſua laudatione. Sed in eo quod heic verſu quinto Judaei Apoſtolum Τραϊᾶ τῷ ἡγεμόνι τῆς Σαλαμῖνος [*Hypatio Salaminis praeſidi*, uti Sirletus reddidit] tradere ſatagunt, mihi non eſt dubium, quin illud ἡγεμόνι ex ſemidocti deſcriptoris manu intruſum fuerit. Qui ſciolus quum illud Τραϊᾶ pro proprio hujus praeſidis nomine accepiſſet, neceſſario ἡγεμόνι [*praeſidi*] mox in ſequentibus heic ſupplendam putavit. At nemo nunc ignorat, ὑπάτων tantumdem eſſe quod *Conſularem*, ſive [ut aliter vocabant] *proconſulem*. Hinc in Orderico Vitale loco alias citato iſta Pſeudo-Joannis verba Latine ſic leguntur: *Judaei vero comprehenſum* [Barnabam] *CONSVLI Salaminae tradere voluerunt.* Nec ſecus in ipſo Pſeudo-Joanne Latino ſupra §. 2. Quibus locis CONSVLI poſitum eſt ſive pro *Conſulari*, ſive pro *Proconſuli*. Cyprus aevo Apoſtolico proconſulibus parebat, quod & Dio & ſexcentae inſcriptiones teſtantur. At vero *proconſulis* & *conſularis* vocabula fuiſſe ſynonyma, tū alibi ſaepe, tum ad Acta S. Patricii M. ad XIX. Mart copioſe demonſtravimus. Mox v.7. ſequitur narratio εὐσεβῶν Ἰεβουσαίων [*pii Jebuſaei*] a quo, forſitan Barnabae ſtudioſo, ſibi Judaei timuerunt. Earum duarum vocum altera nomen proprium viſa eſt *Sirleto*, at rectius Papebrochio gentile, unius ſcil. ex Jebuſaeis illis quos David Hieroſolymis exegerit. At viciſſim pro εὐσεβῶν [*pii*] in Actis Mombritianis & Vltrajectinis apud Papebrochium, ut & in Latino Pſeudo-Joanne ſup. §. 2. & in Orderico is vocatur *Euſebius*, tamquam ſi nomen proprium viri hujus fuerit genere Jebuſaei. In eiſdem diſerte additur, Judaeos timuiſſe, *ne hunc ille eriperet de manibus eorum*: quod in Graeco Joannis Marci nunc deeſt, neceſſario ex his interpretibus ſupplendum; alioqui manca erit narratio. Quod vero

Jebu-

Digitized by Google

Jebuſaeus iſte Neronis cognatus fuiſſe narratur [& quidem Nero *Imperator* in ſupradictis ſcribitur] in eo ex faece popularium narrationum auctor iſte hauſit. Quod ſi verum eſſet, haberemus heic deſignatum martyrii tempus, ſub Neronis ſcil. principatu. Ad finem verſu antep. narratur Apoſtoli cinis *in ſindonem conjectus* fuiſſe & *plumbo communitus*. At Ordericus, Latinus Pſeudo-Joan. (ſect. 12.) & Brev.Cap.non *Sindonis*, ſed locelli aut vaſis meminerunt (vide Adnot.225.) quae ſola videlicet implumbari aptaviſa fuerunt. Atqui & ſindon plumbeo ſigillo excipiendo idonea erat: quod & hodie in venalibus telis factitatur. Pro ἀσφαλισάμενα ſcribe ἀσφαλισάμενοι.

Sect.48. v.3. *Venimus*, inquit, *in quemdam locum*, *& quum* (σπήλαιον) *ſpecum invenissemus*, *in eam illum* (Barnabam vita functum) *demiſimus*. Hoc ultimum verbum Graece eſt καταγάγομεν, cujus vis Sirleto deperiit interpretanti *detulimus*. Atqui κατάγω eſt *deorſum ago* ſive *demitto*. Ex quo intelligimus, eam ſpecum non αἰνάμαον (*naturalem*) fuiſſe, ſed arte factam & concameratam, ac poſtremo (uti ex *demittendi* verbo ſignificatur) ὑπόγαιον *ſubterraneam*, & omnino talem, cujuſmodi recipiendis corporibus hypogea exſtrui ſolebant. At in eam ſpecum nullum illatum fuiſſe olim corpus, hiſtoria Inventionis ſatis docet. Nec aliud ſignificat Alexander monachus ubi de inventione, ſect.41. v.6. *Paullulum effoſſa humo, invenerunt* (σπήλαιον φερραγμένον ἐν λίθοις) *ſpecum lapidibus obſtructam*, *quos amoliti invenerunt urnam* &c. Vides ut eadem Alexander reperta narret, non viſo hoc Pſeudo-Joanne. Nec minor eſt utriuſque conſenſus in Evangelio S. Matthaei. Pſeudo-Joannes heic v.7. Sepultum narrat Apoſtolum (ἅμα τοῖς μαθήμασιν) *una cum doctrinis* (h. e. Evangelio) *quas a Matthaeo acceperat*. Nihilo vero ſecius Alexander Matthaei Evangelium ſupra pectus Barnabae repertum memorat.

Sed ad priorem locum redeo: poſt quem ſtatim ſequitur: ἔνθα &c. *ubi Jebuſaeorum gens prius habitabat*. Iſtud ἔνθα (*ubi*) non refertur ad *ſpecum*, ſed ad (ἐκεῖ) *locum*: quem quod olim a Jebuſaeis habitatum dicit, ex Judaicis traditionibus videtur id didiciſſe. Ad finem ſepultus dicitur die XI. Maii. Ea temporis conſignatio ſi Pſeudo-Joannem [uti credendum eſt] auctorem habet, nec ex recenti manu acceſſit; neceſſe erit Apoſtoli memoriam in ea inſula aſſidue celebratam eo die fuiſſe, etiam ante corpus inventum. At Alexander monachus ita de feſto loquitur, quaſi ſi tum primum id inſtitutum, & ei diei affixum fuiſſet, ſcribens, Ἐδικαίωσαν &c. *Decreverunt*, inquit, ejus *memoriam III. Id. Jun. quotannis celebrari*. Atqui non tum primum decreverunt, ſed jam olim factitatum fuerat, teſte hoc Joanne Marco, quem Alexander non vidit, & tamen cum eo in multis conſentit. Quod indicio eſt non mala fide ab hoc ementiti nominis ſcriptore receptas in inſula narrationes fuiſſe corraſas.

CAP. III.

In Alexandri monachi laudationem S. Barnabae Apoſtoli animadverſiones.

§. I. *Hujus opuſculi editiones. Ejus titulus haud ſatis intellectus dilucidatur: ex quo Alexander hic monachus Cyprius fuiſſe proditur. Quid* κλιδοῦχοι. *Auctoris aetas exeunti ſexto ſaeculo affigi debet. De altero ejuſd. Alexandri encomio, cui Papebrochius (recentioris id Alexandri opus ratus) obloquitur. Vtrumque a Pagii accuſationibus vindicatur. Medium de hac Barnabae laudatione judicium.*

Ea laudatio a Surio primum ex interpretatione Franciſci Zini Veneti inſerta fuerat menſi Junio: quam poſtmodum Franc. Combefiſius ex integro interpretatus, initio to.VII. Biblioth. concionatoriae recudit, ſed mutilam, uti loco ſuo dicemus. Poſtremo Papebrochius in S. Barnaba eamdem non tantum Latine ex Zino interprete, verum & Graece ex Ms.Vaticano evulgavit. Quo Jeſuita teſte, in Ms.Vatic. titulus hujuſmodi praemitte-

Digitized by Google

batur: Αλεξάνδρῳ μοναχῷ ἐγκώμιον εἰς Βαρνάβαν τὸν Ἀπόστολον, προτραπέντος ἀπὸ τοῦ πρεσβυτέρου καὶ κληδούχου τοῦ σεβασμίου ἀυτοῦ ναοῦ, ἐν ᾧ ἱστορεῖται ὁ τόπος τῶν ἀυτοῦ λειψάνων. Quae idem Bollandiſta ſic reddidit: *In Barnabam Apoſtolum Encomium Alexandri monachi, impellente presbytero & claviculario venerandae ipſius Eccleſiae editum; in quo* (ſupple *Encomio*) *etiam deſcribitur locus inventionis Reliquiarum ejus*. At ultima ſic reddes: In qua (ſupple *Eccleſia*, ἐν ᾧ ναῷ) *viſitur locus reliquiarum ejus*. Certe enim ἱστορεῖσθαι non eſſe *Deſcribi*, ſed id [232] quod poſui, non eſt dubium. Ac re vera in ea baſilica fuiſſe locum prioris Reliquiarum loci, docet Alexander monachus extrema ſectione 44. (233). At ejuſdem tituli extrema verba in Combefiſio [234] aliter habentia, eum diverſe in ſuo exemplari legiſſe arguunt.

De hac porro baſilica, in qua Apoſtoli corpus recondebatur, plura Alexander infra ſect. 44. & ſeq. loquitur: ad quem locum nonnulla pro meo captu adſpergam. Et hunc quidem titulum perantiquum eſſe, ex eo diſcimus, quod etiamnum Barnabae exuviae in ea baſilica aſſervari, & a fidelibus eo confluentibus inviſi in eo lemmate dicuntur.

Is vero qui in eodem titulo auctor & hortator ad ſcribendum Alexandro fuit, presbyter ſimul fuiſſe dicitur, & baſilicae S. Barnabae (κληδοῦχος) *claviger* ſive *cuſtos* aut *aedituus*. Sicuti in vita S. Marthae matris S. Symeonis jun. Stylitae num. 52. κληδοῦχοι ii dicuntur, qui ibid. infra vocantur σταυροφύλακες h. e: *Crucis* (quae Hieroſolymis aſſervabatur) *cuſtodes*. Occurrunt κληδοῦχοι & apud Theophanem ad Copronymi annum XX. Praeterea apud Petrum Siculum in Hiſt. Manichaeorum ex editione Gretſeri reperitur, ut heic, κληδοῦχος τῆς ἐκκλησίας, *claviger eccleſiae*: de quibus vide Cangium in ea voce. Et ea quidem cura presbyteris plerumque incumbebat. Is autem, qui Alexandrum ad ſcribendum compulit, ſimul monachus erat; quippe quem ſic alloquitur ſcriptor ſect. 1. v. 3. ἀσκητῶν διαπρεπέστατε πάτερ, *aſcetarum* (pro *monachorum*) *probatiſſime pater*. Eumdem προεστῶτα v. 8. (ubi tamen non προεστῶτι, ſed vocandi caſu προεστῶτα ſcribendum eſt) h. e. *praepoſitum* vocat; & ſect. 3. ei ſe obedire debere profitetur. Ex quo elicitur, in S. Barnabae baſilica monaſterium fuiſſe ſub cura cuſtodis ejuſdem baſilicae; & in eo demum monaſterio Alexandrum, hunc monaſticam vitam exercuiſſe. Porro de monachis, qui in ejus baſilicae atrio degerent, quorum Divina officia in templo celebrare munus erat, facit hic auctor mentionem media ſectione 45. Eorum ergo monachorum hic Alexander unus erat. Habes de auctoris conditione, & incolatu.

Jam vero quod ad aetatem atque pretium

(232) Ἱστορέω non tantum apud profanos ſaepe eſt *Viſo*, aut *viſendi ſtudio luſtro* (ut apud Plutarchum ἱστορῆσαι τὴν πόλιν, χώραν &c.) ſed praecipue apud Eccleſiae ſcriptores. In Euſebio praeſertim ea notione id verbum legiſſe centies memini.

(233) Ibi ſic de Zenone narrat. *Epiſcopum vero magnis a ſe honoribus affectum remiſit Imperator in Cyprum cum magna pecuniae vi, juſſum excitare templum S. Apoſtoli Barnabae eo ipſo in loco, in quo pretioſae ejus reliquiae inventae fuerunt*. Quod haud ſecus, ac juſſus fuerat, peregiſſe mox memoratur.

(234) In Combefiſio ultima tituli pars ſic legitur: *Quam* (laudationem) *habuit rogatus a magno ſacerdote venerandi templi praefecto, quod B. Barnabae conſecratum fuerat*. In titulo enim nulla erat de Lipſanis mentio, nec verbum ἱστορεῖται, ſed opinor καθιέρωται legebatur. Res enim ſic ſe habet. Titulus Vaticani codicis erat ille idem qui initio laudationi praepoſitus fuit, quando ſcil. adhuc Barnabae pignora in ſui nominis baſilica colebantur. At poſtquam Saracenis inſulam devaſtantibus corpus alio avectum fuit, librarius laudationem tranſcripturus, titulum immutavit, ac talem praefixit, qui aetati ſuae conveniret, contentus dixiſſe, Alexandri hortatorem fuiſſe προεστῶτα (nam ea credo vox in titulo voci *praefectus* reſpondebat: qua item voce auctor ſect. I. v. 8. eum praefectum alloquens utitur) illius templi, quod olim Apoſtolo (καθιέρωται) *conſecratum fuerat*.

Digitized by Google

tium operis attinet; Baronius [235] quidem & alii post eum nimiam illi antiquitatem tribuerunt, dum eum sub Zenone vixisse, aut ejus aetati succrevisse existimarunt, ex eo adducti quod additionem illam Trisagio factam [*Qui crucifixus es pro nobis*] *novitatem nuper excogitatam* [236] vocet. At id falsum est; nam a textu Graeco illud *Nuper* abest; & quidquid in ea re novatum fuit, non aliud quam καινοτομίαν [*novitatem*] auctor sect. 35. appellat: quae vox vel diu post additionem factam usurpari poterat. Deinde nec sub Zenone, nec proxime secutis temporibus idem elucubrare scriptum istud potuit; quia sect. 32. sic de Zenone scriptum reliquit: *Huic* [Leoni primo] *gener erat* [Ζήνων ΤΙΣ, Ἴσαυρος τῷ γένει] *Zeno QVIDAM, genere Isaurus, qui etiam post cum regnavit*. Credibile ne est, eum qui sub Zenone, aut Anastasio, aut etiam sub Justino seniore scriberet, illud QVIDAM fuisse de Zenone vel adhuc privato usurpaturum?

At ex adverso Pagius ad annum 474. sect. V. & VI. & *futilem* hunc scriptorem vocat, & tantum XI. saeculo antiquiorem. De futilitate postea viderimus: nunc de aetate nobis certamen cum Pagio ponitur. Mihi enim hoc ante omnia certum videtur, Alexandrum Cyprium, omnino ante medium VII. saeculum hanc laudationem contexuisse. Nam quum anno DCXLVIII. [237] aut sequente Saraceni Constantiam sive Salamina totamque simul insulam occuparint; & monasterium, in quo Alexander degebat, & S. Barnabae cultum fuisse disturbatum necesse est, ejusque Reliquias alio a piis insulanis avectas. Qui locus igitur huic laudationi erat? Quo confluens multitudo ad Barnabae corpus inducitur? Imo ne Archiepiscopi quidem amplius Constantiae post id tempus subsiterunt. Et tamen sectione 49. laudator hic pro episcopo tunc Salaminiam ecclesiam gubernante rogat Apostolum.

Sed parum hoc est; nam etiam Phocae & Heraclii tempora h. e. initia VII. saeculi idem auctor praecessit: id quod saltem verum est de altero ejusdem Alexandri Encomio de vivifica Cruce, in quo tantum inventae Crucis ab Helena Aug. narratio contexitur, asportatae autem in Persidem, aut inde sub Heraclio reductae nulla prorsus est mentio: de quo quidem vide quae in ima [238] pagina adnotamus.

(235) Baronius ad ann. 474. satis habuit *antiquum scriptorem* appellare. At idem ad ann. 485. *egregium virum illius temporis* (quo scil. Barnabae corpus resosum fuit) disertim vocat. Alii Baronium secuti sive Zenoni aequalem, sive supparem crediderunt.

(236) Re vera in Zini translatione sect. 35. sic auctor incautos Fullonis sectatores hortatur: *Quaenam causa vos, Fratres adduxit, ut ... novitatem ab haereticis NVPER excogitatam sequeremini*? Quae interpretatio non tantum aliis passim eam citantibus, sed & ipsi Papebrochio imposuit; qui quamvis Graeca hujus encomiastae nobis ediderit, tamen in Com. praev. n. 9. adscriptis Latinis, quae modo dedimus, verbis, ex iis infert, hunc monachum *Non adeo diu post inventionem corporis scripsisse in Cypro, certe quum adhuc RECENS esset haeresis a Petro Fullone anno 474. suscitata*. At illud *Nuper* prorsus a Graeco abest, ubi sic legitur: πρὸς χάριν ... τὴν ἐφευρεθεῖσαν ὑπὸ τῶν αἱρετικῶν καινοτομίαν καταδέξασθε; *Cur ... excogitatam ab haereticis novitatem amplexi estis*?

(237) Theophanes eam Saracenicam irruptionem anno Incarnationis secundum Alexandrinos DCXL. contigisse dicit: qui annus a Septembri anni 648. inciplens, in alterum Septembrem desinit. Elmacinus in Hist. Saracenica eamdem in annum Hegirae XXVII. confert.

(238) Hujus *Alexandri Monachi historicam laudationem de pretiosae & vivificae Crucis inventione* primus Gretserus Ingolstadii an. 1600. Graece & Latine ediderat: quam tamen Combefisius breviarium vocat longioris a se editae. Hic enim eam ex integro interpretatus inserit to. VI. Biblioth. concionat. pag. 561. Ad cujus calcem eam antiquiorem Heraclio facit, ex eo scil. quod Crucis in Persidem abductae & inde Hierosolyma reportatae nec vola neque vestigium reperiatur. Ergo saltem dum de Cruce scribebat ille, nondum abducta Crux fuerat; etsi potuerit senex Heraclii regnum attingere. Nec quidquā hoc judicio sanius censeo.

Digitized by Google

Poſtremo idem auctor in hoc Encomio non tantum additamentum Triſagio factum ſect. 35. καινοτομίαν [*novitatem*] vocat, uti ſupra expoſuimus; verum etiam ita incautos quoſdam Petri Fullonis ſequaces ab ea inſania dehortatur, tamquam ſi quidquid in ea re novatum fuit, minime veteris memoriae res eſſet. Eo pertinet illa expoſtulatio: Καταλιπόντες, *Relinquentes in hac parte patrum orthodoxam doctrinam, inventam ab haereticis novitatem ſuſcepiſtis*: quae objurgatio magis in priores Fullonis ſectarios, quam in ſeros eorum poſteros [quando additamentum radicibus actis deſiit videri novitas] convenit.

Nunc ſi a Pagio quaeras, qua de cauſa hunc monachum vix XI. ſaeculo antiquiorem cenſeat; non aliud reſpondebit, quam quia dumtaxat Mich. Glycas [qui ſub Joanne Comneno anno 1118. florebat] laudaſſe invenitur hujus Hiſtoriam *de pretioſae Crucis inventione*: quaſi ſi neceſſe ſit, omnium vel paullo obſcuriorum ſcriptorum mentionem reperiri ab antiquis factam.

Ex dictis aut VI. deſinente ſaeculo, aut ſummum ſub initia ſeptimi huic Barnabae encomio vacaſſe Alexander videtur. Nec ſeriora tempora illud τις [*quidam*] de quo initio diſputavimus, requirit. Nam ibi de Zenone adhuc privato loqui incipit, tunc quidem non alia re nobili, quam quia gener principis eſſet; maxime quum de eo poſt centeſimum amplius annum loqui aggrediatur.

Ceterum cur non ante extrema ipſa VI. ſaeculi ſpatia ab Alexandro Barnabas ornatus iſto Encomio fuerit, unice me οἰκουμενικῶ [*Oecumenici*] titulus, quem Patriarchae CPolitano tribuit, movet: qui titulus non niſi anno 588. ei decreto ſynodico aſſertus fuit: de quo videatur ſubjecta (239) adnotatio.

Hactenus de aetate. Sequitur futilitas, quam in eo Pagius ex Papebrochio inſectatur. Qui Bollandiſta ad III. Maii quum hujus Alexandri encomium *de inventione pretioſae & vivificae Crucis* ad manus habuiſſet; tamen opere ſuo illud indignum ratus, inſerere noluit, adhaec taxans Combefiſium, quod, uti ſupra dictum fuit, ante Heracliana tempora illud ſcriptum putavit. Mitto graviores Papebrochii [240] cenſuras, ne lectorem detineam. Quem fatendum eſt, non idem omni

[239] Alexander ſect. 35. v. 4. ait: *Quum Salaminius epiſcopus in Vrbem regiam profiſciſci, &* [τὸ οἰκουμενικὸ πατριάρχυ] *OECVMENICI patriarchae judicio ſiſti juberetur* &c. Ac nequis cauſetur, iſtud οἰκουμενικῶ a poſterioribus Graeculis additum fuiſſe, obſtat huic conſentiens locutio ad finem ſect. 34. ubi ſynodus CPolitana contra Petrum Cnaphea veluti *oecumenica* laudatur. *Et anathema in illum contorſerunt omnes* [οἱ κατὰ τὴν οἰκουμένην] *qui in oecumene* i. e. orbe terrarum *ſunt epiſcopi*. Atqui ea ſynodus (cui Acacius patriarcha praefuit) tantum ex CPolitani patriarchae dioeceſi coacta fuit. Hic autem CPolitani patriarchae faſtus ex levioribus initiis [quibus ſupersedeo] ortum ducens, tandem anno 588. ſynodi CPolitanae ſub Joanne Jejunatore patriarcha decreto firmatus fuit. Etſi autem primo Pelagius, mox Gregorius M. pontifices ei arrogantiae obviam iverint; tamen apud Graecos ea ſynodo poſteriores, etſi cetera orthodoxos, manſit, ut patriarcham ſuum *Oecumenici* appellatione donarent: quod illi tamen forſitan non malam in partem initio accipiebant, quia ſcil. Romanum imperium οἰκουμένη *oecumene* vocabatur, cujus bona pars dioeceſin CPolitanam conſtituebat.

Quare etſi Alexandri Encomium Crucis potuerit antiquius eſſe, forſitan ab adhuc juvene contextum; at Barnabae certe laudatio poſterior anno 588. eſſe debuit, & in ejus ſaeculi exitum, aut ſequentis initium eſt omnino conferenda.

(240) Is ad III. Maii praefatus ſe antea voluiſſe *Encomium Alexandri monachi de inventione ... Crucis* adtexere, ſect. 30. cauſam cur id poſtea non praeſtiterit, hanc aſſignat. *Verum ut orationem illam inſpexi propius, non modo cenſui eam Heraclianis temporibus* (quibus antiquiorem fecerat Combefiſius) *longo intervallo poſteriorem* (id vero tantum ſibi ſumens, ceterum probare ſuperſedet) *ſed omnino talem quae praeter ſubſtantiam ac pene verba narrationis ex Theophane* (ex Sozomeno melius dixiſſet, quocum pleraque communia habet: nam Theophanes Alexandro multo poſterior fuit) *ad*

Digitized by Google

omni tempore de ſcriptoribus tuliſſe judicium, ſed pro argumento quod erat prae manibus, diverſis judicaſſe modis. Certe eidem illi Papebrochio hic ipſe monachus in Barnabae Encomio tantum non [241] ſummus eſt.

Sed nolim equidem pari ſtudio materiae abripi. Quid enim diſſimulo? Non multum hic quidem noſter judicio valuit, nec raro in paullo antiquioribus rebus a veritate aberravit. Tamen & a fide integra ſe lectori facile commendat, & talis viris ſummis Baronio[242]atque Valeſio viſus fuit, quem paſſim ducem ſequerentur, ille in Annalibus, hic in Diſſert. de Petro Fullone. Eidem Papebrochius ſumma omnia detulit, ut Adnot. 241. oſtendimus. Ne Tillemontius quidem in Barnaba Not. 3. quidquam in eum gravius protulit,quem & alibi pluries pro re nata ſequitur.Itaque etſi judicii amuſſim in eo haud raro requiras, at ſinceritatem nullo modo. Ex eo fit, ſicubi in praecedentium temporum hiſtoriam offendit, id ei juxta cum aliis plura in aevi, etiam ſui, narratione peccantibus eſſe largiendum. In hoc autem Barnabae elogio, nae is inſulanas narrationes majorem partem ſcriptas, alicubi forſitan per ora traditas, ſecutus eſt. Et quoties ei quidem cum Pſeudo-Joanne, quem minime norat, convenit, ea adoptari pro veriſimillimis poſſunt. Praecipue autem in inventionis ſacri corporis hiſtoria nihil eſt cur ſcriptori eorum temporum vicino fidem derogemus; praeſertim qui & Theodoro Lectori conſentientia ſcripſerit, & circa ſepulturae locum, & Evangelium cum Apoſtolo conditum[ut & alia complura] etiam perſonato Joanni Marco, quocum, utpote ſibi ignoto, conſpirare nullo modo potuit.

§. II. *In prooemii finem & in Caput primum.*

Alexander Pſeudo-Joannis Acta ignoravit. In Graecum Iſaiae locum antiquae lectiones. Joſeph *nomen Barnabae aſſeritur. De Levitarum ephemeriis. Apoſtolorum caenaculum in domo Joannis Marci.*

Ad finem prooemii h. e. ſect.8. ſe de Apo-

vel ſimili ſcriptore acceptam, nihil omnino habeat, quo non manifeſtetur turpis plurium noviſſimar. rerum ignorantia. Mox erroribus pluribus (in rebus tamen non ſui temporis ſed ante ducentos amplius annos geſtis) Alexandri numeratis, ſect.32. concludit: *Quibus conſideratis, encomium iſtud exiſtimavi hoc opere* (in quod tamen Bollandiſtae plurimas ſordes ſibi notas atque confeſsas inferre numquam dubitarunt) *indignum eſſe: auctorem vero ſuſpicamur eſſe monachum Cryptae ferratae* (non: verum monaſterii Eccleſiae S. Barnabae in urbe Conſtantia, uti initio oſtendimus) *unde ſimiles quiſquiliae plures ... ad Vaticanam bibliothecam pervenerunt.* Hactenus clariſſimus auctor ingenio indulſit ſuo.

(241) Papebrochius ad XI. Jun. in Comm. praevio num. 9. ſic poſuit: *Qui* (Alexander) *non adeo diu poſt inventionem corporis ſcribens in Cypro, certe quum adhuc recens eſſet haereſis a Petro Fullone ann. 474. ſuſcitata* &c. Deinde num. 11. *Eſt enim* (Alexandri laudatio) *graviter omnino ſcripta, & quoad poſteriorem partem* [de Apoſtoli inventione] *ex certa ſcientia, quoad primam autem ex recepto tunc apud Cyprios ſenſu* &c. Deinde paſſim in adnotatis ad hoc Encomium plus, quam equidem vellem, huic monacho tribuit. Haec Papebrochii poſteriora judicia ſi Pagius a me ſupra laudatus legiſſet, profecto aequiorem ſe huic Cyprio ſcriptori praebuiſſet.

Quamquam Papebrochius, quantum conjicio, Barnabae laudatorem ab encomiaſte Crucis alium fecit, eoque quanto plus aequo illi tribuit, tantum huic detraxit: in utroque nimius. Sed Pagius tamen pro uno auctore habuit, nec aliter eruditiſſimus quiſque: quod & res ipſa loquitur. Praeter nomen idem, par utrique monaſticum inſtitutum, par aevum, par ſtudium contexendi encomia, eaque hiſtorica: id quod titulus illius de Cruce [in quo vocatur ἐγκώμιον ἱστορικὸν] oſtendit. Certe utraque laudatio a prooemio ad longas rerum geſtarum narrationes, hinc vero tandem ad laudes & rhetorica pigmenta progreditur: ut facile duas ſorores agnoſcas, ab eodem parente prognatas.

(242) Baronius ad ann. 485. ſic de hoc opuſculo praedicat. *Hiſtoria quidem omni acceptione digniſſima, omnium aſſertione atque conſenſione recepta, ab egregio viro illius temporis Alexandro monacho orthodoxo ſcripta exſtat: quam ut egregium monumentum, & lucernam in caliginoſo loco lucentem ... hic tibi opportune intexendam putavimus.*

Digitized by Google

Apoſtoli *vita & conſummatione* [ἐκ τῶν τῆς Στρωματέως, καὶ ἑτέρων ἀρχαίων συγγραμμάτων] *& ex Stromateo* [Clementis Alexandrini] *& ex aliis antiquis ſcriptis* deprompturum narrationem proponit. Ex his vides, quibus ex fontibus hauſerit. At de Joanne [243] Marco ne verbum quidem, certe quod id ſcriptum tum in Cypro tum alibi tunc ignotum fuiſſet, in aliquo facile Syriae angulo latens, unde ſero tandem aevo poſteriore emerſit. Sane quidem ſi Alexander Acta Joannis Marci vidiſſet, numquam ex occaſione Inventionis feſtum Barnabae diei XI. Junii aſſignatum fuiſſe dixiſſet: de quo plenius nos cap. ult.

Sect. 9. in fine ex Iſaia ſic citat: Μακάριος ὁ ἔχων σπέρμα ἐν Σιὼν, καὶ οἰκίαν ἐν Ἰερουσαλήμ. *Beatus qui habet ſemen in Sion & domum in Jeruſalem*. Merito heic conqueritur Papebrochius, fruſtra ſe in Vulgata Latina id quaeſiviſſe. At in Graeca Prophetae interpretatione extremo cap. XXXI. ea leguntur: niſi quod pro οἰκίαν [*domum*] in omnibus legitur οἰκείους [*domeſticos*]. Verum Noſter in ſuo codice legebat ſine dubio οἰκίαν, ſicuti citat; id enim ſcopo ſcriptoris ſervit, oſtendentis affectaſſe Judaeos *domum* in civitate ſancta poſſidere, nimis craſſe illum Vatis locum accipientes. At Hebraice nec illud *Beatus* [quod & a Graecis ceteris interpretibus abfuiſſe Euſebius teſtatur] exſtat, & pro *Semen* eſt *Ignem*, pro *Domum* aut *Domeſticos* eſt *Clibanus*; ſicuti & Aquila, Symmachus, Theodotio reddiderunt. Hinc merito in Vulgata Hieronymi is locus ex Hebraeo ſic legitur: *Cujus ignis eſt in Sion, & caminus ejus in Jeruſalem*. Ex qua Hebraica lectione animadvertis in Alexandri codicibus non male ſcriptum fuiſſe οἰκίαν (*domum*) quod ab Hebraica ſententia propius aberat.

Sect. 10. v. 3. Apoſtolus Ἰωσὴφ (*Joſeph*) primum fuiſſe vocatus a parentibus ſuis dicitur. Ac ne de manda ſuſpicio ſubeat, addit eum *Patriarchae* Joſepho cognominem feciſſe genitores: praeter plures, quos ſubjicit, *Joſephi* nominis ſignificatus. At nunc in vulgatis omnibus Graecis Actorum Lucae exemplaribus (unde cap. IV. v. 36. haec ſumpta fuere) non Ἰωσὴφ ſed Ἰωσῆς *Joſes* legitur. Sed tamen ſatis ſalvae res ſunt; quandoquidem etiamnum in Mss. optimae notae Ἰωσὴφ *Joſeph* reperit Millius. Sic etiam habet Vulgata Latina: nec aliter in tranſlationibus Syriaca, Arabica, Coptica, & Epiphanio ſcribitur. Quocirca non eſt dubitandum, quin Vulgata Latina veram lectionem retinuerit, cum qua heic, ut & paſſim alibi, codex antiquiſſimus Cantabrigienſis conſonat, & noſter hic monachus.

Sect. XI. Barnabam Gamalielis diſcipulum Hieroſolymis fuiſſe dicit, Pauli condiſcipulum, & quotidie magnos in ea Schola progreſſus feciſſe; addens: ὕστερον μέντοι εἰς τὴν ἐφημερίαν (cor. ἐφημερίαν) τῶν Λευιτῶν ἐτάχθη διὰ τὸ ἐλλιπὲς τῆς ἡλικίας, ἦν γὰρ ἔφηβος ἄν. *Nondum vero in Levitarum vices allectus fuerat ob aetatis defectum, quippe nondum exceſſerat ex ephebis*. Et Sacerdotum quidem ἐφημερίας (*vices* Latinus Lucae interpres *vocat*, quem in tranſlatione loci hujus ſecutus fui) ex initio Evangelii Lucae didiceramus: at pares Levitarum ephemerias hinc primum cognoſcimus. Legitima Levitarum aetas erat annorum XXV. ex Lev. VIII. 24. ante quam aetatem a miniſterio repellebantur.

Sect.

(243) Papebrochius Com. praev. num. 11. in fine laetatur quod inter eos, unde ſe hauſiſſe auctor profitetur, *Nec Periodi* [Joannis Marci] *fuerunt, quod mireris* [imo nihil mirandum, quum illae Alexandro latérent] *neque Recognitiones Clementis Rom.* [ſed ex his profeciſſe alicubi monachum non abnuerim, quippe jampridem notis, & ab ipſo Origene lectis]. *unde major* [inquit] *operi aeſtimatio accedit*. Verum ut ſaepe monuimus, ἀρχαίων συγγραμμάτων nomine Noſter inſulanas potiſſimum memorias ſcripto, uti fit, a ſimplicioribus viris conſignatas intellexiſſe videtur: quae quia ſatis notae Cypriis erant, nominatim eas deſignare, dum ad illas provocat, inſuper habuit.

Digitized by Google

Sect. 13. magnifice loquitur de caenaculo Joannis Marci, ubi Jesus Pascha celebraverit (de quo videsis Tillemontium in vita Jesu-Christi Not. 27.) & cetera contigerint mysteria, quotiescumque convenisse in caenaculum Apostolos Evangelistae narrant. Ibi & Ecclesiam Sion ceterarum matrem exaedificatam fuisse ad extremum narrat. Quae utinam antiquiorum testimonio niterentur. Nisi quod ab antiquioribus commentariis sua hausisse se monachus initio profitetur.

Sect. 14. Barnabas non tantum unus ex LXX. fuisse narratur (quod plures ex antiquis prodiderunt) sed & eorum coryphaeus. Ibidem *Barnabae* cognomentum ei primum a Petro ex Divino afflatu impositum dicitur. Id porro nomen juxta cū S. Luca Act. IV. 36. *Filium consolationis* interpretatur. Recte. Nam licet *Bar-Nabas* Hebraice *filium prophetiae* significet; at Syriaco sermone (qui Apostolis vernaculus erat) *Filium consolationis* notat, ut in loco Actorum dicemus. At aevo medio variae hujus nominis interpretationes cusas video. Ms. Collectanea de S. Barnaba [quae cap. 2. ex Neap. Monasterio S. Joan. ad Carbonariam haud semel allegavi] a significatibus nominis (quod saepe in aliis ibi fit) ordiuntur in hunc modum: *Barnabas interpretatur Filius-venientis, vel Filius-consolationis, vel Filius-prophetans, aut Filius-occludens.* Quas omnes interpretationes pluribus mox Apostolo accommodat, pro captu scil. sui temporis. Easdem quatuor significationes in antiquis *Interpretationib. Nominum Hebr.* ad calcem antiquorum Biblior. reperio.

§. III. *Ad caput alterum.*

Barnabae Paulo se demittentis modestia. Inter utrumque divortii causae. Κρίσις pro Gehenna. *Alexander cum Pseudo-Joanne componitur. Joannis-Marci, & Marci Evangelistae* [illegible] *ex Cypriorum traditione ortam.*

Ad finem sect. XX. quod ait Barnabam, ceteroqui Paulo digniorem, ei semper priores partes tribuisse, id et cum Pseudo-Joanne (vide sup. cap. 2. §. 4. ad Graeca Pseudo-Joannis sect. 39.) & cum Chrysostomi pluribus locis, & cum aliis antiquis pulchre consentit. Multus certe in eo Chrysostomus est: qui Hom. XIX. ad Acta notat Barnabam Paulo cedere (Act. XIII. 16.) etsi esset venerabilior. Et passim in eam sententiam differit.

Sect. 22. Joannis Marci infirmitas animi notatur, qui horrore periculorum, quibus ultro caput suum objectabant Apostoli, Hierosolyma ad matrem suam redierit. Sed mox sect. seq. idem poenitentia tactus rursus se Barnabae adjungit, ne tum quidem tamen [μετὰ παῤῥησίας] *animo satis fidenti*. Haec si vera sint, inde Lucae Actis lux affulgebit. Haec enim causa exstitit (ut sect. 24. pergit auctor) cur Paulus a Barnaba diverteret, qui Barnabas deinceps Marcum individuum comitem habuit.

Sect. 25. Tota Barnabae oris & corporis habitudo minutim describitur, uti fit etiam in Actis S. Marci, quae ad XXV. Aprilis illustravimus. Quae non aliunde hic laudator, quam ab Apostoli antiquis imaginibus in insula exstantibus, aut ex antiquioribus S. Barnabae Actis, quae interciderunt, didicisse videtur. Et exstitisse certe aliqua de Barnaba scripta ἐπιχώρια, omnis haec laudatio clamat, in qua tot circumstantiae narrantur, quae non aliunde quam ab antiquioribus historiolis manare potuerunt.

Sect. 27. vers. 6. ἐδὲ ἡ κρίσις τῶλος ἔχει ... κολαζουσα τὰς ἁμαρτωλὰς. Quo loco Κρίσις [ad verbum *Judicium*] pro *Gehenna* sumitur, ut alibi apud Graecos, & interdum etiam *Judicium* eodem significatu apud Latinos Patres. De qua voce memini dixisse ad XIX. Maii in S. Patricio pag. 396. & alibi. Itaque verba supra recitata sic vertes: *Nec Gehenna finem habet ... puniens peccatores.* Id ex eo palam fit, quod mox v. 11. hanc eamdem κρίσιν vocat γέενναν τὴν ἀθάνατον, *gehennam immortalem*.

Ad finem sect. 28. a Barnaba morituro Joannes Marcus Paulum convenire

Digitized by Google

venire jubetur. Hoc vero cum narratione Pseudo-Joannis in fine non pugnat, ubi is Alexandriam navigasse scribitur. Nam ex Cypro Alexandriam trajectus facilior erat. At inde mox Paulum inquirere & adire potuit. Quem Ephesi convenisse narratur heic infra sect. 30. v. 6.

Sect. 29. v. 5. & supra sect. 26. v. 3. Judaei Barnabae interfectores ἀπὸ Συρίας fuisse dicuntur. Hoc illud est quod innuit Pseudo-Joannes sect. 46. in fine, ubi ingressus dicitur Apostolus in Synagogam vicinam Bybliae Synagogae. Nam & Byblus urbs in Phoenice Syriae erat. Ex quo datur intelligi, illam alteram Pseudo-Joannis synagogam Bybliae vicinam, etiam Syram fuisse, & ejus contubernales fuisse illos, qui in Barnabam conjurarunt. Deinde quae de rogo & sepultura scribuntur, satis cum Joanne-Marco consentiunt, eo excepto, quod Pseudo-Joannes corpus in favillam redactum dixerit. Quamquam & haec conciliari posse ad eum locum ex Latina translatione ostendimus.

Sect. 30. v. 12. Dicitur Petrus duxisse secum Romam Marcum [h. e. Joannem Marcum] τραυσποιήσας αὐτὸν; sed Zinus recte legit παιδοποιήσας (*adoptans*) quia vertit, *Quia quodammodo sibi filiũ genuerat.* At illud valde notandum est, quod ab hoc Marco scriptũ Evangelium, & Ecclesiam Alexandrinam fundatum dicit. Ex quo patet, non minus ab Alexandro, quam a Pseudo-Joanne, Mareum Evangelistam cum Joanne-Marco Barnabae consobrino fuisse confusum. Quumque uterque Cyprius fuerit; ex eo discimus, eam opinionem Cypriis singularem fuisse. Et hanc quidem sententiam Combefisius in Auctario aliorũ plurium antiquorum consensione firmat. Idem & Graeci in suis libris liturgicis sentiunt, quod ex cap. seq. intelliges. Sed eam tamen opinionem recte refellit Tillemontius in Marco Evangelista Not. 2. Quibus addere & hoc licebit, quod Joannes Marcus [uti cap. superiore vidimus] Barnabam tumulavit. At qui potuisset, si quidem diversus ab Evangelista non esset? Nam Evangelista [ut ostendimus ad XXV. April.] anno Christi LXXV. martyrium subiit, anno solido ante Barnabam, qui anno LXXVI. martyr occubuit, uti cap. 6. demonstrabitur.

§. IV. *In caput tertium & quartum.*

Quid θείας λήξεως. Vetus Zenonis nomen, ex quo huic monacho error obortus. Διαδέχομαι passivum. Ἀποστολικὸς Alexandro restituitur pro Ἀπόστολος, *quod heic nihil est.* Δεκανόν · *Theopaschitae ab Apollinaristis orti. Interpolati Trisagii sectatores, non omnes continuo haeretici. Alexandri in historiam offensio.* Σαμωσοφρία. *Loco inquinatissimo suppetias itur.* Πατροσύνη, paternitatis *titulus.*

Sequuntur tertium & quartum caput, quibus ubi ex memoria proxime praecedentis aetatis de rebus Petri Fullonis atque Zenonis quaedam delibavit, mox Inventionis Barnabae historiam luculenter exponit. Hanc potissimum hujus Encomii partem magni fecere Baronius, Valesius in Dissertat. de Petro Fullone, & κριτικώτατος Tillemontius [quem videtum tom. 16. in Acacio CPolitano, tum in Leone & Zenone Augustis] qui ex hoc auctore sua passim hauserunt. Tantum Pagius hoc spreto scriptore alia omnia sequitur: quem videbis ad ann. 474. Nec difficile esset Pagii difficultatibus obviam ire, ex iis praesertim, quae passim *supra* §. 1. de hoc scriptore, ejusque sinceritate edisserta fuerunt. Sed nolo nimium de via divertere. Tantum igitur quaedam carptim in duo sequentia capita pro captu nostro adspergemus.

Sect. 32. v. 3. Leo Imp. cum adjuncto τῆς θείας λήξεως nominatur. Quod interpres reddidit *sanctae memoriae.* Sed rectius reddi poterat *beatae conditionis* aut *sortis*, quasi dicas *Beatitatem assecutus.* Quem eumdem initio sect. 33. *terrestre regnum cum immortali commutasse dicit.* Λῆξιν eo significatu & Synesius & alii usurparunt, Chrysostomus autem sexcentis locis. Ibidem sequitur: *Huic* (Leoni) *genere erat* (Ζήνων ἦν) *Zeno QVIDAM genere Isaurus.*

Digitized by Google

rus. Vide quae in iſtud QVIDAM ſup. §.1. adnotavimus. Sed praeter ibi animadverſa, adde hoc etiã, quod Zeno antequam Ariadnam Leonis filiam duceret, *Tarasicodiſa Rufumbladeotae* filius [quae ſunt Iſaurica nomina] vocaretur; quem Leo data filia *Zenonem* tranſnominavit, teſte Candido Iſauro ſcriptore apud Photium pag.174. Haec eo dixi, ut appareat illud τις (*quidam*) priori nomini fuiſſe ab hiſtorico, ex quo haec Alexander hauſit, accommodatum: quem ſcripſiſſe crediderim hoc ferme modo: *Huic gener erat* (Ταρασικοδίσα τις, εἴτα δὲ Ζήνων μετονομασθείς) *Tarasicodiſa quidam, poſtea Zeno tranſnominatus.* Sed monachus compendio ſtudens, adempto priore nomine, tamen illud τις [*quidam*] incogitans retinuit. In fine dicitur Petrus Fullo ſe inſinuaſſe in amicitiam generi Imperatoris, qui tunc *patricius & comes excubitorum* eſſet. De dignitate Comitis excubitorum paſſim Byzantinae hiſtoriae ſcriptores loquuntur. Ab hac dignitate mox ad ducatum orientis promotus fuit, uti mox innuitur ſect.33. v. 3. ubi Zeno profectus in Orientem dicitur, quamvis *Ducis Orientis* gradu [cujus ceteri hiſtorici meminerunt] non diſerte nominato.

Sect.33. v.12. *Niſi ſucceſſorem accipiat* [ubi Gr. eſt διαδεχῇ, ad verbum *Excipiatur*] *epiſcopus civitatis hujus.* Haud alibi obvium eſt διαδέχομαι paſſivo ſignificatu. V. 19. *Gravia* (crimina) *contra Apoſtolicum* [h.e. patriarcham Antiochenum] *comminiſcens*. Graece quidem heic legitur κατὰ τῶ ἀποστόλω, *contra Apoſtolum*: ſed ſcribendum eſt Ἀποστολικῶ, *contra Apoſtolicum*. Epiſcopos olim *Apoſtolicos* fuiſſe vocatos, patet ex pluribus Latinorum locis, quae Suicerus in Theſ. quaeq. Cangius in Latino Gloſſario attulerunt. At eam locutionem etiam Graecis fuiſſe uſurpatam nunc primum ex hoc loco diſcimus.

Sect. 34. v. 4. Δεκτικὸν eſt *ſupplicatio* [vulgo *Memoriale*] haud alibi obvia aevi ſequioris vox. Mox ex v.10. intelligimus, ab Apollinariſtis Theopaſchianorum haereſim primum eſſe profectam. Idque veriſſimum eſt; nam ut ex Theodoreti dialogo qui Ἀπαθὴς [*Impaſſibilis*] inſcribitur, conſtat, tempore Apollinaris & Euſebii Emiſſeni is error ſpargi coepit. Imo & ipſum Apollinarem, *Vnigenitum Deum mortalem eſſe ... atque in triduana illa corporis morte divinitatem ſimul cum corpore mortuam*, docuiſſe, auctor eſt Nanzianzenus Orat.46.p.722. Deinde eadem haereſis ab Eutychianis robur majus accepit, maxime ab hoc Petro Fullone: quem tamen male quidam Theopaſchitarum auctorem faciunt. Male: nam uti mox dicitur, non aliud Fullo novavit, quam quod in Apollinariſtarum gratiam, & ejus firmamentum erroris impium additamentum Triſagio affinxerit, atque [ut Hiſtoriae Miſcellae XXII.16. locutione utar] *Trinitatem in Triſagio crucifixerit*. Errant autem qui hujus additamenti auctorem Anaſtaſium Imp. faciunt, Evagrii & Cedreni auctoritate male intellecta inducti. Nec enim aliud hi ſibi voluerunt, quam quod additionem illam [ceteroqui alibi excogitatam] CPolim primus induxerit Anaſtaſius malo ſuo. Cedrenus ipſe alibi Cnaphea iſtius adjectionis diſerte repertorem facit.

Ceterum non omnes additamenti Triſagio facti ſectatores prave ſenſiſſe, mox ex ſect.35. docemur. Quae ſectio paraeneſim complectitur, qua incautos quoſdam, qui [ἁπλότητι λογισμῶ, καὶ ἀκακίᾳ γνώμης uti v.3. legitur] *ſimplicitate magis quam ſua improbitate* ad eam adjectionem inducti fuerant, ab illa novitate dehortatur. Quos Alexander pluribus allocutus, ad extremum perorans dixit, *Extremae* [ἰδιώτας h.e. ineruditae ſimplicitatis: quod vocabulum videtur hinc tranſtuliſſe, ut alia plura, Theophanes ad Leonis I. ann. 10.] *Extremae*, inquit, *inſcitiae rem futuram, ſi iſtius haeretici* novitatem admiſerint [κἂν μὴ φρονῶσι τὰ τῶ αἱρετικῶ] *etiamſi non eadem, quae haereticus ille, ſentiant*. Ex quo manifeſtum eſt, tum initio, tum etiam ſecutis temporibus additamentum illud non tantum

Digitized by Google

ab haereticis, sed etiam a pluribus incautis catholicis fuisse usurpatum, praecipue, ati reor, a monachis. Nam tota haec monachi Alexandri hortatio ad monachos, ni vehementer fallor, dirigitur; quos etiam v. 2. & v. antepen. ἡμετέρους [*nostros*] vocat; eosque longe alia *a sanctis patribus nostris* [quo elogio monachi sanctitate illustres donari solebant] edoctos, arguit.

Sect. 36. v. 7. Fullonem a Zenone restitutum in cathedram Antiochenam narrat; cui consentit Theophanes. Sed rectius ii, qui a Basilisco tyranno restitutum prodiderunt. Idque licebit, si lubet, inter hujus scriptoris ἀμαρτήματα ἱστορικὰ referre, post centesimum amplius annum haec scribentis.

Sect. 40. quod de Evangelio Matthaei narratur, id totum in caput V. rejicimus; ubi & insigne Syri scriptoris de eo Evangelio testimonium producemus, ac simul duo illustria Theodori Lectoris, & alterius cujusdam & Cedreni loca, quibus tota inventionis S. Barnabae historia brevi perstringitur.

Sect. 41. Anthemium episcopum processisse narrat ad destinatum locum, ubi latebat Barnabae corpus, μετὰ σταυροφανείας: forsitan rectius μετὰ σταυροφορίας, *Cruce praelata*. Cujus praelatio in processionibus jam tum IV. exeunte saeculo in more erat, ut ex vita S. Porphyrii Gazae episcopi ab Herveto translata constat.

Sect. 42. v. 7. & sect. 43. post medium, ἀμφίβολα est *controversia*. Exempla similia ex Conc. Calchedonensi, & aliis affert Cangius in Glossario Gr. Versu 4. ante finem, ἐκεῖνα ἦν τάδε: supplendum est ἀμφιβολίας, aut tale aliquid. *Nullus relinquebatur disceptandi locus*.

Sect. 43. v. 4. μηδὲν, ἃ τοῖσιν, οὐ ἀληθῶς ἀποκρύψας. Locus est corruptissimus. Quem συνέχειαν [*contextus*] sic restituendum monet: μηδὲν ἔτι τούτων οὐ ἀληθῶς ἀποκρύψας, *Nihil tale ex iis quae vera essent, sibi ultra reticendum ratus*. Versu ult. Imperator episcopum alloquens, τῇ σῇ πατρωνίᾳ, *Paternitati tuae* ait. Abest id vocabulum a Cangio; cujus loco in Appendice Πατρότης ex vita S. Euthymii affertur. Idem in Lat. Glossario *Paternitatis* vocabulum [& quidem diverso sensu, nim. pro Abbatis officio] tantum ex Conc. Tullensi saec. IX. citat. Tamen S. Laurentius diaconus Xystum Papam sic compellans in antiquorum scriptis inducitur: *Quid ergo in me displicuit paternitati tuae?*

Sect. 45. v. 6. quid sit templum ἀμβόλοις ἔξωθεν κύκλῳ περισφιγμένον, Zinus interpres aut ignoravit, aut in suo non legit, id totum certe praeteriit. Ἄμβολοι sunt *porticus*, quibus S. Barnabae basilicam exterius quaquaversum fuisse ambitam, hic auctor prodit. De his ἀμβόλοις plurima passim apud sexti & sequentium saeculorum scriptores mentio est: nam prior Graecia hoc significatu eam vocem usurpasse non reperitur. Porro haec & sequens sectio pulchram ejus Ecclesiae cum adjacentibus aedificiis descriptionem continet, haud alibi obviam.

CAP. IV.

De Actis Latinis Mombritianis & Graecorum libris.

Latina quaedam S. Barnabae Acta jam pridem ediderat Boninus Mombritius. Eadem postmodum non tantum ex Mombritio, sed & ex antiquo membranaceo codice recudit Papebroechius ad XI. Junii; qui in adnotatis suum illum codicem *ante annos septingentos* (h. e. comparata scil. hujus Bollandistae scribentis aetate, decimo saeculo) exaratum notat. Nec equidem multo antiquiora X. saeculo ea Acta existimaverim. Etenim Graecum Pseudo-Joannis commentarium IX. aut summum VIII. saeculo in Occidentem allatum, simulque Latine redditum, superiore cap. §. 2. ostendimus. Quare quum Mombritianae historiae pars posterior tota ex illo Pseudo-Joanne conflata fuerit (fatente id scil. ipso auctore sect. 2. v. 7. ubi ex S. Luca & Joanne Marco se suum scriptum confarcinasse profitetur, ut & rursus infra initio illius partis alterius ex Joanne Marco haustae) necesse est, aegre

ante

ente IX. ſaeculum id praeſtare Mombritianum ſcriptorem potuiſſe.

Quocumque autem tempore id contigit; certe auctor Mombritianus, ſi vera dicit, non Latinam Pſeudo-Joannis tranſlationem apud nos veriſimillime factam (quam ſupra cap. 2. §. 2. dedimus) ob oculos habuit, ſed Graecum ipſum textum, ex quo interpretando ſuam alteram partem contexuit. Id certe innuit, ubi ad alteram partem tranſit iis verbis, quae Papebrochius affert in Comm. praev. num. 7. *Quo autem ordine ad martyrii coronam pervenerit* (Barnabas) *ex GRAECO eloquio Joannis exadelphi ejus TRANSFERENTES, ſenſum magis quam verba ſequentes, fideliter declaramus. Joannes igitur qui & Marcus* &c. Equidem quum Mombritio, in Italia longe rariſſimo, caream, nec iſtam partem alteram ex Joanne hauſtam Papebrochius recuderit, nihil de ea judicare valeo. Tamen quia Ordericus Vitalis diverſas aliquot ab ea tranſlatione quam ſupra dedimus locutiones uſurpat; id arguit Ordericum profeciſſe ex ſcripto Mombritiano, cui ab auctore ſuo diverſa altera Joannis tranſlatio intexta fuerat.

Ergo tota haec Mombritiana hiſtoria hoc filo contexitur, ut pars prior S. Lucam ducem ſequatur; mox (interpoſitis tamen quibuſdam de Romana ac de Mediolanenſi Barnabae praedicatione) pars poſterior ex Joannis Marci apocrypho ſcripto (quod tamen ipſe auctor pro *Actibus authenticis*, uti loquitur, habuit) depromat.

Ad Graecorum vero libros quod attinet; tum in Menaeis tum etiam Baſilii Menologio die XI. Junii poſt S. Bartholomaei elogium [quem junctim cum Barnaba colunt] ſequitur hoc alterum de Barnaba, quod eiſdem plane verbis tum in laudato Menologio, tum in Menaeis decurrit. Sed praeſtabit ex Menologio deſcribere. A titulo ordiar. Ἄθλησις &c. *Certamen SS. Apoſtolorum Bartholomaei & Barnabae*. Mox amborum elogia ſubjiciuntur. *Ex his S. Bartholomaeus* &c.... *Barnabas autem, qui & (244) Joſeph in Apoſtolorum Actibus inſcribitur, unus ex (245) Septuaginta exſiſtens, Pauli comes ordinatur. Ejus nomen Filius conſolationis redditur. Ex tribu Levi ortus, & in inſula Cypro natus & educatus, primus Hieroſolymis, Romae, et Alexandriae Chriſti Evangelium praedicavit. In Cyprum porro profectus, a Judaeis ſimul & Graecis lapidatur ignique traditur. Quem Marcus (*) Apoſtolus et Evangeliſta ſublatum in ſpecu repoſuit. Deinde Epheſum ad Paulum trajiciens eum de Barnabae conſummatione certiorem fecit. Flevit autem eum Marcus ad multum temporis. Hic ſimul eum (246) Matthaei Evangelio a ſe deſcripto ſepultus dicitur, quod et poſtea cum Apoſtolico corpore inventum fuit: unde et fideles privilegium (247) acceperunt, ne cui aliorum epiſcoporum haec inſula ſubjiciatur, ſed a ſuo ipſorum epiſcopo ordinetur.* Hactenus ex Graecorum libris eo libentius deprompſi, quod ea Bollandiani praeterierint. Quae quidem aliunde prorſus, quam ex Pſeudo-Joanne hauſta videntur. Ex

(244) Recte in Menologio Ἰωσὴφ; at in Menaeis Ἰωσῆς. Vide de vera hujus nominis lectione ſup. ad Alexandri ſect. 10.

(245) Non tantum unus ex LXX, ſed eorum *vertex*, uti quodam Menaeorum loco dicitur, τῶν ἑβδομήκοντα μαθητὴς γενόμενος κορυφή.

(*) De eo quod Graeci Joannem Marcum eumdem atque Evangeliſtam faciunt, vide dicta cap. ſuperiore ad finem §. 3.

(246) Quum Menaeorum elogium eiſdem plane a ſummo ad imum verbis Menologii Baſiliani conſtet; tamen heic pro *Matthaei* nobis Evangelium *Marci* obtruditur; ἅμα τῷ ὑπ' αὐτοῦ γραφέντι καὶ Μάρκου εὐαγγελίῳ. Id ex eo ſcil. fluxit, quod quum Jo: Marcus, idem in hoc elogio ac Marcus Evangeliſta (de quo vide dicta cap. 3.) credatur; veriſimilius viſum ſuit cum Barnaba ipſius Marci (qui Barnabam cum Evangelio inhumavit) quam Matthaei ſcripta recondi. Id vero, ſiquid aliud, Graecorum inſcitiam oſtendit; apud quos diu poſt Zenonem in Aede Palatii illud Matthaei exemplar aſſervatum & difficultatibus obortis (uti cap. ſeq. exponetur) conſultum ſuit.

(247) Gr. προνόμιον.

Digitized by Google

quibus poteſt intelligi, Graecorum officiorum concinnatoribus incognitas fuiſſe Barnabae Περιόδους & paſſionem nunc ſub Joannis Marci nomine ambulantes; ex quibus Graeculorum ingenium mirifice profeciſſet, ſi quidem in eorum manus incidiſſent.

CAP. V.

De Evangelio S. Matthaei in Barnabae tumba reperto.

Praeter ea quae in anteceſſum de hoc Matthaei Evangelio delibavimus cap. 2. §. 4. in adnotatis ad Pſeudo-Joannis ſect. 41. & 48. alia quaedam heic dabimus. Nam principio inquiremus in Sigeberti locum; quem etiam ex antiquis ſcriptoribus caſtigabimus. Deinde obiter quibuſdam in Pſeudo-Joannem & Alexandrum animadverſis, Theodori Lectoris, alterius cujuſdam & Cedreni loca, ac poſtremo pulcherrimum Severi Antiocheni teſtimonium producemus.

A Sigeberto incipiam, cujus locum ex Chronico ad ann. 489. huc integrum afferam. *Barnabas Apoſtolus, qui apud Salaminam Cypri a Barjeu mago & a Judaeis pro Chriſto igne crematus eſt, corpus ſuum, quod a Joanne Marco conſobrino ſuo in crypta occultatum adhuc latebat, revelatione ſua inveniri fecit: cum quo etiam Evangelium Matthaei, ipſius Matthaei manibus hebraice ſcriptum, quod erat ſimul reconditum, invenitur. Quod Evangelium ipſe Barnabas ex doctrina Apoſtolorum ſecum ſemper ferre ſolebat; & ubicumque inveniebat infirmos, ponebat illud ſuper illos; & tam fide Barnabae, quam merito Matthaei omnes ſanabantur.* Vbi pleraque omnia Sigebertus ex Joanne Marco & aliis antiquis hauſit. At illa duo (1. quod id Evangelium *Hebraice* ſcriptum fuerit, 2. quod *Ipſius Matthaei manibus*) unde didicerit, non reperio. Alexander quidem Evangelium Matthaei cum Barnaba repertum ἰδιόχειρον h. e. *propria manu ſcriptum* dixit, ſed Matthaei an Barnabae manu, non expoſuit. Quocirca id potuit Sigeberto, aut aliis unde is hauſit, imponere. At vero Theodorus Lector (cujus utpote antiquioris potior eſt auctoritas) ipſius Barnabae manu exaratum diſerte narravit his verbis, ᾧ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον, ἰδιόγραφον τῷ Βαρνάβᾳ, h. e. *Matthaei Evangelium, ipſius Barnabae manu deſcriptum*. Integrum Theodori locum infra recitabimus; ſicuti & Cedreni qui multo clarius hoc ipſum ſignificat.

Sed illud longe gravius quod Hebraice ſcriptum dixit. Quod quidem ex eo imbibit Gemblacenſis hic monachus, quod illud Matthaei ipſius manu ſcriptum ſibi antea perſuaſerat: ex quo conſequens fuit, non Graece ſed Hebraice ſcriptum fuiſſe: nam Hebraico ſermone a Matthaeo compoſitum Evangelium fuerat.

Atqui certum eſt, Evangelium cum Barnaba repertum Graece ſcriptum fuiſſe. Nam poſtquam a Zenone in Palatii Auguſtalis aedem translatum fuit, ex eo quotannis Fer. V. Paſchae in ſollemni liturgia legebatur Evangelium; nec niſi Graece id fieri potuit.

Atque heic levi brachio refricandum arbitror, quod ſupra ad Pſeudo-Joannem & Alexandrum de eadem hac re notabamus. Joannes Barnabam a Matthaeo λαβεῖν (*accepiſſe*) Evangelium ſcripſit, Alexander autem ἐκλαβεῖν h. e. *excepiſſe*, aut potius ſimpliciter *accepiſſe*, quia ἐκλαμβάνω paſſim idem quod λαμβάνω. Verum age, a Matthaeo *exceperit* h. e. (uti Tillemontius conjicit) dictante Evangeliſta deſcripſerit. Eſto inquam. At quocumque id modo accipiatur, certe Graecum nō Hebraicum ſeu Syriacum Evangelium a Matthaeo Barnabam accepiſſe, inventio Barnabae cum Graeco Evangelio arguit. Quorſum haec? Nempe quia ſuſpicor, Matthaeum, etſi principio Evangelium Hebraice in uſum Judaeorum χριστιανιζόντων conſcripſerit, eumdem poſtmodum illud ipſum in Graecum transfudiſſe in eorum Apoſtolorum uſum, qui gentilibus Evangelium annuntiaturi eſſent, quorum praecipui Barnabas hic atque Paulus fuerunt. Hinc Paulus in Latino Pſeudo-Joanne media ſectione 3. conqueritur, ſibi *praedicationis libros* ab Joanne Marco non

fuiſſe

Digitized by Google

fuisse perlatos: quo loco τὰ τῷ κηρύγματος βιβλία *praedicationis libros* non aliud esse quam Matthaei Evangelium Graece redditum, ibi enotavimus.

Jam vero ad eamdem Pseudo-Joannis sectionem 41. animadvertimus, Barnabam aegrotos imposito Matthaei Evangelio percurasse. Ficulneo haec fundamento niti, clamabis. At saltem ea apud Cyprios fama pervagabatur, quo tempore ista de S. Apostolo a Cyprio Joanne isto conscripta fuerunt.

Age vero cetera persequamur. Hoc Evangelium supra pectus Barnabae repertum fuisse tum Alexander sect. 41. memorat, tum etiam Theodorus Lector, & alius quidam apud Suidam. Ac Theodori & Suidae loca in medium huc afferre operae pretium fuerit, ex quibus tum Alexandri historia Inventionis confirmatur, tum alia quaedam praeterea discuntur. Theodorus igitur scriptor rei gestae σύγχρονος initio lib. 2. Excerptorum haec habet Valesio interprete: *Barnabae Apostoli reliquiae in Cypro sub arbore* (248) *siliqua repertae sunt, super cujus pectore erat Evangelium Matthaei, ipsius Barnabae manu descriptum. Qua de causa Cyprii obtinuerunt* (αὐτοκέφαλον εἶναι αὐτὴν καὶ ἀνεξάρτητον μητρόπολιν) *ut metropolis ipsorum libera esset ac sui juris, nec Antiochenae sedi AMPLIVS* (249) *subjaceret. Id Evangelium Zeno deposuit in palatio in aede S.* (250) *Stephani.*

Suidas autem in θύϊνα hunc locum nescio (251) cujus auctoris affert. *Sub Zenone imperatore inventae sunt in Cypro reliquiae Barnabae Apostoli, qui Pauli itinerum comes exstitit. In Barnabae vero pectore Matthaei Evangelium repositum erat, habens folia* (252) *thyina.*

Sed ne Cedreni quidem testimonium heic desiderari volui. *Hoc tempore sancti Apostoli Barnabae* (253) *reliquiae repertae sunt in Cypro sub arbore* (Gr. est κεφαλαίαν: sed id arboris genus in Geoponicis per I scribitur ἡ κεραλία) *ceraso, habens in pectore S. Matthaei Evangelium* (ἰδιόγραφον ἀπὸ τῶν ἀποστόλου Βαρνάβα) *propria Barnabae manu descriptum... Quod Evangelium Zeno reposuit in Palatio in aede sancti Stephani in Daphne.*

Postremo de eodem negotio tum Inventionis, tum etiam Evangelii Matthaei exstat

(248) Arborem istam κεραλίαν [h. e. *siliquastrum*, uti H. Steph. in Thes. eam vocem interpretatur] tum Theodorus, tum etiam Alexander vocant. Sed tamen Cedrenus unius consonae discrimine κερασίαν nuncupat, quod *cerasum* vertunt.

(249) Ita quidem hunc locum magnus Valesius reddidit: at minus accurate. Nec enim illud AMPLIVS in Graeco Theodori textu reperitur [in quo tantum scribitur: καὶ μὴ πάλιν ὑπὸ Ἀντιόχειαν, *nec Antiochiae subjiceretur*] & contra historiam est. Jam enim antea in Ephesina Synodo agitata haec causa fuerat, & pro Cypriorum libertate pronuntiata sententia. Postremo quum exeunte V. saeculo iterum ea de re litem Archiepiscopo Salaminio Petrus ille Cnapheus intentasset; tum etiam in gratiam inventi Apostoli Barnabae αὐτοκεφαλία Salaminio praesuli asserta fuit.

(250) In Theodoro nunc quidem legitur ἐν ἄλλῳ Στεφάνῳ, *in alio Stephano*. Sed jam pridem in ora sui codicis ἁγίῳ [*Sancto*] Savilius & Christophorsonus correxerant, idque Valesius approbavit. Quid quod a Cedreno id disertim affirmatur? *Istud*, inquit, *Evangelium Zeno reposuit in palatio* [ἐν τῷ παλατίῳ τῶν ἁγίου Στεφάνου] *in aede sancti Stephani in Daphne*. Nam *Daphnen* eam palatii partem, in qua ecclesia Imperatoris erat, Byzantini scriptores vocant. De hac S. Stephani Basilica vide Cangium in sua CPoli.

(251) Valesius ad recitatum Theodori fragmentum, Suidae locum ex Theodoro sumptum putavit. *Hic*, inquit, *Theodori locus exstat apud Suidam aliquot vocibus auctior in θύϊνα*. Quasi vero nemo alius praeter Theodorum hujus rei meminisset. Quid plura? Quid interutrumque locum interesset, nemo non videt.

(252) Tantumdem est quod *citrina*, si veris eruditis credimus.

(253) Papebrochius in Com. praev. n. 10. laudat Xylandrum, quod hoc loco λείψανον non *solum* (inquit) *Reliquias*, *sed Cadaver multo melius verterit*. Putavit enim Jesuita optimus *Reliquias* de parte corporis, non de toto usurpari. At quantum est Latii veteris *Reliquias* de toto accipiebat. Nec *Cadaveris* voce consuevere Christiani uti, quoties de sanctorum pignoribus agebatur?

Digitized by Google

exstat pulcherrimum Severi (254) patriarchae Antiocheni Monophysitae testimonium a Petro Antiocheno relatum libro adversus Damianum, quod nobis Illustriss. Josephi Assemani Canonici Vaticani, & Vaticanae Bibliothecae praefecti industria ex opimis Orientis spoliis, quae ex non una peregrinatione redux, in Bibliothecam Vaticanam invexerat, ad specimen excerpsit: quod totum nisi eisdem viri amicissimi verbis huc asseram, in publica commoda peccem.

Ex clariss. Assemani Biblioth. Orient. tom. 2. cap. IX. pag. 81.

Prae ceteris observatu dignum est fragmentum quod Petrus [255] in cod. 15. fol. 118. profert ex epistola 27. lib. 9. quam Severus post exsilium ad Thomam Germaniciae episcopum scripsit: ubi insignem habet locum de Evangelio Matthaei cum corpore S. Barnabae Apost. in Cypro reperto. Verba Severi accipe [256] *Quod autem latus Domini ac Dei nostri Jesu Christi postquam Spiritum tradidit a milite lancea percussum sit; & ex eo sanguis & aqua mirabiliter effluxerint, divinus Evangelista Joannes scribit: cujus quidem facti nemo alius meminit. Nonnulli, vero Matthaei Evangelio vim palam inferentes, id ibi obtrusere, quod contra Evangelistae mentem est: ut scil. ostenderent, Christi adhuc viventis [257] latus a milite lancea prius percussum fuisse, quam is Spiritum tradidisset. Haec res summo studio discussa est, quum mea tenuitas in Urbe Regia [258] esset, Macedonii ejusd. urbis quondam Archiep. causa. Producto igitur in medium Matthaei Evangelio, quod magnifice [259] descriptum erat, & in Regia Aede summa cum veneratione servabatur, quodque imperante clarae memoriae Zenone in urbe Cypri insulae una cum S. Barnaba Pauli in lustrandis regionibus & in divinae praedicationis muniis obeundis socio, reperitum fuisse ferebant, eoque aperto deprehensum est, hujusmodi historiam militis & lanceae additamentum in ipso hactenus quam exstare.* Subjungit antiquorum expositorum neminem hujusce rei meminisse praeter Chrysostomum & Cyrillum Alex. quorum in commentaria id additamentum obrepsit. Et quidem Chrysostomus Hom. 89. in Matth. dissertam illius facti mentionem facit, inquiens: *Alius autem accedens lancea latus ejus aperuit* (260) &c. perinde quasi ea verba in Matthaei Evangelio exstarent, ut merito in editione Parisiensi 1558. tom. 2. p. 558. ad marginem sic adnotatum sit: *Haec suo loco posita esse non videntur, quae habentur Jo: XIX.* (261) In Graecis vero Evangeliorum (262) codicibus, quod hactenus observavi, nihil

(254) Aequalis scriptoris, uti infra dicetur in Adnot. 263.

(255) Fuit Patriarcha Antiochenus ab suprascripto Severo tertius, in locum Pauli anno 578. ordinatus.

(256) Cl. Assemanus Petri locum Syriace & Latine dedit. Nos ejus interpretatione contenti erimus.

(257) Re enim vera id addebant in fine vers. 49. ante mentionem mortis; uti mox videbimus. Tamen Chrysostomus loco qui infra ab Assemano laudatur, etsi in Matthaeo ea verba legeret, tamen e mortui Christi latere sanguinem cum aqua prodiisse agnoscit, haud dubie προλήψιν [*anticipationem*] in Evangelista agnoscens.

(258) Quo se contulit, quum circa ann. 519. patriarchatu exutus esset.

(259) Quippe habens *folia byblina*, uti supra didicimus. Nec materiae tanti pretii impar debuit esse scribentis industria. Vult est: illud *magnifice scriptum* ad characteres est referendum (etsi possit ad omnia simul pertinere) ex eo Barnabam καλλιγράφον fuisse, intelligimus.

(260) In Chrysostomo edito ἀνέῳξε *aperuit*: in paucis tamen S. Doctoris Mss. ἐνύξε *pupugit*, ut in Joanne.

(261) Atqui in omnibus Chrysostomi codicibus ex aequo ea verba leguntur simul cum Chrysostomi animadversione.

(262) Millius tamen ad Matt. XXVII. 49. tum versionem Aethiopicam laudat, tum etiam plures Graecos codices, in quibus ad finem v. 49. infunduntur haec verba, Ἄλλος δὲ λαβὼν λόγχην ἔνυξε αὐτοῦ τὴν πλευράν· καὶ ἐξῆλ-

Digitized by Google

, hil tale apud Matthaeum legitur, ſed , in Joannis duntaxat Evangelio ea hiſtoria habetur. Quare dicendum eſt, , Chryſoſtomum & Cyrillum in depravatum codicem incidiſſe, in quo ea , verba ex Joanne in Matthaeum amanuenſis vitio tranſlata ſunt, ut Severus , probat, tum ex collatione facta ad praeſtantiſſimum illum codicem Barnabae , manu deſcriptum, tum ex Patrum commentariis, qui in Matthaei Evangelio , nullam ejus rei mentionem fecere, tum , denique ex Canone Euſebii Pamphili, , qui eam hiſtoriam tamquam ſingulare , Joannis caput deſignat. Quod vero Severus de corporis S. Barnabae & Evangelii ab eo deſcripti inventione narrat, , hiſtoriam Alexandri monachi a Surio , ad diem XI. Junii relatam mirifice confirmat. Severus [263] enim Zenonis , temporibus vivebat, quibus id factum , contigit; cujus proinde teſtimonium , tanti ponderis hac in re debet eſſe, ut , nullus de veritate hujus hiſtoriae ambigendi locus relinquatur; praeſertim , quam aequalis Severo ſcriptor Theodorus Anagnoſtes eamdem narrationem , tradat lib. 2. Hiſt. Eccleſ. non longe ab , initio. Vide Eminentiſſ. Baronium ad , ann. 485. ubi Nicephori oſcitantiam , notat, qui eam hiſtoriam ad Anaſtaſii , Imp. tempora perperam refert. , Hactenus eruditiſſimus auctor.

Quandoquidem autem eo loci ſumus, reputent ſecum quam ſolide Bailletus totam hanc Inventionis S. Barnabae hiſtoriam ad pia quaedam Anthemii Salaminiorum Archiepiſcopi [264] artificia conferri poſſe, neſcio quam ſuſpicionem injecerit. Factum nollem. Nam ut in praeſens ſpretae in hoc auctoritatis aequalium hiſtoricorum querelam omittam (cui auctoritati ſi nondū damus manus, ecquid deinceps in teſtatiſſimis hiſtoriis tutum erit?) ut haec inquā omittam: eſtne credibile patriarchis Antiochenis, quorū ejus facti veritatem convellere maxime interat [quippe per eā occaſionem hi cauſa ceciderunt, dum Cypri metropoli αὐτοκεφαλία denuo aſſerta fuit] nihil de techna ſuboluiſſe? Anne poterat tanta res remotis arbitris geri? aut ſiqua forte pia fallacia interveniſſet, diu latere? Poſtremo Anthemii epiſcopi mores ab omni aſtu alieniſſimi erant, uſque adeo ab audaci quovis facinore abhorrentes, ut ejus nimius potius timor atque ingenitus quidam torpor ab Alexandro notetur, non ſine commendatione [ἀκηλιδώτου βίου] *intemeratae vitae*. Quae deſcriptio [quam ſect. 38. reperies] quidvis potius quam fallax & ſubdolum ingenium arguit. Nullam Severus ipſe [ex quo teſtimonium deſcripſimus] qui patriarcha Antiochenus fuit, nec quiſquam alius ejus deceſſorum in Inventionis veritatem controverſiam movit.

ἀξιῶσαι ὕδωρ καὶ αἷμα. *Abſurde* (ſubjicit Millius) *cum haec Chriſto non vivo ſed mortuo acciderint.* Atqui Chryſoſtomus hoc totum ad prolepſin retulit, uti dictum eſt in Adnot. 257.

(263) Severus, de quo tamdiu loquimur, diu antea monachus Gazae in monaſterio Theodori fuit: ex quo an. 513. in ſedem Antiochenam, pulſo Flaviano, invaſit. Ex ea poſt ſexennium deturbatus, aliquamdiu CPoli commoratus, poſtremo exul Alexandriae ad finem uſque vitae (h. e. ad annum uſque 539. ut ex Syris ſcriptoribus oſtendit laudatus toties Aſſemanus) ſubſtitit. Hic ille Severus eſt, qui Acephalorum pater vocari ſolet.

(264) Bailletus in S. Barnaba num. VI. *La garantie d'un fait ſi remarquable* (Inventionis ſcil. S. Barnabae) *depend un peu de l'opinion que l'on pouvoit avoir de la ſincerité de l'eveque Antheme, ou de la bonne foi du moine Alexandre, qui a fait un grand detail de cette merveille . . . Antheme nous eſt repreſenté comme un homme qui avoit plus de pieté que de ſcavoir & d'eloquence, & qui ſe trouvoit fort embaraſſé pour ſe defendre contre Pierre le Foulon . . . Dans une conjoncture ſi preſſante il auroit été peut-etre à craindre que ſa pieté un peu trop ingenieuſe ne lui eut ſuggeré, au defaut des moyens ordinaires, quelque pieux artifice dont on ſcait que le gente des Graics n'avoit point d'averſion.* Mox ubi Theodori Lectoris aequalis ſcriptoris ſibi auctoritatem oppoſuiſſet, ſubjicit: *Mais on ſcait que ni Theodore ni Alexandre n'etoient gueres en etat de garantir la bonne foi de l'eveque Anthemе.* Haec (nequid gravius dicam) cui bono, haud ſatis perſpicio.

Digitized by Google

vit. Quod adverſariorum Anthemii ſilentium plane clamat, eam Inventionem re vera non ἐν παραβύστῳ, ſed luce media eveniſſe, nec remotis arbitris, ſed in propatulo, praeſente clero atque populo. De qua facti evidentia in hunc modum Alexander monachus ſcripſit ſect. 41. *Coegit* [Anthemius] *omnem clerum, omnemque Chriſti amantiſſimum populum, & cum multo apparatu ſub Crucis vexillo ad indicatum ſibi locum proceſſit. Sub haec oratione facta, locum effodi juſſit. Porro ubi paullulum effodiſſent, ſpeluncam lapidibus obſtructam invenerunt: quos amoliti arcam invenerunt: eaque detecta, ſancti & glorioſi Apoſtoli Barnabae pretioſas Reliquias invenerunt ... & Evangelium in ejus pectore repoſitum.* Haec pius monaſterii S. Barnabae monachus poſt centeſimum a re geſta annum, ab ſuo hegumeno juſſus, ſcribebat; cujus ſtylus ſtrophas nullas, nullam fallaciam redolet, quinimo totus eſt ad pietatem ingerendam compoſitus, ab aequalibus vero ſupra productis teſtibus nulla in re diſſentiens.

CAP. VI.

De die & anno certaminis Apoſtoli Barnabae.

§. I. *De die Depoſitionis, feſtique antiquitate.*

Pſeudo-Joannes Marcus ad finem ſect. 13. [in Bolland. 48.] ubi dixiſſet, ſe raptim Apoſtoli corpus in ſpecu cum Evangelio condidiſſe; tempus depoſitionis ejus minutim his verbis notat: ἦν δ' ὥρα τετάρτη τῆς νυκτὸς, δευτέρα σαββάτου, μηνὶ Παῦνι κατ' Αἰγυπτίους ἑπτακαιδεκάτῃ, τῆς δὲ γενέσεως ἔτους (cor. ἔτους) ιβ', καὶ δὲ Ῥωμαίοις μηνὶ Ἰουνίῳ ια'. *Erat autem hora quarta noctis, ſecunda Sabbati, menſis Payni ſecundum Aegyptios dies ſeptimus decimus, Generationis anno duodecimo, ſecundum Romanos autem menſis Junii dies undecimus.* Hi ſunt temporis characteres, quibus hic auctor depoſitionis tempus accurate deſignat. Ex quibus ad diem quod attinet, ſatis nunc ſit intellexiſſe, eam in XI. Junii incidiſſe, cum quo ſine controverſia dies XVII. Payni concurrit; quia Junii Kalendae in Payni diem VII. perpetuo incurrunt. Quae quum ita ſe habeant; erravit haud dubie Alexander, innuens, non niſi poſt Reliquias inventas, eaſque in S. Barnabae baſilica repoſitas Apoſtoli feſtum fuiſſe inſtitutum & diei XI. Junii affixum. Hanc enim ſententiam legenti ingerunt ejus verba ſect. 46. Τὴν δὲ ἡμέραν ταύτης ἐνδόξου μνήμης τῷ ... Βαρνάβᾳ ΕΔΙΚΑΙΩΣΑΝ γίνεσθαι καθ' ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καὶ μὲν Ῥωμαίοις τῇ πρὸ τριῶν εἰδῶν Ἰουνίων, καὶ δὲ &c. *Diem vero glorioſae memoriae ... Barnabae DECREVERUNT quotannis celebrari III. Idus Junias ſecundum Romanos, ſecundum vero* (265) ...

Ex his vides, I. quum Pſeudo-Joannes (qui certe haud ſerius III. ſaeculo ſuum commentarium ex inſulanis memoriis concinnavit) Barnabae Depoſitionem in XI. Junii incurriſſe ſcripſerit, idque aliis cha-

(265) Ibidem hi alii parum noti characteres ſequuntur, Κατὰ δὲ Κυπρίους Καρταγενεῖς μηνὶ Μεσωρὶ, ᾧ καὶ δεκάτῃ ἐστὶ· κατὰ δὲ Ἀσιανοὺς ἤτοι κατὰ Παφίους μηνὶ Ἡλιθυπάτῳ, ᾧ καὶ ἐνάτῃ ἦν. *Secundum vero Cyprios Conſtantienſes* (ſive Salaminios) *menſis Meſori, qui decimus eſt, die XI. ſecundum Aſianos autem ſive Paphios, menſis Helethypati, qui nonus eſt, die XIX.* Ex quibus apparet, in una eademque inſula diverſam fuiſſe Salaminiorum a Paphiis menſium rationem. Nam *Meſori* quidem Aegyptii menſis duodecimi nomen eſt, reſpondetque Auguſto noſtro: apud Salaminios autem [ſi huic fides] decimus erat & a Kalendis Junii incipiebat; ex quo ſequitur Conſtantienſium annum a Septembri ei CPolitanis incepiſſe. Aſianus autem ſive Paphius menſis *Helethypatus* plane ignotus mihi eſt. Is quum nonus fuerit; neceſſe eſt, Paphiorum annum ab Octobre exorſum fuiſſe. Atque in his quidem eruditi chronologi licebit ſeſe exerceant. At interim videndum an non in monachi Alexandri textu apud Bollandiſtas pro ἡλιθυπάτῳ ſcribendum ſit ἡλιθύπατῳ. Is enim menſis forſitan ab *adventu conſularis* ſive [quod idem eſt] proconſulis (quando ſcil. Cypro in provinciae formulam redacta, proconſul in eam primum venit) appellatus videtur Ἡλιθύπατος *Elythypatus*, quia videl. Junio menſe Cyprus rectorem provinciae acceperit.

Digitized by Google

characteribus cumulaverit; de eo die tunc non fuisse dubitatum, imo & ejus Depositionis festum quotannis eod. die fuisse, quantum quidem per persecutiones licebat, celebratum. II. Festum, quod eopte die quotannis aevo Alexandri agebatur, non fuisse tunc primum V. exeunte saeculo institutum, nec fuisse festum Reliquiarum Inventionis aut Basilicae dedicationis, aut dumtaxat *Memoriae*, sed *Depositionis*, quippe eodem die quo re vera depositus fuit. III. Alexandrum, qui haec nesciret, falso existimasse, id festum non ante corporis Inventionem fuisse usurpatum, nec ad diem *Depositionis* pertinuisse, sed ad *Memoriae* diem (nam differte μνήμης, *memoriae diem* vocat) quem proinde putavit aut arbitrariae assignationis fuisse, aut eum diem constitui placuisse, quo Reliquiae sub Altari basilicae reconditae fuerunt. IV. Postremo ex his (vel si alia desint indicia) manifesto intelligi, Alexandrum in Pseudo-Joannis historiam non(266)incidisse;proinde ubi inter utrumque convenit (convenit autem in plurimis non levis momenti circumstantiis) non unum habendum esse, sed duo diversa testimonia, non colludentia scil. sed ex diverso consentientia. Hinc in Basilii Menologio hujus Apostoli festum non Μνήμη, *Memoria* [ut ab Alexandro vocatur] sed Ἄθλησις, *Certamen* dicitur, certe quod eo die passum credidissent.

Nec Latini, ubi primum de Barnaba colendo cogitarunt, in alium diem ejus festivitatem contulerunt. Horum sive primi (267) sive certe non ultimi Neapolitani exstiterunt. Et tamen quae causa fuit, cur in fastis suis festum uno die anticipaverint? Non alia, quam quod quum in XI. Junii [uti ad crastinum diem videbimus] S. Maximi Episcopi Neap. simulque S. Barnabae depositio concurrerent; Maximus quidem, utpote propriae sedis episcopus, in sua statione fixus remansit, alter vero, etsi Apostolus, suo loco dimotus in praecedentem diem transivit: idque non amplius sub *Passionis* sed sub *Natalis* nota, quippe qui die non suo colceretur. Hunc in modum IX. saeculo se res habuit. At deinde in exeuntis XII. saeculi Kalendariis potior Neapoli visa est Apostoli dignitas. Itaq. Barnabas diei XI. affixus fuit, Maximus vero in mensem Februarium demigravit, ut ad diem crastinum enotabimus.

At vero interim in Romanam Ecclesiam sero admodum Barnabae festum admissum fuisse, jampridem eruditi viri adnotarunt. Nulla ejus mentio in libris sacramentariis, nulla in Frontonis & Allatii Kalendariis. Adhaec notat Papebr. (in Comm. praev. num. 2.) non nisi Clementem VIII. [qui superiore saeculo ineunte sedebat] lectiones proprias hujus Apostoli Breviario Rom. addidisse, & festum duplex majus constituisse.

Dixi de tempore festi hujus apud Latinos. At interim Papebrochio minime assentior, neganti apud Graecos antiquius hoc festum, quam apud Latinos fuisse. Apud Cyprios quidem antiquam fuisse Depositionis ejus festivitatem, hinc Pseudo-Joannes innuit, illinc Alexander testatur. Non est autem verisimile, ceteram interim Graeciam a colendo Barnaba feriatam. Imo persuasum habeo, ab insula id festum ad ceteros Graecos fen-

(266) Quae si vidisset, de antiquitate festi mentionem necessariam injecisset. Aut si forte ante inventionem corporis memoria depositionis Barnabae intermissa fuerat; saltem [si quidem ex Joanne Marco didicisset, eum die XI. Junii depositum fuisse] hoc nullo modo dissimulasset, nimirum idcirco festum diei XI. Junii assignatum fuisse, quia eo ipso die depositus Apostolus fuerat.

(267) Jam alibi vidimus, apud Latinos in Bedae Mrologio primum Barnabae festum occurrere (ex Bedae ipsius, an ex Flori manu, incertum) mox in alia posteriora IX. saeculi Mrologia passim invectum. At Neapolitanae marmoreae ephemerides, in quibus Barnabae festum item signatur, etsi ante medium IX. saeculum scalptae non fuerint; non continuo sequitur, non potuisse apud Neapolitanos aliquanto antiquius hujus Apostoli festum esse, ex occasione scil. Pseudo-Joannis ex oriente allati ac Latine versi institutum: quod satis per se manifestum est.

Digitized by Google

sim sine sensu perreptasse. Ceterum etsi librorum liturgicorum συνάξαρια non maximae sint antiquitatis; at festa ibi descripta (maxime Apostoli hujus, cujus Exemplar Evangelii in urbe Regia veneration erat) sunt maximam partem bene vetera.

§. II. *De anno passionis S. Barnabae.*

Hactenus de festo ac die Depositionis. Venio ad ejusdem annum (θανάσιμον) *emortualem*: quem quidem accurate ab ementito Joanne Marco designatum video. Quumque hunc in plurimis aliis veracem agnoverimus, nec omnia fallere Cretes, vetus sit verbum; non est cur in hoc ei fidem derogemus, in quo minime omnium fallere debuisset. Nec enim in hoc potius aut illo anno quidquam praeclari erat, ex quo majus scil. decus Apostolo accederet. Eccur porro plurimum verax, in re ἀδιαφόρῳ mentiretur, idque mendacium tot aeque fallacibus circumstantiis incrustaret? Facile igitur credimus, quos anni passionis characteres Noster expressos reliquit, eos ex insulanis memoriis didicisse.

At illud doleo, quod ubi *anno* (γενεᾶς) *generationis duodecimo* migrasse Barnabam refert, id αἰνιγματώδες (*aenigmati simile*) videatur. Sirletus quidem pro γενεᾶς *Natalem* (268) *Domini* reddidit. Quod viro tanto excidisse nollem: a quo tamen hoc permagni emolumenti discimus, quod in textu quem a Papebrochio habemus, mendosa prorsus sit illa numeralis nota ιβ'. Sirletus certe in suo codice, ex quo suam interpretationem expressit, non ιβ' (XII) sed ρβ' (CII) reperit, ut ex ejus translatione constat. Nunc quid sit γενεᾶς (*generationis*) annus CII. videamus.

Vt paucis rem absolvam; Γενεά hoc tantumdem est, quod Γενέθλιον aut plur. Γενέθλια sive Γενέσια, h. e. *Natalis* aut *Natalitium*. Sicuti autem usus obtinuit, ut vox Latina *Natalis* non tam ipsam nativitatem qua quis primum in lucem editur, quam diem natalem recurrentem notet (uti quum *Natalem celebrare*, *Natalem praebere* dicimur) haud secus apud Graecos γενέθλιον accipitur. Ac postremo eo res evasit, ut omne id quod quotannis recurrit, & a quo anni numerari solent, id Graecis γενέθλιον, γενέθλια, γενέσια, Latinis *Natalis*, *Natale*, *Natalitium* vocaretur. Antiqui enim quasvis insignium rerum anniversarias memorias, *Natales* vocabant; uti quum Alexandrini (teste Sozomeno VI. 2.) γενέσια σεισμοῦ (*natalitia terraemotus*) sub Valentiniano, quotannis recoluisse narrantur. Eo pertinent Sanctorum *Natalis* aut *Natale* (quod tamen in his Neapolitanis Fastis ad festa die non suo quotannis celebrata peculiari significatu, quod saepe monuimus, refertur) *Natalis cathedrae*, quo episcopus cathedram iniit: *Natalis basilicae*, quando primum dedicata fuit: *Natalis imperii* apud Capitolinum in Pertinace & Eumenium: *Natalis adoptionis* apud Spartianum in Hadriano: & sexcenta generis hujus, quae satis protrita arbitror.

Talis igitur quaepiam hoc Pseu-Joannis loco voci Γενεᾶς subest haud dubie notio. Nam & Judaeis γενέθλιον aut γενέσια eo significatu sumi, testatur celebris locus 2. Mach. VI. 7. in quo agitur de natali regni Antiochi, & Matt. XIV. 6. ubi de pari Herodis natali; sicuti & apud Josephum regis Agrippae *natalis* eamdem habet significantiam. Nec alia Rabbinis mens fuit, quorum est in *Abdab*

(268) Is apud Papebr. Comm. praev. num. 3. illud τὸ δὲ γενεᾶς ἔτους ιβ' reddidit, *Anno autem centesimo secundo post Natalem diem Domini*. Mitto quam sit ἀσαφὲς a scriptore tam antiquo annos a Christi Nativitate putari. Sed demus id tamen factum: at quis sibi persuaserit, ad annum Christi 102. Barnabam protulisse vitam?

At interim ex ea Sirleti translatione id, ut alibi dixi, commodi assequimur, quod inde intelligimus, eum in suo exemplari non ιβ' (ut in Bollandistis) reperisse, sed ρβ'. Idque rectius esse non est dubium; nam prior falsam numeralis nota ἑκατοντάδος (*centenarii*) ordinem debuit: etsi posterior, uti postea videbimus, in Sirleto etiam mendosa fuerit.

Digitized by Google

dah zarah cap. 1. scitum illud: *Haec sunt tempora idololatrarum, Kalendae, Saturnalia,* Γενέσια *regni*, &c. A natali regni annos, ut a *Natali genuino* [h.e. nativitatis] etiam veteres Hebraei supputabant, uti quum 1. Sam. XIII. 1. *Filius unius anni* est qui annum unum ab inito regno expleverat. Nec te turbet quod non Γενεθλίου aut γενεσίων, vox, sed Γενεᾶς heic usurpetur; sunt enim cognata vocabula, quae promiscue confunduntur. Quis umquam miratus est Balsamonem [si recentioribus exemplis uti fas est] *Natalem regni* γέννησιν [quod γενεᾶς Synonymum est] appellantem? Sic enim ille ad Photii Nomocan. tit. VII. c. 1. Βασιλικὴ γέννησις ἤ ἀναγόρευσις, *imperatoria generatio* [pro *Natalis*] *seu inauguratio*.

Hactenus quod hoc loco Γενεὰ *natalem regni* notare debeat. At cujusnam maxime regni? Articulus ei praepositus [τῆς δὲ γενεᾶς] insignis alicujus regni epocham illustrem notat, nec plane alterius quam Regni Octaviani Augusti, a cujus initio anni monarchiae Augustorum ab Aegyptiis numerabantur. Ea est Æra decantatissima, quam *Augustorum*, sive *Actiacam* vocant. Nam a victoria Actiaca initium sumit, nisi quod uno anno serius. Res enim sic se habet. Ea victoria in diem 2. [sive potius 3. ex emendatione Juliana] Septembris anni 31. ante aeram vulgarem incidit. Tamen quia anni sequentis mense Sextili Antonio & Cleopatra sibi mortem afferentibus, confectum id bellum fuit; senatus decreto [apud Dionem] putari tempora ab ejus anni [qui XXX ante aeram vulgarem fuit] die 29. Augusti ab Aegyptiis coeperunt: ita ut hujus epochae anni ab 29. Augusti suprascripti anni procederent, & in 28. Augusti sequentis anni desinerent. Itaque ubicumque annus aliquis Actiacus occurret; si ab eo demas XXX., habebis annum aerae vulgaris. Isto modo si ab anno τῆς γενεᾶς sive Actiaco CII. detraxeris annos triginta, reliquus fiet aerae vulgaris annus LXXII. a 29. Augusti iniens, & in 28. Augusti anni LXXIII. desinens: ad quem alterum annum [h. e. 73] passio Barnabae pertinebit, quippe quae mense Junio contigit.

Tamen ne sic quidem confecta res est; quippe quum ceteri characteres a nostro Joanne-Marco descripti in hunc annum minus pulchre conveniant. *Erat*, inquit, *hora quarta noctis, SECUNDA SABBATI* (h. e. Fer. 2.) *mensis Payni secundum Aegyptios dies XVII. Generationis* (sive *Natalis* monarchiae) *annus CII. secundum Romanos vero mensis Junii dies XI.* Atqui cum die XI. Junii illius anni suprascripti LXXIII. dies Lunae seu Feria secunda non concurrebat: quae Feria II. non nisi postea anno LXXVI. in XI. Junii incurrit. Quocirca facile huc labimur, ut anno Christi 76. Barnabam martyrium pertulisse existimemus, qui erit annus Actiacus CV.

Cur non potius, inquis, anno Christi LXX. [qui fuit annus Actiacus XCIX] quo anno pariter dies XI. Junii cum Feria secunda concurrit? Quia, inquam, in Graeco Pseudo-Joannis textu ita numerales notae perverti potuerunt, ut ex CV. fieret CII. non item ut ex XCIX. evaderet CII. De quo ne amplius obtundam, videat, cui id curae erit, inferne (269) ad-

(269) Ex duabus Graecis numeralibus Joannis Marci notis priorem P (qua *centenarius* notatur) quam in suo Sirletus reperit, pro certa sumimus. At altera B facile poterat (maxime quo tempore litteris majusculis utebantur) primitus ex auctoris sui manu E fuisse; ex qua postea (coeuntibus in parte dextera ductibus transversariis) B factum fuit. Annus porro Actiacus PE sive 105. est Christi 75. & ubi ad Junium devenitur, erit porro LXXVI. quo anno dies undecimus Junii in Feriam secundam incurrit.

At vero si contendas, Apostolum mense Junio anni LXX. in caelum migrasse; is annus respondebit anno Actiaco XCIX. h. e. [secundum numerales Graecorum notas] ϞΘ. Atqui non intelligo quid simile inter notas ϞΘ & ΡΒ intercedat, ut priores illae in has posteriores degenerare aliquando potuerint. Par ratio minusculorum notarum erit; nam difficilius ex ϟ, quam ex ρϐ, fieri illud ρϐ potuit, quod Sirletus in suo codice reperit. Atque ea in tironum gratiam dicta sunto.

Digitized by Google

notata. Accedit hoc etiam quod annus Christi 76. multo quam alter commodior videbitur iis, qui quae sub Barnabae nomine epistola circumfertur, eam re vera ab ejus nominis Apostolo scriptam volunt. Nam ex memorata ibi cap. XVI. Templi Hierosolymitani eversione certum est, eam post mensem Augustum anni Christi LXX. [quo certe mense & anno templum teste Josepho arsit] scribi debuisse. Quare si Apostoli certamen in annum LXXVI. differtur, omnia pulchre procedent, non item si retrahatur in Junium anni LXX. h. e. duobus ante templi conflagrationem mensibus. Quibus omnibus consideratis, sexto supra septuagesimum Christi anno Apostolum Barnabam Christi Fidem suo sanguine consignasse, perquam verisimile censeo.

At interim, si nihil aliud, quod hic Auctor aera Actiaca utatur, eamq. aeram Ἑσπερίαν (mira certe, & haud scio an peculiari Judaeorum ἑλληνιζόντων locutione) nuncupet, id certe antiquitatem haud modicam, ac facile alterius Christi saeculi, auctori conciliat.

CAP. VII.

Ad Barnabae Epistolam adnotata aliquot.

Praeceptum *absolute positum. Exstitisse* Γράφους *librum, ex quo verba recitat Barnabas. Homo a Barnaba cur definitus*, Terra patiens. *Quid eidem sit* formari hominem a facie terrae. ATTENDITE *intercalatum. De Syrorum, Arabum, & Sacerdotum circumcisione quomodo Barnabas sit capiendus.* Ὁδὸν [via] *sive potius* Οὐδὸν [limen] *dialecto Hellenistica pro* templo *positum, et qua de causa.*

Epistola quae sub Barnabae Apostoli nomine a Clemente Alex. Origene & aliis laudata fuit, utrum re vera ab ejus calamo profecta fuerit, an alium quemlibet Barnabam (quod forsitan verisimilius est) auctorem habeat; exquirere heic pensi mei nequaquam duco: nec virorum summorum disputationibus in utramque partem facile est quidquam novi addere. In hoc interim convenitur, eam epistolam certissime aevi Apostolici fetum esse, nec Barnaba Apostolo indignam. Certum est quoque ex cap. XVI. eam post Templi ruinam h. e. post annum Christi LXX. fuisse conscriptam. Quumque Apostolus Barnabas (ut cap. superiore conjiciebamus) anno LXXVI. martyrium subierit; non poterit ratio temporum id scriptum Barnabae Apostolo abjudicare.

Atque ea quidem Epistola ex quo primum tempore ab Hug. Menardo publicam lucem aspexit, tot jam virorum eruditissimorum animadversionibus patuit, ut supervacaneum sit quidquam in eam novi aggredi. Tamen obiter illam percurrenti inciderunt mihi quaedam aliis praeterita, quae heic breviter adspergerem. Ad editiones autem Cotelerianam Hollandicam an. 1724. lectorem in paginis citandis rejicio.

Caput VI. sic incipit: ὅτε ἂν ἐποίησεν ἐντολὴν &c. *Quum autem fecit PRAECEPTVM* [Christus] *quid dicit? Quis est qui judicetur mecum* & quae porro ex Isaiae L. 8. 9. recitat. Heic observatu non indignum est, ἐντολὴν (*praeceptum*) absolute & per excellentiam vocari Patris jussionem de incarnatione & toto humanae reparationis negotio, quod ἐντολὰς τοῦ Πατρὸς, *Praecepta Patris* vocat ipse Christus Jo: XV. 10. Ac fortassis alludit a Barnaba ad illud Psalmi, *Tunc dixi, ecce venio . . . ut faciam voluntatem tuam*: quam voluntatem mox LEGEM vocat: *Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Omnino hac praeceptione Divina plenae sunt utriusque Foederis paginae: hoc tantum heic novum, quod ea heic absolute PRAECEPTVM nuncupetur. At vetus interpres *Dei praeceptum* reddidit, ut insolens loquendi genus clarius efficeret.

Ibid. pag. 18. v. 15. recitato Moïs testimonio de adipiscenda terra fluente lacte & melle, statim haec subdit: *Quid dicat* (ἡ Γνῶσις) *Cognitio* (sive *Scientia*) *discite: Sperate in eum, qui in carne manifestandus est vobis, Jesum.* Γνῶσις [scientiae]

Digitized by Google

tiae] nomine aevo Apostolico intellectas fuisse arcanas & allegoricas Vet. Foederis significationes, nemo ignorat. Ea est *Clavis scientiae*, in qua sibi Legis peritos placuisse, Christus notavit. At hoc amplius heic animadvertimus Γνῶσιν [*scientiam*] quasi librum citari, & ex eo verba illa proferri, *Sperate* &c. Quod quidem ex Clemente. Alex. Strom. V. (pag. 578. A. edit. Colon.) multo est evidentius, ubi haec verba ex Barnaba sic recitantur, ut φησὶν, quod heic deest, suppleatur: *Quid dicat Cognitio, discite*: [Ελπίσατε, φησὶν, ἐπὶ τὸν &c.] *Sperate, INQVIT, in eum* &c. uti supra. Vbi animadvertis, illud φησὶν afferri ex ore Barnabae, utique ex *Cognitionis* sive *Scientiae* libro citantis. Plures olim fuisse hujusmodi *scientiae* libros circumlatos, ab Judaeis allegorica sectantibus conscriptos, non est dubium. Ad eos ergo Barnabas plerumque ablegat lectores, ubi ad allegorias digreditur. Scimus hodienum in Targumim loca complura ad Messiam referri: quod ex eadem Γνώσει manavit. Notandum est autem in adscripto loco, etsi omnia verbis totidem ex Γνώσει recitentur, illud tamen Ἰησοῦν *Jesum*, quod ad finem additur, ex Barnabae manu profectum non ab auctore γνώσεως. Quem quidem Judaeum fuisse necesse est, alioqui a Barnaba Judaeos convicturo minime citandum: Judaeus autem Messiam norat, Jesum non norat. Statim ibid. sequitur: *Homo enim* [γὴ ἐστι πάσχουσα] *terra est patiens*. Apparet heic Barnabam, aut quisquis est auctor, philosophis aures admoviisse. Nam illud πάσχουσα (*patiens*) ad philosophorum πρώτην ὕλην est referendum, qua materiam *pati* dicebant. Homo, inquit, est ex terra, non quidem agente sed patiente. Cujus statim rationem reddit his verbis: ἀπὸ προσώπου γὰρ τῆς γῆς ὁ πλάσις τοῦ Ἀδὰμ ἐγένετο, *A facie enim terrae fictio* (seu *formatio*) *Adae exstitit*. Vbi pulcherrima Hellenistarum locutio occurrit. Hebraicum enim מִפְּנֵי *Mippene* [quod Judaei Hellenistae perpetuo, ἀπὸ προσώπου, h. e. *A facie* reddunt] quamlibet causam, etiam materialem (uti philosophi loquuntur) designat. Ergo tantumdem est, *A facie terrae*, ac si dixisset, *Ex terra* formatum esse Adam. Et haec etiam ibidem totidem verbis Clemens refert.

Cap. VII. (sicuti etiam in sequentib. capitib.) pluries illud Προσέχετε, *Attendite* intercalatur: quod peculiare est ἀλληγορίαν, ad attentionem acuendam.

Cap. IX. ad finem pag. 27. Ἀλλὰ καὶ πᾶς Σύρος καὶ Ἄραψ, καὶ πάντες οἱ ἱερεῖς τῶν εἰδώλων &c. *Verum & omnis Syrus & Arabs & omnes idolorum sacerdotes circumciduntur*. Quae merito difficultatem crearunt. Verum haec non sunt ad severiorem trutinam exigenda, sed παχυτέρως (*crassiuscule*) accipienda hunc ferme in modum: Quivis Syrus, quivis Arabs, quivis simulacrorum sacerdos circumcisionem admittit: aut: Ne Syri quidem & Arabes, & profani sacerdotes a circumcisione abhorrent. Nam quia inter Syros, & Arabes, interque sacerdotes essent, qui illo se modo mundiores praestarent; licuit Apostolo dicere, circumcisionem promiscue ab illis usurpari. Quis non in talibus similia loquitur? Ceterum Arabum plurimos fuisse verpos, sicuti & sacerdotes Aegyptios, non est dubium. Ac ne de Syris quidem est dubitandum, si quidem verum sit quod antiqui crediderunt, Phoenices περιτομὴν admisisse. Origenes ad Rom. II. 25. inter ceteros circumcisionis cultores etiam Phoenices numeravit his verbis: *Si replicetis historias vestras, invenietis non solum Aegyptiorum sacerdotes, sed & Arabas & Aegyptios et PHOENICES aliosque, quorum studia gratiâ hujusmodi superstitionis nobilius vigent*.

Cap. XVI. initio: *Adhuc & de templo dicam vobis, quomodo errantes miseri* [περὶ τὴν ὁδὸν ἐπλανῶντο] *in VIAM speraverunt, & non in Deum ipsum qui fecit eos, quasi si domus Dei esset*. Heic non est dubium, quin ὁδὸς (*viae*) nomine templum veniat; nam & in templo totam Judaeorum fiduciam fuisse repositam, notat illa celebris con-

Digitized by Google

conclamatio, *Templum Domini, Templum Domini*, & quod initio Noſter de *templo* propoſuit dicere, & quod mox ſubdit, *Quaſi* (via ſcil. illa) *domus Dei eſſet*. Vidit hoc & vetus interpres, qui pro ὁδὸν (*viam*) poſuit *Aedem*; ſic enim reddidit, *In AEDEM ſpem habuerunt*. Cotelerius quidem ad quaedam Seniorum loca allusū ſuſpicatur: in quibus ὁδὸς ſimiliter pro *templo* ſumi poſſe videtur. Verum & heic Barnabas, & ibi LXX. ὐδὸν (*limen*) ſcripſiſſe videntur, conſueto ſchemate utentes, quo pars pro toto ſumitur, & quo hodieque utimur, ubi *Limina Apoſtolorum* inviſere dicimur. Legendum eſt igitur, ἐπὶ τὸν ὐδὸν, ... *In limine* h.e. *templo ſpem collocantes*. Ceterum ſi Barnabas *viam* [τὴν ὁδὸν, uti nunc legitur] ſcribere voluiſſet, ad finem ἵνα poſuiſſet, non ὅτι quod non niſi cum ὐδὸν convenit: ὡς [inquit] ὅτι οἶκον Θεοῦ. Idem, uti dixi, judicium erit de locis LXX virilib. 3. Reg. VIII. 44. 48. in quibus nunc προσεύξονται .. ὁδὸν legitur, quum legendum ſit ὐδὸν. *Adorabunt limen* &c. Sicuti etiam 2. Paral. VI. 34. 38. Non inaudita eſt apud veteres *liminis adoratio*. Scitum eſt etiam antiquos ſimplex O pro integra diphthongo Ου primitus ſcripſiſſe [ut in nummis Συρακοσίων pro Συρακουσίων, & ſexcenta ejuſdem modi] quod poſtmodum deſcriptoribus fraudi fuiſſe, non eſt dubitandum. Dixerit aliquis, in modo laudatis Seniorum locis ὁδὸν eſſe retinendum, quia ei Hebraice reſpondet *Derech*, *via*, quum contra ὐδὸς reſpondeat Hebraico *Saph*, quod eſt *limen*. Verum ſciendum eſt, Hebraicum *Derech*, quum a *Calcando* veniat, non tantum *viam* ſignificare, ſed & *pavimentum*, & in recitatis locis etiā *limen*, quod ſtatim ab ingredientibus calcatur. Deinde quum Jer. XXXV. 4. φυλάσσοντος τὴν ὁδὸν [*cuſtodientis viam*] pro τὸν ὐδὸν, *Cuſtodientis limen* [nam Heb. eſt *Saph*] meo judicio poſitum inveniatur; non video quin eadem mutatio locis ſuprā depromptis potuerit accidere. Poſtremo ne tricemur diutius; ſi grammaticos audimus, Οδὸς *via*, & ὐδὸς *limen* unum idemque nomen ſunt. Nam & Homero ὐδὸς pro ὁδὸς *via* uſurpatur; & contra Suidas teſtatur vocem Οδὸς, ſi tenuetur prima ſyllaba, ſignificare ὐδὸν i. e. *limen*, allato Sophoclis loco. Paria in Euſtathio reperies, & in Sophoclis Scholiaſte ad celebrem ejus locum a Suida & Euſtathio laudatum. De quibus vide H. Stephani Theſ. to. 2. col. 1183. Nec te turbet, quod haec antiqua & poetarum peculiaria videantur: nam in LXX. & Judaeis Helleniſtis plurima occurrunt, partim antiquata, partim Alexandrinae aut aliarum ignotarum dialectorum peculiaria.

XI DP MAXIMI ET ANTONINI

DIſpares Sancti ſunt, nulla inter ſe alia ſocietate devincti, quam quod eodem die a Neapolitanis colerentur. Ordiar a poſteriore, quem ubi paucis deſignavero, tum totum me ad priorem convertam.

PARS PRIOR.

De S. ANTONINA Mart. aut de S. ANTONINO Monacho.

CAP. I.

De S. Antonina.

Videtur mihi ſane harum ephemeri-

dum auctor Antoninam Mart. craſtino die a Graecis cultam ob oculos habuiſſe, & ſcribi juſſiſſe ANTONINE [nam diphthongus patrii caſus in hiſce tabulis paſſim negligitur] at ſcalptor E terminale cum I confudiſſe, ut fieri aevo ſequiore ſolebat. Nam qui paullum modo in marmoribus (aevi maxime poſterioris) viſendis tempus triverunt, paſſim animadvertere hoc debuerunt, ductus tranſverſarios ſaepe aut leviſſimos eſſe & vix conſpicuos, aut etiam interdum negligi; & ob eam cauſam quod alioqui litterae I ſpeciem praebet, id ſaepe habendum eſſe

five

Digitized by Google

sive pro E sive L sive T sive F. Intelligenda est heic autem Antonina martyr Nicena, quae crastino die in Basilii Menologio, & in Menaeis, aliisque manu exaratis Graecorum libris suo elogio illustratur, itemque mensis Martii sive Kalendis sive sequenti die: ex quibus elogiis parum (270) inter se diversis constat eam Nicaeae in Bithynia sub Diocletiano & Maximiano gloriosam mortem per varia tormenta sustinuisse, imo [si Menologii Basiliani encomio ad Kal. Martii credendum est] ipso praesente & jubente Maximiano. De qua frustra sim, si plura addere aggrediar, quippe quum de ea Bollandiani omnia quae in Graecor. libris liturgicis inveniuntur, in unum coegerint, tum leviter die XII. Junii in praetermissis, tum plena manu ad Kal. Martias pag. 26.

CAP. II.

De S. ANTONINO Mon.

Quod si istud ANTONINI pro maris quam feminae nomine haberi mavis; tum ad magnum Monachorum patrem Antonium animum intendemus; cujus in pluribus Graecorum & Latinorum libris hoc ipso die Inventio simul & Translatio signatur. Ac videndus de his maxime Bollandus ad XVII. Januarii pag. 148. 149. ubi de ejus inventione & multiplici translatione acturus, jam primum, ex pluribus Mrologiis chronicisque docet, Antonii corpus sub Justiniano [quoto ejus anno, dubium] inventum, Alexandriam fuisse initio delatum. Quod vero ad inventionis atque translationis festa attinet, fuisse variatum, subjicit. Ac ferme diei XXVII. Junii inventio, huic vero diei XI. translatio affigebatur. Sed interim in Ms. Florario [sicuti etiam in Mrologio nescio quo Germanico, & alibi] in unum eumdemq. hunc diem XI. Junii inventio simul & translatio conferebatur: etsi alibi aliis diebus id festum assignaretur. Ex his, quae explicatiora apud Bollandum videre licet, animadvertis, ceteris hujus festivitatis diebus praevaluisse diem hunc XI. Junii: quo & in hisce marmoreis Fastis magni Antonii inventionem atque translationem (271) coli, perquam verisimile censeo.

Ceterum quod magnus hic monachorum parens hoc die non *Antonius* sed *ἀναχωρητικῶς Antoninus* vocetur, de eo promiscuo scribendi more plura exempla cumulavi ad XVII. Jan. etsi tū quidem in eo falsus, quod putassem in nostris marmoreis tabulis eo die ANTONINI scalptū esse, quum ANTONII scribatur. Ea igitur, quae ibi produximus, heic potissimum locum habent. Ac passim alibi de eo primitiva cum diminutivis nominibus propriis permutandi more locuti sumus: nec finis ullus erit, si plura huc congerere satagam. Tale & illud est, quod qui in Bucheriano Ecclesiae Romanae Kalendario IV. saeculi inscribitur in hunc modum, *XVIII. Kal. Febr. Marcellini in Priscillae*, is sane *Marcellus* [non *Marcellinus*] Papa est, qui in Priscillae coemeterio sepultus fuisse etiam in pontificalib. libris narratur.

Sive autem martyr *Antonina*, sive verius magnus Antonius (*ἀναχωρητικῶς Antoninus*) hoc die colatur, neutri illa *DPositionis* nota convenit, quae hoc die Fastis praefigitur: quae quidem peculiaris S. Maximo est, nec *ἀπὸ κοινῆ* debet ad sequentem sive Antoninam, sive Antoninum referri.

PARS ALTERA
De S. MAXIMO.

CAP. I.

De S. MAXIMO. Hujus diei Maximum fuisse

(270) Nollem tamen ex ea tantula elogiorum diversitate a Bollandianis sociis dubitatum, an inenuntis Martii Antonina eadem plane sit ab ea quae die XII. Junii colitur. Est enim sine controversia eadem; sed hoc tantum interest, quod alterum passionis, alterum translationis aut dedicationis festum primitus fuisse videtur.

(271) Prima ne translatio Alexandriam facta sit intelligenda, an altera quae hinc CPolim sub Constantino Pogonato post medietatem VII. saeculi contigit, mitto quaerere. Nam etiam hujus alterius memoria in XI. Junii conjici solebat. De utraque translatione videatur Cl. Bollandus loco laudato.

Digitized by Google

fuisse episcopum Neapolitanum ac Martyrem. Ejus Acta ex aequalibus auctoribus Marcellino & Faustino proferuntur, & illustrantur.

Quod hujus diei MAXIMVS sit Neapolitanus Episcopus, quamvis consuetum illud (272) EPI NOSTRI desit, ex eo ostenditur, quod in veterib. Ecclesiasticis Officiis Langobardico charactere perscriptis [teste Chioccarello pag. 35.] festum *S. Maximi Episcopi Neapolitani* hoc eod. die consignatum reperiatur. Cur vero id postea festum aliquando in mensem Februarium, postremo in XII. Junii translatum fuerit, tetigi modo ad hesternum diem, ubi de Barnaba cap. 6. sed plura de eo infra (273) exponentur.

Ac Jo: quidem Diaconus jejune nimis hujus Maximi meminit; quem decimum ab Asprenate [utique propter monumentorum de antiquiorib. episcopis testificantium inopiam] facit. Itaque de ejus martyrio nihil plane sciremus, absque Marcellini & Faustini presbyterorum auctoritate esset. Sciendum est igitur, presbyteros istos schismatis Lucifero Caralitano (274) adscripti sequaces, anno circ. 384. imperatori Theodosio obtulisse libellum precum, calumniis in S. Damasum aliosq. plenum, id agentes, ut episcopos cum Arianis, etiam resipiscentibus, communicantes proditae ὀρθοδοξίας accusarent; quorum catholicorum tū pudendos mores tum infaustas mortes insectantur. Id vero opusculum a Sirmondo primū Parisiis ann. 1650. editum, mox & in tom. V. Bibliothecae PP. illatum fuit. In quo libello pag. 29. [editionis Parisinae] post quaedam in S. Hilarium (275) maledicta, de nostro martyre Maximo sic scribitur.

Acta

(272) Heic quidem illud EPI NOSTRI lapicida necessitate coactus omisit, ANTONINO spatium intra unius versus angustias relicturus. Ceteroqui etiam citra hanc necessitatem vox altera NOSTRI deest pluries, ac praeterea ad IX. Novemb. utrumque, ut heic, desideratur (ubi legitur tantum *Natale S. Agrippini* sine elogio EPI NOSTRI) quamvis abundante affatim spatio.

(273) Totum hoc quidquid est tricarum, infra cap. 4. latius explicabitur.

(274) Dixi *adscripti*, quia non defuere, qui Luciferianos quidem schismatis damnarent, a quo Luciferum absolverent. Inter quos Papebrochius ad 20. Maii mordicus Luciferi defensionem suscepit, refragante Tillemontio Not. 4. in Luciferum.

Duos autem hosce presbyteros totus hic libellus manifestos Luciferianae factionis prodit; ac praecipue loca illa, in quibus iis etiam communio denegatur, qui cum lapsis, etsi ad catholicam fidem reversis, communicarent. Sic sine pag. 61. eorum strenuitas laudatur, qui *nolebant communicare cum perfidis* (quorum ambitu tum haereticos, tum praevaricatores, quamvis conversos complectebantur) *vel SOCIIS perfidorum*, iis scil. qui cum perfidis communicassent. Eodem & illud spectat, quod sine pag. 86. conqueruntur, suos adversarios *aut haereticos esse* (conversos licet) *aut praevaricatores* (qui tandem delassati impietati subscripserant) *aut socios talium*. Similis est illa expostulatio ineunte pag. 94. *Et quum adversus se libros . . . singuli quique conscribant* (catholici scilicet adversus catholicos) *tamen sibi omnes vel ex directo, vel ex obliqua concatenatione communicant*. Hic est succus loliginis, quo se isti Luciferianos maxime aperiunt, quod scil. orbi universo communionem abnegarent, etiam viris semper inculpatae constantiae, tantum quod hi *obliqua concatenatione* communionis, quam soli ipsi improbarent, sese implicuissent.

(275) Locus de S. Hilario necessaria emendatione indiget. *Sed & Rodanius mittitur in exilium, nec non & Hilarius, qui & scripta contra haereticos & praevaricatores edidit. Licet postea vero interruperit, favens praevaricatoribus* [resipiscentibus tamen dignaque poenitentia perfunctis] *ut non dicamus interim quia VBI ET haereticis, in quos eloquentiae suae viribus peroraverat. MAXIMVS quoque de Neapoli &c.* Quo loco illud *ubi* et foede corruptum, facile restituetur in *Fabit*, uti olim scribebant pro *Favit*. *Vt non dicamus interim quia favit haereticis*. Nihil hac emendatione certius arbitror. Cur porro magnum Hilarium non tantum praevaricatorum, sed & haereticorum fautorem vocent, mira illa Hilarii lenitas fuit, qua erga utrosque utebatur, ut eos quacumque posset, Christo lucretur, ut ipsemet in libro de synodis declarat, & Tillemontius in S. Hilario artic. 9. At illum ceteroqui strenuissimi veritatis propugnatoris indulgentiam ei tempori necessariam hi Nostri interim in sinisteriorem partem accipiunt.

Digitized by Google

Acta S. MAXIMI *Martyris, Episcopi Neapolitani.*

Maximus quoque de Neapoli Campaniae, eo quod esset inhabili stomacho & corpore delicatior, primum quidem ut caderet diu afflictus (276) injuriis, deinde ubi ob animi constantiam fideiq. virtutem, carnis infirmitate non vincitur, ductus est in (277) exsilium, atque ILLIC (278) MARTYR in Domini PACE requievit.

Postmodum de Rufiniano quaedam narrantur, quae ad VII. Aprilis recitavimus. Sed & iidem schismatici presbyteri pag. 53. pleniore manu de eodem Maximo, & de Zosimo in ejus locum intruso sic memorant.

Verum-

(276) Puta verberibus aliisve incommodis divexatus, ut non immerito *Martyris* appellationem sibi quaesierit, de qua vide etiam in Adnot. 285. *Injuriae* vox quam late pateat, veteres JCti docent; nec novum est, de plagis aliisve corporis laesionibus usurpari. Heic autem vix est ut aliter possit accipi, monente id tum particula DIV (quae inepte praeponeretur, si de *contumeliis* tantum ageretur, sed ejus particulae loco SAEPE usurpatum fuisset) tum participio AFFLICTVS; quod, ubi proprie sumitur, tantumdem est, quod *Allisus*, nec nisi translate ad convicia extendi potest. Quare quod pag. 62. v. ult. *fustibus elidere* dicitur (*Deo devota ministeria*, i. e. ministros, *fustibus eliserunt*) heic *diu affligere injuriis* eadem notione usurpatur.

(277) S. Maximi confessionem & exsilium Tillemontius [in Arianis Not. 49.] mavult in annum 355. aut 356. conferre, quam cum Baronio post Ariminensem synodum, sive in annū 360. Sic autem extrema Nota 49. paucis rem totam complectitur. *S. Maxime estant mort dans son exil, c'est a dire avant l'an 362.* [quo scil. anno Julianus exsules episcopos revocavit] *cela est plus aisé à croire, en mettant son bannissement en 355. ou 356. qu'en le differant en l'an 360.*

Ut autem rem in pauca contraham; anno 355. in Mediolanensi conciliabulo id Ariani dabant operam, ut Catholici episcopi *Homousios* de medio tollerent, atque Athanasium damnarent. Id detrectantes Eusebium Vercellensem, Dionysium Mediolanensem & Luciferum Caralitanum in exsilium egerunt. Eadem de causa & S. Maximum Neapolitanum ejectum fuisse sed diutiuscule post conventum illum, verisimillimum arbitror.

Dixi aliquamdiu post conventum, & post Eusebii, Dionysi & Luciferi exsilium Maximi confessionem & ejectionem incidisse; certe quia in omnibus illis monumentis, in quibus de supra scriptis treviris agitur, de Maximo Neapolitano prorsus siletur, & quia hic ante exsilium DIV (vide Adnot. praecedentem) sollicitatus & afflictus fuit. Ergo facile sive anno 356. sive 357. post Sirmiensem synodum (forsan quod ejus formulam rejecisset) ejectus fuit.

Porro cum de loco exsilii S. Maximi nihil ab antiquis proditum fuisset, ei silentio suppetias venit Ant. Caracciolus pag. 302. his verbis, quae & Vghellus exscripsit: *Conjicio tamen ad Baleares insulas eum fuisse amandatum. Nam si Fl. Dextri chronico adhibenda est fides, eo ablegati sunt alii multi episcopi, ab Arianis in Ariminensi conciliabulo damnati.* Sed fruantur hi Fl. Dextro suo, quem penitus nescisse, magna pars sapientiae fuerit.

(278) Hunc priorem libelli Marcellini & Faustini locum Papebrochius [ad XII. Junii in S. Maximo] omisit, posteriorem tantum recitasse contentus, & quidem alicubi mutilum, nec satis emendatum. At ex adscripto priore loco plura assequimur. I. Maximum ILLIC h. e. in exsilii loco e vivis sublatum. II. Eum *Martyrem* obiisse, ac talem fuisse habitum, tum ob tormenta quae ab Arianis toleraverat, tum quod in exsilii aerumnis decesserit. III. Quod supra [ad 2. Junii ad finem Actor. SS. Marcellini & Petri Adnot. 114.] notavimus illud IN PACE etiam de Martyribus usurpari, id heic quoque intelligimus. IV. Et quod alibi (in utraque nim. ad Dominic. Georgium epistola de Hilari titulo) animadvertimus formulam IN PACE (in Christianor. epitaphiis obviam) non aliud quam pacem Ecclesiasticam designare, id hinc quoque discimus, ubi id plena locutione scribitur, IN DOMINI PACE, in ea scil. pace, quam Dominus hinc abiens Ecclesiae suae *hereditariam* (uti veteres loquebantur) *reliquit*, qua & cum Christo capite & inter se invicem membra, quasi glutino, copulantur.

Digitized by Google

Verumtamen & in hac causa Divinum judicium cognoscite, probatum praesentibus documentis. Sanctus vir Maximus episcopus cujus supra memimimus, fidem vindicans rectam, consortiumque reprobans haereticorum, ductus est (279) in exsilium. In loco ejus praevaricatores (280) ordinant nomine Zosimum (281) qui & ipse prius quidem catholica vindicabat. Res ista in Neapoli civitate Campaniae acta est. Cognoscit hoc S. Maximus, & de exsilio scribens dat in eum sententiam, nõ solum episcopali auctoritate, sed etiam aemulatione ac virtute martyrii (282) fruens in gloriam Di-

(279) Jam supra in *Adnot.* 277. praediximus, id exsilium post annum 355. contigisse.

(280) Κεφάλαιον ex de foro sumptum, quasi desertores dicas, & susceptae primum causae praedatores. Sed tamen ne dubita, quin legendum sit, *Praevaricatorem* (*pro praevaricatores*) *nomine Zosimum*. Nihil certius: quod & syntaxis requirit, & quia id quod sequitur (*qui & ipse prius quidem catholica vindicabat*) explicatio est praecedentis vocis *Praevaricatorem*. Nihil quod in ea interpretatione pro *Qui* reponendum est *Quia*. Ergo totus is locus sic pulchre legendus est. *In loco ejus* (haeretici, de quibus verba superiore) *praevaricatoREM ordinant nomine Zosimum*, QVIA (nam heic ἀναλογία requireatur τὸ *Praevaricator*) *& ipse prius quidem catholica vindicabat*. Sed plurimis passim hic libellus maculis, non sine scriptorum codicum ope eluendis, foedatus circumfertur.

(281) Insigni apud posteros infamia Zosimus iste flagravit, maxime ob Divinam memorabilem animadversionem. Etenim hic ille est Zosimus, quem auctor vitae S. Mariae Aegyptiae designavit, ubi Zosimam [quippe Palaestinis *Zosimas* pro *Zosimus* scribitur] monachum ab isto nostro haeretico sedulo distinguit. De quo toto negotio etsi plura jam ad IX. April. pag. 188. & Adnot. 50. diseruimus; proderit tamen ejus vitae verba heic iterum legi ex Pauli Neapolitani versione in Vitis Patrum Rosveidi: nam Graeca ejus vitae qui cupit, apud Bollandistas reperiet ad 2. Aprilis. In ea igitur Vita haud longe ab initio sic scribitur. *In Monasterio Palaestinorum fuit vir... nomine Zosimas. Et nullus nos aestimet dicere ZOSIMAM illum, in praedicationis erroneae dogmatibus occupatum sectae alterius* [Gr. ὃς ἑτεροδόξου] *alius enim hic & alius ille, & multa inter utrosque distantia, licet unum uterque sortiti sint vocabuli nomen*. Vide ibi dicta. Tamen idem postea resipuit, ut in fine dicitur.

Notandus est autem atque emendandus heic memoriae lapsus in magno Baronio, qui ad ann. 362. num. 219. Lucilerum vitasse *communionem Maximi, qui in Zosimi* (pro eo quod *Zosimi, qui in Maximi*, scribi debuit) *locum fuerat suffectus*, narrat. Quod σφάλμα propagavit in seriem Neapolitanor. antistitum postea duplicem Maximum, quum unus tantum fuerit, invexit, ut alibi infra exponetur.

(282) Si istud *Fruens* rectum sit, tum *aemulatio* non ingens desiderium sive ζῆλος, morabit (nec enim cupiditate martyrii *frui*, sed affici & animari dicimur) sed idem erit atque omnimoda similitudo atque imitatio martyrii, totam martyrii *virtutem* (quae vox sequitur) complectens. Idcirco vero Maximi martyrium libuit *aemulationem* (sive ζηλωτὸν, & ἀκαταπόνητον) martyrii vocari, quia antiqui etsi hos tales, qui varie pro fide vexati, deinde ἀναιμωτὶ (*non fuso sanguine*) extinguebantur, uti martyres colerent; tamen deesse adhuc eis aliquid ad justum martyrium intelligebant, quippe non violenta, sed sua morte fabulati. Hinc forsitan non dicitur *frui martyrio* Maximus, sed *martyrii aemulatione ac virtute* (ἀδυναμίᾳ, *aequipollente*) justo certamini.

Sed nihil opus est scitamentis istis, quum certo certius sit *pro fruens* unius additamento litterae scripsisse auctores suos *Fervens*. *Fervere* autem *aemulatione* sive incensissima cupiditate, praeterquam quod κοσμικώτερον, duobus aliis hujus libelli locis firmatur. Pag. 69. post medium: *Ephesinum episcopum sanctae fidei AEMVLATIONE FERVENTEM*. Et pag. 72. vers. *Ad divinam aemulationem... succensus*. Nam *fervens* & *succensus* esse omnino synonyma vel pueri animadvertent. Ac plurimi passim in isto virulento quidem, sed tamen utili ac disertissimo opusculo foeda sunt ulcera, quae medicam opperiuntur manum.

Digitized by Google

Divinam. Sed poſt aliquot annos B. Lucifer de quarto (283) exſilio Romam pergens, ingreſſus eſt Neapolim Campaniae; ad quem Zoſimus venire tentavit, illa forte fiducia, qua ſcilicet jam de impietate correxiſſe (284) videbatur. Sed hunc Lucifer Confeſſor ſuſcipere noluit, non ignorans quae geſſerat; imo & Sancti Spiritus fervore epiſcopi & martyris ſententiam robuſtius exſequitur; dicens, quod epiſcopatum ipſum, quem ſibi ut adulter vindicat, ſpeciali Dei judicio non habebit, & ſic quoque ſentiet poenam ſuae impietatis. Sed non poſt multum tempus idem Zoſimus, quum in coetu plebis vult exſequi ſacerdotis officia, inter ipſa verba ſacerdotalia ejus lingua protenditur, nec valet eam revocare intra oris meatum, eo quod contra modum naturae extra os penderet, ut bovi anhelo. Sed ut vidit, ſe linguae officium perdidiſſe, egreditur Baſilicam: & res mira! foris iterum in officium lingua revocata eſt. Et primum quidem non intelligitur, in eum compleri ſententiam Martyris (285) & confeſſoris: ſed quum hoc ipſum toties iterum patitur, quoties in Baſilicam diverſis diebus

(283) Id haud dubie anno 362. contigit, quando Julianus apoſtata extorribus pro Fidei cauſa epiſcopis redeundi poteſtatem fecit.

Jam vero quod quatuor exſilia Luciferi numerantur, ea non ſic accipienda ſunt, quaſi quatuor diverſis de cauſis, quatuorque diverſis imperialibus ſententiis ejectus fuerit, ſed quod in uno eodemque exſilio (quod pro defenſa in Mediolanenſi ſynodo Fide Nicena anno 355. ſubiit) quatuor diverſa loca mutaverit. Nam principio Germaniciam Syriae eſt aſportatus; mox inde Eleutheropolim Palaeſtinae abductus fuit. Quemnam deinde locum pro tertio exſilio habuerit, incompertum habeo. At poſtremo quando Julianus Conſtantio ſucceſſit, Lucifer in Thebaide exſulabat: quod Marcellino & Fauſtino heic *quartum exſilium* nuncupatur.

(284) Notione incrantitiva pro *Se correxiſſe*; ſicuti & *Surgo* & *Pergo*, ex *Surrigo* & *Perrigo* contracta, neutra ſunt. Ex his apparet, quo tempore Lucifer Neapolim venit, jam Zoſimum ab Ariana impietate reſipuiſſe. *Jam* [inquiunt libelli auctores] *de impietate correxiſſe videbatur*. Vbi verbum *Videor* nihil de certitudine rei geſtae detrahit: nam cadente Latiſitate paſſim *Videor* de rebus exploratiſſimis uſurpabatur. Cur igitur eum Lucifer *ſuſcipere noluit*, uti mox dicitur? An quia Caralitanus antiſtes ſuo ſchiſmati ſerviens, ne cum poenitentibus quidem haereticis ſibi quidquam commune eſſe voluit? Id quidem ex eo facto colligere iſtius ſchiſmatici libelli auctores ſatagunt. Sed tamen ſiquis in eo Luciferum [quem uti ſanctum alicubi cultum dictitant: de quo vide infra in Adnot. 287.] excuſare ſtudeat; poterit in id tantum non ſuſcepti Zoſimi conſium rejicere, quod excommunicatus a Maximo fuiſſet, tamquam qui alienam Eccleſiam uti adulter detineret. Id mox allata in hoc libello Luciferi verba oſtendunt. *Hunc Lucifer... ſuſcipere noluit... dicens, quod epiſcopatum ipſum, quem ſibi ut adulter vindicat... non habebit*.

At inquis, eo tempore [hoc anno 362.] jam Maximus deceſſerat, quippe qui in exſilio ſuo obiit: qui ſi ad annum 362. perveniſſet, haud dubie cum ceteris exſulibus revocatus fuiſſet. Ergo Zoſimus eo ſaltem tempore uti legitimus epiſcopus haberi potuit. Verum quae ordinatio ab initio vitioſa fuit, ea ſemper poſtea caſſa habebatur.

(285) Jam praemortui, ut in ſuperiore Adnot. diximus. Valde heic notandum eſt, hoc loco iſtud *Martyris* ſtricta notione ſumptum eſſe, non laxiore pro *Confeſſore*; quia ſequitur titulus alter *Confeſſoris*. Et Martyris quidem ei appellationem vindicant non ea tantum, quae Neapoli ab haereticis perpeſſus fuerat (de quibus vide in Adnot. 276.) ſed etiam quod videtur in exſilio non tam morte ſua, quam propter diuturnas vexationes fato violento raptus. Haud diu certe is exſilio ſuo ſuperſtes fuit.

Digitized by Google

intrare tentavit; ipse postremo recognovit, ob hoc sibi linguam inter (286) pontificii sollemnia verba denegari, ut sanctorum (287) Episcoporum in eum rite prolatam sententiam probaret. Denique cessit episcopatui, ut lingua quae cesserat redderetur. Non res antiquas referimus, quae solent quadam ratione in dubium venire: nam & Zosimus hodieque (288) in corpore est, usum jam linguae non amittens, postquam maluit cum episcopatus (289) amissione vivere, dolens suis impietatibus.

Ex his profecto vides S. Maximum, quo tempore Marcellinus & Faustinus huic libello scribendo operam dabant [h. e. anno 383. aut 384.] vulgo ab omnibus inter legitimos (290) martyres fuisse habitum, quippe pro Christi causa extorrem, & in exilii squalore atque aerumnis, etsi ἀναιμωὶ (*non effuso sanguine*] mortuum. De his tamen *Depositionis* notam quam *Passionis* veteri Kalendaria libentius usurparunt, ut in his fastis vides. Quae *Depositionis* nota, ut opinor Jo: Diacono imposuit, ut infra cap. 3. exponam.

CAP.

(286) *Pontificium* tantundem est quod pontificalis potestas: cujus vocis haud antiquiora exempla affert Cangius, quam ex Arnobio juniore, qui post medium V. saeculum claruit. Quo multo antiquior hic libellus est: in quo praeter hunc locum, etiam pag. 78. Heraclida ordinatus episcopus, *Ita coepit exercere PONTIFICIVM, ut* ... Sed & in veterib. Sacramentariis B. Petro *ligandi atque solvendi pontificium traditum* dicitur.

(287) Hoc est non tantum Maximi verum etiam Luciferi (quem hi duo Luciferiani presbyteri minime dubitant sanctitate Maximo aequalem facere) eamdem sententiam confirmantis. De Lucifero non omnes idem senserunt. Tillemontius excusari eum a schismate posse negat: cujus argumentis vix est ut satis fieri posse sperem; quem vide tom. VII. in Lucifero Not. 4. Alii tamen nonnulli excusarunt, in quibus Papebrochius ad XX. Maii [quo die in Sardinia cultus fuisse creditur] & inter antiquos Socrates & Sozomenus. At Luciferiani quidem certe [inter quos hujus libelli auctores] omnium suffragio damnantur.

(288) Vivebat igitur adhuc Zosimus; quo tempore libellus hic scriptus fuit. Scriptus autem fuit anno 383. quo anno Valentinianus II. imperare coepit, aut sequenti: de quo anno vide in proximo capite. Ex eo autem, quod hi scriptores ad Zosimum adhuc viventem provocant, mire superior narratio confirmatur: de qua dubitare stultissimum fuerit.

(289) Zosimi poenitentia non tantum catholicis, verum & Luciferianis ipsis se probare debuit, quippe qui abdicato pontificio videtur ad laicam communionem transiisse. Quod ultimum in lapsis episcopis Luciferianos requisivisse, ex horum presbyterorum libello potest intelligi pag. 47. *Decernunt* (Luciferiani episcopi) *nullo genere talibus episcopis posse communicari, qui fidem illo modo quo supra retulimus prodiderunt, nisi si laicam potuerunt communionem, DOLENTES SVIS IMPIETATIBVS.* Vltimum hoc vides heic de Zosimo totidem verbis repeti, *Dolens suis impietatibus*, sed non nisi *cum episcopatus amissione*. Rursus ad finem pag. 49. *Quis ... pacem perfidorum Deo placere confidat, nisi, ut a patribus* [Luciferianis tamen, non ceteris] *decretum, in laicorum se numerum tradant, suae PERFIDIAE DOLENTES?*

Interim plura de Zosimo heic edocemur. I. Fuit ab initio catholicus: *Prius quidem catholica vindicabat*. II. Deinde praevaricatus, in locum Maximi se ordinari sivit. III. Mox ab haeresi resipiscens [*Jam de impietate correxisse videbatur*] adhuc tamen adulter alienam cathedram usurpabat. IV. Postremo Divina ultione perterrefactus, episcopatu se abdicavit, dolens impietati suae. Haec schismaticorum libellus: quibus tamen haec non credere, difficile arbitror.

(290) Nec injuria. Nam non aliud succurrere potest, quod S. Maximi sinceritatem martyrii labefactare posset, quam metus, ne forte is in Luciferiana communione obiisset, eoque uti martyr ab istis Luciferianis laudaretur. Atqui [ut optime observat Tillemontius in haeresi Arianor. Not. 49.] de fide sincera Maximi dubitari haudquaquam potest; *quippe*

quae

CAP. II.

De anno ſcripti libelli a Marcellino & Fauſtino. De praefatione huic libello praemiſſa conjecturae Tillemontii refelluntur. Quid ea praefatio cohaeſionis cum libello habeat, ne caput alieno trunco praefixum videatur.

Libellus hic quum Valentiniano Theodoſio & Arcadio Auguſtis oblatus fuerit, nec ante annum 383. ſcribi potuit (quo primum anno Arcadius a patre ſuo Theodoſio conſors imperii eſt adſcitus; quum quidem Valentinianus jun. nonum jam annum regnaret) nec vero poſt annum 391. qui Valentiniano fuit ultimus. Nec plus lucis ex imperatoribus hauriri poteſt. Sed nimis laxa haec novem annorum ſpatia ſunt.

Forſitan plus aliquid praefidii ex Cynegii (ad quem reſcriptum Theodoſii mittitur, quod ad calcem libelli exſtat) praefectura praetoriana arceſſetur. Qui quidem a medio Januario anni 384. ad uſque annum 389. per integrum ſexennium tenuit eam dignitatem, uti ex proſopographia Codicis Theod. perſpici poteſt. Ita dati hujus a duobus ſchiſmaticis libelli aetas per hos ſex praefecturae Cynegianae annos incerta vagabitur: forſitan autem & ſeptem. Quid enim impedit, quo minus libellus quidem anno 383. oblatus fuerit, reſcriptum autem inſequenti anno prodierit, quo primum Cynegius praefecturam adeptus eſt?

Poſtremo non aliunde artioribus cancellis aetas hujus libelli coerceri poſſe videtur, quam ex Damaſi adhuc viventis (ut ego interpretor) mentione. Non moror autem quae in praefatione de Damaſo fuſe narrantur: quippe quae non eſt dubium, quin ex longinquo tempore repetantur, & ad initia pontificatus ejus pertineant. At in ipſo libello (pag. 66. & ſeq. editionis Pariſ. an. 1650.) ita reditur ad Damaſum, ut ejus ultima quaedam facta narrentur, adhuc credo tum viventis, dum libellus ſcriberetur. Cujuſmodi illud eſt quod pag. 69. ſcribitur: *Sed & NVPER tentavit* (Damaſus) *graviter perſequi beatiſſimum Epheſum* &c. Quod ſi tunc Damaſus diem obiiſſet, id certe ſignificatum fuiſſet; nec de ſucceſſore Syricio eſſet omiſſa mentio. Quum autem S. Damaſus exeunte anno 384. e vivis exceſſerit; eodem facile anno oblatus eſt hic precum libellus; aut ſaltem anno quidem 383. (qui primus annus Valentiniani erat) porrectus libellus fuit, reſcripto vero uſque ad inſequentem annum 384. (quo Cynegius praefecturam obtinuit) differri [291] contigit. Ita ſive anno 383. ſive 384. Marcellinus & Fauſtinus ſuum hunc libellum pro defenſione Luciferianorum cauſae Principi tradiderunt.

Venio ad praefationem libello praemiſſam, quae tota verſatur in narratione Vrſini contra Damaſum ſchiſmatis. De qua praefatione plures conjecturas (parum meo judicio ſolidas) protulit Tillemontius in Lucifero Not. 5. Nam I. obſervat nihil videri commune eſſe huic praefationi cum libello; in illa enim nihil pro Lucifero aut ejus aſſeclis reperiri, in hoc vero nihil de Vrſiniano ſchiſmate. II. Praefatio Liberio impenſe favet, quem tamen cum aliis lapſum, nemo negat; ut non videatur Liberii laus a Marcellino, & Fauſtino Luciferianis proficiſci potuiſſe. III. Ex his concludit, humano capiti cervicem equinam junctam videri, quum praefatio illa alterius videatur operis, aut (ſi quidem hujuſmet libelli ſit) certe a diverſo auctore poſterius facta. IV. Aut demum fieri potuiſſe, ut Marcellinus & Fauſtinus poſt Vrſini ſchiſma a ſe profeſſum, priorem alterum quemdam libellum imperatoribus porrexerint (quem ſuſpicatur intercidiſſe) cui eam, quae

eſtant mort dans ſon exil, & ainſi avant Conſtance [& antequam Julianus exſules revocaret] *il n'a pu voir le commencement du ſchiſme de Lucifer*; a cujus labe proinde immunis fuit. Nam non niſi ſub Juliano ſchiſma ſuum Caralitanus praeſul conflavit.

(291) Maxime ſi id negotium nonnullam cauſae cognitionem requireret, nec expediri de plano debere imperatori viſum fuiſſet: quo ſpectat l. 9. §. 1. D. de offic. proc.

Digitized by Google

quae nunc exſtat, praefationem praeposuerint: poſtea vero iidem Luciferianis ſeſe adjungentes, eum qui nunc circumfertur libellum dederint. At procedente tempore amiſſo priore libello, videri librarios libello poſteriori praefationem prioris adjunxiſſe. Haec Tillemontius.

Quibus ego ſingulis eodem ordine ſic reſpondeo. I. Nego praefationi nihil commune cum libello eſſe, ad quem certe illa viam praeſtruit, ut in fine dicetur. Nec verum eſt, nihil in libello pro Vrſino, aut, quod tantumdem eſt, contra Damaſum dici (contra quem certe Damaſum a pag. 66. ad 70. canina rabie illi debacchantur) ſicuti nihil pro Luciferianis in praefatione reperiri; quum tamen ſaltem finis praefationis ſit totus Luciferianus, uti dicetur.

II. Eſt ne vero hoc Liberio favere, quum ejus lapſus ibidem acriter vituperetur? Nam quo loco de Liberio in praefatione fit mentio, ibi pag. 3. hoc factum adjicitur. *Poſt annos duos* (a Liberii exſilio) *Conſtantius Romam venit: pro Liberio rogatur a populo: qui mox annuens ait: Habetis Liberium, qui qualis a vobis proiectus eſt, MELIOR revertetur.* Vbi in eo quod *meliorem* vocat, haud dubie maligne illum ut Arianum taxat, uti ex ea interpretatione quae ſtatim adtexitur, conſtat. *Hoc autem* (inquiunt) *de CONSENSV ejus* (Liberii) *quo manus PERFIDIAE dederat, indicabat.* Nec quidquam interea ad Liberii defenſionem ſubjicitur. Hoccine vero eſt eum pontificem tueri ac defendere? Etſi non negaverim, quin libelli auctores aliud agentes, interim argumenta ſuppeditent, quibus Liberii crimen ex vero [292] deterſtur, dum priori tantum Sirmienſi formulae, quae tolerabilis videbatur, is ſubſcri-

(292) *Priori ne an poſteriori Sirmienſi formulae Liberius ſubſcripſerit.*

Duplex fidei formula diverſis temporibus ab Arianis dictata fuit. Prior anno 351. prodiit, qua Photinus potiſſimum damnabatur, quae Arianiſmi quidem ſuſpecta erat, ſed id dogma nec diſerte adſtruebat, nec excludebat. Eadem aliquando etiam a S. Hilario ſtudio pacis innocenter admiſſa fuerat, poſtea ab eodem rejecta. Altera anno 357. poſtquam Conſtantius Roma diſceſſerat, condita fuit, quae totum virus Arianum complectitur.

Ac diu quaeſitum fuit, utri earum Liberius ſubſcripſerit. Blondellus, Petavius, Pagius, aliique plures poſteriori a Liberio ſubſcriptum docuerunt. Id eos fefellit, quod poſt Conſtantii ex urbe Roma diſceſſum, & alteram Sirmienſem Synodum expugnatam Liberii conſtantiam, ex ordine narrationum Sozomeni & aliorum ſibi perſuaſerunt. At interim Libellus iſte offendit, quo tempore Conſtantius Romae pro Liberio exorabatur (h. e. menſe Maio anni 357. ante ſcil. alteram Sirmienſem ſynodum) jam ſubſcripſum a Liberio fuiſſe. Id vox imperatoris declarat, *Melior revertetur*, & quam ei dicto Marcellinus interpretationem ſubnectit: *Hoc autem de conſenſu ejus, quo manus perfidiae DEDERAT* (non ſcribitur, *poſtea dedit aut daturus erat*, ſed *dederat*) *indicabat.* Ex quibus verbis obiter vides, in hoc libello priorem formulam Sirmienſem vocari *Perfidiam*, eodem plane vocabulo, quo illum Hilarius appellavit: qui ubi aliquando Sirmienſem profeſſionem, nihildum veneni in ea ſuſpectus, admiſiſſet, poſtea eamdem rejeciſſe profitetur, vel ex eo certe quod Liberium *perfidiae* (ſic priorem Sirmii formulam vocat) conſentiſſe ipſemet conqueritur. Ceterequi idem Hilarius adverſus Conſtantium ſcribens, aperte Sirmienſem priorem fidei confeſſionem damnavit. Sed ad Liberium redeo.

Accedit illud quoque quod ſi quidem is poſteriori formulae, quae aperriſſimam Arianiſmi profeſſionem complectebatur, conſenſiſſet, non opus habuiſſet tot modis animum Conſtantii ſollicitare, torque apud eumdem concilitoribus uti, quo ſedi ſuae reſtitueretur: id quod ex ejus epiſtolis conſtat, quae adhuc in Hilarii libro de ſynodis ſuperſunt. At quia priorem Sirmii confeſſionem admiſiſſe, ſeque ab Athanaſii communione removiſſe, adhuc parum Conſtantio videbatur, niſi apertius in Ariana caſtra tranſfugeret, ea de cauſa tamdiu ejus reſtitutio dilata fuit. Et haec quidem obiter, & in tranſitu. Plura ejuſdem hujus ſententiae argumenta Tillemontius in Arianorum haereſi Not. 55. ſuppeditabit. Etiam Abbas Fleury lib. 13. ſect. 46. noſtram hanc ſententiam, quam & Baronius defenderat, *probabiliorem* appellat. Quam profuit novo hoc qualicumque ſubterfugio ſtabiliviſſe.

Digitized by Google

scripsisse ostenditur.

III. His intellectis, nego praefationem alienam a libello esse, aut diversi corporis caput, aut postremo a diverso auctore profectam. Ac sicubi ex stylo capi argumenta possunt; heic certe non ovum ovo similius, quam praefatio libello [293] per omnia simile habet dicendi genus.

IV. Jam vero illud quis in animum inducat, quod amissus prior nescio quis libellus fingitur (cujus praefatio haec quae exstat peculiaris esset) quo amisso postea librarii (in quibus semper haec faba cuditur) nimis inconsulte praefationem alieno libello aptaverint? Atqui commentum hoc ex eo falsi revincitur, quod qui imperatores (Valentinianus, Theodosius & Arcadius) initio libelli compellantur, iidem prorsus & initio & in fine praefationis leguntur. Vidit hanc difficultatem Tillemontius; easque se in angustias cegit, ut suspicetur in praefatione mutatos fuisse a librariis imperatores, eosque loco Valentiniani (primi) Valentis & Gratiani (quibus debuerat prior libellus dari) nomina utrobique scripsisse Valentiniani (junioris) Theodosii & Arcadii. Cui vero hoc verisimile fiat, aut tam eruditos amanuenses fuisse, ut idonee temporibus id moliri quirent, aut tantum sibi sumpsisse auctoritatis, ut bis nomina Imperatorum inverterent?

Verum ut vela jam contrahamus: Stylus (qui utrique parti *aeviternus ipsissimus* est) plane clamitat, praefationem ab eisdem auctoribus, a quibus libellus est,

(293) Scio quidem, argumenta quae ex stylo capi solent, haud satis fida existimari. At est quorumdam dicendi genus ita singulare, ut incurrat in oculos. Cujusmodi eloquutio hujus libelli esse videtur, rotunda, gravis, nervosa, *ἐφαπαξικόν*, & *δεινόν* quadam inimitabili praedita. His accedit matronalis quaedam cultus exquisitioris negligentia, quae ut matronis, sic graviori orationi gratiam mire conciliat: de quo genere sunt illae perpetuae verborum eorumdem, sed, quod mirere, citra fastidium repetitiones. Eo sane, nisi fallor, dicendi genere tam libellus quam ejus praefatio plane constanti & per totum aequabili a capite ad calcem decurrit: ut utramvis quis earum partium norit, ambas noverit. Ubivis potius quam heic styli aestimatio te forsan fefellerit.

Tamen siquis contra pro styli diversitate pugnaverit, struatur is opinione sua, & alium huic praefationi auctorem quemlibet tribuat; modo fateatur, praefationem hujusmet, qui nunc exstat, libelli fuisse propriam. Pro diversitate autem styli illud prae ceteris dici potest, in libello quidem totis paginis vocem *Vindico* ac tertio quoque verbo inculcari [veluti in fine pag. 43. & incunte pag. 44. quinquies continua serie id verbum repetitur, & nusquam non alibi) quum interim in tota praefatione ne semel quidem usurpetur. At hoc & siquid aliud afferri potest, styli diversitatem haud constituit, qui totus ex peculiari quodam charactere, qui persentisci magis quam describi potest, exsistit.

Quando autem in dictione utriusque partis versamur; nemo nunc ignorare potest quid sit illa *Processio*, de qua praefatio loquitur pag. 3. *Ab ejus processione se suspendit* h. e. ab ejus *συνάξεις*, *conventu* se abstinuit. Id jam ex aliis auctoribus notaverat Hugo Menardus, & postea Cangius in Glossario. Atque modum protulerat exempla verbi *Procedo* eod. significatu. Quo quidem utitur bis eadem praefatio: pag. 5. v. 7. *Coeperunt in basilica Juli procedere* h. e. convenire seu synaxin celebrare. Et fine pag. 6. *Coepit Damasus Romanam plebem, quae se* [cor. *secum*] *nolebat procedere . . . perurgere*. In libello autem ad finem pag. 62. *Populo praedixerat, ne illo die procederet*, (i. e. convenirent) *quando cum caede veniebant*, nim. ad dissipandum conventum.

Plura autem antique dicta in libello hoc reperies, ut quod verbi causa pag. 98. v. 2. *verum* pro *veritas* usurpatur: *Quasi expaveſcamus pro vero interfici*; ut Persius, *Mordaci radere vero Auriculas*, & saepissime apud veteres. At illud pulchrius quod pag. 87. v ult. *Rem veri* pro *veritas* dixit (*Audivit quosdam se integrae fidei copulare, & per Dei gratiam rem veri crescere*) ut olim *Res cibi* pro *Cibus* & alia sexcenta in eumdem modum, & ut Graeci voce *χρῆμα* eadem synaxi utuntur.

Pag. 64. ad finem Dominico sic opponitur templum Idolorum, ut hoc absolute *Templum* (et quidem *ἀναθηματικῶς*) vocetur. *Altare Dei de Dominico sublatum, in TEMPLO sub pedibus idoli posuerunt*. Hujus paria exempla reperies apud Gothofredum in paratitlo § 3. tit. Cod. Theod. *De paganis, sacrificiis, & templis*. Nolo ulterius digredi.

Digitized by Google

est, esse profectam. Sed tamen ea non ante scripta & praefixa huic libello fuit, quam eo accepto Theodosius suum tandem evulgasset pro Marcellino & Faustino rescriptum. Tunc enim vero hi duoviri de prospero successu exsultantes, quum e re sua fore ducerent, si libellus una cum subjecto rescripto in vulgus spargeretur; id ut aptius efficerent, instruendos sibi lectores hac ipsa praefatione putarunt de initiis calamitatis suae. Nam presbyteros istos tunc quidem Luciferianos esse, omnes norant, & libellus id palam profitetur. At eosdem olim Vrsinianos fuisse, & contra Damasum ante viginti annos decertasse, non omnibus compertum erat; & siqui id scirent, ii (maxime consopito jam schismate) aequiores se Damasi, quam Vrsini causae praebebant. Itaque in hoc prologo rem omnem ab initio repetunt, ac de rebus olim gestis in Damasi & Vrsini discidio (cujus ipsi pars fuerunt) longam narrationem, sed modo suo incrustatam, tota praefatione contexunt. Id enim initium suae calamitatis fuit. Nam Roma tandem expulsi, quod ultimum fuit, Luciferianis sese adjunxerunt: nisi forte mavis, etiam antea, dum Romae essent, eos Luciferianos [294] fuisse. Vt ut est, συνέχεια (*cohaesio*) certe praefationis cum libello (h. e. Vrsiniani dissidii, de quo dumtaxat in praefatione agitur, cum Luciferianorum causa, quam tantum in libello tuentur) satis superque in fine praefationis sese legenti aperit, ad quam miror Tillemontium non attendisse. *Exinde* (inquiunt) *presbyteri* (partis Vrsinianae) *diversis modis afflicti per exsilia & peregrina loca dispersi sunt. Ex quibus Marcellinus & Faustinus presbyteri* (auctores scil. tum libelli tum praefationis, antea quidem Vrsiniani, nunc vero Luciferiani: quod sequentia satis praeseferunt) *de confessione verae fidei* (a qua ceteros Luciferiani excludebant, tamquam ipsi soli catholici) *ostentatione* [h. e. [295] exhibitione] *sacrae communionis* [nim.

(294) Baronius quidem hosce duos presbyteros prius tantum Vrsinianos fuisse vult, postquam autem Roma ejecti fuerunt, Luciferianis eos adhaesisse. At nihil impedit, quominus ii (ut & forsitan clericorum Vrsinianorum plerique) ab initio Luciferiani fuerint. Et tempora, si nihil aliud, utriusque schismatis id minime excludunt. Deinde nihil in praefatione aut ipso libello vestigii est, unde arguere possis hos presbyteros post suam ex urbe Roma ejectionem tum demum Luciferianos esse factos. Contra vero jam ab initio praefationis facile scintillas Luciferianae labis agnoscas, jam tum erumpentes, quando Luciferi, Liberius, aliique plures episcopi narrantur *missi in exsilium pro fide servanda*, uti in praefat. pag. 2. legitur.

Vbi & hoc statim sequitur: *Cum Liberio Damasus diaconus ejus se simulat profici sci: unde fugiens de itinere Romam rediit, ambitione corruptus.* Quibus verbis jam tum Damasum in *praevaricatorum* (quod familiare erat in ore Luciferianorum convicium) numerum referebant, tamquam scil. causae Liberii (quam cum fidei causa communem interpretabantur) proditorem. Quo obtentu, quamlibet falso, verisimile est eos suum adversus Damasum schisma obvelare voluisse, quem videlicet uti *praevaricatorem* averterentur. Plura alia afferre possem, quo presbyteros istos ab initio sui cum Damaso dissidii fuisse ingenio Luciferiano praeditos ostendi possit. Etsi iidem invidiam Luciferiani nominis declinabant, seque non *Luciferianos* sed *Christianos* vocari velle, quippe non Luciferi, sed Christi sectatores, contendebant, de quo pag. 70. & seq. disperant. *Necessarium est, ut falsi cognomenti discussionem invidiam, qua nos jactant esse Luciferianos*: & quae plura de hoc genere sequuntur.

(295) *Ostentatio* hoc loco non est jactantia, sed respondet Graecae voci ἔνδειξις (quae vox in Cyrilli Glossis redditur *Ostentatio*) ἔνδειξις autem tantumdem est quod *Indicatio*; ita ut *De ostentatione sacrae communionis*, idem sit quod *De indicando*, cum quo hominum genere (non nisi scil. inculpato atque incontaminato) Luciferiani communicent. Sive potius *Ostentatio* tantumdem est quod *Exhibitio* (sicuti & apud Tertullianum) ut *De exhibitione communionis* hoc significet, in eo libello rationem reddi, quibusnam Marcellinus & Faustinus communionem exhibeant, quibus negent. Tertulliani locus exstat in Scorpiace initio capitis 13. ubi locus 2. Thess. I. 4. 5. sic recitatur: *Thessalonicensibus gaudens* (Paulus) *Vti inquit*,

[nim. cuinam exhibenda communio ſit, cui vero deneganda] *& perſecutione adverſantium veritati, preces Valentiniano, Theodoſio & Arcadio principibus obtulerunt ita*. Hactenus praefatio, poſt quam libellus incipit. Quid autem clarius afferri poterat ad praefationem cum libello, qui nunc exſtat, glutinandam? An poterat per haec verba [quae certe ſummam Luciferiani veneni continent] praefari auctor alteri cuidam libello, qui Vrſinianorum adverſus Damaſianos preces exhiberet? Ac de eo, quid praefatio cum libello commune habeat, hactenus.

CAP. III.

Joan. Diaconi de S. Maximo elogium. Vtrum is chronographus Maximum pro Martyre habuerit, & in exſilio mortuum ſciverit. Ejus corpus Neapolim ann. 362. tranſlatum videri. De duabus tribuſve aliis ejuſdem tranſlationibus.

Exſtat etiam de eodem S. Maximo breve Joannis Diaconi in ſuo epiſcoporum Neapolitanorum chronico (quod videri ineunte ſaeculo X. ſcriptum, ſupra ad XVI. Maii in S. Reſtituta oſtendimus) elogium : quod tale eſt.

X. (296) Maximus Epiſcopus ab ineunte aetate ſua ſtrenuus, & omnimodo moderatus, ſanctae Eccleſiae militavit. Nam & ipſe prius in Eccleſia beati (297) Fortunati Sacerdotis, & Chriſti Confeſſoris eſt conditus. Nunc vero in Oratorio Eccleſiae Stephaniae parti laevae introeuntibus, ſacro Altario adeptus exſultat.

Nimis jejune quidem, quod & plerumque Joannes ſolet, certe propter monumentorum inopiam. Imo, quod mireris, de S. Maximi martyrio nihil plane Noſter diaconus comperti (298) habuiſſe ſe, ſuo ipſe ſilentio prodit. Aut certe, ut ſubtilius dicam, ita de ſanctiſſimi pontificis ſive martyrio, ſive confeſſione per ambages neſcio quid adumbrat, ut plane in eo negotio mihi videatur magnopere aeſtuaſſe, incertus animi, referret ne Maximum inter martyres aut Chriſti confeſſores, an non. Nam ſi fixum Maximi martyrium Joanni fuiſſet, quanti laboris erat, ſicuti Fortunatum huic alieno loco *Chriſti confeſſorem* (299) vocavit, eadem nomenclatura etiam Maximum cohoneſtare? A qua tamen abſtinuit: ea ne ratione permotus, quod in hoc marmoreo Kalendario *Depoſitionis*, non autem

inquit, gloriemur in vobis in eccleſiis Dei pro tolerantia veſtra & fide, in omnibus perſecutionibus & preſſuris, quibus ſuſtinetis oſtentamen (hoc eſt, uti appoſite Rigaltius explicat, *exſpectatis exhibitionem* : in Graeco Pauli ἀνέχεσθε ἐνδειγμα) *juſti judicii Dei*. Eaque interim videtur etiam veriſſima Paulini loci nondum ſatis intellecti expoſitio, quam Tertulliano debemus; ita ut ibi ἔνδειγμα (accuſandi caſu poſitum) *exhibitionem* ſignificet (ſive uti Latini loquebantur, *Repraeſentationem*) *judicii Dei* ac praemii, quam Sancti exſpectant. Indidem vero diſcimus, *Oſtentationem* tantumdem eſſe quod repraeſentationem & praeſentem debiti perſolutionem.

(296) Nota numeralis X. notat Maximum decimum ab Aſprenate numerari. At quam longe a vero id abſit, & quando primum eae ordinales notae noſtro pontificali libro adjectae videantur, alibi me attigiſſe memini, & plura opportuniore in loco dicam.

(297) Chioccarellus noſter in S. Maximo initio pag. 35. ſic adnotat : *Vetuſtiſſima quoque S. Maximi effigies pontificiis veſtibus atque aureola inſigniti, Graecorum more depicta, in* S. *Fortunati eccleſia* (de qua dicemus mox ad XIV. Junii) *conſpiciebatur*.

(298) Hoc de Joanne noſtro minime adnotaſſem, niſi Papebrochius (ad XII. Junii, ubi de hoc Maximo, p. 518. n. 3.) cenſuiſſet Maximum ab Joanne martyrem fuiſſe habitum; eaque de cauſa Melchiadi Papae (ſub quo nondum perſecutiones deferbuerant) aequalem factum. Nam quamvis de Maximi & Melchiadis συγχρονισμῷ nihil notet Joannes; id tamen ex eo neceſſario ſequi Bollandiſta notat, quod Maximi ſucceſſor diſerte eidem Melchiadi ac S. Sylveſtro aequalis a chronographo fiat.

(299) *Chriſti confeſſoris* appellationem apud Joannem Diaconum aliquid innuere paullo infra martyrium (ut antiquitus ea vox accipiebatur) mox ad diem XIV. in S. Fortunato oſtendetur.

Digitized by Google

tem *Passionis* notam S. Maximo praescribi observasset? Minime id quidem; quia & Fortunato eadem *Depositionis* nota praemittitur; quem tamen non dubitavit *Christi confessorem* nominare.

Omnino res sic se habet. Quum chronographus ex nescio quibus suorum popularium sermonibus, & ex antiquis picturis (quae plerumque in ecclesiarum parietibus Sanctorum res gestas exprimebant) celebrari invictam Maximi in Christi confessione constantiam, & aerumnas ob id toleratas inaudivisset; dandum aliquid his rumoribus censuit, sed ita tamen ut suspenso veluti pede ambulans, dubius ipse, dubium etiam lectorem relinqueret. Vt ut est; ad martyrii certe significationem tum voces, *Strenuus*, & *Militavit* sunt referendae (*strenuus . . . sanctae Ecclesiae militavit*) tum in primis nexus ἀιτιολογικὸς (*causalis*) NAM. Cujus copulae, ut et ejus quod sequitur, ea vis est, nempe, quod olim Maximus prius quidem in Ecclesia S. Fortunati conditus fuerit, postea vero in Stephaniam una cum eodem Fortunato fuerit sollemniter ab episcopis translatus, id ea gratia factum fuisse, quod ambo (Fortunatus scil. & Maximus) Christi confessione enituissent, pro qua etiam aerumnas gravissimas perpessi essent. *Nam*, inquit, *& ipse* (Maximus) *prius in Ecclesia B. Fortunati sacerdotis et CHRISTI CONFESSORIS est conditus. Nunc vero in Oratorio Ecclesiae Stephaniae parti laevae introeuntibus, sacro Altario adeptus exsultat.* Quae verba jungenda sunt cum altero παραλλήλῳ ejusdem chronographi loco in S. Fortunato proximo Maximi decessore, ubi scribitur: *Qui* (Fortunatus) *sepultus foris urbem . . . deinde . . . populi . . ab Ecclesia sui nominis conferrata transferentes*, (junctim cum Maximo) *per manus pontificum collocarunt in Ecclesia Stephania partis dextrae introeuntibus, sursum ubi est Oratorium, in caput Catatumbae.* Verum haec enucleatius ad XIV. hujus mensis in S. Fortunato exponentur.

Illud etiam notari heic pervelim, nostrum chronographum ita de Maximo loqui, quasi qui Neapoli e vivis excessisset. *Prius*, inquit, *in ecclesia B. Fortunati est conditus.* Qui si sciisset, eum alibi decessisse, de ejus translatione Neapolim non tacuisset. Atqui ex ea, quam supra recitavimus, Marcellini & Faustini (aequalium scriptorum, & ad Zosimum, adhuc tum vivum, rei gestae testem provocantium) certissima narratione constat, S. Maximum in suo exsilio e vivis exemptum. *ILLIC* (i. e. in loco exsilii, de quo proxime narrabat) *Martyr in Domini pace requievit.* Ergo non est dubitandum, quin statim ut turbae illae, quae tunc vexabant Ecclesias, conquieverunt, Neapolitani cives Reliquias beatissimi Martyris ex loco exsilii in hanc *urbem* reduxerint, & cum S. Fortunato, pari confessione claro, junctim condiderint; unde mox ambos in Stephaniam *per manus pontificum* intulerint.

Et hanc quidem posteriorem Maximi & Fortunati sollemnem translationem, qua per manus pontificum illati in Stephaniam fuerunt, IX. saeculo sub S. Joanne IV. hujus marmorei Kalendarii auctore contigisse, in ea Diatriba, quam de aetate hujus monumenti commentario nostro praefiximus, demonstratum fuit. At illam, qua primitus cum Fortunato est conditus, in quod potissimum tempus conferemus? Nemo mihi hoc eripiet, quin priorem eam Translationem in annum 362. aut sequentem verisimillime conferam. Quam ob rem sic censeam, paucis absolvam. Jam ante annum 362. quo Julianus Imp. extorres pro fidei causa episcopos in suas cathedras restituit, Maximum in caelum migrasse, supra innuimus. Nam si eo anno adhuc Maximus in vivis fuisset, certe cum ceteris rediisset, nec in loco exsilii oppetiisset. At is quem dixi annus quum universis ecclesiis, quibus pastores suos reduces atque incolumes reddidit, ingens gaudium apportasset; eis etiam videtur attulisse laetitiam, quarum praesules interim in loco exsilii occubuerant.

Qui-

Digitized by Google

Quibus ecclesiis quando illi vivi atque integri minus poterant, in suis saltem exuviis reduces sisti aequum fuit; maxime si suae plebes id enixe postulassent; sicuti Maximi sacra pignora a Neapolitanis postulata crediderim. Certe quanto qui pro Christi causa mortem obiissent, gloriosiores viventibus pastoribus habebantur, tanto populorum studia ad illorum sacrata spolia revocanda magis exarsisse oportet; praecipue Maximi, quem adversus invasorem Zosimum manifestis ostentis divina ultio vindicaverat.

Ad summam relatas quidem S. Maximi Reliquias in diacono Joanne (qui eas in S. Fortunati requievisse memorat) legimus: de tempore nihil legimus. At siquis temporis articulus reportandis ejus Lipsanis opportunus fuit, certe aut is quem dixi annus, aut nullus alius exstitit. Nam ubi paullum modo plebis pro sanctissimo sacerdote ardor refrixisset, difficile postea fuit sive Neapolitanos de eo recuperando cogitasse, sive ejus loci incolas, ubi is thesaurus condebatur, eum sibi eripi passos. Postremo causa deerat, cur id tractu temporis Neapolitanis indulgeretur: quae tamen causa in communi exsulum reditu plausibilis initio fuerat. Quare sive ipso anno 362. sive alio ex proxime insecutis annis S. Maximi corpus Neapolitanae plebi restitutum, & in Ecclesiam S. Fortunati (nempe ut duo illustrium Confessorum corpora una simul conquiescerent) illatum videtur. Haec de prima translatione: quam tamen in duas esse dispescendam[ita ut initio Maximus in coemeterio aliquo cum Fortunato jacuerit, deinde serius in ecclesiam S. Fortunati transierit] ad diem XIV. in S. Fortunato cap. 3. augurabimur.

Secunda translatio in Stephaniam facta fuit ante medietatem IX. saeculi sub S. Joanne IV. Neapolitano episcopo: de qua plurium simul SS. antistitum sollemni Translatione dictum est in Diatriba, quam mensi Januario praemisimus. Vltima demum in S. Ephebi aedem, ubi nunc requiescit, ecquando contigerit, ad hujus mensis diem XIV. discutiemus.

CAP. IV.

Quid in die festo S. Maximi et aliorum quorumdam Antistitum variatum fuerit. Quaedam de eo virorum doctorum hallucinationes.

Quae ad S. Maximi festivitatem pertinent, eorum pleraque is cum S. Fortunato communia habet, cui parem vicissitudinis varietatem sortitus fuit. Eo fit, ut quae heic adumbravero, eadem ex tradendis mox ad XIV. Junii explicatiora sint evasura. Interim praecipua rerum capita persequar.

Ergo antiquitus sicuti de Fortunato die XIV. Junii fiebat officium, sic de S. Maximo die hoc XL. Junii, idque non solum in hac marmorea ephemeride (in qua etiam diserte nota DEPositionis scalpitur, ad designandum hunc ei diem sive βαπτισμον [*emortualem*] sive ἐνταφιον [*sepulcralem*] fuisse), verum & in antiquissimis Kalendariis [300] aliisq. libris liturgicis. At procedente tempore dictis diebus

(300) Chioccarellus initio pag. 35. S. Maximum die XI. Junii primitus celebratum agnoscit his verbis: *Ut ex ecclesiasticis officiis Langobardis litteris exaratis deprehendimus, ex quibus S. Maximi Neapolitani episcopi die 11. Junii festum coli perspeximus.* His addam perantiquum Kalendarium membranaceum a Tutino olim inter schedas Gabrielis Lotterii Cler. Reg. repertum, in quo legitur Junii die XI. *S. Maximi Neap. Epi:* die vero XIV. *S. Fortunati Epi Neap.* Adhaec Ant. Caracciolus ad finem cap. 22. ait: *De eo* (Maximo) *praeter Neap. Ecclesiae antiqua Kalendaria, tum Patricianae Litaniae, quae post ejus Monasterii vetus Mrologium scriptae habentur, tum etiam codex Ms. 196. Biblioth. Casinensis meminerunt.* Codex Casinensis 196. a Caracciolo laudatus Breviarium Neapolitanum continet, cui Kalendarium inseritur: in quo mense Junio scribitur: *III. Idus* (h. e. die XI.) *Junii Neap. S. Maximi Epi & Conf.* Ac rursus: *XVIII. Kal.* (i. e. die 14. Jun.) *Neap. S. Fortunati Epi & Conf.* Quae ex Tutino excerpsi, id notante ad calcem Kalendarii, quod Rituali Neap. praemittitur.

Digitized by Google

desitum ab utriusque officio fuit. A XII. [301] certe saeculo ad usque initia septimi decimi aut nihil de utroque fiebat, aut certe aliis atque olim diebus festivitas eorum affixa fuit, ut in Adnot. 301. & 302. dictum fuit. Atque ea transpositio tandem ad utriusque omissionem [vide in eisd. Adnot.] gradum fecit, maxime postquam translatis a Stephania amborum corporibus & in Ephebianam Aedem invectis, eorumdem memoria evanuerat.

Verum quum per initia superioris saeculi amborum cultum revixisse, ex quibusdam ejus temporis *Ordinibus* recitandi officii deprehendissem, necdum tamen ejus redivivi cultus exordium [ex antiquiorum scil. *ordinum* inopia] detegerem; nihil verisimilius cogitari posse putabam, quam si id primum anno 1590. contigisse existimarem. Nam quum mense Novembri anni 1589. SS. Fortunati & Maximi corpora in aede S. Ephebi effossa fuissent; nihil vero propius videbatur, quam ut ea occasione anno sequenti eorum officia praescripta viderentur. Tamen contra accidit. Plane enim quid ex pluribus annuis ordinibus adhuc superstitibus deprehenderim, inferne minutim [302] adnotatum reperies: certe autem in iis ante annū 1627. SS. Fortunati & Maximi festa non reperi, sane quia altius eo anno continuata illa *Ordinum* series non assurgit. Et adhuc quidem de primo redivivae horum Sanctorum celebritatis anno dubitarem, nisi tandem de Archiepiscopo Decio Carafa [quem de Sanctorum nostratium cultu plura molitum noram & alibi adnotaveram] recordatio subiisset: de quo Antistite videatur [303] Chioccarellus. Itaque ejus praesulis Acta olim perscrutatus, re vera id de quo tamdiu quaerimus, anno 1619. [304] ab eo praestitum legisse memini. Isque omnino primus revocatae post plura saecula

(301) Quandonam SS. Fortunati & Maximi cultus intermitti coeperit, compertum non habeo. Hoc tantum scio, in Kalendario Tutiniano quod veteri Neapolitano Rituali praeibat, mense Junio utrumque desiderari: quod Kalendarium videtur exeunte saeculo XII. scriptum, quippe quum in eo notetur *S. Thomas Contubernus* (h. e. Cantuariensis) absint autem SS. Bernardus, Franciscus atque Dominicus. Nec post id tempus quidquam de SS. Maximi & Fortunati cultu legitur, saltem usque ad eorum inventionem exeunte saec. XVI. factam.

Quod autem dixi, a Kalendario illo Tutiniano Fortunatum & Maximum abesse, id satis inest de mense Junio esse capiendum. Nam ceteroqui certum habeo ibi eorum festa fuisse transposita (ob concurrentia scil. officia S. Barnabae die XI. Jun. & S. Rufi die XIV.) imo anticipata. Nam ibi die VI. Febr. legitur: *Maximi Epi & Conf.* & ejusd. mensis die XXVI. *Fortunati Epi Conf.* qui non videntur alii a Neapolitanis fuisse. Et ea transpositio forsitan posteris fraudi fuit, qui dum nescirent, unde illi Maximus & Fortunatus (de quorum sede tacebatur) emersissent, tandem eos praeterierunt.

(302) In Archiepiscopali Curia praeter plura Neapolitana lectionaria manu exarata saeculo XVI. conscripta (in quibus nihil prorsus de SS. Maximo & Fortunato inveni) tres tantum ordines cura V. Cl. Caroli Blaschi reperire licuit, quorum duo manu descripti ad annos 1581. & 1582. pertinent, tertius typis impressus ad annum 1595. spectat. In eorum autem nullo quidquam de Fortunati & Maximi festis praescribitur.

At vero nostrates Oratoriani Patres (quibus a longo jam tempore curae est annuos eos ordines pertexere) veterum hujusmodi ordinum ab anno 1627. ac deinceps continuam habent seriem. In horum primo (qui ad annum 1627. pertinet) die XII. Maii sic legitur: *Maximi Episc. Neap. dupl.* die vero XV. ejusd. mensis: *Fortunati Episc. Neap. dupl.* Et in eundem modum usque ad annum 1632. in duobus his episcopis, itemque in SS. Joanne I. Eutychio, & Nostriano res procedit. Nam postea anno 1633. & sequentibus nullus eorum amplius comparet.

(303) Barthol. Chioccarellus in Chronico Neapolitanor. antistitum de Decio Carafa (qui ab anno 1613. ad 1626. sedit) haec inter cetera narrat: *Sanctorum aliquot Neapolitanae urbis ... catalogum is in dioecesana synodo anno 1619. publicavit, adhibito consilio virorum doctrina ac religione praestantium; iisque eos venerari, & eorum officia de communi in posterum celebrari Neapoli & per totam dioecesim, nedum a clericis, verum etiam a regularibus omnibus praecepit ...*

(304) Hujus anni quem dixi synodum De-

cio-

cula SS. Fortunati & Maximi festivitatis habendus est annus.

Haud diu tamen in annuo eorum cultu perduratum fuisse, sed tantum usque ad annum 1632. iidem Ordines testantur. Nam ecce ab anno 1633. & sequentibus iterum ab eis celebrandis recessum fuisse, in eisdem ordinibus animadvertimus. Quae vero ejus rei causa fuerit, ordo anni 1635. [305] declarat, nempe quod per id tempus ea opinio animis liturgicorum scriptorum insederat, non nisi de iis Sanctis fieri Officium debere, quos Martyrologium Romanum complectebatur. Hi autem duoviri ab Rom. Mrologio aberant ob eam causam, quod nihil de iis innotuerat, ut primum Romanum Mrologium anno 1584. & accuratius ann. 1586. evulgatum fuit; quandoquidem nonnisi anno 1589. SS. Fortunati & Maximi Reliquiae in Aede Ephebiana repertae fuerunt.

Quae de SS. Fortunato & Maximo delibavi, eadem & de SS. Joanne I. (qui ineunte Aprili colebatur) Eustathio & Nostriano episcopis dicta sunto, quorum cultum una cum Fortunato & Maximo Archiepiscopus Decius an. 1619. ex longo tempore revocaverat, mox ejus successor Boncompagnus iterato intermisit: id quod ex documentis supra productis perspicitur.

Verum res ipsa loquitur, horum omnium cultum restitui debere, nec ea tantum de causa, quod eorum corpora sub Altaribus detecta fuerint, verum etiam ob cultus antiquitatem in tot antiquis monumentis, ac praecipue hisce marmoreis Fastis luculenter testatam. De qua restitutione Eminentissimum Archiepiscopum enixe oro obtestorque.

Ex iis autem quae summatim heic attigi, multae virorum doctorum hallucinationes circa S. Maximi festivum diem deteguntur, quas inferne [306] notari satius duxi, quam hisce tricis lectorem diutius demorari.

CAP.

cianam memini apud virum amicissimum aliquando vidisse; in qua id quod dixi decernebatur; sed ubi eamdem denuo quaesiviſſem, nescio quo fato depererat, non levi jactura, quum sit rara admodum.

(305) In Ordine anni 1635. adnotatur in hunc modum: *Ex Decreto S. Rit. Congr. 19. Julii 1634. adjecta sunt Kalendario Neapolitano festa SS. Pomponii, Joannis* (nim. IV.) *Candidae jun. quorum meminit Martyrologium Romanum.* Ex quo intelligitur a ceteris illis celebrandis ideo fuisse cessatum, quod eorum Rom. Mrologium non meminisset.

(306) *De S. Maximi festo nostratium & exterorum hallucinationes aliquot.*

Ac primum Caesar de Engenio pag. 645. sic de S. Maximo desinit: *Si festeggiò la sua festa alli 12. di Giugno.* Quod falsum est, quia ut ante diximus, primitus quidem de S. Maximo die XI. Junii, de Fortunato die XIV. depositionis festum celebrabatur, nec nisi sub Decio Caesa eorum festa ita reducta fuerunt, ut tamen ob incurrentia in eosdem dies SS. Barnabae & Basilii festa, unus diei XII. alter XV. ejusdem mensis affixi fuerint. At Caesar de Engenio quum anno 1623. (quadriennio post id tempus, quo eorum celebritas jam sub Decio revixerat) suam Neapolim Sacram edidisset, putavit, quo die per id tempus ii caelicolae coli coeperunt, eodem eos etiam antiquitus celebratos.

Sed de Ant. Caracciolo magis mirandum, cujus ultima verba de S. Maximo haec sunt: *Festivitas ejus OLIM 2. Junii agebatur.* Est ne credibile, virum in rebus patriis tantopere versatum tam enormiter errasse? An vero Caracciolus per duas notas (nim. 12.) scripserat, typographus vero priorem notam omisit? Id si est; tum dicendum erit, eumdem Caracciolum illud OLIM non ad IX. saeculum & sequentia retulisse, sed ad Decii Cardinalis aetatem, qua id festum in diem XII. transpositum fuerat, dum interim scribente Caracciolo (edidit autem suum opus anno 1645.) id festum intermissum fuisset. At ne hoc quidem puto. Nam de S. Fortunato supra scripserat: *Colebatur OLIM ... die 14. Junii.* Quum ergo in Fortunato istud OLIM ad antiqua, non ad Deciana tempora retulerit, etiam in Maximo vetusta tempora respexisse credendus est. Verum quid moror? Omnino error hinc ortus est. Nam Caracciolus quidem per notas Arabicas scripserat: *Festivitas OLIM 11. Junii agebatur.* At eas notas pro Romanis accepit typographus, h. e. pro altero Junii die; & tamen notas, quas Romanis

Digitized by Google

CAP. V.

De Zosimo in locum S. Maximi intruso, ac perperam a Jo: Diacono inter legitimos numerato. Alter Maximus commentitius expungitur.

Jam aliquot cap. superiore in Adn. 306. virorum doctorum secus dicta circa S. Maximi festum correximus. Vtinam & Joannis diaconi seriem episcoporum reducere in viam possemus. Multa ille quidem in priorum quatuor saeculorum episcopis peccasse deprehenditur (quod & saepe alibi conquesti sumus) sive tota ea culpa in solo Joanne residet, sive pars ejus tum in librarios, tum in antiquiores Joanne pontificales libros est derivanda. Verum de hoc toto negotio sermo nobis commodiore in loco recurret.

Nunc illud plane doleo, quod Zosimum sedis invasorem [ut ex Marcellini libello vidimus] Maximo successorem dederit. Qui Zosimus quantavis poenitentia suum postea crimen diluisset, numquam certe fuit in pontificum album referendus. Verum sicuti Maximi glorioſa confessio chronographo huic haud prorsus explorata, ut ante diximus, fuit, sic nec Zosimi intrusio. Forsitan & noster diaconus monumenta Neapoli exstantia viderat, quae de Zosimo tamquam episcopo loquebantur; idque satis ei fuit, ut hunc inter legitimos referret antistites, eique locum post Maximum daret.

Ceterum ante Zosimum non consuevit Joannes tempora antistitum cum Pontificum Rom. atque Imperatorum aetatibus componere; certe quod paucitas antistitum ab Asprenate ad Maximum [quem ab eo decimum numerat] id minime pateretur. Itaque a Zosimo novus hic labor Joanni procedit: quem Zosimum Melchiadi & Sylvestro pontificibus, & Imp. Constantino aequalem facit; idque institutum in sequentibus episcopis constanter tuetur: etsi, ut alibi dictum, in episcopis quarti & magna ex parte quinti saeculi toto aberret caelo, idque eas ob causas quas partim alibi tetigimus, partim alias explicaturi sumus.

Vel hinc autem patet, quam vere ac diligenter id in aliis praestiterit. *Nam* quo pacto Zosimus [quem Lucifer anno 362. a communione repulit] Melchiadi & Sylvestro ineuntis IV. saeculi pontificibus aequalis esse potuit? praesertim quum haud multo ante idem Zosimus in locum Maximi in exsilium acti intrusus fuerit. Vide quae ad Acta S. Maximi cap. 1. notavimus. Verum de hac infelici chronographi nostri in comparandis temporibus opera dicetur Deo dante alibi.

Nunc

manas existimabat, per Arabicam seu vulgarem notam (2) expressit; unde gravis ille error fluxit, qui postea & alios transversos egit.

Imo quidquid id erat, quod Caracciolus chartae illeverat, ac postmodum a typographo inquinatum fuit, id Vghellus novo incogitantiae σφάλματι commaculavit. Qui in hodierno S. Maximo sic ea mendosa Caraccioli verba descripsit, ut etiam pro *Junio* mense *Julium* lectori propinaret. *Festivitas ejus OLIM 2. JVLII agebatur.* Nec dubium est, quin Vghellus illud *Olim* pro *primitus* acceperit; sicuti & Tillemontius (cui est danda venia, quod nihil de nostratibus monumentis praeter Vghelliana viderit) to. VI. in Arianis Artic. 60. ubi totum Vghelli παράφραμα de die 2. Julii arripit: *On trouve... marques de sa veneration a Naples, où l'on en faisoit le 2. de juillet. Il semble que l'on n'en fasse plus aujourd'hui.*

Sed & a Papebrochio sunt quaedam secus dicta, ut quod ad XV. Junii in S. Fortunato qui in Neapolitanis lectionariis (verum editis partim diu ante, partim diu post Decianam aetatem) nullum de SS. Fortunato & Maximo vestigium reperisset; eo labitur, ut num. 11. suspicetur SS. Fortunati & Maximi festa tantum in Aede S. Euphebii concessa fuisse, illius scil. die XV. hujus autem die XII. Junii. At res quemadmodum sese habuerit, jam supra docuimus, ubi hasce omnes ambages expedivimus.

Quin & idem (ut id obiter moneam, quod ceteroqui alterius loci est) in S. Maximo (ad XII. Jun. p. 519. num. 7.) Jo. Diaconum nostror. episcoporum chronographum desinente V. saeculo scripsisse affirmat, qui non nisi decimo ineunte suum chronicon elucubravit. Sed quid docto Jesuitae faceres, cui nondum Joannem nostrum videre licuisset, sive in publicam lucem editum, sive saltem manu exaratum?

Digitized by Google

Nunc quid Chioccarello faciemus, qui Zoſimo alterum Maximum ſucceſſorem ſufficiens, duplicem ob id Maximum infert in epiſcoporum laterculum, unum Zoſimi deceſſorem eumdemque Martyrem, alterum hujuſmet Zoſimi [Ariani, ac poſtea ſe epiſcopatu abdicantis] ſucceſſorem: cujus poſterioris Maximi communionem a Lucifero vitatam narrat? Vide Chioccarellum pag. 35. 36. Verum jam ſupra in Adnot. 281. tetigimus, ex Baronii μνημονικῷ ἁμαρτήματι (*lapſu memoriae*) hoc totum manaſſe, ut a Neapolitanis ſcriptoribus, quos Baronii frangebat auctoritas, duplex iſte Maximus induceretur: quorum prior tantum verus eſt, poſterior autem numquam in rerum natura fuit, ſed ex eo ſolum inſutus, quod magnus Annalium parens ad ann. 362. n. 219. memoria falſus ſcripſiſſet, Luciferum Maximi communionem vitaſſe, *qui in Zoſimi locum fuerat ſuffectus*. Atqui Calaritanus ille non Maximi communionem eſt averſatus, ſed Zoſimi in Maximi locum ſuffecti; idque optime ſciviſſe Baronium, ex ante ab eo dictis ad annum 359. conſtat. ubi num. 47. rem totam ex vero narrat, & Zoſimum in locum Maximi ſuffectum agnoſcit,

XII PS ZINONI

NOta *Paſſionis* heic praeſignata duo nos docet, & hunc Martyrem fuiſſe, & illi hunc diem fuiſſe triumphalem. Et martyres quidem Zenones plures Graeci & Latini colunt, ſed diverſis ab hoc diebus. Atque ut ceteros plurimos hujus nominis martyres taceam; hoc ipſo menſe ineunte h. e. Kalendis Junii mentio fit apud Bollandiſtas pag. 31. cujuſdam Zenonis mart. Alexandrini: ac praeterea die XXIII. Junii in Baſilii Menologio occurrit *Certamen SS. Mart. Zenonis & Zenae* ex Philadelphia Arabiae. Dubitari igitur poſſet, an non horum alteruter, aut vero alius quivis ex homonymis martyribus, quum revera hoc die paſſus fuiſſet, deinde ob aliquam cauſam in alium diem trajectus fuerit.

Atqui & hoc ipſo die XII. Junii in Menaeis excuſis in quadam rubrica ſic legitur: *Et memoria S. Joannis militis & (τῶν ὁσίων Ζήνωνος καὶ (307) Τρυφηλίου ἐπισκόπων) SS. Zenonis & Tryphelii epiſcoporum* &c. Annon hic demum erit hodiernus Zeno noſter? de cujus quidem epiſcopatu teſtantur Menaea, noſtris interim faſtis tacentibus; de martyrio vero ſilentibus (308) Menaeis noſtrum Kalendarium eloquitur. Hoc ſane veriſimilius, quam quidvis aliud, mihi videtur.

Ceterum *Zeno* & *Tryphelius* a Menaeis excuſis hoc die relati prorſus iidem ſunt ac *Zeno* & *Triphyllius*, qui non hoc, ſed heſterno die occurrunt in Menaeis Chiffletianis, Synaxario CPolitano, & Menaeis Ambroſianis [apud Henſchenium ad XII. Junii pag. 557. initio] non ſine amborum aut ſaltem poſterioris epiſcopali

(307) Neſcio cur Henſchenius ad XII. Junii [pag. 557. A] ex Menaeis editis exhibuerit Τροφηλίου *Tropheli* pro Τρυφηλίου, quod in Veneta editione ſcribitur. Τρυφηλίου autem [haud dubie per errorem ita ſcriptus] idem qui celebris *Triphyllius* Ledrenſis, uti mox dicetur.

(308) Menaea, inquam, excuſa de Zenonis martyrio ſilent. At contra in Menaeis Chiffletianis ab Henſchenio ibid. laudatis dicitur diſerte Zeno [modo idem ſit] *in pace* obiiſſe. Res enim ſic ſe habet. In Menaeis iſtis Chiffletianis non hoc, ſed praecedente die referuntur SS. Zeno & Triphyllius *Epiſcopus*. Vbi notandum eſt de Zenonis epiſcopatu nihil dici, ac praeterea de eodem Zenone ſic ſcribi: *Eodem die* [ὁ ὅσιος Ζήνων ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται] *S. Zeno in PACE conſummatur*. Etſi per illud IN PACE non excludi martyrium, modo ad heſternum diem [cap. 2. ad Marcellini & Fauſtini libellum] obſervavimus, ut & alibi non ſemel; praeſertim quum τελειοῦσθαι frequentius de martyribus, quam ſecus, uſurpetur.

Iidem duoviri in duob. aliis Mss [Synaxario CPolitano, & Menaeis Ambroſianis apud Henſchenium] aſſeruntur.

Digitized by Google

pali dignitate. Ac de Zenone satis.

Ceterum quis sit iste Triphyllius, haud difficile dictu est. Nec enim alius eo nomine celeberrimus est, quam is qui Ledrorum episcopus fuit, Hieronymo de script. Eccles. & epist. ad Magnum, & Sozomeno l.c.11. memoratus, & quidem ab utroque cum eloquentiae laude: de cujus die festo variant Graecorum libri, dum in eorum aliquot, uti diximus, diei sive XI. sive XII. Junii junctim cum Zenone affigitur; at in plurimis aliis die XIII. ejusdem mensis colitur, unde & is in Rom. Mrologio eodem die sibi locum quaesivit. De eo quidem in Synaxario Parisiensi [saepe a Bollandistis laudato] eodem die XIII. satis longum elogium pertexitur, quod Papebrochius ad eumdem diem p.682. edidit: ex quo satis perspicitur, hunc non alium ab eo putandum esse, de quo Hieronymus & Sozomenus loquuntur. Et tamen quae mens ibi Papebrochio (309) fuerit, suum Triphyllium [de quo Graecorum officia] a Triphyllio Hieronymi & Sozomeni diversum censenti, eruditi lectores judicent.

XIII

(309) *Triphyllium, de quo Papebrochianum elogium loquitur, haud alium esse a Sozomeni & Hieronymi Triphyllio. Adhaec de diversis urbis Ledrorum nominibus accurate differitur: quodque* Leucothea & Leucosia *non re, sed tantum dialecto differant.*

Ac primum cur duo diversi sint, quum uterque in eadem insula Cypro episcopatum tenuerit, & quidem eodem plane tempore, imo & sub S. Spyridione, quocum uterque consertas res suas habuit, ac postremo uterque ab eloquentia celebretur? De eloquentia ejus Triphyllii, quem Hieronymus & Sozomenus memorant, non est dubium. At ne de Papebrochiano quidam Triphyllio est dubitandum, de cujus quotidianis concionibus [quae post eum ut quotidie quoque in posterum fierent, in mores inductum fuit] loquitur Elogium sect. 4. Sed & quod [sect. 2. versu sexto ante finem dicitur Spyridion suum discipulum Triphyllium non λόγων ἐφετικὴν [*eloquentiae facultatem*] docuisse, sed diviniorem philosophiam; id eo pertinet, quod narratur a Sozomeno Spyridion arguisse Triphyllium quod nimio elocutionis cultui addictus esset, & in citando Evangelii loco *Grabbati* vocabulo, tamquam minus eleganti, *Scimpodii* vocem substituisset. Grave igitur dictu est planeque incredibile, eodem in loco eodemque tempore duos cognomines episcopos floruisse, ambos vero eloquentia claros.

At scio quid Papebrochium permoverit, ut ex uno duos faceret. Nempe hoc unum objicit, quod Hieronymianus ille *Ledrorum* episcopus fuerit, hic vero alter *Leucosiae*. *Quid enim*, inquit, *Ledris cum Leucosia*? Atqui quid ni *Leucosia* nomen recens sit urbis, quae ex Ledrorum ruinis creverit? Hinc Notitiae Cypriorum episcopatuum apud Car. a S. Paulo de *Leucosia* tacent, cujus loco antiquius nomen *Ledra* recensent. At Hierocles utpote recentior Leucosiam pro *Ledris* affert. Tametsi ut fatear, quamvis *Leucosiae* nomen recens habeatur, tamen equidem peraeque antiquum esse contendo, idque satis colligi ex altero Ledrorum nomine, cujus Hieronymus *meminit*. Qui sic de Triphyllio in Catalogo loquitur: *Triphyllius Cypri Ledrensis, sive* LEVCOTHEON *episcopus, eloquentissimus suae aetatis, & sub rege Constantio celeberrimus fuit* &c. Porro heic pro *Leucotheon* Sophronius Λευκεώνος verterat; id quod secuti Erasmus & Marianus Hieronymum ex Sophronio refinxerunt: male, quia in omnibus Mss. *Leucotheon* constanter reperiri, testatur Marcianaeus.

At, inquis, istud ipsum Hieronymi *Leucotheon* haud parum a voce *Leucosia* distat. Respondeo nihil prorsus unum ab altero, nisi sola dialecto differre. Nam quia Aeolum lingua Σεὸς idem quod Θεὸς, ut antiqui testantur; hinc Λευκοθέα & Λευκοσία non nisi mera dialecto inter se distabant. Quo etiam pertinere *arbitror*, quod Λευκοσία [tum Siren, tum insula in ora Lucaniae] ab aliis non paucis Λευκοθέα vocata reperiatur; de quo nos alibi. Et tamen ea quasi diversa nomina hactenus eruditi viri habuerunt. Ergo aetate Hieronymi urbs Ledrorum ab aliis *Leucothea*, ab aliis *Leucosia* pro dialectorum varietate vocabatur. At in Hieronymi textu *Leucotheon* si rectum est [nisi scil. *Leucotheae* casu patrio scripsisse Hieronymum, aliquis maluerit] tum videtur hoc nomen plurative ab eo usurpatum (sicuti & apud Plinium V. 9. *Leucotheae* recensentur in Thebaide) ita ut Hieronymus Graeco casu delectatus, scripserit *Leucotheon*, quod Graecis litteris esset Λευκοθεῶν. Certe autem istud *Leucotheon* ex Hieronymi manu esse, Freculfus in Chronic. IV. 8. declarat, cui Triphyllius dicitur *Cipryledensis sive Leocotheon* (pro *Cypri, Ledren-*

Digitized by Google

XIII PS ACILINA

MOre Graeco a noſtris ſemigraecis Neapolitanis *Acilina* cum C ſcribitur, quia Graeci littera Q carentes Ακυλίναν ſcribunt pro *Aquilina*, ut & maſculinum Ακύλας pro *Aquila*. Recte autem Paſſionis nota (quae quidem eam hoc ipſo die decertaſſe ſignificat) heic adpingitur; nam hoc item die S. Virgo *conſummata* dicitur in Actis Graecis, quae cum Sirleti interpretatione dedit Henſchenius ad hunc diem pag. 673. in quorum fine num. 18. ſcribitur: Επληρώθη . . . μηνὶ Ιυνίῳ τρισκαιδεκάτῃ &c. *Conſummata eſt die XIII. Junii.* Idem confirmant & metricae Graecorum Ephemerides in hunc modum.

Τῇ δὶ τρίτῃ δεκάτῃ λαιμὸν τμήθη Ακυλίνα. *Eidibus ah! jugulum praebes, Aquilina, ſecandum.*

Bybli in Phoenice martyrium fecit ſub Diocletiano. Cujus hoc die ſollemne a Graecis fit officium, ejuſque omnes eorum libri liturgici (quos enumerat Henſchenius) meminerunt, ut & recentiora Latinorum Mrologia, & hodiernum Romanum.

DE ACTIS S. AQVILINAE.

DIATRIBA

CAP. I.

De hujus hiſtoriae auctore, aetate, & exiguo pretio, & quatenus vera e commentis in ea diſcerni poſſint.

Tillemontius in Diocletiani perſecutione Artic. 69. Aquilinam inter eos martyres ponit, quorum incertus ſit annus. Atqui in Actis, cujuſcumque ea pretii ſint, ejus martyrium anno VII. Diocletiani ponitur; quod ſequi interim poterat, donec certiora ſuppeterent. Verum is tam abjecte de his Actis ſentiebat, ut ne ea quidem temporis conſignatione tamquam tigillo uti ad fulciendam tantisper temporum ſeriem ſuſtinuerit. Quod factum minime oportuit. Quid ſi enim eam temporum notationem in antiquioribus Actis is, qui haec fabricavit, repererit? De quo infcrius ad Acta diſſeram.

Verum poſtquam ſummus is criticus Actis S. Aquilinae nigrum (310) theta

drenſis ſive Leucotheon) epiſcopus, haud dubie ex Hieronymo.

Fuit & tertium huic urbi nomen *Callinicum*, cujus vita S. Spyridionis meminit, dum Triphyllium Spyridionis diſcipulum *Callinicenſem* epiſcopum facit. In quo quidem vitae auctorem (quem Metaphraſtem putat) accuſat Tillemontius to. VII. in S. Spyridione, his verbis: *Je ne ſcai pas pourquoi ils le font eveque de Callinique.* Sed injuſta ea eſt expoſtulatio; nam Triphyllii elogium apud Papebroch. (die 13. Jun. pag. 683. ſect. 3. v. 4.) ſatis diſerte hoc ei olim fuiſſe nomen teſtatur his verbis: *Divino ſuffragio* (Triphyllius) urbis (τῆς Καλλινικησίων μὲν πρὶν, νῦν δὶ Λευκωσίας) *Callinicenſium prius dictae, nunc vero Leucoſiae paſtor creatur.*

Quartum nomen *Nicoſia*, quod hodie huic urbi tribuitur, in Sophiano reperitur, ſed quam dudum ante Sophianum, haud habeo dicere. Atque haec de diverſis urbis Ledrorum nomi-

nibus non ingrata veteris geographiae cupidis fore ratus, haud omittenda cenſui.

(310) Tillemontius in Perſecutione Dioclet. artic. 69. De Actis S. Aquilinae ſic loquitur: *Ses Actes, que nous avons dans Surius, ſont de Metaphraſte, inſoûtenables & ridicules.* Qui quidem aliquod ſaltem de iis Actis quamlibet ineptis & ἀνυσαίωις examen inſtituiſſet, niſi ea Metaphraſti (cujus immenſum quantum apud eum criticum vacillat fides) tributa apud Surium animadvertiſſet. Atqui Metaphraſtis non eſſe, ne ex ſtylo quidem deprehendere ei licuit, ut qui Latina tantum vidit. At certe longius Metaphraſtis dicendi genus, rotundum & eloquens, ab iſtorum Actorum barbarie, quam caelum a terra diſtat: aut ego fallor. Deinde a Metaphraſte hoc ſcriptum non prodiiſſe, Leo Allatius fidem faciet in De Symeonibus. Quo in opere tres vitarum indices pertexit, unum earum, quae vere a Symeone Metaphraſte prodierunt, alterum quae notum auctorem ha-

Digitized by Google

ta praefixit, nemo poſtea repertus eſt unus, qui eis quantulamcumque fidem adjungeret. Nec enim niſi Tillemontii judicium in cauſa fuit, cur Bollandiſta Henſchenius (jam enim dum alter Junii tomus Bollandiſtis procederet, coepere iis Tillemontiana in manus incidere & interdum laudari) ſiniſtre (311) de his Actis judicaverit, & Bailletus Aquilinam (quam ceteroqui ſciret Mrologio Romano, quod uti ducem ſequitur, inſeri) ex ſuis vitis penitus excluſerit.

Heic vero equidem laterem laverim, ſi quidem velim pro Actorum iſtorum aperte ineptiſſimorum auctoritate depugnare. Illud tamen contendo, inter ridiculas collocutiones & circumſtantias, plurimas tamen intermicare ſinceraе veritatis ſtricturas, ex prioribus Actis, quarum in interpolatis illuſtria adhuc veſtigia ſuperſunt, erumpentes.

Atq. ut ab auctoris indagatione exordiar; is mihi non alius videtur, quam monachus aliquis fuiſſe Graeci monaſterii Cryptae Ferratae prope Romam. Etenim ex eo Monaſterio Graeca S. Aquilinae Acta in Vaticanam Bibliothecam illata ex non obſcuris indiciis agnoſcit Henſchenius in Comm. praev. n. 1. Quum vero nuſquam alibi ea Acta reperta fuerint; prona eſt conjectura eo ipſo in Monaſterio ex antiquioribus ſinceris ibi repertis fuiſſe interpolata. Accedit & illud indicium, quod mihi quidem proxime a certo abeſſe videtur. Etenim ſi iſtorum Actorum interpolator in provinciis CPolitano Patriarchae ſubjectis ſcripſiſſet, profecto non ignoraſſet, Aquilinae Reliquias CPolim fuiſſe delatas & in ejus Eccleſia ἐν τοῖς φιλοξένου (*in aedibus Philoxeni*) condita venerationi fuiſſe. Tamen quum id ignoraverit, imo aperte dixerit Martyris ſacra pignora adhuc ſe ſcribente Bybli aſſervari, & eurationes invocantibus afferre; id argumento eſt, hujuſmodi Acta in Italia fuiſſe conſcripta (nec alibi certe quam in eo Cryptae Ferratae monaſterio unde prodierunt) & ex antiquioribus ſinceris adulterata, ita tamen ut multa veſtigia prioris hiſtoriae manſerint, inter quae numeranda eſt periocha illa quae ad finem legitur his verbis: *Chriſtiani qui aderant* (τὸ μὲν σῶμα ὑπὲρ λίθου σίμιον ἀνείλοντο λαθραίως, καὶ κηδεύσαντες ἐν μύροις σὺν ὀθονίοις καὶ σινδόσιν καιναῖς) *ejus Reliquias gemmis praeſtantiores ſuſtulerunt, et unguentis pretioſis conditas, noviſque linteis involutas, in monumento apud ipſam urbem Byblum ſepelierunt.* Mox: *Eſt autem ejus Martyrium in urbe Byblo* (ἄχρι τῆς δεῦρο) *uſque in HODIERNVM DIEM, ubi et curationes multae perficiuntur.* Quae non eſt dubitandum, quin totidem verbis ex prioribus Actis in haec a ſe reficta noſter interpolator infuderit.

Quandoquidem autem ſuperiora verba, omnino ex antiquioribus Actis tranſfuſa, recitavimus; ex iis aetas antiquioris ſcriptoris conjici poteſt. Non enim ante datam Eccleſiae pacem vixit: ante quod tempus Chriſtianis non licuit S. Aquilinae Reliquias ex agro Byblio in urbem transferre, & in ejus Martyrio condere. Nam quamdiu paganica ſuperſtitio ſub gentilibus principibus dominabatur, mortuum in urbe ſepelire leges non ſiviſſent. Nec igitur priora Acta proconſularia fuerant, a quorum ſtylo ea hiſtoria [quantum ex ſparſis laciniis judicare licet] aberat; nec ab aequali aliquo Chriſtiano ſcripta fuerant, ſed aliquamdiu poſtea ſub Chriſtianis principibus, ac facile IV. labente aut finiente ſaeculo, poſt-

bent a Metaphraſte diverſum (ab utroque vero hoc indice Martyrium S. Aquilinae abeſt) tertium vero earum, quas etſi male vulgo Metaphraſti tributas, ab eo tamen minime ſcriptas fuiſſe tum ſtyli diverſitas, tum alia argumenta declarent. In ultimum vero hunc indicem *Martyrium S. Aquilini* (cor. *Aquilinae*) refert pag. 123. cujus hoc initium recitat, Τῆς σωτῆρος ἡμῶν &c. idem plane atque illud quod apud Bollandiſtas p. 673. Graece & Latine editum fuit.

(311) De quibus num. 1. ſic praefatur ut parum magnifice de iis ſentiat; *Damus*, inquit, *Acta martyrii, qualia dare poſſumus*: ad finem autem Adnotationum clarius infidam eorum auctoritatem carpit.

Digitized by Google

poſtquam ſcil. Aquilinae corpus in urbem translatum fuit, Hoc ipſum etiam verba illa confirmant, *Vſque in hodiernum diem*. At vero eadem prior hiſtoria eò tempore longe antiquior erat, quo S. Aquilinae Reliquiae in urbem Regiam tranſmearunt. Atqui interpolator, qui translationis CPolitanae neſcius, illud *Vſque in hodiernum diem* adoptavit, in Italia, uti dixi, ſcripſiſſe arguitur.

Ergo novus auctor monachus Cryptae Ferratae aliquis fuit (quod praeter argumenta ſupra expoſita, etiam dictio ad [312] Latinam accedens demonſtrat) iſque novitius. Cui quum ſtylum exercere ſcriptione aliqua propoſitum fuiſſet; priora forſitan S. Aquilinae acta (tunc quidem in eo monaſterio aſſervata, deinde poſt navatam ab iſto interpolatore operam neglecta, ac tandem ſenio deperdita) in ſuae exercitationis argumentum arripuit: quae acta non tantum inſulſis allocutionibus, ac paſſim rhetoricis pro ſuo captu coloribus veſtivit, verum etiam commentitiis aliquot circumſtantiis opimiora effecit.

Hactenus de ſcriptore: venio ad aetatem, quae mihi quidem non alia videtur, quam ſacrarum in Loca Hieroſolymitana expeditionum tempus, h. e. ſaeculi XII. Id ex eo poteſt intelligi, quod Byblus, quae in omnibus veteribus juxta ac ſequioris aevi geographis ac notitiis in Phoenice recenſebatur, in his Actis in [313] Palaeſtina ponitur: quod non ante fieri coepiſſe arbitror, quam Latini quidquid in vicino ex Saracenorum ſervitute in ſuam poteſtatem redegiſſent, id omne ſub una Palaeſtinae nomenclatione comprehenderent. Nec ſtylus ab ea aetate abhorret. Quin & illud fieri poteſt, ut per eamdem bellorum ſacrorum occaſionem antiquiora S. Aquilinae Acta in Occidentem, & Cryptae Ferratae monaſterium delata fuerint, mox a novitio Graeculo corrumpenda.

Reſtat de hac hiſtoria judicium. Cujus quamlibet adulteratae, tamen fundus veriſſimus eſt, ſeq. inter putida ipſa commenta attendenti perſpiciendum praebet. Imo fidenter ajo, ubi a ridiculis ſermocinationibus [quae utramque paginam faciunt, & in quo potiſſimum ſtadio tiro iſte deſudavit] & a paucis quibuſdam ineptis circumſtantiis infra notandis diſceſſeris, cetera fore vera, & ex ſinceris illis brevioribus Actis huc derivata. Prae ceteris vera mihi videntur quae de anno Diocletianeae perſecutionis, quae de Voluſiano proconſule, quae de tormentis haud numero multis, deque martyrio ac ſepultura narrantur, & ea plane omnia quae in Menaeorum & Baſiliani Menologii elogiis memorantur. Quae quia Henſchenius, ſolis Actis contentus, praetermiſit; proderit ea huc totidem de Graeco verbis afferre, ut ex eo, qua eum Actis conſentiunt, intelligatur, ecquid ex iſta tanta longiorum Actorum farragine retineri tamquam bonae frugis poſſit, quid vero inter reicula amandari.

(312) Qua quidem parte haec hiſtoria ex prioris ſcripti verbis contexta fuit, ſimplicitate ſua, & antiquitatis odore ſe commendat. In ſuis autem compoſitor genus dicendi ſequitur, cujuſmodi aevo poſteriore a Graecis Italienſibus uſurpabatur, neſcio quid de Latiniſmo olens. In quo, ut alia taceam, nullum nexum Graecarum particularum cernas, ut ſcopas diſſolutas, ut ille ajebat, vocare poſſis. Itaque nuſquam hoc particulas illas μὲν & δὲ ſibi reſpondentes (quod quidem Graecis eſt perpetuum) deprehendas, niſi ſemel dumtaxat toto opere, nimirum initio ſect. 8. (γυναῖζουσαν μὲν .. ἐντρεπὴ δὲ) quod facile ex prioribus Actis manavit. Ceterum ſect. 15. v. 6. imperite poſt μὲν ſequitur καὶ τοῖς μὲν θεοῖς ἀσεβοῦσαν, καὶ τοῖς (pro τοῖς δὲ) βασιλεῦσιν ἀντιλέγουσαν. Nec alius paſſim uſus quam copulae καὶ. Non eo quidem inficias, quin ultimi temporis Graeci eo, quem dixi, uſu nexuum parum ſint delectati, ſed non uſque eo tamen ut eum penitus a ſcriptis ſuis amandarint.

(313) Sic enim ſectio 2. incipit: Ἐν Βίβλῳ (pro Βύβλῳ, quomodo aevo ſequiore paſſim ab omnibus ſcribebatur id nomen) δὲ πόλει τῆς Παλαιστίνης. *In Byblo urbe* Palaeſtinae. At ſcite in Baſilii Menologio ea urbs in Phoenice ponitur, ut infra animadvertes.

Digitized by Google

S. Aquilinae elogium ex Menaeis editis Latine translatum.

Haec fuit temporibus Diocletiani Imperatoris, & (314) Bibli praesidis Palaestinae, filia illustris cujusdam viri nomine (315) Atalmi: quae ab Athalio (316) Episcopo baptizata fuit. Porro quum annos quindecim (317) nata esset, aequales puellas quibuscum simul educabatur, ad Christi fidem manuducebat, & ab idolorum cultu revocabat. Quare a Nicodemo quodam apud Volusianum proconsulem accusatur, ante quem ut interrogaretur producta, Christi nomen confitetur. Quamobrem verberatur, ac ferreis subulis ignitis aures transfigitur, in tantum ut sanguis e naribus effluueret, & totum interne cerebrum efferveſceret. Deinde accepta capitali sententia, capite amputata migravit ad Dominum. Celebratur ejus conventus in sanctissimo ipsius (318) Martyrio, quod est in aedibus (319) Philoxeni.

Cum Menaeis per omnia Canisianum [320] Menologium consentit, nisi quod brevius est. Basilii vero Menologium ita cum utroque conspirat, ut tamen in pluribus sit accuratius, ac videatur ex melioribus hausisse fontibus: cujus proinde elogium, verbis totidem de Graeco redditum, piaculum fuerit omittere, quod ad ipsum tamquam ad lapidem Lydium pleraque in ceteris emendari forsitan debeant, hoc uno excepto, quod initio pro *Trajani* nomine sit *Diocletiani*, opinor, nomen substituendum.

Ex Menologio Basilii elogium.

Aquilina Christi martyr sub Trajani principatu fuit, domo Byblo

(314) Sic etiam in Canisiano Menologio, de quo vide in Adnot. 320. Vtrobique autem ἄρχων (*praeses*) Palaestinae Byblus ab ἀνθυπάτῳ (*proconsule*) Volusiano distinguitur. An unum Palaestinae praesidem, alterum Syriae proconsulem more priorum temporum intelligit? Fabulae.

(315) Is rectius *Eutolmius* (quod suam Graece significationem habet) in Basilii Menologio, & in Actis vocatur.

(316) Proxime a vera est scriptio Menologii Basilii, in quo vocatur *Eutalius*: nam rectissime in Actis is vocatur Εὐθάλιος, *Euthalius*; nec enim aliter Graece id scribi potest.

(317) Sic reddidi, quomodo etiam in Canisii Menologio Sirletus vertit, & quomodo heic Graece nunc legitur ac distinguitur. Ἐβαπτίσθη δὲ ὑπὸ Ἀθαλ. ἐπισκόπου. πενταετὴς δὲ καὶ δέκα γενομένη &c. Verum ex Basilii Menologio, aliter rectissime hos annos distinguente, sic est corrigendum ac distinguendum. ἐβαπτ. δὲ ὑπὸ Ἀθ. ἐπισκ. πενταετης. Καὶ δεκαετὴς γενομένη &c. *Baptizata est quinquennis: decennis autem facta.* Tamen Acta sexto mense lotam referunt.

(318) H. e. Ecclesia, in qua martyris Reliquiae sub Altari reconduntur.

(319) Graece ἐν τοῖς Φιλοξένου, h. e. in Philoxeni aedibus sive praedio. Id πλησίον τῆς φύρα *prope forum* fuisse & ἐν τῷ περιστυλίῳ, Synaxarium quoddam apud Henschenium, quem de his vide, testatur.

(320) In Sirletiano Canisii Menologio sic legitur. *Die XIII. Sanctae Martyris Aquilinae, quae sub Diocletiano Imp. & Bibli praeside Palaestinae XV. annos nata Christum praedicans, & aequales puellas ab idolorum errore ad Christianae fidei veritatem convertens, accusata est apud proconsulem Volusianum, & Christi nomen confessa, verberata est, quoad sanguis e naribus defluxerit; postremo sententia lata, gladio percussa est. Cujus natalis celebratur in sancto ejus martyrii templo.*

Digitized by Google

Byblo urbe (321) Phoenices, filia Eutolmii cujuſdam, viri illuſtris. Ea quinquennis ab (322) Eutalio epiſcopo eſt baptizata. Mox decennis coaetaneas puellas ab idolis abſtinere docens, ad Chriſti fidem manu ducebat. Ea de cauſa apud regionis praeſidem a quodam (323) Nicandro idololatra delata, comprehenſa fuit. Mox ut interrogaretur adducta, & coram omnibus Jesu Chriſti nomen confeſſa, vehementer caeſa fuit; deinde ferreis ſubulis candentibus ejus aures in tantum uſtulantur, ut & ex naribus ſanguis, & ex capite vapor prodiret. Sub haec accepta capitali ſententia, amputato capite, ad Dominum, quem concupiverat, demigravit.

Et haec ſunt quae ex Graecorum libris decerpere licuit: quae quidem sunt ejuſmodi, ut non modo nihil niſi veriſimillimum complectantur, verum etiam nihil niſi verum, ut equidem interpretor. Etenim quum diverſis locis (nam Caniſianum Menologium in Italia in Cryptae Ferratae Monaſterio contextum ſuſpicor, at Baſilii Menologium, uti & Veneta Menaea haud alibi quam CPoli) quum inquam diverſis locis atque temporibus compoſita haec ſyntagmata fuerint, & tamen heic in unum conſpirent, ecquid dubitamus ea omnia hiſtoriae Aquilinae capita pro veris habere? Sed & hoc ipſum, quod in propriis quibuſdã nominibus inter ea aliquid intereſt, argumento eſt, non unum elogium ex altero deſcriptum fuiſſe, ſed ſuos quemque fontes, nonnihil uti fit diverſos, ſectatum. Jam vero quum quae in his Graecis elogiis leguntur, eadem omnia etiam in his interpolatis Actis reperiantur; jam neminem futurum arbitror, qui de eorum ſaltem capitum veritate moturus ſit controverſiam.

Sunt autem & horum, quae vera diximus, in Actis longioribus plura alia ſimilia, quae item pro veriſimillimis adoptari poſſunt: quae ſuo ſe colore atque interdum loquela produnt, ſe ex antiquioribus Actis in ita reficta redundaſſe. At vero quae paſſim novus compoſitor de ſuo addidit, ea facillime internoſcuntur, ab iis certe quibus guſtus ad ejusmodi paullo acrior evaſit: quod & interdum in loco monebimus, ubi ad Acta ipſa ventum fuerit.

CAP. II.

De tempore Martyrii.

Baſilii menologium hujus certamen ἐπὶ τῶν Βασιλείας Τραϊανοῦ, *ſub Trajani imperio* conſignat. De Trajani Decii haud aegre id credi poſſet (etſi is pro aevi ſui more ſive ultimo tantum nomine *Decius* vocabatur, ſive conjunctis nominibus *Trajanus Decius*) at de Vlpii Trajani imperio vix eſt ut id intelligi queat. Sed magis eſt, ut tum Menaeorum & Caniſiani Menologii, tum iſtorum qualiumcumque Actorum auctoritati credamus, quorum utraque Aquilinam ſub Diocletiano depugnaſſe ſtatuunt.

Sed quoto Diocletiani anno id contigerit, id difficile dictu arbitror. Nec enim facile his Actis crediderim, in quibus anno ſeptimo Diocletiani id contigiſſe narratur ſect. 4. his verbis ἐπὶ τῆς Βασιλείας Διοκλητιανοῦ, ἔτους ἑβδόμου τῆς βασιλείας αὐτοῦ, *imperante Diocletiano, anno, ſeptimo principatus ejus*. Porro menſis Junius (quo Aquilina dimicavit) anni Diocletianei ſeptimi in annum 291. incurrit. Atqui per id tempus univerſae orientis Eccleſiae (non item Occidens, qui

(321) Rectiſſime urbem Phoenices vocat.
(322) Scribe Euchallio, ut in Actis.
(323) Hic in Menaeis & in Actis non Nicander, ſed Nicodemus vocatus.

Digitized by Google

qui interim per Maximianum vexabatur) mira prorsus pace fruebantur: quae pax usque ad annum 303. tenuit, quod quidem ex Eusebii narrationibus lib. VIII. cap. 1. & 4. luculenter perspicitur. Sicubi autem quae narrat Eusebius, locum habent, ea maxime in Phoenice vera esse debebunt, quae vicina ei scriptori erat. Quo vero pacto cum Eusebio componi possunt quae in his Actis sect. 6. leguntur, ubi leges imperiales per omnes urbes missae, quae ad sacrificandum compellerent, urgentur? Nec enim ante annum 303. edicta ejusmodi prodierunt, ut omnes norunt.

His de causis suspicor, in prioribus Actis, hoc martyrium consignatum fuisse septimo anno non *imperii*, sed (τῦ διωγμῦ) *persecutionis* Diocletiani [sicuti & Eusebius in *de Martyr. Palaestinae* pugilum certamina per annos Diocletianeae persecutionis distinguit] istum vero monachum, qui priora Acta adulteravit, quum ex prono quodam vulgi errore imbibisset, Diocletianum jam ab exordio sui principatus Christianos infectatum, ac proinde eidem totidem persecutionis, quot imperii annos decurrisse; hinc annum septimum τῦ διωγμῦ, *persecutionis* (quod in prioribus Actis videtur fuisse scriptum) in annum septimum βασιλείας *principatus* pervertisse. Annus autem persecutionis septimus fuit annus 309. quo tempore etsi jam se imperio Diocletianus abdicaverat; tamen mota semel sub ejus nomine persecutio, nomen idem postea Diocletianeae infectationis retinuit.

Jam vero quid illud sibi vult, quod ad finem Actorum *consummata* dicitur *B. Aquilina* (ἐν ὑπατείᾳ Διοκλητιανῦ) *Diocletiano consule*? Prorsus imperite, quum nec collegam, nec numerum gesti consulatus adscribat. Atqui ultimus Diocletiani consulatus in annum 304. inciderat, quo is consul IX. cum Maximiano consule VIII. processit. Anni autem 309. consulatus etsi sic efferri debeat, *Post consulatum Valerii Maximiani X. & Galerii Maximiani VII.* sive (uti brevius notari in fastis Latinorum solebat) *Post consulatum X. et VII*; tamen in Graecorum [324] fastis permagna est in eo consignando consulatu varietas. At quocumque modo hujus anni consules in prioribus Actis sinceris interpolator reperit; certe sive derosa ac fugientia nomina non quivit exsculpere, sive quidquid id fuit, pulchre se eum locum restituturum putavit, si ἐν ὑπατείᾳ Διοκλητιανῦ (*consulatu Diocletiani*) reponeret. Id certe fore omnimodis tutum speravit, quia pluries continua annorum serie Diocletiano consulares fasces praelatos, ex vulgaribus fastis forsitan animadverterat.

Hactenus de anno martyrii. Ceterum de die nihil laboris imminet; quippe non alium quam hodiernum diem ei triumphalem fuisse, omnes Graecorum libri fidem faciunt, ut in vestibulo diei hujus notavimus: quibus libris nostrum hoc marmor haud paullo antiquius concinit, in quo hoc die P. h. e. *Passionis* nota scalpitur. Idem diserte & ad Actorum calcem diserte scribitur, quorum verba initio hujus diei adscripsimus. Nec est dubitandum, quin ea diei designatio tota ex prioribus Actis in haec quae nunc exstant, transfusa fuerit.

CAP. III.

De Volusiano Aquilinae judice.

Judex ille ad cujus tribunal S. Aquilina stetit, tum in Actis, tum in liturgicis Graecorum libris Volusianus consensu summo vocatur. Nec minus summa consensione ἀνθύπατος i. e. *proconsul* idem inscribitur. De homine prius, tum de dignitate viderimus.

Quarto ineunte saeculo haud facile alios Volusianos gestis honoribus inclaruisse reperio, quam eodem tempore *Rufios Volusianos* duos: quorum alter anno 314. consul cum Anniano processit, isque

[324] Nam in Fastis Florentinis minoribus sive Medicaeis apud Petrum Relandum *Aninios* &c. *Licinius Aug.* [ω A] I & *Constantius* I. notantur. In chronico Alexandrino longe aliter. Sed nolo his immorari.

Digitized by Google

isque nominibus quatuor C. *Cejonius Rufius Volusianus* vocabatur: alter praefectus urbi annis tribus, sed non solidis, nempe a Decembri anni 313. usque ad Augustum anni 315. fuit, ut ex praefectorum libello constat. Atque hos quidem duos Gothofredus in Prosopographia Cod. Th. in unum, sed parum forsitan accurate, conflavit, ut in sequenti capite demonstrabitur. Ex his duobus non is qui consul anno 314. cum Anniano fuit, sed alter potius, qui ab anno 313. urbanam praefecturam administravit, ille mihi videtur fuisse, qui anno 309. sive totius Syriae proconsul exsistens, sive peculiaris rector Syriae Phoenices, S. Aquilinam capite damnavit: nisi vero quivis alius ex eadem familia is fuerit incompertus nobis. Cur Consulem excludam & in alterum sim inclinatior, causa a me cap. seq. §. 2. aperietur.

Habes de persona: sequitur ut de ejusdem proconsulari dignitate, quam ei tum omnes Graecorum libri liturgici, tum etiam passim Acta tribuunt, videamus. Et certe hi omnes libri ἀνθύπατον (*proconsulem*) eum faciunt: verum eccujus provinciae, non edisserunt. Sane si anno 309. adhuc more antiquo Phoenice administrabatur; ea pars una Syriae erat (unde & *Syria Phoenice* junctis nominibus dici solebat) qua de causa Syriae proconsuli suberat. Proinde Volusianum Syriae proconsulem fuisse dicemus.

Quamquam sub secutis imperatoribus video Phoenicem peculiari rectori paruisse, qui *Consularis Phoenices* vocabatur. Eam certe post medium IV. saeculum dispositionem hujus provinciae fuisse, ex diversis Cod. Theodosiani (325) legibus constat. An igitur eadem dispositio jam tum ab ineunte quarto saeculo, quando S. Aquilina de capite dimicavit, inceperat? Id quidem verisimile faciunt ea Actorum verba sect. 4. v. 2. Ἔλαβεν τὸ Οὐολοσιανὸς ... τὴν τῆς ὑπατείας ἀρχήν. Quod totidem verbis fonat, *Accepit quidam Volusianus ... consularitatis magistratum*. Nam idcirco ὑπατείαν [*consularitatem*] vocant, quod qui ea dignitate fungerentur, ὑπατικοὶ h. e. *consulares* provinciae Phoenices dicerentur.

Nec refert quod non tantum in Graecorum officiis, sed & in eisdem Actis idem judex ἀνθύπατος (*proconsul*) vocatur; nam pluribus exemplis hoc saepe ostendi, qui *consulares* vocabantur, eosdem etiam *proconsules* dici, & contra. Vide ad Acta S. Patricii, & alibi. Verum id, utrum Volusianus peculiaris rector Phoenices, an communis totius Syriae (sub qua antiquitus Phoenice) fuerit, in medio relinquimus.

CAP. IV.

EXCVRSVS

De Cejoniis Rufiis Volusianis, qui toto IV. saeculo inclaruerunt: deque eo Volusiano, qui de S. Aquilina judicavit, divinatio.

De his Cejoniis Volusianis de quibus praeter Capitolinum [cujus locus ad calcem hujus *Excursus* adscribetur; ex quo mira familiae claritudo satis demonstratur] plurimi exstant scripti lapides, plurimae Codicis Th. leges, tacentibus interim ferme scriptoribus, densae nimiū circumstant tenebrae: ex qua caligine siquid tamen in lucem quamvis creperam expromere tentando liceat, experiri libet. Quas dixi inscriptiones, eae partim apud Contelorium (in *de praef. urb.* ad an. 313.) exstant, partim apud Gruterum (pag. 28. n. 5. 6. & pag. 288. 6. 8. & 387. 3. 5. & alibi passim) quibus addere possumus Sponianas duas (pag. 99. & 276.) Panvinianam unam, quam aliter ex Mabillonii Analectis dedit Pagius ad ann. 314. Has excutere ac suis quamque temporibus ac viris (qua quidem fieri potest) assignare necessarium arbitror. Ceteroqui quantopere ea

[325] Tres omnino *Consulares Phoenices* in Cod. Theodosiano comparent, *Julianus* anno 362. *Leontius* anno 372. & *Petrus* anno 380. Eorum alius Tyri, alius Beryti, alius Damasci substitisse in eodem Cod. legitur. Vide Gothofredi indices Cod. Th. Nec quidquam credo impediebat, quo minus Bybli aut ubivis pro sua voluntate idem consisteret.

Digitized by Google

ea familia tertio quartoque saeculo, praesertim sub Constantino, eminuerit, ex Capitolini loco ad calcem hujus excursus depromendo intelligetur.

Totam autem hanc commentationem EXCVRSVM vocavimus; quo intelligatur, id universum (ceteroqui satis confragosum & spinis obsitum, nec omnino lectu jucundum) impune praeteriri a festinantibus posse. Praedixi jam: nequis mihi deinde de morosa diligentia controversiam moveat. Qui sapit igitur, securus excursum istum (forsitan uni alterive profuturum) praetervehatur, moneo.

§. 1. *An Rufius Volusianus, qui praefectus urbi anno 313. & duobus sequentibus fuit, idem sit ac consul anni 314.*

Ex duobus unum fecit Jac. Gothofredus in sua Prosopographia; cui postmodum & ceteri adhaeserunt. Verum ut omittam, quod inusitatum est, eodem anno 314. in unum eumdemque simul & consulares fasces & urbanam praefecturam collatam fuisse; etiam Anonymi de praefectis urbis verba duos plane diversos Volusianos inferunt. Ea verba ex to. XI. Thes. Graev. ubi ille libellus exstat [quae verba in Panvinio paullo uberiora sunt, sed eodem redeunt] sic habent. *Constantino III. & Licinio III.* [supple *consulibus*: qui est annus Christi 313.] *VI. Idus Decembris Rufius Volusianus P. V.* [h.e. praefectus urbi]. *Volusiano & Anniano* [consulibus anni 314.] *Rufius Volusianus P. V.* [i. e. praef. urbi] *Constantino IIII. & Licinio IIII.* [consulibus anni 315.] *XIII. Kal. Septembris Vettius Rufinus P. V.* Ex quibus intelligitur a Decembri anni 313. ad Augustum anni 315. hunc Rufium Volusianum urbanam praefecturam administrasse, proinde Volusianum, Anniani in consulatu anni 314. collegam, diversum a Rufio Volusiano temporis ejusdem praefecto habendum esse.

Dixerit heic aliquis, fieri potuisse, ut (quia sub Caesaribus consulatus brevis erat) unus idemque Volusianus intermissa paullisper anni superioris praefectura, consul Kal. Januariis prodierit, ac postmodum depositis fascibus ad praefecturam redierit. Accedit, quod in (326) inscriptionibus is qui consul fuit, etiam *praefectus urbi* inscribatur; et quod simile ac prorsus germanum sit Rufii Albini ex eadem familia exemplum: qui uno eodemque anno 335. simul consul & praefectus urbi fuit.

Verum ex his primum gratis sumitur, & exemplo certo eget. Alterum autem facile diluitur, quia qui consul anno 314. fuit, non quidem eodem tempore, sed ante quadriennium praefectus urbi fuerat, nim. anno 310. uti constat ex *Anonymo* [327] de praef. urbi. At tertium longiore responsione indiget, quam alibi (vide infra in Adnot. 333.) exponimus.

Et hactenus quidem diversos duos Rufios Volusianos distinximus, consularem & praefectorium unum, praefectorium dumtaxat alterum. Verum de hoc altero desunt forsitan scripti antiquitus lapides, qui ceteros ejus honores eloquantur: at de priore duas tresve inscriptiones proferemus, in quibus ceterae ejus dignitates percensentur. Harum unam capite detruncatam tum Contelorius attulit, tum & Gruterus pag. 387. 5. quae talis est ... *.. religiosissimoque C. Cejonio Rufio Volusiano V. C. CORR. ITALIAE per annos octo proconsuli Africae Comiti Domini nostri Constantini invicti & perpetui semper Augusti praefecto urbi judici sacrarum cognitionum consuli.* Ex qua tum integra nomina *C. Cejonii Rufii Volusiani* discimus; tum & honores ab eo gestos. Inter ejus honores, dum *Correctorem Italiae per annos octo* audis, cave putes, totam simul Italiam uni Volusiano paruisse, sed eum modo hanc, modo illam provinciam sub Cor-

[326] Saltem in Gruteriana [pag. 387. 5] de eo scribitur: C. CEIONIO RVFIO VOLVSIANO ... PRAEFECTO VRBI ... CONSVLI. Integram mox statim subjiciam.

[327] Libellus praefectorum urbis ad eum annum, qui est Christi 310. sic habet: *Maximo III. Consule V. Kal. Novembris Rufius Volusianus P. V.* h. e. praefectus urbi.

Digitized by Google

Correctoris titulo administrasse. Quocirca ad hunc referenda est Neapolitana inscriptio, quam Capacius I. hist. Neap. 9. affert his verbis:

RVFIO VOLVSIANO
V. C.
CORRECTORI CAMPANIAE

Nam ex aliis lapidibus didici, qui antea *consulares Campaniae* inscribebantur, eos sub Constantino (sub quo hunc Volusianum floruisse, ex superiore ἀκριφάλῳ Gruteriano elogio didicimus) *Correctores* fuisse appellatos.

Jam vero quod in eodem Gruteriano epigrammate legitur PRAEFECTO VRBI, id anno 310. contigit, quo anno (ut ante diximus) Anonymi libellus de praefectis sic adnotat: *Maxentio III. consule V. Kal. Novembris Rufius Volusianus P. V.* Ex duobus ergo Volusianis, quos initio hujus §. distinximus, unus ab anno 313. ad 315. praefectus urbi fuit; hic vero alter [qui consul ann. 314. fuit] anno 310. eamdem praefecturam gesserat. Nam si utriusque temporis praefectura in unum eumdemque collata fuisset, additum in superiore Gruteriano epigrammate [ubi praefecturae fit mentio] fuisset ITERVM: quod etiam argumento est, duos eodem tempore Volusianos esse invehendos unum consulem & praefectum, alterum dumtaxat praefectum.

Habes de consule inscriptiones duas: jam tertia longe celeberrima est addenda, quae primario ad hujus Volusiani filium pertinet. Ea vero non uno modo recitatur; nam aliter eam Gruterus 387. 3. ex Mazochio tamquam Romae [328] exstantem exhibet, aliter Panvinius [ad consules anni 1087.] aliter Mabillonius [qui alicubi manu exaratam reperit] in suis Analectis. Proxime ad Mabillonianum exemplum accedit Schelstratius in Fastis, quos to. I. inseruit. Ex Schelstratio igitur (quem interim sequar: qui eam in Capitolio olim stetisse refert) ea inscriptio ejusmodi est. CEIONIVM RVFIVM ALBINVM. V. C. COS. [329] PHILOSOPHVM RVFI VOLVSIANI BIS ORDINARII CONS. FILIVM SENATVS EX CONSVLTO SVO QVOD EIVS LIBERIS POST CAESARIANA TEMPORA [330] ID EST POST ANNOS CCC LXXX ET I AVCTORITATEM DECREVIT. FL. M. IANVARIVS V. C. CVR. STATVARVM.

In iis verbis, *Volusiani bis ordinarii cons. filium*, illud BIS ab Onuphrio abest: contra quem eo nomine declamat Pagius ad ann. 314. tamquam interpolatae inscriptionis reum. Verum immunis ab eo flagitio erat Panvinius, quippe & Gruterus [quamvis non ex Panvinio, sed ex Mazochio referens, & alicubi a Panvinio discrepans] sic recitat: *Volusiani IVD. Ordinarii cons. filium*. Quamquam ceteroqui illud BIS retinendum pluribus de causis reor. Primum quod revera Volusianus bis consul fuit, semel anno 311. [de quo consulatu, quem olim non obscure indicaverat Idacius, videatur Pagius ad ann. 311. & copiosius ad 314.] iterum anno 314. Deinde quod illud IVD. [quod pro CONS. ab Onuphrio & Grutero obtruditur] importunum est; quia si epigrammatis auctori omnes Volusiani hujus honores recensere propositum fuisset, nae is de praefectura & ceteris in prima inscriptione numeratis, iisque munere judicis potioribus, minime silusisset. Nunc recte brevitatis studio instar omnium fuit *bis ordinarium consulem* dicere. Verum ex eo maximum ea nobis inscriptio commodum apportat, quod de hujus Volusiani filio *Albino philosopho*

[328] Romae ad Septem Lucernas tunc fuisse dicit.

[329] Inter V. C. & PHILOSOPHVM nec Panvinius nec ex Mazochio Gruterus agnoscunt istud COS. quod tamen reperitur in Mabilloniano exemplo. Nisi quod in Mabillonio non COS. sed CONS. scribitur; recte quia hoc posteriore modo id nomen aevo sequiore breviabatur.

[330] Vnde haec Caesariana tempora decurrere incipiant, praeter alios, vide Schelstratium loco cit. & Pagium ad ann. 314.

Digitized by Google

certiores efficimur: de quo dicam §. 3.

§. 2. *Vter horum Volusianorum praefectus praetorio fuerit, & S. Aquilinam martyrio affecerit.*

Ex Codicis Theod. legibus constat, sub initia Constantini Volusianum quemdam praeter urbanam praefecturam, etiam praefectum praetorio Romae fuisse. Gothofredus, qui unum dumtaxat sub Constantino Volusianum agnovit, in eum qui anno 314. consul fuit, etiam utramque praefecturam contulit. At nos Volusiani consulis inscriptiones duas §. superiore recitavimus, in quibus ei consulatus et urbana praefectura asseritur, de praetoriana tacetur. Quo fit, praetoriana-

nam ejus temporis praefecturam in alterum Volusianum S. Aquilinae judicem esse conferendam; qui proinde utraque praefectura illustris me judice fiet, prius quidem praetoriana (quam sub Maxentio & sub Constantino gessit) postea urbana, ab anno scil. 313. ad 315. De quo confer dicta §. superiore, ubi accurate Volusianum consulem a Volusiano praefecto urbis ab anno 313. distinximus; quem alterum etiam praetorio nunc praeficimus. Meminere praefecturae praetorianae Volusiani praeter Theod. Codicem etiam Victor ac Zosimus, quorum loca (331) subjecimus. Meminere & inscriptiones (332) duae si modo ad hunc ipsum aevi

Con-

(331) Victor cap. 40. *Denique eum* (Alexandrum Phrygem) *a tyranno* (Maxentio) *missi* (cum) *paucissimis cohortibus Rufus* (cognomine Rufius) *Volusianus praefectus praetorio, ac militares duces levi certamine confecere.* In Africa id bellum gestum fuit; quod & Zosimus lib. 2. paullo accuratius describit. *Maxentius res Africanas prius constituendas duxit. Itaque contractis copiis* (ἠγεμόνα τε αὐτοῦ ἐπιστήσας Ῥάφιον βουλευτικὸν ὃν τῆς αὐλῆς ὕπαρχον) *eisque dato duce Rufio Volusiano praefecto praetorio, in Africam illas transmittit.* Et quae plura ibidem sequuntur. Porro Volusianum hunc non tantum sub Maxentio, sed & sub Constantini initia eamdem praefecturam gessisse (quousque certe exeunte anno 313. urbi praeficeretur) ex Cod. Theod. intelligitur.

(332) *De inscriptionibus duabus, eccujus temporis sint, ac de quonam Volusiano sint accipiendae, conjectiones. His aliae duae adnectuntur, & illustriores fiunt.*

Ex iis duobus elogiis prius illud est, quod mutilum a Contelorio affertur inde praef. urb. ad ann. 313. hunc in modum.

FLORES. (imo potius FLOREN.)
ET. PIISS. . . . . .
D. N. VALE . . . . . .
MAXIM . . . . . .
SEMPER . . . . . .
C. CEIONIVS. (Rufius Volusianus)
V. C. PRAEF . . . . . .
PRAEF. VRB . . . . . .
IVDIC. D. N. . . . . .

Qui Cejonius quia haud dubie utraque praefectura defunctus fuit; ille ipse forsitan habendus est, qui anno 313. urbi praefectus fuit, quum antea praetorio praefuisset; si quidem hoc marmor Constantino positum fuit. Sic enim suppleri potest: FLORENtissimo ET PIISSimo (*Piissimi* praenomen in pluribus Gruterianis Constantino praeponitur) D. N. FL. VAL. Constantino MAXIMo Vict. SEMPER Aug. (vide Grut. 283. 4. & alibi) C. CEIONIVS. Rufius Volusianus V. C. PRAEF. Praetor. PRAEF. VRBI. vice sacra IVDICans D. N.

At postea animadverti, etiam a Grutero pag. 280. 1. id afferri, ac referri ad VALEntinianum. Quod non probo; quia in nulla, quod sciam, Valentiniani epigraphe *Maximi* epitheton subjicitur. Accedit, quod inscriptio in ejusdem basis latere apud Gruterum scalpra ad Diocletiani & Maximiani tempora pertinet, a quibus temporibus Valentinianus quam longissime abfuit.

Quod si demus mutilum id epigramma ad citeriora tempora pertinere; magis tamen est, ut VALEnti (cui semel apud Gruterum 286. 2. *Maximi* titulus tribuitur; etsi praeponitur, non, ut hoc, postponitur, & cum *Principi* jungitur: *MAXIMO*, inquit, *Principi* &c.) quam VALEntiniano tribuatur. Quod si admittatur: tum alter is erit a Volusiano, qui sub Diocletiano S. Aquilinam martyrio affecit; ac forsitan haud alius habendus erit ab eo Volusiano, de quo quatuor exstant apud Contelorium inscriptiones sub Valentiniano & Valente, quas Adnot. 337. recitabimus. Vide quae ibi dicimus.

Alterum apud Gruterum pag. 28. n. 5. his verbis concipitur.

CE-

Digitized by Google

Constantiniani Volusianum, S. Aquilinae interfectorem, sint referendae: quod

CEIONIVS. RVFIVS. VOLVSI
ANVS. V. C. ET. INLVSTRIS
EX VICARIO ASIE ET CEIO
NI RVFI VOLVSIANI. V. C.
ET. INLVSTRIS EX PREFECTo prae
TORIO. ET EX PREFECTO VRbis
ET CECINE LOLIANE FEMINe clariſſ.
DEAE ISIDIS SACERDOTIS FIlius
ITERATO VIGINTI ANNIS EX Percep
TIS TAVROBOLIIS. VI ARAM CONSTITVit
ET CONSECRAVIT X KAL IVN D N. VAlen
TINIANO AVG. ET NEOTERIO Conss

Is est annus Christi 390. quo Valentinianus Aug. IV. & Neoterius consules processerunt. Jam scire interest, ecquis ille sit Cejonius Rufius Volusianus, utraque praefectura illustris, qui Cecinam Lolianam in matrimonio habuerit, atque Cejonium Rufium Volusianum arae hujus consecratorem ex ea susceperit. Sane quum nemo alius ex Volusianis utraque praefectura clarus adhuc innotuerit praeter eum, quem toties nominavimus, S. Aquilinae judicem; libenter eum heic intelligi dicerem, nisi nimium quantum tempora patris [si quidem sit ille qui sub Constantino claruit] filiique [qui ad annum 390. pervenit] dissiderent.

Quamquam ne istud quidem incredibile est. Nam quantum animadvertere potui, sacerdotia viris ultimae aetatis deferebantur. Itaque si anno 370. [a quo anno illi VIGINTI tauroboliorum ANNI in inscriptione notati decurrunt] Volusianus filius sexagenarius aut minimum quinquagenarius exstitisset; jam ejus nativitas in annum 310. aut summum 320. incidisset, dum Volusianus pater [si sit ille S. Aquilinae judex] adhuc aetate floreret. Nec refert quod hic idem ab anno 313. praefectus urbi fuit, h. e. aetate ad honores gerendos idonea ac provectiore: nam illo tempore quantopere honores maturarentur, ex Rutilio Numatiano lib. I. Itinerarii v. 172. possumus intelligere, ubi de uno familiae hujus, nim. Rufio Venerio Volusiano sic canit. *Primaevus* [h. e. primo aevo, aut flore juventae] *meruit principis ore loqui* [i. e. quaestor esse]. *Rexerat ante puer* [h. e. adolescens, uti quidem interpretantur] *populos proconsule Poenos, Aequalis Tyriis terror amorque fuit.*

Et haec quidem eo pertinent, quod non sit incredibile, Volusiano illi tauroboliato & pontifici [de quo mox duas alias epigraphas proferam] patrem exstitisse Volusianum S. Aquilinae judicem, quem unum utraque praefectura sunctum novimus. Sed tamen multo ad fidem pronius est, medio inter utrumque Volusianum tempore exstitisse alium *Cejonium Rufium Volusianum* [forsitan ejus qui de S. Aquilina sententiam tulit, filium] qui haud secus, ac S. Aquilinae judex, utraque praefectura clarus, de Caecina Lolliana Volusianum tauroboliatum susceperit: ad quem etiam mutilum elogium, quod initio hujus Adnotationis produximus, referre licebit, si quidem ad Valentis tempora pertineat.

praestare minime possum.

Supereſt ut accuratius, quam superiore cap.

De Volusiano vero filio, a quo tauroboli percepta in proximo epigrammate vidimus, duae sunt aliae inscriptiones. Quarum prior apud Gruterum exstat pag. 28. num. 6. *Gratiano IV. & Merobaude* consulibus h. e. anno 377. posita; eaque ex pluribus versiculis non uno loco corruptis componitur: quorum versiculorum primus talis est, *Nobilis in causas fama celsusque Sabinus.* Deinde ex sequentibus, eum variorum sacrorum antistitem ac Mithrae in primis fuisse, satis intelligitur. Ejus autem integra nomenclatura medio in marmore sic exprimitur, RVF CAIONI CAESABINI. Quumque id epigramma vetustate passim abolitum, satis appareat; hinc ea nomina sic mihi primitus scripta a lapicida videntur: RVFi CEIONI C. F. [h. e. *Caii filii*] SABINI.

Alterum ex Sponio pag. 99. tale est: M. D. M. I. [h. e. *Magnae Deum matri Idaeae*] ET ATTINI SACR * FLAVIVS RVFIVS SABINVS VOLV*SIANVS VIR CLARISSIMVS ET INLVS*TRISS. PONTIF. MINOR VICARIVS ASI. * ET CAECINA LOLLIANA CLARISS. ET * INLVSTRIſſ. FEM. STAT. EX AERE * S. P. DEDICARVNT. Hunc autem *Flavium Rufium Sabinum Volusianum* tum ex vicariatu Asiae, tum ex aliis honorificis titulis, & quod utrobique mentio Caecinae Lolliae fiat, plane non alium esse cognoscimus ab illo *Cejonio Rufio Volusiano*, a quo in superiore [ex Grutero pag. 28.] elogio plura taurobolia percepta didicimus. Nec tediversa quaedam *Flavii* & *Sabini* nomina turbent. Nam quantum potui animadvertere, hisce temporibus sex, octo aut etiam plura simul nomina [a suis majoribus pleraque derivata] uni tribuebantur, raro autem simul omnia adscribebantur, sed modo plura, modo pauciora. Hinc illa oritur in uno eodemque nominum variatio: cujus generis & alia exempla infra a me proponentur.

Digitized by Google

cap. fecimus, expendamus, consul ne Volusianus, an alter praetorio & urbi praefectus, S. Aquilinam de medio fustulerit. Non consul is fuit; cujus quum plures inscriptiones circumferantur, in nulla tamen earum de Syriae, aut Phoenices proconsulatu fit mentio. Ergo restat ut ille alter sit intelligendus, qui per eadem tempora utraque praefectura illustris fuit. Cujus quum nulla hodie epigraphe integra exsistat (praeter duas quas Adnot. 332. ad eum referri posse augurabar; quarum altera mutila est, utraque vero cui tribuenda, incertum) haud mirum si nihil de ejus proconsulatu Syriae scriptum reperiatur.

Atque is mihi hoc ordine honores gessisse videtur suos. Anno uti vidimus 309. Syriae proconsul de S. Aquilina supplicium sumpsit. Anno 310. aut 311. praefectus praetorio fuit (ut et ex Victoris & Zosimi locis constat, & ex eo quod in duabus, quas Adnot. 332. attulimus, inscriptionibus, praetoriana praefectura urbanae antecedit) postremo ab exeunte anno 313. ad Augustum anni 315. urbanam praefecturam gessit. Post quod tempus vice sacra judicasse videtur, ut in mutilo epigrammate Adnot. 332. indicatur.

§. 3. *Volusiani consulis posteritas.*

Et hactenus consulem *Cajum Cejonium Rufium Volusianum* ab urbis & praetorii praefecto Cejonio Rufio Volusiano, Aquilinae judice distinximus (quos quidem, utpote aequales, facile fratres fuisse, aut quo alio proximae agnationis gradu se contigisse, conjicimus) huic vero alteri posteros ex mera conjectura assignavimus. Sequitur ut consulis descendentium stemma, qua possumus, constituamus.

Non est autem dubium, quin Volusiano consuli anni 314. quidam *Cejonius Rufius Albinus philosophus* [qui & ipse anno 335. consul fuit] filius exstiterit; quod ex eo epigrammate constat, quod §. 1. ex Schelstratio & aliis descripsimus: cujus quidem initium tale est: *CEIONIVM RVFIVM ALBINVM V.C. CONS. PHILOSOPHVM Rufi Volusiani bis ordinarii consulis filium*. Quod Albinus iste anno 335. consul cum Jul. Constantio fuerit, ex omnibus fastis constat: nisi quod in libello praefectorum urbis pro *Albino* legitur *Paulino*. Quod errori ne an consilio sit imputandum, non hujus loci [333] est atque temporis, decernere.

Huic

(333) *Locus libelli praefectorum urb. illustratur. Errore ne an consilio ibi ad ann. 335. Paulinus consul pro* Albino *legatur. Ecquodnam id consilium esse quiverit.*

Veteris libelli praefectorum urbis is locus, qui ad annum V.C. 1087. Christi 335. pertinet, sic a Panvinio recitatur: *Constantio & Albino coss. III. Kal. Januarii Rufius Albinus PR. urbis fuit.* Sed suspicor ibi posterioris consulis nomen ab Onuphrio refictum prodiisse. Nam quia vir doctus ex omnibus fastis didicerat, eo anno non Paulino, sed Albino consulares fasces fuisse praelatos; hinc *Paulino* [quem errore intrusum crederet] *Albinum* substituit, nec interim de ea correctione lectorem admonuit; sic enim interdum ab eo fieri, vetus est querimonia.

Ceterum in ejus libelli editione, quam Graevius to. XI. Thes. dedit, ea verba sic recitantur: *Constantio & Paulino* [consulibus] *III. Kal. Januarii Rufius Albinus P.V.* Qui *Paulinus* consul utrum errore librarii pro *Albino* irrepserit, an consilio adscriptus fuerit, haud facile decreverim. Sed tamen error si fuit, ac pro *Paulino* legendum cum Onuphrio sit *Albino*; tum profecto dicemus, Albinum hunc consulem diversum ab Albino ejusdem anni praefecto fuisse, ac praefectum consulis sive filium, sive fratrem natu minorem, sive quidvis aliud esse habendum. Plures enim Rufios Albinos ea aetas protulit. Sic etiam in eodem libello anno 314. Volusiano consule Rufius Volusianus [a consule diversus] praefectus urbi fuit, uti §. 1. declaravimus.

Quod si consulto ab auctore libelli scriptum sit *Paulino*; tum consilium in mutando ejus anni collega tale quoddam esse potuit. Sciebat libelli auctor, eo anno in unum eumdemque Rufium Albinum duos honores fuisse collatos, consulatum & urbanam praefecturam; non simul tamen ac semel, sed sejunctis temporibus, ita ut post depositos fasces, atque ei sufficto in consulatu Paulino, eopte anno exeunte idem Albinus praefecturam arripuerit. Hinc ne in suo libello hoc ἀτοπον appareret, nempe Albinum

Huic autem Albino consuli ac philosopho duos fuisse cognomines filios ex Cod. Theodosiano intelligi videtur. Gothofredus certe in Prosopographia ab superiore Albino, qui anno 335. consul fuit, distinguit Cejonium Rufium Albinum, qui anno 345 cum Amantio consul prodiit, qui idem anno 341. Vicarius Hispaniarum ex Cod. Theod. fuerat. Atque ad hunc demum meo judicio quaedam [334] inscriptio temporum Valentiniani ac Valentis referri debet. Hunc autem non absurde superioris filium, fuisse dicemus; sicuti & eum qui sequitur.

Nam ex ead. prosopographia sub Valentiniano minore & Theodosio Magno alter Albinus [cui verisimile est eadem cum superioribus haesisse *Cejonii Rufii* Volusiani nomina] praefectus urbi Romae fuit anno 389. & 390. Ad eum conjecit Gothofredus missam esse Symmachi epistolam VIII. 25. Ad eumdem forsitan referenda est Gruteriana [335] pag. 285. 8. tum forsitan & aliae.

Postremo hic ultimus anni 390. praefectus mihi videtur ille Albinus fuisse, qui Rufum Venerium Volusianum filium habuit, quem tantopere in suo itinerario [336] laudat Rutilius Numatianus, qui item Volusianus post initia V. saeculi prae-

binum Albino [h. e. seipso] consule fuisse praefectum; maluit *Paulino* scribere. Quem re vera extremo anno suffectum Albino in consulatu fuisse nesciremus, nisi id ex hoc ipso libello deprehenderemus. Atque hactenus dicta iis, quae §. 1. de Rufio Volusiano praefecto anni 314. distinguendo ab Rufio Volusiano ejusd. anni consule disputavimus, lucem affundent.

[334] Ad hunc enim [utpote simul virum consularem & praefectorium] referendam puto Sponianam [pag. 276.] quam & ante Reinesius II. 16. produxerat: quae hunc in modum habet. *D. D. N. N. Valentinianus & Valens Augusti ornatui publico constitui locarique jusserunt administrante Rufio Volusiano V. C.* [h. e. viro clarissimo] *exprael.* PRaetorio *praef. urbi IVD. ITERVM ..... COS.* Nec te turbet, quod Reinesius versum ultimum sic emendaverit, ac suppleverit, IVD. SACRARVM COGNitionum; nam Sponio, qui ipse ex marmore exscripsit in eum modum, quique illud COS. [sive forsitan CONS. uti tunc usitatius scribebatur] in marmore vidit, magis est credendum. Qui olim *consul* atque *urbi praefectus*, ac postmodum Valentiniani I. aequalis, haud profecto alius fuisse videtur ab eo *Rufio Albino* [qui certe ex Volusianorum familia prodiit] qui anno 345. consul cum Amantio fuit. Nam quod a recitata inscriptione *Albini* cognomen abest, id nihil est: de quo more vide dicta ad finem Adnotationis 332. & infra alibi.

Qua observatione adhibita, ad hunc eumdem referri potest illa mutila epigraphe de Cejonio quodam utraque praefectura cohonestato quam supra initio Adnot. 332. deprompsimus. Nam quae ibidem sequitur de Cejonio Volusiano Caecinae Lollianae marito, & patre Volusiani taurobolliati, ea huc non pertinet; quia Volusianus ille etsi utraque praefectura nobilis, ac consul numquam fuit. Nam certe si consul fuisset; anno 390. [quo ea inscriptio posita fuit] de praeterito ejus consulatu [h. e. honorum apice summo] mentio inter ceteros honores fieri debuisset.

Postremo ad hunc eumdem & quatuor Conteliorianae referri possunt, quas sejunctim in Adnot. 337. dabimus.

[335] Gruteriana epigraphe est ejusmodi,

EXTINCTORI. TYRANNORVM
AC. PVBLICAE. SECVRITATIS
AVCTORI
D. N. VALENTINIANO
PERPETVO. AC. FELICI
SEMPER. AVGVSTO
CEIONIVS. RVFIVS. ALBINVS. V. C.
PRAEF. VRBI. ITERVM
VICE. SACRA. IVDICANS
D. N. MQ. EIVS

[336] Is libellus inscribitur ad *Venerium Rufium Volusianum* Albini filium: de quo lib. I. v. 167. hic scribitur.

Iamq. aliis Romam redeuntibus, haeret eunti
Rufius Albini gloria viva patris,
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen.

Et quae plura ibidem sequuntur. Huic porro Venerio Rufio Volusiano Albini filio delatam fuisse urbis praefecturam, idem mox v. 417. declarat, ubi & de Venerii nomine mentio injicitur.

Hic praefecturam sacrae cognoscimus urbis
Delatam meritis dulcis amice tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quosdam refugit regula dura pedes.

Quodnam sit id verum nomen, quod versus non

Digitized by Google

praefectus urbi fuit. Haec de Rufii Volusiani bis consulis posteritate ad usque Venerium Volusianum Albini filium ac Rutilii amicum deducta.

Ceterum sunt & inscriptiones aliae, quas difficile sit uni alicui idque certo assignare; cujusmodi sunt Contelorianae (337) quatuor sub Valentiniano & Valente scalptae.

Postremo quot omni tempore (maxime a Gordianis ad Constantinum ejusque posteros) ea familia viros illustres protulerit, in Clodii Albini vita sic Capitolinus declarat cap. 4. *Fuit* (Clodius) *Albinus Adrumento oriundus, sed nobilis apud suos, & originem a Romanis familiis trahens, Postumiorum scilicet, & Albinorum Cejoniorum: quae* (posterior) *familia hodie*

non admitteret, in eo viris doctis non assentior, qui de *Venerio* intellexerunt. Non, inquam, assentior; quia id Rutilius mox feliciter vocandi casu extulit, & cognominis vice ei haesisse, non vero nominis, affirmat.

Cognomen versu, Veneri carissime Rufi,
Illoto dudum pagina nostra canit.

Antea legebatur *Illo te dudum*. Frustra autem sunt, qui *Veneri* dandi casu a *Venus* positum nugantur. Ergo quum & *Venerius* & *Rufius* & *Volusianus* feliciter in versum inclusi fuissent [nam etiam supra v. 169. scripserat, *Qui Volusi antiquo* &c.] non aliud supererat nomen exprimendum, quam illud *Cejonii* forsitan: quod quia ante omnia ponebatur, recte *nomen* vocat. Imo & *Venus nomen* appellat, quia isti omnes proprie ad antiquos *Cejonios* genus suum referebant, ut ex Capitolini loco, didici, qui superne ad finem hujus §. adtexetur.

Postremo hunc esse Volusianum illum, cujus edictum in urbana praefectura adversus Caelestium anno 421. exstet, Sirmondus ad Sidonii IX. ep. 16. enotavit, quod & alii sequuntur. Ejusdem & Augustini exstant mutuae epistolae. De ejus per Proclum CPolitanum conversione anno 434. videatur Baronius.

(337) Contelorius (in de praef. urb. ad ann. 313.) prae ceteris epigrammata quatuor affert, etiam a Grutero variis locis recitata. Quorum primum tale est. *Victoriis D. D. N. N.* (h. e. *Dominorum nostrorum*, nim. Valentiniani & Valentis, ut palam est ex sequentibus titulis) *C. Cejonius Rufius Volusianus V. C. praefectus urbi iterum judex sacrarum cognitionum.* Idem est in Grutero 202. 9. & in Muratorio pag. 689. 2. Ibi Muratorius subnotat, eam inscriptionem ad annos 310. 313. pertinere. Cur? quia, inquit, hic Volusianus, qui praefectus urbi ITERVM dicitur, semel eam praefecturam anno 310. iterum anno 313. ex libello praefectorum gessit. At bona cum viri clariss. venia, hanc epigraphen ad Valentiniani & Valentis tempora esse referendam, ex titulis mox adscribendis certo certius est. Deinde Volusianum praefectum anni 310. diversum a Volusiano anni 313. & sequentium esse, supra §. 1. demonstravimus. Postremo illud ITERVM in hac epigrammate ad sequens IVDEX esse referendum, infra hac ad. Adnotatione conjicimus.

Alterum [quod exstat etiam apud Gruterum 285. 6.] tale est: *Victoriis triumphisq. magnifico D. N. Valentiniano inclyto principi semper Aug. Rufius Volusianus V. C. praef. urb. iterum judex sacrarum cognitionum clementiae ejus dedicatus.* Totidem verbis constat tertium [quod in Grutero est 386. 1.] nisi quod non Valentiniano, sed *Valenti* ponitur, & in fine *dicatus* pro *dedicatus* scribitur.

Quartum ex Contelorianis in hunc modum habet: *Maximo principi indulgentissimo Domino Valenti triumphatori semper Augusto C. Cejonius Rufius Volusianus V. C. praef. urbi iterum judex sacrarum cognitionum serenitati ejus dicatus.* Idem est apud Gruterum 286. 2. Atque haec sunt Conteloriana marmora quatuor, quae omnia sunt ad unum eumdemque Volusianum referenda.

In his autem notandum est illud ITERVM (quod vulgo ad praefecturam urbanam, quasi bis gestam, referunt) posse pertinere ad sequens IVDEX; sicuti diserte in eo, quod Adnot. 334. adscripsimus, legitur hoc ordine, IVD. ITERVM.

Illud autem inter hos titulos, & quem Adnot. 334. protulimus, interest, quod in eo Cejonius Rufius Volusianus tum consularu, tum etiam utraque praefectura nobilitatus fuerat, in his vero quatuor urbanae tantum praefecturae mentio fiat: quae nos causa impulit, ut de diversis Volusianis cogitaremus.

Ac facile ille Volusianus is fuerit, de quo Adnot. 332. duos lapides protulimus, mutilum unum, integrum alterum. Nec enim refert, quod in illis utraque praefectura, tum praetorii tum urbis notetur, in his vero quatuor urbana tantum: nam duo illi lapides videntur serius scalpti, quando Volusianus ille ceteris honoribus etiam praetorianam praefecturam superinduxit. Vide ibi dicta.

Digitized by Google

hodie quoque, Conſtantine Maxime, nobiliſſima eſt, & PER TE AVCTA ET AVGENDA; quae per Gallienos & Gordianos plurimum crevit.

CAP. V.

Ad Graeca, S. Aquilinae Acta animadverſionum παραλειπόμενα.

De infantium umbratili ac mere rituali catechiſmo ante baptiſmum aevo medio. Quid ἅπλος. Textus corrigitur. Quid διαυλίζω, διαζώστρα, ὀπιθεν; quae voces ex antiquioribus Actis retentae agnoſcuntur. Cur Bybli corpus Aquilinae adhuc requieſcere dicatur. Plura in his Actis inſulſa notantur.

Sect. 2. v. 1. Ἐν βίβλῳ δὲ πόλει τῆς Παλαιστίνης, *Apud Byblum Palaeſtinae urbem.* In prioribus Actis, ex quibus haec interpolata fuerunt, ſcriptum fuiſſe τῆς φοινίκης, (*Phoenices*) ex Baſilii Menologio, ubi ea urbs diſertim in Phoenice ponitur (vide Adnot. 313.) manifeſtum eſt. Ac de loco hoc plura diximus cap. 1.

Ibidem v. 15. Aquilinam quadrimeſtrem (ἐσφράγισεν) *ſignavit* epiſcopus, *in nomine Domini, faciens illam catechumenam. Poſt duos vero menſes* (eadem puella a matre ad epiſcopum reducta) *in Chriſto illuminata fuit.* Mirum ſi res ita acciderit. In primitiva Eccleſia adulti prius catechumeni fiebant, deinde decurſo legitimo tempore tingebantur: infantes autem catechumenos tunc factos nondum legi, quos, utpote catecheſibus imbibendis inidoneos, ſine mora antiquitus lotos, ratio ſuadet. At aevo medio infantium baptiſmati ritualis catechiſmus praeibat per impreſſionem ſigni Crucis in fronte, [qui ſolus ritus in his Actis notatur voce illa, ἐσφράγισεν, *ſignavit*] manus impoſitionem, exorciſmos, exſufflationem &c. Vide rituales libros ab Edmundo Martene prolatos. Itaque dicis cauſa infantes poſt decurſum in eo rituali catechiſmo breve aliquod tempus, tandem lavacro mergebantur. Atque ex hoc more noſter interpolator videtur priora Acta (quae, opinor, de hac bimeſtri catecheſi ſilebant) opimiora feciſſe.

Et haec quidem dubius animi [de eo ſcil. num ritualis infantium catechiſmus non niſi poſteriore aevo, uti ſuſpicabar, inductus in mores fuerit, antiquiori interim eccleſiae incognitus] ſcripſeram. Sed doctiſſimum Cangium ferme eadē obſervaſſe in ſuo Gloſſario in voce *Catechizari*, tandem reperio. Cujus verba huc afferre haud grave fuerit. *Catechumeni fieri pueri, RECENS ETIAM NATI* [h. e. non tantum adulti, quos non eſt dubium antiquitus ante baptiſmum catechizatos, verum RECENS ETIAM NATI] *dicebantur ſequioribus ſaeculis, qui antequam offerrentur ad baptiſmum, ut veteris eccleſiaſticae diſciplinae umbra ſervaretur, a patrinis in ſpeciem catechizabantur, qui iis nomen imponebant, & Catechumenos factos ad baptiſmum offerebant, tamquam eorum fidei ſponſores.* Deinde pluribus ſcriptorum locis productis [ex quibus tamen nihil aliud efficitur, quam aetate media baptiſmati praeceſſiſſe Catechiſmum umbratilem, non item ex iis infertur inter catechiſmum atque baptiſmum tempus aliquod intercurriſſe] ad extremum ex concilio Redingenſi ann. 1279. can. 4. ſic recitatur: *Ut pueri per octo dies ante Paſcha, & per totidem ante Penteceſten, de matrum uteris nati, ſi abſque periculo reſervari valeant, reſerventur uſque ad illa tempora baptizandi, ita quod MEDIO TEMPORE INTER NATIVITATEM PVERORVM ET HVIVSMODI BAPTISMVM, PERFECTVM RECIPIANT CATECHISMVM.* Vbi *perfectus catechiſmus* is vocatur, qui interpoſito notabili tempore exercetur; ita ut, catechiſmus ille, cum quo in continenti baptiſmus conjungitur, imperfectior ſit habendus. Verum hoc, quod in his medio aevo adulteratis S. Aquilinae Actis de bimeſtri infantis catechiſmo ſcribitur, plane oſtendit, quouſque ſequioribus ſaeculis infantium catechiſmus protractus ſaepe fuerit.

Sect. 3. v. 1. γενομένης τῆς παιδὸς ἐνιαυσιαίου χρόνου, *quum puella eſſet annicula*, patrem mors occupavit. At Sirletum ne-

neceſſe eſt legiſſe in ſuo codice ἐννάτῳ χρόνῳ, vertit enim, *quū annum* (nam χρόνος mediae Graeciae *Annum* notat) *nonum ageret*: id quod non congruit cum ſequentibus. Quum enim ſtatim, quid ea ſeptennis, quid decennis ageret ſubjiciatur; perverſa omnino eſſet annorum gradatio.

Sect. 6. v. 10. Imperatores *per omnes urbes* (τίτλους) *titulos* (h. e. edicta) *miſerunt, ut quicumque diis non ſacrificans* (κακιρκάκως) *mali male interficiantur*. Haec verba aut ex antiquioribus S. Aquilinae Actis manarunt, aut certe ex aliis hiſtoriis huc imitando tranſlata. Niſi quod antiqui κακοὶ κακῶς, & κακῶς κακῶς ſejunctim uſurpabant. At memini me alibi in Martyrum hiſtoriis hoc adverbium κακιρκακῶς deprehendiſſe. Jam vero, quod τίτλος (*titulos*) pro edictis uſurpavit id ex eo venit, quod τίτλος Graecis aevi Caeſarei tabellam gypſo vel ceruſſa oblitam notaret, quae Graecis λεύκωμα, Latinis *Album* (quid *album praetorum* ſit, omnes tenent) vocabatur. In eo vero τίτλῳ ſive albo tum cetera, quae publice proponebantur (unde & inſcriptio crucis Chriſti τίτλος in Evangelio vocatur) tum in primis edicta perſcribebantur. Hinc hoc loco τίτλους (*titulos*) mittere eſt συνεκδοχικῶς *edicta* proponi jubere.

Sect. 8. v. 7. Aquilina dicitur ὑπὸ τῶν ἀμφοτέρων (καὶ) κακῶς διυλιζομένη, quod Sirletus vertit, *Suppliciis male conſumpta*: non male quidem, quia ſententiam potius quam verba ſecutus eſt. Ceteroqui διυλίζειν eſt *percolare*, quod heic locum prorſus non habet. Atqui locus inquinatus eſt, non tantum quia copula καὶ (quam uncis incluſi) prorſus eſt inducenda, verum etiam quia pro διυλιζομένη una tantum vocali addita, ſcribendum puto διαυλιζομένη. Ipſum autem διαυλίζειν quid eſſet, neſcirem, niſi id me Heſychius docuiſſet, qui in ſuo Gloſſario ſic poſuit: Διαυλίσθη, διεφθάρη. Ex quo fit τὸ [338] διαυλίζειν tantumdem eſſe, quod διαφθείρειν, *Corrumpere*, *Labefactare*. Quare ſic vertes: *Tormentis miſerandum in modum labefactata*. Et hoc, antiquum ſane ac recentioribus inauditum verbum, non dubito, quin ex prioribus S. Aquilinae Actis in haec reficta transfuſum fuerit.

Sect. 9. v. 3. Proconſul jubet carnifices puellam κοσσοκοπίσαι. Quid ſit Κόσσος (*alapa* ſcil. aut *colaphus*) abunde in Graeco Cangii Gloſſario docetur. Sed tamen verbum κοσσοκοπίζειν heic primum reperio. Forſitan huc pertinet, quod apud Heſychium Κοσσεῖν (duplici ſcil. ſibilo in duplex T tranſeunte) exponitur τύπτειν δορκάδι. Porro quid primitus κόσσος ſive κόσσος fuerit, quaedam conjectanea ad Matt. XXVI. 68. contuli, ubi & mendoſum hunc Heſychii locum reſtitui. Ibidem v. 12. jubet Aquilinam judex, exutam accipere (διαζώστραν) *ſubligaculum*. Ibi Henſchenius conqueritur, nuſquam alibi id vocabulum reperiri. At certe ejus cognatum nomen διάζωμα Favorino exponitur τὸ περὶ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα. Iiſdem fere verbis Suidas περίζωμα explicuerat, τὸ, inquit, ὑπὸ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα. Sicuti autem Περίζωμα, etiam περιζώστρα Pollu-

(338) Heſychii, inquam, interpretatio loco huic Actorum unice congruit. Ceterum quo illud ſpectet, quod in Favorini lexico reperi (Διαυλίζων, inquit, βαθύνων, ἢ μηκύνων) id parum capio. Sed id video tamen in veterib. lexicis adoptatum, ubi Διαυλίζειν exponunt *Produco*, *profunda facio*: ex Favorino, uti conjicio. Verum hae omnes cuicumodi ſunt metaphoricae τοῦ διαυλίζειν notiones videntur omnes ex voce Δίαυλος manaſſe, quae vox curſum reciprocum notat, quo in ſtadio curritur, ac mox recurritur. Hinc ad alia transfertur, ut δίαυλος τῶν κυμάτων eſt *fluctuum reciprocatio*. Vnde διαυλίζειν ad ea transfertur, ubicumque ultro citroque actus aliquis reciprocatur. Praecipue in Martyrum cruciatibus id locum habuit, quando hi extenti in eculeo ſurſum deorſum ſive unguli ſive aliis inſtrumentis exarabantur. Ex ea reciprocatione quia glorioſi athletae aut conſumebantur, aut peſſime afflicti ſupererant. Hinc διαυλίζειν in ea carnificina acceptum eſt pro διαφθείρειν apud Heſychium; aut pro μηκύνειν (ex eo ſcil. quia in eculeo longiores fiebant) aut pro βαθύνειν, forſitan quia ungularum curſus atque recurſus plagas profundiores efficiebat.

Digitized by Google

Polluci dicitur; ſic non eſt dubium quin διάζωμα Favorini, item διαζώστρα recte nuncuparetur.

Sect. 14. verſu ante finem quartodecimo illa compellatoria formula, Δεόμεθά σου, ἀνθύπατε, *Rogamus te, proconſul*, proba eſt, eamque ſive in prioribus Actis reperit interpolator, ſive ex aliis Martyrum hiſtoriis (in quibus haud raro invenitur) eſt imitatus.

Sectio 15. quamvis ineptiſſima, habet tamen quiddam, quod de vetuſtioribus Actis transfuſum ſua ſe luce prodit. Nam verſu 10. ſic in ſententia ſua judex pronuntiat: Aquilinam nequivimus οἰκείαν κατασῆσαι τῆς ἀληθινῆς γνώσεως τῶν ἀοράτων θεῶν, h.e. verbis totidem, *domeſticam verae invictorum deorum cognitionis reddere*. Vbi οἰκεῖος ead. notione uſurpatur, qua Paulus ad Gal. VI. 10. *domeſticos* (οἰκείους) *Fidei* dixit: ad quem locum adnotavimus, τὸν οἰκεῖον apud probos auctores τῷ ἀλλοτρίῳ (*alieno & extraneo*) opponi, etiam ubi de rebus incorporeis agitur. Quō quidem ſignificatu heic & ſimilibus locis οἰκεῖος eleganter idem eſt qui cultor aut profeſſor.

Sect. 18. v. 4. ſepulta dicitur ἐν αὐτῇ τῇ πόλει βίβλῳ, *in ipſa urbe Byblo*. Non primitus in ipſa urbe ſepulta fuit (id quod leges Romanae vetabant) ſed poſt pacem Eccleſiae tum demum in urbem translata fuiſſe videtur, & ſub Altari de more condita. Quod mox conſummata dicitur ἐν ὑπατείᾳ Διοκλητιανοῦ, *conſule Diocletiano*, id pluribus de cauſis ineptum eſt, tum quod abeſt collega, & numerus geſti a Diocletiano conſulatus, tum quod anno 309. quo S. Aquilinam depugnaſſe oſtendimus, non modo Diocletianus conſul non fuit, ſed & imperium abdicaverat.

Poſtremo quod in fine ſcribitur: *Eſt autem* (τὸ μαρτύριον) *Martyrium ejus in urbe Byblo uſque in hodiernum diem, ubi & curationes multae perficiuntur* &c. id quoque totum ex antiquioribus Actis tranſcriptum fuit: nam ceteroqui aevo poſteriore, quo haec Acta in Monaſterio Cryptae ferratae interpolata videntur, ejus corpus CPoli requieſcebat. At interpolator quum de translatione Byzantina nihil audiſſet, putavit ſua adhuc aetate Bybli eum theſaurum aſſervari, ſicuti in Actis antiquioribus reperit; eoque eam nobis periocham ex priore hiſtoria ſervavit. Sed bene eſt, quod ex hac ipſa periocha agnoſcimus, ejus auctorem aliquamdiu poſt martyris certamen id ſcripſiſſe. Nam ſi periocha iſta ab eodem auctore prodiit, a quo & tota prior hiſtoria (quod perquam probabile cenſeo) antiquiora illa Acta non ſtatim poſt Aquilinae certamen, ſed aliquamdiu poſtea ſcripta fuiſſe neceſſe eſt, poſt datam ſcil. Eccleſiae pacem, poſt quam, uti cap. 1. conjecimus, Martyris corpus Byblum traduci placuit.

Jam vero quod dixi, aevo poſteriore S. Aquilinae Reliquias CPolim allatas fuiſſe, de eo quaedam adſperſimus cap. 1. ad elogium ex Menaeis in Adnot. 319. 320. & plura habes apud Henſchenium ſect. 2. 3. 4.

Ex dictis tum heic tum toto cap. 1. ſatis poteſt animadverti, quid in hodiernis Actis, tamquam ex prioribus derivatum, amplecti poſſimus, non tantum in rebus, verum in ipſis etiam locutionibus. Ex quibus locutionibus jam hoc capite antiquas & valde probas quaſdam ad ſpecimen protulimus.

In rebus autem ea maxime adoptare convenit, quae ex Graecorum libris cap. 1. produximus. Ceterum haud difficile erit dignoſcere, quae deinde nuperus interpolator de ſuo adjecit. Exempli cauſa illas inter Aquilinam & aequales puellas ſermocinationes ſect. 4. 5. quis veras fuiſſe praeſtiterit? maxime quum ad imaginem actorum verbalium contextae reperiantur, *Aquilina dixit, feminae dixerunt* &c. quod ineptiſſimum eſſe nemo non viderit, qui locum contulerit. Sect. 13. 14. in Angeli apparitione plura ſunt parum veriſimilia, primum quod Angeli tantum mentione facta, mox ſect. 14. v. 3. etiam Chriſtus in caelum ab Aquilina revertens inducitur, uti quidem Graeca ſe habent (nam id Sirletus e ſua interpretatione

Digitized by Google

abſtulit) deinde portae civitatis ſponte reſeratae, ipſa Aquilina ad Voluſianum in ſuo lectulo jacentem noctu perreptans, eumque contumelioſe (ex praecepto ſcil. Angeli ſect. 13. media) allocuta, & plura his ſimilia plane inſulſiſſima corruptorem iſtum hiſtoriae haud dubie auctorem habent; ſicuti & judicis ſententia verboſiſſima, quae totam ſect. 15. implet. Nec minus putida habenda eſt vox ad eam caelitus facta ſect. 17. Illud vero ineptiſſimum eſt omnium quot ſunt quotque fuerunt a Graeculis excogitata, quod quum jam diſtricto enſe Aquilina ictum opperiretur, ante percuſſionem moritur: quod uti ſuperbe factum interpretari aliquis calumniator poſſit. Vel ſic tamen carnifex *poſt redditum ab ea ſpiritum amputavit caput, ne juſſis proconſulis contrairet, lacte interim loco ſanguinis in terram defluente.* Quae portenta & in libris Graecor. liturgicis ab S. Aquilinae elogio abſunt, & haud dubie a prioribus Actis inculpatis aberant, antequam inducta recens ceruſſa incruſtarentur.

APPENDIX

Ad Caput Secundum.

Dixi cap. 2. S. Aquilinae paſſionem in annum 309. incidiſſe. Nunc de Henſchenio Baronioque ea monendus eſt lector, quae tunc quidem a me non animadverſa, heic ſaltem adnotari non diſplicebit.

Et Henſchenius quidem in fine ſui Commentarii praevii Aquilinae martyrium in annum 293. contulit: haud recte ille quidem. Nam ſi *annum Diocletiani Septimum*, de quo Acta loquuntur, pro anno ſeptimo imperii Diocletianei habere velit[quod certe Bollandiſta propoſitū habuit] vel ſic tamen menſis Junius anni ſeptimi Diocletiani imperantis non in annum 293. ſed 291. incurret: quod cap. 2. attigi. Etenim quum menſe Septembri anni 284. regnum ſit ille auſpicatus; primus ejus annus in Septembrem anni 285. deſinet, ſeptimus autem in Septembrem anni 291. Sed tamen praeſtabat, ut ibi monui, annorum non principatus, ſed perſecutionis Diocletianeae haberi rationem: quod recte a Baronio factum, nunc demum gratulor; nec enim tum, quum caput 2. ſcriberem, perſpexeram.

Tametſi re vera Baronius Aquilinae dimicationem non in annum 309. (uti a nobis cap. 2. factum) ſed in 308. contulit: quem vide ad eum annum n. 17. *Ibi* porro quamvis nullam ſui facti cauſam Caeſar aſſignet; non alia tamen eruditiſſimo viro ratio fuit, cur ita faceret, quam quia annum Diocletiani ſeptimum (de quo in Actis legitur) pro ſeptimo non imperii ſed perſecutionis habuit. Ceterum quum in figendo perſecutionis initio ſemel erraſſet (quod initium in annum 302. retulit, quum revera poſtea animadverſum a Valeſio, Noriſio, Tillemontio & aliis fuerit in annum 303. eſſe rejiciendum) hinc annum 308. pro ſeptimo perſecutionis habuit, haud dubie in annum 309. noſtrae Aquilinae pugnam conjecturus, niſi antecepta opinio eum fefelliſſet.

XIIII DP FORTVNATI EP̄I NR̄I

CAP. I.

Quid de S. Fortunato antiquitus ſcriptum exſtet, deque ejus feſto.

Si ſervato temporis ordine antiqua de hoc S. Epiſcopo monumenta proferre ſit animus, haud dubie primus locus epiſtolae Pſeudo-ſynodi Sardicenſis dandus erit, in cujus inſcriptione inter alios quoſdam noſter *Fortunatus* comparet. Verum quia ibi Fortunati mentionem non nemo in dubium revocavit, agetur de ea dubitatione cap. 2.

Proximum locum obtinet marmoreum iſtud Neapolitanae Eccleſiae Kalendarium medio IX. ſaeculo ſcalptum, in quo die XIV. Junii *Depoſitio Fortunati epiſcopi noſtri* affigitur.

Sub haec haud longe ab ineunte ſaeculo X. Joannes Diaconus Neapolitanus Chronicon epiſcoporum Neapolitanorum con-

te-

Digitized by Google

texuit; in quo inter S. Ephebum & S. Maximum ſibi medium locum vindicat breve hujus Fortunati elogium: quod cap. 3. expendemus.

Proximum antiquitatis locum iis forſan antiquiſſimis Officiis dabimus, in quorum Kalendarii tabulis diei XIV. Junii S. Fortunati hujus feſtum aſſignatum reperit (339) Chioccarellus. Plura quoque ejuſmodi liturgica rudera nominatim indicat Antonius (340) Caracciolus. Ac facile inter ea monumenta a Caracciolo laudata referendum fuerit Kalendarium membranaceum, quod inter chartas Gabrielis Lotterii Cler. Reg. reperit Tutinus; in quo die XIV. Junii ſcriptum fuit: *S. Fortunati Epi Neap.*

Abeſt tamen idem ſanctus Antiſtes ab omnibus Mrologiis, etiam Romano. Cur vero in Romano deſit, cauſam in S. Maximo ad diem XI. attulimus, nempe, quia quo tempore amplificatum a Baronio illud fuit, ſanctorum Fortunati & Maximi cultus jamdiu Neapoli intermiſſus fuerat. Hinc illud Ferrarius in Catalogum ſanctorum extra Mrologium intulit, ſed errore abreptus unum Fortunatum (341) pro alio nobis obtruſit.

Haec ſunt officia, in quibus mentio hujus Fortunati fit. Ceterum ejus feſtum priſcis temporibus die XIV. Junii [quo *depoſitus* fuiſſe in his Faſtis marmoreis dicitur] fiebat, uti ex omnibus ſupra laudatis libris liturgicis conſtat. At poſtmodum XII. exeunte ſaeculo aut XIII. ineunte in XXVI. Febr. trajectum id feſtum fuit, uti conſtat ex Kalendario Ms. apud Tutinum, quod Rituali Neapolitano praeibat. Cur autem ſequentibus temporibus tandem SS. Fortunati & Maximi feſta omiſſa fuerint, dictum eſt die XI. Junii in S. Maximo cap. 4. ubi & utriuſque feſti reſtitutionem a Decio Card. Carafa factam anno 1619. animadvertimus: niſi quod pro die XIV. [in quem incurreret S. Baſilii feſtum] diem XV. Decius aſſignavit. Sed ea reſtitutio paucis annis duravit, nim. uſque ad annum 1632. quo iterum id feſtum omiſſum.

Atque hinc poteſt intelligi, quid cauſae fuerit, cur de noſtro hoc antiſtite Papebrochius non ad hunc, ſed ad ſequentem diem [pag. 1052.] egerit. Ibi extrema ſect. 1. motum ſe dicit auctoritate Caraccioli dicentis, eum olim die (342) alio cultum, at poſtmodum in diem XV. fuiſſe

(339) Cujus verba haec ſunt in ſuo Chronico epiſcoporum pag. 33. „ *In* vetuſtiſſimis „ officiis characteribus Langobardis exaratis, „ quae apud nos ſervantur, ejus feſtum ab Eccleſia Neapolitana celebrari ſolitum perſpeximus; quum in Kalendarii tabulis die 14. „ Junii, *Sancti Fortunati epiſcopi Neapolitani* „ conſcriptum legatur. „ Haec ibi.

(340) Ant. Caracciolus in Monum. Eccl. Neap. pag. 301. haec ait: *Recenſent autem Fortunatum inter ſanctos antiquiſſimi codices tum Neapolitanae tum aliarum quarumdam Eccleſiarum, nempe Miſſale Neapolitanum, Kalendarium vetus, et Breviarii Ms. Item Litaniae in antiquo rituali Neapolitano: Kalendarium Eccleſiae S. Eligii. Praeterea codex Langobardicus Breviarii Caſinenſis num. 196.* [non Breviarium Caſinenſe, ſed Neapolitanum id fuit, ut ſupra die XI. in S. Maximo notavimus] *Kalendarium praefixum pſalterio cuidam Capuanae Eccleſiae apud Mich. Monachum.* Verum Mich. Monachi Fortunatus longe alius a noſtro eſt. Res ſic ſe habet. In primo ex quinque Kalendariis a Monacho editis Nonis Decembris pag. 402. ſic ſcribitur: *Depoſitio S. Fortunati epiſc. & Conf.* Quum autem noſter Fortunatus poſtrid. Idus Junias *depoſitus* in hiſce Faſtis marmoreis dicatur, omnino diverſus ab illo eſt, cujus *Depoſitio* in Nonas Decemb. incidit.

(341) In eo labitur Ferrarius, quod S. Fortunatum Neapolitanum eum Fortunatum eſſe credidit, qui ſub S. Gregorio Magno ſedit. Coarguit eum errorem Papebrochius num. 12. & jam antea refutaverat Chioccarellus pag. 34. Sed eum errorem Ferrarius a Paulo Regio Vici Equenſis epiſcopo haud dubie imbibit; cui primo id παράφραμα excidit: de quo vide Ant. Caracciolum pag. 301.

(342) Ille alter dies, quo olim Fortunatum fuiſſe celebratum ibidem Papebrochius docet, erat, ſi ei credimus, dies XIX. Junii. in quo quidem ei amanuenſis impoſuit, a quo Chioccarelli locus deſcriptus fuerat; quem locum proxime Papebrochius attulerat, ubi ex

Digitized by Google

fuisse translatum. At is revera non Ant. Caracciolus fuit, [cujus monumenta Ecclesiae Neap. existant, quique absolute *Caracciolus* vocari solet] sed Caesar de Engenio Caracciolus, cujus scriptoris tempore ea festi restitutio atque translatio a Decio facta fuerat: de quo vide inferne (343) adnotata. Verum de S. Fortunati festo vide plura die XI. hujus mensis in S. Maximo [quocum Fortunatus communem festi vicissitudinem habuit] cap. 4.

Postremus locus assignabitur scripto marmori [quo tempore, incertum] quod supra SS. Fortunati & Maximi corpora exeunte saeculo XVI. repertum fuit, quando eorum corpora in S. Ephebi inventa fuere. Eam inscriptionem cap. 4. exponemus, atque supplebimus. Atque his omnibus antiquitatis parietinis omne id continetur, quod tantum de hoc S. Antistite ad nos usque edax vetustarum memoriarum aetas transmisit.

CAP. II.

De anno initi a Fortunato episcopatus, simul de Calepodio Neapolitano, & inscriptione epistolae pseudosynodi Sardicensis.

Inter verae synodi Sardicensis anno 347. habitae subscriptiones post *Osium Cordubensem*, & *Vincentium de Capua* tertius recensetur *Calepodius Neapolitanus*; post quos statim notissimus S. Athanasius sequitur.

Verum per idem tempus Ariani, qui Sardicam convenerant, impendentem sibi haud dubie damnationis procellam reformidantes, Sardica se subduxerunt, ac Philippopoli (344) coacto conventu [quem tamen ipsi Sardicensem (345) synodum

Chioccarello sic recitat: *Cum in Kalendarii tabulis die XIX. Junii S. FORTVNATI EPISC. NEAP. conscriptum legatur.* At nos eumdem Chioccarelli locum fideliter supra Adnot. 339. descripsimus, in quo non Romanis numerorum notis, sed Arabicis *die* 14. *Junii* scripsit. Quas notas Bollandianus descriptor ex Arabicis Romanas facturus, scripsit die XIV. Deinde ubi descriptor alter accessit, ex XIV. fecit XIX. ob similitudinem scil. denarii atque quinarii notarum. Id vero necui fraudi sit, monere lectorem pensi mei esse duxi.

(343) Caesar de Engenio Caracciolus in sua Neapoli sacra pag. 645. sic scriptum reliquit: *Per prima si celebrava la festa di questo Santo* (Fortunato) *nelli* 14. *di Giugno; & oggi si fa nelli* 15. *del detto mese.* Vbi recte illud *Oggi* posuit; quia ejus opus anno 1623. in lucem prodiit, quo tempore jam Fortunati celebritas a Decio restituta, & in diem XV. translata fuerat. Quod si Eminentiss. Archiepiscopo Neapolitano S. Fortunati festum reducere in mentem venerit; praestabit eum die suo [h. e. die XIV. quo *depositus* in hisce marmoreis Fastis & alibi scribitur] colere; vicissim vero S. Basilium in quemvis alium differre diem, propterea quod S. Basilio non diem Junii quartum decimum, sed Kalendas Januarias emortuales fuisse tradunt.

(344) Eam urbem *Philippopolim* [aut Φιλίππου πόλιν, ut a Socrate & Sozomeno scribitur] vocatam non *Philippos* [ut perperam a Pagio & nonnullis aliis vocatur] ex omnibus geographis antiquis in Thraciae descriptione constat. Nec dubium est, quin ibi Orientales episcopi coiverint, & tamen conventum suum *Sardicensem* vocaverint, etsi longe aliud Sozomenus suadeat. Vide seq. Adnot.

(345) Cur orientales isti conventiculum suum Philippopoli coactum, *Sardicense* in sua encyclica epistola vocaverint, hanc affert causam Claud. Fleury lib. XII. Hist. Eccl. sect. 42. *Il n' est pas impossible, qu' ils eussent ecrit cette lettre a Sardique, encore qu' ils ne l' aient publiée que depuis leur retraitte a Philippopolis.* Id quod etsi cum Socratis II. 20. narratione parum consentit, narrantis, Orientales, statim ut ab occidentalibus non impetrarunt, ut Paulum CPolitanum & Athanasium e coetu suo excluderent (ἀπεχώρουν εὐθὺς, καὶ γενόμενοι ἐν τῇ Φιλίππου πόλει διαλογον ποιοῦνται συνέδριον &c.) *ILLICO discessisse, ac pervenientes Philippopolim Thraciae, conventu seorsum habito*, ea fecisse ac decrevisse, quae in eorum epistola continentur. Sed ea quae ibi in pauca contrahit Socrates, longius deducens Sozomenus, docet, Orientales initio Philippopoli substitisse, ibique litteris datis ad Sardicenses patres, Athanasii ejectionem postulasse; qua non obtenta, tamen Sardicam fuisse progressos, sed numquam sese in Occidentalium conspectum dedisse, dum interim id ageretur, ab Orientalibus, ut Athanasius, Paulus, Marcellus ejicerentur, ab Occidentalibus

Digitized by Google

nodum vocant] *Decretum*, ut ipſi appellant, ſive epiſtolam encyclicam ad omnes orbis epiſcopos ediderunt, qua ſui facti ratione expoſita, in Athanaſium & ceteros homouſianos damnationis ſententiam pronuntiarunt. Ea vero epiſtola inſcribitur inter ceteros *Fortunato Neapolis Campaniae epiſcopo* nominatim : quae inſcriptio ex editione Fabri [qui primus S. Hilarii Fragmenta hiſtorica, in quibus ea epiſtola reperitur, in lucem protraxit] talis eſt : *Gregorio Alexandriae epiſcopo, Anfioni Nichomediae epiſcopo, Donato Carthaginis epiſcopo, Deſiderio Campaniae epiſcopo, Fortunato Neapolis Campaniae epiſcopo, Euthicio Ariminiadeno Campaniae epiſcopo, Maximo Salonarum Dalmatiae epiſcopo, Sinferuti, & omnibus per orbem terrarum conſacerdotibus noſtris presbyteris & diaconibus, & omnibus qui ſub caelo ſunt* &c. Ex his vides, jam tum anno 347. aut potius 348. [quo veriſimilius eam epiſtolam prodiſſe modo in Adnot. 345. dictum fuit] Fortunatum in Neapolitana cathedra conſediſſe.

At excipit Clariſſ. [346] Muratorius, graviter in Nic. Fabrum invectus, cujus flagitio epiſcoporum [& in iis Fortunati] nomina ei inſcriptioni adjecta conqueritur, quae a Benedictinorum editione rectius abeſſe monet; ita ut ex ejus epiſtolae inſcriptione probari nequeat, eo tempore Fortunatum ſediſſe Neapoli. At bona cum viri amiciſſimi venia, quanti laboris erat ipſum adire Hilarium ex ea, quam laudat, Benedictinorum editione ? Ibi Fragmento 3. [in prioribus editionibus exſtat id in 2. parte fragmentorum] ſic ea inſcriptio concipitur.

Gregorio Alexandriae epiſcopo, Nicomediae epiſcopo, Carthaginis epiſcopo, Campaniae epiſcopo, Neapolis Campaniae epiſcopo, Ariminiadeno Campaniae epiſcopo, Salonarum Dalmatiae epiſcopo, Anfioni, Donato, Deſiderio, Fortunato, Euthicio, Maximo, Sinferunti (347) & omnibus per orbem terrarum

autem, ne id fieret. Ita ubi diu multumque res extracta eſſet, καθ' ἑαυτοὺς συναθροίσαντες, ψήφους ἰσοψήφους ἤνεγκαν, ſeorſum collecti, ſententias contrarias protulerunt, ſeſeque mutuis damnationibus proſciderunt. Nec interim de reditu Philippopolim facto verbum ullum. Ita ſi Sozomeno fides, neceſſe eſt, Orientales non niſi Sardicae ſeorſum conveniſſe, & ibi epiſtolam ſeu decretum illud, de quo agimus, conſcripſiſſe.

Sed magis eſt, ut S. Athanaſio, qui rebus omnibus interfuit, credamus, qui pluribus in locis haec ita narrat, ut Arianos illos ab Occidentalibus epiſcopis Sardicae coactis pertimeſcentes, noctu aufugiſſe Philippopolim, tradat, ibique diu moratos, plura eorum quae feruntur, feciſſe. Ex omnibus vero inter ſe collatis poteſt intelligi, Orientis epiſcopos & ante & poſt Sardicenſem incolatum, Philippopoli conſtitiſſe, ſed interim medio tempore diu etiam Sardicae commoratos : nec porro eſſe incredibile, ſuum illud decretum Sardicae ab eis ſcriptum aut adumbratum, poſtea Philippopoli evulgatum, ut optime Fleury conjecerat ; itaut in *Sardi cenſi* nomine, quod ſuo decreto vindicant, non inſit mendacium, quod vulgo volunt. Poſtremo illud etiam ſimul fatendum eſt, tot tantaſque res non potuiſſe uno anno tranſigi, ita ut non niſi anno ſequenti, nim. 348. orientales epiſcopi ſuam Epiſtolam emiſerint.

(346) Muratorius in Adnot. 9. ad Joannis diaconi Neap. chronicon. *In Miſs. Fragmentorum S. Hilarii Pictav. unde ſumpta fuit haec epiſtola (fidem facientibus clariſſ. Benedictinis ... in noviſſ. S. Hilarii editione) epiſcopi* (Fortunati) *nomen deſideratur. Ibi tantummodo ſcriptum : CARTHAGINIS EPISCOPO ... NEAPOLIS CAMPANIAE EPISCOPO &c. Nicol. Faber ille fuit, qui nimia licentia uſus, majoris perſpicuitatis cauſa, unicuique epiſcopo nomen adjecit. Et veri quidem ſimile eſt, a Fortunato epiſcopo eo tempore Neap. Eccleſiam gubernatam fuiſſe, ſed omni dubitatione id minime caret.*

(347) *SINFERVNTI, quod heic legitur, non proprium epiſcopi alicujus nomen fuiſſe, ſed amanuenſis notam.*

Iſtud

Digitized by Google

rum conſacerdotibus noſtris, presbyteris & diaconibus, & omnibus qui ſub caelo ſunt in Eccleſia ſancta catholica, Epiſcopi qui a diverſis Orientalium provinciis ..... ad civitatem (*) Serdicam congregati concilium celebravimus, in Domino aeterna ſalus.

Ex his vides, in Mss. [ad quorum fidem haec correcta fuerunt] nec Fortunati nec aliorum nomina defuiſſe, ſed tamen ſeorſum a ſedium nominibus ſubjuncta fuiſſe, nec aliud doctiſſimus adnotator Benedictinus in ſubjecta adnotatione ſubjicit, niſi ſe in hujus inſcriptionis editione Mss. fidem ſecutum; etſi conqueritur interim, Fabrum perſpicuitati ſervientem, hunc ordinem [quem in Mss. reperit, & S. Auguſtinus ſubindicat] in ſua editione pervertiſſe, in qua epiſcoporum nomina [quae heic ſeparatim a ſuis eccleſiis ſubtexuntur] eorumdem ſedibus praepoſuit, ſingula ſingulis. Ergo hinc certo certius eſt, tempore conventiculi iſtius jam Fortunatum Neapolitanae eccleſiae gubernaculis adſediſſe.

Verum id poſitae chronologiae incommodat, quod eodem tempore *Calepodium* quemdam Neapolitanum ſimul cum aliis catholicis epiſcopis verae & legitimae Sardicenſi ſynodo ſubſcripſiſſe, ex initio capitis hujus animadverſum fuerit. Quo poſito, fieri nequit, eodem plane tempore eidem ſedi duos epiſcopos praefuiſſe, & quidem ambos catholicos. Nam nec de Calepodii, qui cum catholicis patribus ſynodo ſubſcripſit, nec de Fortunati, qui cultum in Eccleſia meruit, ἐφοδοξίᾳ licitum eſt dubitare. Quocirca etiam atque etiam cogitandum, quid de recitata inſcriptione epiſtolae Arianorum ſit decernendum, & utrum ei fidere debeamus.

Non una expoſitae difficultati ſolutio adhiberi poteſt. I. Ac primum de Calepodio vix aliud praeter nomen compertum videtur. Nam male me habet, quod ab S. Athanaſio, qui rebus hiſce interfuit, in Apologia contra Arianos cap. 50. recenſetur quidem inter Sardicenſes Patres Καλαπόδιος *Calepodius* (& quidem decimo loco poſt Julii Papae legatos) verum omiſſo ſedis nomine; quod etiam in ceteris epiſcopis reticet. Sed tamen in ſub-

Iſtud *Sinferunti* [tamquam ſi Graece ſcil. ſcriptum fuiſſet Συμφέροντα] pro epiſcopi nomine, cui Epiſtola reddenda eſſet, habitum huc uſque fuit. Sed quo minus *Symphorontem* aliquem epiſcopum heic agnoſcam, illud impedimento eſt, quod nulla ſedes epiſcopalis praeceſſit ad hunc referenda. Ne quemquam longis ambagibus morer, paucis, quid de eo ſentiam, expediam. Sciendum eſt, hujuſmodi epiſtolis quae eodem exemplo pluribus perferebantur, non omnia ſingulorum nomina ſingulis exemplis praelata fuiſſe, ſed ut huic aut illi reddebantur, ita hujus illiuſve nomen *conveniens* (σύμφορον) fuiſſe praeſcriptum. Itaque hoc loco id ut moneret amanuenſis, poſt paucorum nomina, παρενέβαλεν [*interpoſuit*] iſto modo: *καὶ τοῖς συμφέρουσι* h. e. *& convenientibus*, ſupple epiſcoporum ſediumque nominibus: aut brevius in hunc modum, *συμφέρουσι*. Nam verbum συμφέρω praeter notiſſimas alias notiones, valet etiam *quadrare, competere, convenire*.

Et ita quidem, uti proxime poſui, interpres in Graeco, quod ad manus habuit, ſcriptum invenit. At idem interpres, ſive ignarus quid eo loci iſtud *συμφέρουσι* ſibi vellet [nec mirum, quando fragmenta iſta Hilariana, quae de Graeco tranſtuſa ſunt, non optime reddita Latine ſuiſſe, etiam Benedictinus editor in ſua ad haec Fragmenta praefatione conqueritur] ſive pro nomine proprio accipiens, ſive demum quod etiam Latinis in uſu fuiſſet, quoties in encyclicarum epiſtolar. inſcriptionibus iſtud *συμφέρουσι* cerneretur, non illud interpretari, ſed utpote ſollemne ejus rei verbum, totidem Latinis elementis perſcriptum inſerere: utcumque fuit, certe in ſua interpretatione iſtud *Symphoruſi* retinuit integrum. Quod poſtea variis librariorum erroribus patuit, dum illud alibi *Sinferuſi*, alibi aliter ſcriptum reperitur. Sed id aliud initio non fuit, quam amanuenſis nota, monentis, conveniens nomen tum epiſcopi cui epiſtola tradebatur, tum ſedis ibi fuiſſe adſcribendum.

(*) Prima urbis hujus ſyllaba varie in nummis, lapidibus ac libris ſcribitur, modo ſcil. per A, modo per E. Vtraque Graecis & Latinis aeque uſurpata cernitur.

Digitized by Google

ſubſcriptionibus ſynodi Sardicenſis, quae in Collectione Conciliorum Sardicenſib. canonibus ſubnectuntur, poſt Oſium, & Vincentium de Capua, ſtatim tertio loco notatur hoc modo, CALEPODIVS (348) NEAPOLITANVS. Idque unum ſuppetit monumentum, quo oſtendatur, Calepodium hunc Neapolitanam Eccleſiam adminiſtraſſe. Verum ecquis praeſtare poteſt, illas ſubſcriptiones fatis antiquas eſſe, & idoneas ad teſtandam hujus Calepodii ſedem? praeſertim quum ſciamus, eodem tempore Fortunatum Neapoli conſediſſe, cujus epiſcopi aetas cum ſucceſſoris Maximi temporibus ſatis apte connectitur. Accedit quod Joannes Diaconus in ſuo epiſcopor. Neap. chronico Fortunati cum elogio meminit, de Calepodio alte ſilet: ut plane videatur eum minime pro epiſcopo Neapolitano agnoviſſe.

II. Deinde etſi detur in eo ſubſcriptionum laterculo Calepodium recte *Neapolitanum* notari; at quis ſpondebit, eum Neapoli Campaniae potius, quam alteri cuipiam ejuſdem nominis urbi praefuiſſe? Verum haec exceptio parum habet virium, quia Calepodius ab Athanaſio inter Italos, aut ſaltem earum regionum praeſules refertur, in quibus nulla alia urbs Neapolis erat. Itaq. ſi is re vera Neapolitanus fuit, de noſtra Neapoli id erit intelligendum. Praeterea idem Calepodius diſerte Campaniae tribuitur in fragmentis Hilarii inter ſubſcriptiones epiſcopor. Sardicenſium (*qui adfuerunt & ſubſcripſerunt in judicio*, ut ibi dicitur) inter quas legitur: *Calepodius a Campania*. Ceterum re ipſa eum fuiſſe *Neapolitanum* antiſtitem, ex eo ſuaderi poteſt, quia quum is ſubſcriptionum indiculus, qui in Conciliorum collectione cernitur, in ceterorum ſedibus non fallat, ne in hoc quidem mentiri credendus eſt.

III. Tertia reſponſio illa afferri poteſt, fuiſſe quidem Calepodium Neapolitanum pontificem tempore ſubſcriptionis Concilii ejus, h. e. anno 347. at quo tempore Orientales Ariani divortio ab Occidentalibus facto ſuum decretum evulgarunt (id quod anno 348. contigiſſe, initio hujus capitis in Adnot. 345. praediximus) Calepodio recens mortuo Neapolitanos Fortunatum ſubſtituiſſe. Ad hunc autem direxiſſe ſuum decretum Orientales, ea ſpe fretos, quod ei adhuc rerum a Calepodio in legitima Sardicenſi ſynodo geſtarum ignaro facile ſe impoſituros ſperarent, eumque per ementiti Sardicenſis decreti ſpeciem in ſuam ſententiam pertracturos. Haec ſane reſponſio ſi apud viros doctos ſit valitura (quod cupere magis quam praeſtare auſim) id afferret commodi, quod eadem opera & ultimum Calepodii annum, nempe 347. & primum Fortunati, puta 348. ſimul compertum haberemus. Verum quominus ei reſponſioni ſubſcribam, Joannis Diaconi de Calepodio ſilentium intercedit.

IV. Poſtremo ea conciliandi ſimul omnia ratio in medium prodeat, quam Papebrochius (ad XV. Junii in S. Fortunato pag. 1053. num. 9. & ſequ.) ex Chioccarello hauſtam protulit, nim. duos ſimul Neapoli epiſcopos fuiſſe, Graecum unum pro Graecis, Latinum alterum pro La-

(348) Phil. Labbeus in ſubjecta adnotatione monet, poſt Oſium ſequentes tres in antiquo codice recenſeri in hunc modum: *Vincentius de Capua legatus ſanctae Eccleſiae Romanae. Januarius de Benevento legatus Eccleſiae SS.* [h. e. ſupraſcriptae] *Calepodius Neapolitanus legatus Eccleſiae SS.* Atqui hos uti legatos Julii Papae Sardicenſi concilio interfuiſſe, vetat credere Athanaſius in Apologetica contra Arian. cap. 50. ubi Julium Romae epiſcopum per *Archidamum* & *Philoxenum* preſbyteros Concilio adhibitiſſe teſtatur. Nec aliud afferri poteſt ad tuendam quoquo pacto modo recitatam ſubſcriptionem, quam ſi fingamus, interim dum conventus ille haberetur, inciſiſſe cauſas plures, cur Julius nunc unum, nunc alium ex nominatis praeſulibus legatos mitteret. Nam & illud conſtat, non omnes epiſcopos ab Athanaſio recenſitos ab initio adfuiſſe concilio, ſed plurimos ſupervenſiſſe, ita ut Athanaſii catalogus non tantum eos complectatur univerſos, qui ab initio Sardicam convenerunt, ſed & eos praeterea, qui in fine advenientes, ſua nomina ſubſcripſerunt.

Digitized by Google

Latinis : quocirca tempore Sardicenſis concilii Graecis Neapolitanis Calepodium, Latinis Fortunatum praefuiſſe.

Atqui duos ſimul in una civitate epiſcopos ordinari canon Nicenus vetabat. Quare id forſitan veriſimilius dici poteſt, Calepodium non primarium Neapolitanorum epiſcopum exſtitiſſe, ſed ſecundarium, & chorepiſcopum, in Graecorum gratiam epiſcopali ordine inſignitum. Quod inſtitutum quarto ſaeculo Neapoli viguiſſe, ac poſtea intermiſſum, in ſingulari ejus argumenti Diatriba, alicubi oſtendetur. Id ſi ſequimur; Fortunatum anno 347. aut ſaltem 348. Neapoli conſediſſe, ex inſcriptione epiſtolae Arianorum, certiſſimum erit: verum quum is Calepodio non ſucceſſerit, ſed hunc ſuum Chorepiſcopum ſibi ſubjectum habuerit; de tempore initi a Fortunato epiſcopatus (quod ſupra in annum 348. conferebamus) incerti erimus.

CAP. III.

§. 1. *S. Fortunati elogium ex Joanne Diacono Neapolitano.*

Noſter chronographus in ſuo pontificali libro, quem ſaeculo X. ineunte ſcripſit, inter Ephebum & Maximum mediam ſtationem Fortunato tribuit, cui & praemittitur numeralis nota IX. tamquam ſi fuerit ab Aſprenate nonus: quod ita capiendum eſt, ut ſit nonus eorum, quorum notitia tunc ſupererat. En chronographi verba.

IX. FORTVNATVS epiſcopus ſanctiſſimus exſtitit vitae, ſanctiſſimis orationibus die noctuque indeſinenter agens, regna caelorum, ſicut deſideravit, adeptus eſt. Qui ſepultus foris urbem quaſi ad ſtadia quatuor. Deinde poſt longo tempore populi patrocinia ejus petentes, ab eccleſia ſui nominis conſecrata transferentes, per manus pontificum collocarunt in Eccleſia Stephania (349) partis dextrae introeuntibus, ſurſum ubi eſt oratorium, in caput (350) Catatumbae.

Quod elogium cum altero S. Maximi ſucceſſoris aptum atque connexum ita eſt, ut non poſſim non & hoc alterum adſcribere, ceteroqui jam a me dici XI. hujus menſis inſertum.

X. Ma-

(349) Hinc uſque ad finem paullo aliter exhibet Cangii Gloſſarium in *Catacumbae* in hunc modum: *Collocarunt in eccleſia Stephania ad partem dextram introeuntium ſurſum, ubi eſt oratorium in capite Catacumbae*. Senſus haud valde diverſus eſt. Sed exemplum, quo uſus eſt Cangius, videtur a manu recentiore correctum; quum contra Joannes noſter ab ejuſdem modi ſoloeciſmis minime abhorreat.

(350) Quod heic *Catatumbae* cum T pro *Catacumbae* legatur, non id errori amanuenſium eſt imputandum; nam etiam Gregorius M. lib. 3. ep. 50. *Catatumbas* habet, *niſi* (inquit Cangius) *mendum ſit in editionibus, quod reor: nam & aliquot Cod. Mſs. & ceteri ſcriptores conſtanter Catacumbas paſſim habent*. Sed in Joannis certe hujus Ms. Vaticano optimae notae *Catatumbae* cum T ſcriptum fuiſſe, editio Muratoriana ad eum Vaticanum codicem exacta declarat.

Cujus vocis etymon tale ibi affert Cangius, ut ſit *Cata tumbas* i. e. *Ad tumbas*, quia, ut addit, aevi ſequioris Latium *Cata* pro *Ad* uſurpabat. Non male: etſi tota vox Graeca videri poteſt, ex κατα [quod in compoſitione idem eſt quod κάτω, *infra*] & τύμβος, *tumba ſepulcrum*, quaſi κατατύμβιον idem Graecis fuerit, quod hypogaeum, ſeu ſubterraneum ſepulcretum, cujuſmodi Chriſtianis in uſu fuit. Deinde, ſicuti vox τύμβος jam olim Latinis *Tumba* dicebatur, ſic ex κατατύμβιον dicta eſt *Catatumba*, ac demum corruptae *Catacumba*.

Traditae quidem etymologiae loca ſcriptorum favent, in quibus vix aliter quam ſubterranea catatumba deſcribitur. Solum in eo loco Jo: diaconi, quem prae manibus habemus, videtur de Catatumba ſuperiore agi, uti cap. IV. §. 4. dicam. Quod quidem κατάχυσιν (*abuſioni*) non inſolitae in ejuſmodi rebus, eſt tribuendum, per quam *Catatumba* pro quolibet ſepulcreto accipi poſtremo coepit.

Digitized by Google

X. Maximus episcopus, ab ineunte aetate sua strenuus & omnimodo moderatus, sanctae ecclesiae militavit. Nam & ipse prius in ecclesia beati Fortunati, sacerdotis & Christi Confessoris, est conditus: nunc vero in oratorio Ecclesiae Stephaniae, parti laevae introeuntibus, sacro Altario adeptus exsultat.

Profuit certe Maximi elogium adtexere: ex quo primum parem in utroque confessionis laudem discimus, deinde parem sepulturae honorem, non unius sed multiplicis, sed junctim semper. Postremo & locum quem utriusque corpus in Stephania occupabat, intelligimus. Quae tria non in transitu, sed accurate expendere operae pretium fuerit.

§. 2. *Par in Fortunato & Maximo confessionis laus.*

Ad *Confessoris* elogium utrique commune quod attinet; nec aetatis ejus qua Joannes diaconus scribebat, nec Joannis ipsius consuetudo fuit *Confessoris* vocabulum alia notione usurpare, quam qua antiquitus accipiebatur pro eo, qui propter Christi confessionem graves aerumnas pertulisset, etsi demum morte sua obiisset. Itaque non tantum Maximus (de quo vide ad diem XI. utrum tantum Confessor, an insuper & Martyr sit habendus) verum etiam & Fortunatus inter Christi confessores locum suum tuebatur X. saeculo, quo chronographus haec scribebat. Neque id veri similitudine caret. Res enim sic gesta videri haud ab re potest. Quum enim nobilissimus athleta delatum ad se pseudo-Sardicense decretum strenue, uti par est, repudiasset; non tulisse videntur eam repulsam Ariani, sed acriter sollicitasse Constantium, ut is modis omnibus ad consensum urgeretur, et, ubi manus non daret, exsilio & incommodis aliis maceraretur.

§. 3. *De diversis Ss. Fortunati & Maximi translationibus, junctim semper collocatorum.*

Venio jam ad multiplicem sepulturae utrique communis sortem. Ex quibus sepulturis nequa mihi forte depereat, plura sunt in antecessum notanda.

I. Jam primum illud est animadvertendum, quae ab Jo: Diacono in Fortunato *Ecclesia sui nominis*, & in Maximo *Ecclesia B. Fortunati* vocatur, eam non alibi sitam fuisse, quam extra portam S. Januarii, citra Ecclesiam S. Mariae Sanitatis Dominicanorum, atque ibi maxime ubi domus quaedam est antiquae & perillustris familiae Angrisanorum: id quod jampridem scriptores (351) nostri monuerunt.

II. Hanc autem S. Fortunati ecclesiam

(351) *De vero situ veteris Ecclesiae S. Fortunati.*

Inter eos, qui ejus ecclesiae locum indicarunt, numerandus est primo loco Capacius in sua Historia Neap. (quam anno 1607. edidit) lib. 2. in fine cap. 6. his verbis: *In aede D. Fortunati, quae in domum cujusdam INGRISARII commigravit* [male se explicat: vult autem, eam ecclesiam suo tempore evasisse domum privatam cujusdam *Ingrisarii*, seu potius *Angrisani*] *lapis inventus est, in quo haec scripta leguntur: Hic requiescit Serbulus puer in pace. Qui vix. ann. septem. mens. XV. B. M. P. Paulus fecit.* Nec plura ibi Capacius. Ceterum male *Ingrisarii* apud eum pro *Angrisani* scriptum reperiri, aliquot monumenta in hodierno Angrisanae domus sacello satis antiqua ostendunt, ex quibus *Angrisanorum* gentilitium cognomen ei familiae asseritur.

Meminit ejusdem aedis & Chioccarellus [in chronico episc. quod ann. 1643. edidit, p. 33. in Fortunato] sed locum non accurate designat. *Fuit*, inquit, *ab antiquissimis temporibus Ecclesia ... ejus nomini erecta prope S. Severi episc. oratorium; cujus adhuc exstant collacrymabiles reliquiae, quae ad praesens profanis usibus deserviunt ... ubi quoque S. Fortunati vetustissimae imagines pontificalibus induti vestibus, atque aureola decorati, ad parietem Graeco more depictae cernebantur.* Idem de S. Maximo dicit pag. 35. *Vetustissima S. Maximi effigies, pontificiis vestibus atque aureola insigniti, Graecorum more depicta, in S. Fortunati ecclesia conspiciebatur.* Ergo pi-

 ctura

Digitized by Google

ſiam errant, qui S. Severo (352) epiſcopo antiquiorem putant, quum ſit quadringentis annis recentior, nec facile ab alio, quam a S. Paulo ſeniore epiſc. Neap. medio VIII. ſaeculo exſtructa, uti capſeq. inſcriptione duce conjiciam.

III. Porro eadem S. Fortunati eccleſia diverſa forſitan habenda eſt a loco primae Fortunati ſepulturae, cujus meminit chronographus in Fortunato his verbis: *Sepultus foris urbem quaſi ad ſtadia quatuor.* Nam ſtadia quatuor ſemimilliariū conſtituunt. Atqui Angriſanorum domuncula illa, e regione hodiernae Eccleſiae S. Mariae *Sanitatis* poſita, duobus aut paullo amplius ſtadiis (h. e. milliarii quadrante) a viciniore urbis porta aberat; quae quidem ad pedes ſpeculae monaſterii Domnae Reginae, e regione *Horticelli*, tunc patebat. Vnde ad Angriſanorum illam domum ſi recto itinere tendas, minus duobus ſtadiis colligitur. Sed ſi flexuum viarum ſit habenda ratio, paullo plus duo ſtadia intererunt. Accedit, quod quum S. Fortunati eccleſia VIII. ſaeculo, uti dicetur, non ſit antiquior, non potuit ibi primum ſepulturae honorem Fortunatus adipiſci. Alius ergo quaerendus eſt primae inhumationis locus antiquior & ab urbe remotior. Nec alius profecto is fuit, quam antiquiſſima crypta ſeu coemeterium, quod Eccleſiae S. Januarii extra moenia ab ſeptemtrionibus imminet. In quem locum, facile quingentis paſſibus (*quaſi ad ſtadia quatuor*, ait Jo: Diaconus: cui *Quaſi* reſpondet Graeco *ὡς*, & idem eſt quod *plus minus*) ab urbe diſtantem, ſicuti ceteri Chriſtiani, ſic etiam S. Fortunatus principio illatus fuit.

Et ſic quidem augurabar antea. Sed animadverti poſtea, argumentum a ſtadiis petitum talo haud recto conſiſtere; quippe

ſturas illas non vidit ipſe, qui nec forſitan ipſa Eccleſiae rudera eſt contemplatus.

Poſtremo Ant. Caracciolus in Monum. Eccl. Neap. (editis ann. 1645.) p. 301. *Nunc diruta illa* [eccleſia S. Fortunati] *eſt, ibique exſtructa cernitur domus quaedam Angriſanorum, ut tradit Capacius lib. 2. c. 6.* Ex his primum vides, *Ingriſarium* illū [de quo Capacius] agnoſci a Caracciolo pro uno ex Angriſanorum familia; deinde intelligis aevo Caraccioli domum illam aedi Fortunati ſuperſtructam, non habitatam tunc quidem ab Angriſanis, ſed in eorumdem bonis fuiſſe. *Domus*, inquit, *quaedam Angriſanorum.*

His adjutus indiciis Angriſanos viros honeſtiſſimos, prope aedem S. Mariae Sanitatis incolentes, adii, certi aliquid ab iis expiſcaturus. Ab iis in vicino domuncula quaedam, diu a ſuis poſſeſſa, oſtenſa mihi fuit, in qua aediculam olim ſacram fuiſſe ab ſuis majoribus didicerunt; eccui vero ex caelitibus ſacram, effari nequiverunt. Atque ea demum mihi aedicula S. Fortunati viſa fuit, a Capacio & Caracciolo in quadam Angriſanorum domo commonſtrata. In eam quam dixi domunculam is qui dicitur *Angriſanorum vicus* [ſi a meridie in boream pergas] deſinit, laevo latere. Ejuſdem domunculae janua ſeptemtrionem ſpectat, & foribus Eccleſiae S. Mariae Sanitatis e regione obvertitur: quae toties a me nominata domuncula, quo tempore haec ſcribimus, a quodam tonſore incolitur, cique in poſtico hortulus adnectitur. Nec plura de poſitu aediculae S. Fortunati in tanta veterum veſtigiorum obſcuritate indagare potui.

(352) Meminit eccleſiae S. Fortunati Jo: Diacomus in S. Severi elogio: meminit & auctor longioris vitae S. Severi. Nam uterque narrat, a S. Severo exſtructam fuiſſe baſilicam [illam ſcil. quae hodie a noſtris vocatur *S. Severo a Peruozzo*, quae a Franciſcanis Conventualibus poſſidetur] juxta S. Fortunati Eccleſiam. Ex his porro creditum fuit, eam S. Fortunati aediculam antiquiorem S. Severi pontificatu h. e. exeunte IV. ſaeculo fuiſſe. *Verum* cum ex iis duobus ſcriptoribus, Jo: diaconus non ante exordium X. ſaeculi ſcripſerit, ille vero alter S. Severi biographus diu poſtea [uti quidem ad 29. Aprilis in S. Severo pag. 259. & ſeq. ſatis liquido demonſtravimus] eorum loca aliud non efficiunt, niſi illis temporibus, quibus ea ſcripſerunt, S. Severi baſilicam S. Fortunati eccleſiae fuiſſe vicinam. Ceterum hanc eamdem S. Fortunati aediculam VIII. ſaeculo factam fuiſſe, cap. ſeq. conjiciemus.

Et Chioccarellus quidem quas in eadem depictas ritu Graeco epiſcopor. imagines fuiſſe narrat, iis permagnam antiquitatem tribuit. At mirum ſi ea imaginum pictura tria quatuorve ſaecula ſuperaverit. Nec enim ferme niſi maſſivo opere prima illa antiquitas delectabatur: tum ſiquas coloribus depictas imagines primitus reliquerunt, eae ad noſtra aut patrum noſtrorum tempora minime peremanarunt.

Digitized by Google

quippe quum antiquorum milliaria breviora hodiernis fuerint, idemque de ceteris intervallis, ubi cum milliaribus comparantur, sit statuendum; ita ut Jo: Diaconi *quatuor stadia* antiquo quidem semimilliario respondeant, non item hodierno, quod minime adaequant: quod totum quale sit, in subjecta (353) Adnotatione expositum reperies. Hac vero observatione adhibita haud difficile fuerit ab aede hodierna *Sanitatis* (cui proxima fuit Ecclesia S. Fortunati) ad viciniorem urbis portam quatuor ferme stadia cum Jo: Diacono (h. e. antiquum semimilliarium, hodierno brevius, colligere. Verum ne sic quidem continuo S. Fortunatum primitus inhumatum dicemus in Ecclesia sui nominis, utpote non nisi VIII. saeculo extructa. Quae constructionis aetas mox cap. 4. veteris inscriptionis indicio demonstrabitur. Vbi ergo conditus initio Fortunatus fuit? In vicinia, opinor. Sed de eo mox cap. 4.

IV. Sed & S. Maximi corpus, ubi ab exsilii loco (forsitan anno 362. uti diximus ad diem XI.) reductum fuit, non alibi quam in eodem primo S. Fortunati sepulcro conditum fuit; unde postea amborum Reliquiae in S. Fortunati aedem commigrarunt. Quod si (quod supra suspicabar) S. Fortunatus haud secus ac Maximus in exsilii squalore oppetierit, & inde *Confessoris* nomen promeruerit; tum a vero non abhorrebit, amborum eodem tempore corpora ab suis exsiliis revocata, & simul tumulata fuisse, ac mox ambos diversas diversis temporibus translationes junctim sortitos.

V. 1. Harum translationum prima illa est habenda, quando, ut cap. seq. exponam, octavo saeculo a Paulo seniore in Ecclesiam sui nominis Fortunatus cum Maximo traductus fuit. 2. Altera longe celebrior, quando in Stephaniam ambo commigrarunt post centesimum ab superiore annum, agente id S. Joanne IV. hujus Kalendarii marmorei auctore. Ad eam vero sollemnem suorum, quoscumq. invenire potuit, decessorum translationem S. Joannes vicinos episcopos invitaverat. Idcirco a Chronographo scribitur, *per manus pontificum collocarunt in ecclesia Stephania*. De hac percelebri translatione plura animadvertimus in Diatriba, quam huic Commentario praemisimus, pag. XXX. & seq. Quae porro de locis in Stephania tum Fortunato, tum Maximo assignatis heic tradit chronographus, de ea re mox §. 4. haud pauca commentabimur. 3. Vltima illa fuit qua haec eadem duo corpora in aedem S. Ephebi asportata fuerunt: quo tempore, incertum: de quo vide ad finem sequentis capitis.

VI. Verum id maxime dolendum, quod de prima sepultura, ac de inde facta translatione chronographus ita perplexe & involute loquitur, ut plane enecet: quod utrum ejus veterum memoriarum ignorationi, qua forsitan laborabat, an vero ejusdem consuetae in rebus vulgo notissimis breviloquentiae, an postremo, quod magis credo, mutilato chronographi textui tribuam, haud satis queo decernere. Sed si quidem textus ad nos mancus pervenit, in eam sententiam (nam verba ipsa quis assequi possit) suppleri poterit. *Deinde post longo tempore* (*in ecclesiam*

(353) Ea res hunc in modum habet. Ex ultimorum magni nominis geographorum observationibus compertum fuit, Romana vetera milliaria, cum hodiernis comparata, rationem habere numeri V. ad IV. ita ut quina antiquorum milliaria quatuor hodiernis respondeant. Quibus maxime itineribus ad hanc observationem nuper perventum fuerit, non est hujus loci exponere. Eadem vero etiam in Graecorum stadiis ratio valebit, ubi ad milliaria reducuntur. Nam quia octo stadia vetus Romanum milliarium adaequabant, ac proinde quaterna stadia veteri semimilliario paria erant; ex eo efficitur, quatuor illa Joannis diaconi stadia, h. e. quingentos antiqui milliarii passus, non nisi quadringentis hodierni milliarii passibus (i. e. duabus hodierni quintis partibus) pares fore. Quod intervallum haud aegre ab ea urbis porta, quae olim ad pedes speculae Domnae Reginae patebat, ad aedem *Sanitatis* deprehenderitur: maxime quum Jo: diaconus *Quasi* h. e. *circiter* dixerit: *Quasi stadia quatuor*.

Digitized by Google

sui nominis translatus fuit. Tandem) *populi . . . per manus pontificum collocarunt in Ecclesia Stephania*. Quae intra parenthesim interposui, ea maxime textui deesse videntur.

§. 4. *Quaenam Joannis diaconi sententia fuerit de loco, quem duor. SS. Antistitum corpora in Stephania occupaverunt. Quid olim* Oratorium templi *fuerit, quidve Chronographo nostro* Oratorium Stephaniae. *Lex utriusque Codicis, & locus Actorum Synodi Calchedonensis illustrantur. SS. Fortunatum & Maximum non inferne in crypta, sed superne in bemate seu Oratorio sepultos; ac porro Stephaniae CATATVMBAM non subterraneam fuisse, sed superne in ipso bemate constitutam.*

Quae ultimo loco tam in Fortunati, quam in Maximi elogio idem chronographus subjicit, ea paullo accuratiorem indaginem exquirunt. In Fortunato sic definit: *Collocarunt* (Fortunatum) *in Ecclesia Stephania, partis dextrae introeuntibus, sursum ubi est Oratorium, in caput Catatumbae*. De Maximo vero ultima verba haec sunt: *Nunc vero* (Maximus) *in Oratorio Ecclesiae Stephaniae, parti laevae introeuntibus, sacro Altario adeptus exsultat*. Et harum quidem periocharum explicatio a significatu vocis *Oratorii* haud dubie pendet.

Oratorium Graecis εὐκτήριον, pluribus quidem modis accipitur: verum ubi pro parte insigni basilicae sumitur (maxime si patrium post se casum gerat, veluti *Templi*, *Martyrii*, aut peculiaris basilicae appellationis, ut in Joanne nostro *In Oratorio Ecclesiae Stephaniae*) tum meo judicio non aliud notatur, quam quod *Chorum* vocamus: quem chorum olim non in extrema apside fuisse constitutum, sed inter apsidem (in qua βῆμα h. e. *tribunal*) atque ναὸν (quem nunc *Navem* ecclesiae dicimus) satis trita res est. Hunc inquam Chorum cur antiquitus *Oratorium* fuisse appellatum mihi persuadeam, tria prae ceteris insignia testimonia faciunt, in quae in ima pagina commentamur (354) ubi plenius in eam quam

(354) *DISQVISITIO de veterum basilicarum Oratorio.*

Quid sit generaliter Oratorium. *Quid porro sit, ubi peculiariter certam Ecclesiae partem designat, ac patrium ipsius Ecclesiae casum post se gerit. Non aliud, quam Chorum esse ostenditur. Id primum Actorum Cenomanensium loco probatur. Nec aliud Graecis εὐκτήριον erat. Actorum Calchedonensium & Legis Theodosii junioris loca expenduntur, in quibus εὐκτήριον esse chorum contra Cangium evincitur. At in Joannis diacono* Oratorium Stephaniae *totum id notat, quod choro & bemate continetur: sicuti contra in Evagrio* Altaris *appellatio etiam* Oratorium *complectitur.*

Oratorium in veterib. Cyrilli Glossis tantumdem est, quod Graece εὐκτήριον. Itaque generaliter quemcumque locum orationi destinatum significat, qui & εὐκτήριος οἶκος Graecis appellatur. Nec dubium est quin sicuti & εὐκτήριον & οἶκος εὐκτήριος apud Graecos idem est quod *Ecclesia* [de quo vide loca aliquot apud Suicerum] sic etiam saepissime *Oratorium* apud Latinos eamdem laxiorem vim habeat. Mitto alias *Oratorii* intelligentias, ubi pro sacellis monasteriorum peculiaribus accipitur, aut pro privatis procerum aediculis.

Venio igitur ad eam Oratorii *notionem*, ubi pars est totius Ecclesiae: quod & ex eo dignosci potest, si patrium ipsius Ecclesiae casum post se gerat, ut heic in Jo. diacono, *Oratorium Stephaniae*, & in Constitutione Theodosii jun. *Oratorium templi*, & in Actis Calchedonensibus εὐκτήριον μαρτυρίου, *Oratorium Martyrii*. Quae quidem omnia accuratiorem tractationem a me requirunt.

Equidem sic statuo, *Oratorium*, ubi peculiaris pars templi est, nihil aliud Latinis fuisse, quam quod *Chorum* appellamus: quem chorum in medio inter Bema & populi stationem olim positum fuisse, adhuc complures antiquae Cathedrales ostendunt. Chorum igitur olim *Oratorium* fuisse vocatum, didici ex Actis episcoporum Cenomanensium apud Du-Fresnium in voce *Chorus* his verbis: *Summo coepit studio . . . superiores ejusdem basilicae partes diligenti sollicitudine laborare, ORATORIVM scil. QVOD CHORVM VOCITANT, sedemque pontificalem* &c. Itaque quem in modum Chorus a ceteris basilicae partibus

tibus distinguebatur [de quo discrimine extat Concilii Toletani quarti canon 18. ejusmodi : *Sacerdos & Levita ante Altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus*] in Choro Clerus, extra Chorum populus] idem de *Oratorio* [quippe *Chori* synonymo] judicium erit, quatenus tum ab Altari, tum ab reliqua navi ecclesiae secludebatur. Hactenus de Latino Oratorio dictis testimonium Joannis diac. consonat, quod prae manibus est. Quamquam Neapolitanam ecclesiam non mere Latinam, sed Graeco-Latinam [ex utriusque scil. consuetudine temperatam] saepe appellavimus.

Ad Graecos igitur transeo. Apud quos haud secus, ac de Latinis diximus, res obtinebat. Aliud igitur Graecis βῆμα, (*Tribunal*) sive θυσιαστήριον (*Altare*) cancellis ab reliquo aedificio discretum, aliud εὐκτήριον (*Oratorium*) erat. Hoc quidem citerius Altari erat; & ut Altare presbyterio, ita hoc Clero cetero deputabatur. Hoc ipsum Oratorium haud minus, quam Bema, septum omni ex parte erat [id quod ex Theodosiana constitutione mox observabimus] quocirca opportune in Calchedonensi synodo factum, ut pauci numero episcopi de Fide tractatum habituri, in Εὐκτήριον τῶ ἁγιωτάτω μαρτυρίω [*Oratorium sanctissimi Martyrii*, sive ecclesiae] S. Euphemiae, quippe in locum undique circumseptum atque seclusum, digrederentur, ut in Actis Calchedonensibus legitur; dum interim pro cetero conventu in reliqua templi navi subsellia sua essent.

Nec alia Valesio viro summo de eo Calchedonensi εὐκτηρίῳ (*oratorio*) mens fuit. *Oratorium* [inquit in Adnot. ad Evagrii libri 2. caput ultimum versus finem] *idem est quod Altare, quod nos hodie Chorum vocamus*. Sed in Valesium tamen insurgit Fresnius in voce *Oratorium*. *Aliud*, inquit, *fuit βῆμα seu Altare apud Graecos, aliud νεὼς vel chorus*. Verum si superiora Valesiana vir doctiss. expendisset, a reprehendendo abstinuisset. Proxime is scripserat. *Ecclesia S. Euphemiae tribus constabat maximis aedificiis : quorum primum erat Atrium, secundum Basilica, tertium Altare in testudinis formam aedificatum, ut docet Evagrius*, nempe lib. 2. cap. 3. Mox statim subjicit : *Oratorium igitur idem est quod Altare* [quatenus scil. in Evagriana descriptione latius patebat, & etiam Chorum complectebatur] *quod* [h. e. quum Altaris partem] *nos hodie Chorum vocamus*. Certe sicuti apud Jo: diaconum *Oratorium* laxius accipitur, & tam oratorium stricte sumptum i. e. chorum, quam etiam Altare complectitur; sic e contrario Evagrianum Altare suo ambitu non tantum *Bema*, sed & Oratorium sive chorum continebat. Sed cetera Fresnii videamus. Pergit. *In constitutione Impp. Theodosii & Valentiniani ... Altare ab Oratorio distinguitur*. Ex quibus infert, male a Valesio Oratorium cum Altari confundi. Quibus jam responsum fuit, nempe *Oratorium*, si Valesio credimus, non ipsum Altare stricte acceptum fuisse, sed potius chorum : qui Chorus *Altaris* nomine in Templo S. Euphemiae comprehendebatur.

Sed quando de Theodosiana Cangius Constitutione meminit; de ea nunc videamus. Ea in utroq. Cod. Tit. *de his qui ad ecclesiam confugiunt* sic concipitur : *Pateant summi Dei templa timentibus. Nec sola Altaria & Oratorium templi circumjectum* [heic, uti vides, *Oratorium* est adjectivum, *Circumjectum* vero pro substantivo habendum est a recto *Circumjectus* quartae declinationis] *qui ecclesias quadripartito intrinsecus parietum septo concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, sed usque ad extremas fores ecclesiae, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus Aram salutis esse praecipimus*. Hactenus Latina interpretatio. Sed in his quae de *Oratorio* dicuntur, ea in Graeco Codicis Justin. sic habent : ὃ γὰρ μόνα τὰ θυσιαστήρια καὶ τὸν εὐκτήριον ναὸν [alibi volunt scribi ναῦν, ut in Latino est *templi*] τὸν περιτεῖχος (in integra constitutione Graeca, quam Gothofredus subjunxit, legitur περιεχόμενον; sed ex ejus translatione apparet, ab eo lectum fuisse περιέχοντα, idque ad praecedentia relatum, non ad τυχὸν quod sequitur : eaque vera est lectio) τῶν τυχὸν περιβολὴ τυχίζόμενον.

Hanc constitutionem ubi Cangius recitasset, subjicit : *Vbi Jac. Gotofredus ORATORII nomine intelligi vult eam Martyrii* [*Ecclesiae* voluit dicere : nam lex generalior est, ad quaslibet ecclesias pertinens, quum contra *Martyrium* de ea sola ecclesia dicatur, in qua integrum alicujus Martyris corpus reconditur] *partem, a Bemate & Altari seclusam, in quam populus orationis causa secedebat*. Verum ne hoc quidem ibi Gotofredus dicit : qui quidem in suo ad Graecam Theodosii constitutionem commentario, modo *Oratorium* illud cum *Narthece* confundit (οὐ παθών, ignoro : nam majus inter ea duo, quam inter lupos & agnos, discrimen est) modo ita inter *Altare* & *Oratorium* distinguit, ut *in eo clerus*, in hoc *populus staret*. Hoc posterius [quamquam & id falsum est] si secutus est Fresnius, suoque id modo re-

finxit;

quam dixi *Oratorii* notionem digredimur.

At vero ſicuti in Calchedonenſi S. Euphemiae templo apud Evagrium lib. II. 3. ultima templi pars non tantum bema & S. Euphemiae tumulum, verum & *Oratorium* (de quo Acta Calchedonenſis ſynodi teſtantur) comprehendebat; ſic contra hoc loco Joannes noſter *Oratorii* vocem laxius ita ſumit, ut non tantum eum quem dixi *Chorum*, ſed & θυσιαστήριον *Altare*, ſive βῆμα *Tribunal* complectatur; ita ut *Oratorium* hac laxiore notione acceptum in partes duas tribuatur, in *Oratorium* ſtricte ſumptum i. e. Chorum, & in *Altare* ſeu *Tribunal*. Id inquam totum haud immerito σύνκριτον & *Oratorium* X. ſaeculo dicebatur, quia id totum ſeorſum a laicis Cleri ſtationi addicebatur, & non niſi ad pſallendum ceteraſque publicas precationes peragendas deputabatur.

Quin imo videtur heic chronographus (ut haud raro in his talibus fit) ab eo latiore *Oratorii* ſignificatu, per quem etiam *Bema* complectitur, eo demum progreſſus, ut ipſum Bema ſive Altare peculiariter *Oratorium* nuncuparet. Nam in Fortunato ait, *Surſum ubi eſt Oratorium*. Atqui illud *Surſum*, etſi Choro, quippe ſublimiore prae reliqua baſilica, convenire queat, tamen aptius ad βῆμα (*tribunal*) refertur; ſicuti & quod additur, *In caput Catatumbae*; quia capiti Catatumbae Altare reſpondebat. Adhaec in S. Maximo, *In Oratorio*, inquit, *Eccleſiae Stephaniae*. Hactenus late ſumptum Oratorium tum chorum tum etiam tribunal complectebatur. At ea ſignificatio per id quod ſequitur coercetur: *Sacro Altario* (quae Oratorii pars eſt ex duabus una) *adeptus exſultat*.

Illud autem non ſatis queo decernere, quam in partem chronographi verba ſint accipienda, utrum inferne hos duoviros in crypta collocatos velit, an ſuperne in baſilica. Prius ſuadere videtur diſerta *Catatumbae* mentio, *In caput*, inquit, *Catatumbae*. Vbi *Caput* idem eſt, quod & *Capitium* & *Capſum* (vide Du-Freſnii Gloſſarium in his tribus vocibus) vocabatur, idque nomen eccleſiae βήματα ſeu presbyterio reſpondebat. Catatumba autem formam ſuperioris baſilicae imitabatur. Id ergo ſi ſequimur; dicemus hoſce duoviros inferne in capite cryptae ſepultos, ſed eorum corpora Altari baſilicae deſuper impoſito reſpondiſſe, unum ſcil. dextro, alterum ſiniſtro ejuſdem Altaris lateri. Nec ea ſepeliendorum Sanctorum ratio ab antiquorum conſuetudine abludit, ita ut in crypta ad perpendiculum ſuperioris Altaris conderentur.

Sed longe veriſimilius alterum duco, eos nim. antiſtites in ſuperiore baſilica collocatos. I. Primum enim id IX. ſaeculi (quo id factum) mori magis eſt conſentaneum, quo ſacra pignora e locis ſubterraneis levabantur, & ſupra terram, ſive ſub Altari, ſive alibi, locabantur, ac praeterea iis *Freda* ſive *Repa* h. e. ciborium imponebatur: quod genus chronographus noſter in S. Joanne IV. *Arcuatum tumulum* vocat, ubi de hac plurium SS.

finxit; id nihili eſt. Nec enim ubi populus ſtabat, id *feceſſus* dici poteſt [quo, inquit Cangius, *populus orationis cauſa ſecedebat*] quia populi ſtatio late per majorem baſilicae partem diffuſa erat, & omnibus pervia. Haec de doctiſſimo Cangio: cujus illuſtriora ſunt in litteras merita, quam ut ejuſmodi naevis obſcurari queant.

Jam vero quod in Theodoſiana lege *Oratorium* τετράγωνον (*quadratum*) & murorum ambitu circumſeptum dicitur, id etiam in Chorum optime convenit. Nam ejuſmodi formam hodienum in aliquot baſilicis, in quibus chorus antiquus ſupereſt, plane refert. Etſi Graeci poſteriores in ſuis poſtea templis chorum, circumſeptum illum quidem, ſed non tam quadratum, quam rotundum aut ovalem conſtruere maluerunt. Sed Latini priſcam formam quadratam, utpote ſerietati ſtructurae convenientiorem, retinuerunt.

Ceterum ſicuti S. Euphemiae Martyrium ita ab Evagrio lib. II. 3. deſcribitur, ut neceſſe ſit ſub *Altaris* nomine etiam *Oratorium* veniſſe; ſic viciſſim in eo Jo: diaconi loco, qui praemanibus eſt, *Oratorii* appellatione etiam bema & Altare comprehenditur, ut praemonuimus; quia SS. Fortunati & Maximi corpora in Altari repoſita fuiſſe, diſerte idem chronographus narrat.

Digitized by Google

SS. antiſtitum, in quibus hi duoviri erant, tranſlatione agit : de quo plura attulimus in Diatriba quam huic Commentario praemiſimus, pag. XXXII. & deinceps. II. Deinde diſerte Noſter, SVRSVM VBI EST ORATORIVM poſitos narrat : quae vox *Surſum* tantumdem eſt quod *Superne*, nec ad proximam vocem *introeuntibus* eſt referenda (quo circa inter utramque ὑποστιγμὴν *levem diſtinctionem* adhibuimus) ſed ad remotiorem *Collocarunt* pertinet hoc modo: *Collocarunt in .. Stephania, partis dextrae introeuntibus, ſurſum ubi eſt oratorium*. Niſi mavis claritatis gratia παρεμβάλλειν, *interponere* hoc modo: *Stephan.* (*partis dext. introeunt.*) *ſurſum* &c. III. Adhaec in Maximo diſerte ait, *Sacro Altario adeptus exſultat.* Quo quid certius afferre poterat? IV. Poſtremo quod in Fortunato addidit, *In caput catatumbae*, ſi quidem *Catatumba* pro crypta ſubterranea ſit accipienda (de quo mox) id eo pertinet, quod id Altare *Capiti* aut *Capitio* catatumbae inferne poſitae reſpondiſſe chronographus monet. Quorſum id, inquis, monet? Forſitan id eo ſpectat, quod quia laicis ſacras horum Antiſtitum Reliquias veneraturis non ſinebatur (ſaltem tempore celebrationis myſteriorum) proxime accedere, quod eis in presbyterium aditus haudquaquam patebat; ex eo fiebat, ut qui propius eas cuperent inviſere, & multum in eo temporis infumere, ut erat illorum temporum in ſacra lipſana ſtudium, ii cryptam adeuntes, ea parte procumbebant, qua parte (illuſtri ſcil. aliquo ſigno notata) ſacra illa pignora ſuperne recondebantur. In horum ſcilicet gratiam Noſter ſuae curae eſſe duxit, notare horum duovirorum ſepulcrum *Catatumbae Capiti* reſpondiſſe.

Verum ea ratio coactior videtur, & e longinquo petita. Atqui omnis, crede mihi, difficultas evaneſcet, ſimul ac de ſignificatu *Catatumbae* conſtiterit. Non enim neceſſario crypta ſubterranea erat, ſed (quidquid de *Catatumba* in univerſum ſit) ea ſaltem, cujus heic chronographus meminit, ſuperne in ipſo bemate erat. In quo quia plures Sanctorum tumbae in orbem diſpoſitae ab S. Jo: IV. fuerant, idcirco is locus *Catatumba* vocabatur: de quo vocabulo vide dicta in Adnot. 350. In ejus vero Catatumbae capite & Altare erat, & SS. Fortunati & Maximi corpora.

Hoc quod dixi, Stephaniae Catatumbam non fuiſſe ſubterraneam cryptam, ſed ſepulcrorum ſeriem ſupra terram poſitorum cum ſuis deſuper Fredis, ſive Repis aut *arcuatis tumulis* (ut locutione Jo: Diaconi utar) id cum iis congruit, quae in citata toties Diatriba pag. XXXI. & ſeq. de generali SS. Antiſtitum Neapolitanorum tranſlatione ab S. Joanne IV. facta diſſeruimus. Vide ibi obſervata. Et haec de loco ſane difficili chronographi noſtri dicta ſufficiant.

Interim hoc, ſiquid aliud, apprime ad SS. Fortunati & Maximi dignitatem pertinet, quod a S. Joanne IV. ceteriſque pontificibus (*per* manus, inquit, *pontificum*) & in Altari & *in caput Catatumbae* collocati fuerint.

CAP. IV.

De inventione SS. Fortunati & Maximi in aede S. Ephebi. Inſcriptio ibi reperta exponitur & ſuppletur. Ex qua tempus eccleſiae S. Fortunati conditae arguitur.

Acta inventionis corporum SS. Fortunati & Maximi antiſtitum Neap. in aede S. Ephebi [quam ſub nomine *S. Eſrimi veteris* nunc Capucini poſſident] reperies apud Papebrochium die XXIII. Maii in S. Ephebo, ſive ut ipſe vocat *Euphebio*: de quo nomine vide nos dicto die 23. Maii. Ea inventio in annum 1589. incidit: cujus inventionis Acta neceſſe eſt a Chioccarello [qui quatuor & quinquaginta poſt eam inventionem annis ſuum Epiſcoporum chronicon evulgavit] minime viſa; alioqui non ea (355) ſcripſiſſet, per

(355) Chioccarellus pag. 33. in S. Fortunato, poſt recitata Jo: diaconi verba, quibus narratur in Stephaniam fuiſſe translatus; ſuam dubitationem his verbis aperit: *Quod* [Jo: dia-

Digitized by Google

per quae scilicet, utrum SS. Fortunatus & Maximus in aede S. Ephebi quiescant, serio dubitat.

Simul autem cum sanctorum Antistitum Lipsanis reperta & marmorea tabella fuit his verbis inscripta. HIC IACENT CORPORA SANCTORVM MAXIMI ET FORTVNATI SVB PAVLO PRIMO. De qua inscriptione jam quaedam in Diatriba, quam huic nostro Commentario praeviam fecimus, parte I. pag. XXIII. & seq. occupavimus dicere; illudque in primis, verbis illis SVB PAVLO PRIMO non alium designari, quam S. Paulum (356) episcopum Neapolitanum, qui ab anno 759. in cathedra Neapolitana sedit. Id quia ibi affatim demonstratum fuit, ulteriore demonstratione non indiget. Ex ibidem dictis, illud etiam constat, marmor non sub eo Paulo adhuc vivo potuisse scalpi [nec enim is Paulus διαφέρων *Primus* dici poterat, nisi postquam ei alter ejusdem nominis successisset] sed non nisi post tempora *Pauli junioris*, qui quidem *Paulus junior* sive *secundus* ab anno 795. ad usque initia noni saeculi Neapolitanae Ecclesiae gubernaculis adsedit. Qui quidem duo Pauli in hisce marmoreis Fastis inter Sanctos coluntur, senior sive *Major* die III. Martii, *Junior* die XVII. Februarii: ad quos dies vide quae adnotavimus. Sed eo redeo. Ne statim quidem sub Paulo II. aut labente IX. saeculo idem marmor incidi potuit, sed multo serius, ubi primum scil. ea duo corpora de Stephania [in quam ea intulerat S. Joannes IV. medio IX. saeculo] in aedem S. Ephebi translata, & junctim ibi tumulata fuerunt.

Et ea quidem clariora sunt luce meridiana. At ne illud quidem obscurum esse debet, recitatam epigraphen omnino mutilam esse habendam; sive quia in praecedente aliqua inventione aut translatione marmor, ut angustiori loculo aptaretur, detruncatum fuerat; sive quod (si forte fingamus integrum in ultima inventione marmor fuisse) ea tantū legi potuerunt, cetera [quod in inferioris aevi lapidibus non est insolens] intelligi ac describi nequiverunt. Vtcumque inquam sese res habuit; certe id epigramma mancum ad nos pervenit. Quod quidem si pro integro habeas; ex eo inferetur res absurdissima. Quae tandem? Nempe inde colligeretur, sub episcopo Paulo primo, h. e. medio VIII. saeculo, ea duo corpora in aedem S. Ephebi translata fuisse: quod est falsissimum. Etenim quo pacto Paulus octavo saeculo ea Lipsana in S. Ephebi, in qua ad nostram aetatem permanserunt, transferre potuit, quum sciamus, eadem duo corpora medio IX. saeculo in Stephaniam a S. Joanne quarto illata fuisse? Qui quidem, quando ea in Stephaniam invexit, non aliunde quam ab Ecclesia S. Fortunati [ut cap. superiore

diaconi testimonium] *illis, qui* (Fortunatum) *in S. Euphebii basilica QVIESCERE ARBITRANTVR, ADVERSATVR.* Atqui nullo modo adversatur; quia chronographus ille de ineunte X. saeculo, quo scripsit, testis est, non de post eum secuturis temporibus. Nec meliora sunt, quae statim addit. *Numquam in antiquis patriis scriptoribus recolo, me legisse, S. Fortunati corpus in S. Euphebii ecclesia aut sepultum aut aliquando fuisse translatum. Latet enim nos, quando, a quibus & quam ob causam ejus sacrum corpus translatum fuerit in eam ecclesiam S. Euphebii extra moenia, quam Capucini patres incolunt, ubi nostra aetate repertum fuisse traditur, simul cum corporibus SS. Euphebii ac Maximi.* Ergo vir acutus famae inventionis ejus minime fidit; certe, quia in Acta inventionis ejus, a Papebrochio postea producta, non incidit, nec in inscriptionis ibidem repertae exemplum. Interim argumento (uti vocant) negativo fretus, famam inventionis ejus convellit.

(356) Nostri homines, a quibus tunc marmor illud visum fuit, hunc *Paulum primum* pro Paulo Papa, qui ab anno 757. sedit, acceperant. Quam opinionem etiam Papebrochius, vir cetera haud naris obesae, arripuerat in suo S. Euphebio ad 23. Maii: quod nos in cit. Diatriba pag. XXIII. confutavimus. Sed haeror, eumdem Papebrochium in suo de S. Fortunato (ad diem XV. Junii) commentario id demum recantasse, atque agnovisse, eum episcopum Neapolitanum fuisse qui saeculo VIII. floruit.

Digitized by Google

riore vidimus] amoverat. Fatendum est igitur, ea pignora prius in aedicula S. Fortunati jacuisse, mox IX. saeculo inde in Stephaniam asportata; ac demum non nisi ex Stephania ablata fuisse, ut in aedem S. Ephebi importarentur: quo tempore, incertum: sed omnino post aetatem Pauli primi, imo & post nonum saeculum.

At enim, inquis, si sub Paulo primo ea in S. Ephebi translata, fateri nolumus, quid, illud SVB PAVLO PRIMO in ea inscriptione facit?

Dicam equidem de ea re quid conjecerim. In ea epigraphe, ut mihi quidem videtur, universa translationum amborum Praesulum series contexebatur, initio facto a Paulo primo, qui primus mihi videtur ea utriusque Lipsana in aedicula S. Fortunati simul condidisse: quae mox ab Joanne IV. in Stephaniam transvecta; postremo post multum temporis ab alio sive episcopo, sive Archiepiscopo Neap[cujus nomen marmor ea parte sive lacerum sive corruptum nobis invidit] in aedem S. Ephebi traducta fuerunt.

Et in hac quidem interpretatione prona sunt omnia, modo illud verisimile fiat, a Paulo primo & ecclesiam S. Fortunati constructam, & in ea duo illa corpora fuisse reposita. At certe eum molitum aliquid in Fortunati & Maximi honorem, inscriptio clamitat. Nec aliud certe ab eo, quam quod dixi, factum oportuit, priore maxime sui episcopatus biennio, quo nondum ad episcopium admissus in Ecclesia S. Januarii extra moenia degebat. Afferam chronographi Joannis verba. *Qui* (Paulus) *consecratus episcopus, Neapolim est directus; sed propter Graecorum connexionem noluerunt illum recipere sui concives. Inito tamen consilio eum ad Ecclesiam S. Januarii Christi martyris* [ea est ecclesia S. Januarii extra moenia] *non longius ab urbe dicatam, transmiserunt. In qua duos ferme annos degens, plura construxit aedificia.* Eorum quidem aedificiorum duo tantum refert facta in eadem S. Januarii basilica, triclinium, & fontem baptismatis. At de aedificiis extra eam basilicam, sed in vicino factis tacet: inter quae locum habere debuit aedicula S. Fortunati, haud longe ab Ecclesia S. Januarii meridiem versus sita. Hanc inquam aediculam [cujus situm superiore cap. in Adnot. 351. commonstravimus] Paulus sive omnium primus a fundamentis exstruxit, in eamque corpora SS. Fortunati & Maximi [quae forsitan prius in coemeterio S. Januarii, aut alibi in proximo jacebant] transtulit; sive saltem vetustate fatiscentem refecit exornavitque, aut postremo sepulcrum, antea neglectum, decentiorem in formam redegit; eoque in sepulcro eorumdem corpora, antea a se levata, honorificentius collocavit. Certe quidquid id fuit, aliquid omnino memoria dignum circa eas Reliquias praestitit, quod mutila inscriptio eloquebatur. Mox saeculo IX. easdem Reliquias S. Joannes IV. in Stephaniam invexit. Tandem aliquis episcopus aut archiepiscopus exstitit [cujus nomen in mutila tabella exprimebatur] qui eadem duo corpora in S. Ephebi ecclesiam intulit, unaque tumulavit.

Id unum nunc relinquitur, ut eam quam dixi mutilam inscriptionem suppleamus non eisdem quidem quibus primitus ab auctore suo conscripta fuit verbis [quis enim ea augurando assequatur?] sed eâdem fortassis sententia. HIC IACENT CORPORA SANCTORVM MAXIMI ET FORTVNATI (olim) SVB PAVLO PRIMO *in Ecclesia S. Fortunati simul condita, deinde sub Joanne quarto in Stephaniam translata, postremo sub . . .* (τῷ δεῖνα) *in S. Ephebi Ecclesia iterum conjunctim tumulata*. Vtinam inscriptionis hujus mutilae (quae inconspicua ibidem relicta fuit) contemplandae potestas fieret; nam certe ex characterum forma aevum marmoris, ultimaeque translationis augurari liceret. At Papebrochius, quum (hëic in S. Fortunato) intellexisset, eam inscriptionem

Digitized by Google

videri mutilam; non recte tamen eam supplevit. Cujus supplementum pag. 1053. num. 6. tale est. *Hic jacent corpora Sanctorum episcoporum Maximi & Fortunati, sub Paulo primo ad Ecclesiam S. Salvatoris allata* (&) *in Stephaniam translata* (atqui Ecclesia Salvatoris eadem quae Stephania, ut alibi ostendetur ad Kalendas Decembres: ut alia interim hujus supplementi vitia omittam, illudque in primis, quod non a Paulo primo, sed post centum annos ab Joanne IV. in Stephaniam translatio facta fuit) *& sub M.* (Marinum Archiepiscopum intelligit, nullo fundamento nixus) *in hac S. Euphebii collocata.*

Dixerit aliquis, cur a Paulo I. inscriptio exorditur, praetexiens interim superiora tempora, per quae alicubi certe tumulata ea duo corpora oportuit; neque id ab auctore epigrammatis omitti debuit. Quibus respondeo, id maxime auctori tituli hujus fuisse propositum ostendere, quam dudum ii duo Antistites conjunctim sepulti fuerint. Id, inquit, primum accidit sub Paulo primo; qui quum seorsum inhumatos repeniisset, eos communis sepulcri honore in Ecclesia S. Fortunati est prosecutus. Id imitatus S. Joannes IV. eosdem in Stephania junctim sub Altari condidit, nullo alio quam dextrae laevaeque partis discrimine. Postremo eadem corpora in aede S. Ephebi junctim quoque fuere reposita. Atque huc maxime pertinet visio Xysto V. Pontifici Rom. oblata: de qua vide dicta in toties citata Diatriba, huic commentario praepositа, pag. XXIV. in subjecta Adnotatione. Nam in Actis inventionis SS. Fortunati & Maximi apud Papebrochium loco citato narratur, rogantibus Capucinis, ut sibi unum ex iis duobus corporibus in aedem Conceptionis [vulgo *S. Efremo Nuovo*] transferre permitteretur, Pontifex respondisse, vetari se id facere Sanctorum eorumdem ostento. Nam SS. Antistites sibi secundum quietem adfuisse, ac porro prohibuisse, ne qui PER OCTINGENTOS ANNOS una jacuissent, tunc demum divelli sineret. Cui viso ratio temporum suffragatur. Nam certe ab anno 760. quo Paulus primus sedebat, ad annum 1589. quo ea corpora detecta fuerunt, anni paullo plus octingenti colliguntur. In maximis autem summis numeri integri, neglecto eo quod excurrit, exprimi semper consueverunt.

Ceterum utinam tempus ultimae translationis in S. Ephebi aedem assequi conjectura possemus. Papebrochius quidem, uti vidimus, ita mutilum marmor supplevit, ut eam translationem ad Marini Archiepiscopi tempora [qui usque ad medietatem saeculi XII. sedit] referret. Qua de causa sic putaverit, non commemini. Sed profecto causa vix (357) ulla fuit. Nec nisi ex characterum forma, quae in eo mutilo marmore cernebatur, aetatem inscriptionis, ac simul ultimae translationis assequi conjiciendo dabatur. Nunc quandoquidem ibidem marmor repositum fuisse fertur; quam mox iterum in conspectum se dederit, posteritas exspectabit.

Postremo quod Papebrochius in hoc Fortunato [pag. 1053. num. 9. 10.] id dat operam, ut ostendat, duplicem Neapoli seriem episcoporum fuisse, Latinorum unam, Graecorum alteram; de ea quae-

(357) Nisi illud permovit Bollandianum socium, quod apud Chioccarellum pag. 132. ad finem collectaneor. de Marino Archiep. notatur ex auctoritate Georgii Vasarii, nempe per ea tempora Cathedralem Neap. ecclesiam magnifice erectam fuisse, & graphice ornatam. Verum praestabat hujus generis historiam ex patriis scriptoribus, qui prorsus silent, quam ab extero haud satis antiquo addiscere. Deinde & medio saeculo XII. Cathedralis tam eximie exstructa fuit; quid necesse erat exeunte XIII. saeculo sub Andegavensibus regibus iterum a fundamentis exstrui in eam formam, quae nunc visitur? Illud propius fidem puto, quae a Chioccarello ibi ex Vasaro narrantur, ad eam postr. Cathedralis constructionem, quae sub Carolo II. Andegavensi & Archiep. Philippo Minutulo magna ex parte contigit, esse referenda, & a Vasario tempus rei gestae haud ex vero designatum fuisse.

Digitized by Google

quaestione, apud scriptores nostros minime incelebri, etsi nonnulla praelibavi jam supra extremo cap. 2. ubi de Calepodio; tamen alia longe plura & meliora, maxime citeriorum temporum, opportuniore loco dabimus; jam enim taedet longioris itineris.

XV DP MARONIS ĒPI NRI ET S VITI

PARS PRIOR

De S. Marone episcopo Neapolitano.

I. *Ejus Episcopi Nomen.*

HUjus antistitis nomen apud Latinos usitatissimum fuit; neque id tantum in nobilissimi poetae Mantuani familia, sed & passim alibi. Vide Gruteri, & Muratorii indices nominum propriorum. Hoc autem eo dixi, nequis (uti sunt hominum ingenia ad credulitatem prona) ex eo quod P. Virgilium Maronem Neapolitano otio diu delectatum traditur, necesse prorsus esse contendat, nostrum hunc Maronem ad ejusdem clarissimi poetae familiam pertinere.

Sed & longe apud Syros usitatius *Maronis* nomen fuit, imo & eorum gentis peculiare; apud quos unos id nomen suam significationem obtinet. Apud Syros enim *Maro* tantumdem est quod *Dominus*; quum contra apud Latinos Graecosque *Maro* nihil significet: ut non immerito putem, *Maronis* nomen ad Latinos non nisi ex oriente cum aliis pluribus pervenisse, sive primitus per Tyrrhenos, sive secutis temporibus per Syros in Italia frequentes. Celeberrimus autem inter Syros fuit *S. Maro* Abbas celeberrimi monasterii Maronitarum, a quo universi Syri *Maronitae* suum nomen postea traxisse creduntur. Agit de hoc S. Marone Theodoretus in Philotheo cap. 16. deque eodem omnes Syrorum chartae passim loquuntur. Sed & Chrysostomi epistola ad eumdem Maronem missa circumfertur; ex qua aetas S. Maronis monachi arguitur, S. Marone Neapolitano multo citerior. Fuere post S. Maronem Abbatem plures alii apud Syros Marones; de quibus doctiss. Assemani Bibliotheca Orientalis eloquitur.

Fit & in Hieronymianis Mrologiis, & in aliis ex Hieronymiano fonte propagatis, die XV. Aprilis mentio S. Maronis Mart. perantiqui in Italia: quem facile primo Christi saeculo, aut alteri ineunti imputes. Itaque cum hoc Marone martyre Neapolitanus decertare de antiquitate poterit.

Hactenus de *Maronis* nomine. Verum & illud a nonnullis nostrorum creditum video, Maroni nostro duo fuisse nomina; appellatum enim *Maronem Severinum* volunt ex nescio cujus [358] Ms. fide. Atque inde sperant solvi difficultatem illam posse, undenam *S. Severinus* ille prodierit, quem inter SS. episcopos Neapolitanos quidam scriptores, sed non omnium accuratissimi, numeraverant. De eo Severino, falso in album Neapolitanorum praesulum intruso, videantur adnotata ad diem VIII. Januarii.

II. *Aetas.*

Hunc Jo: diaconus tertium ab Aspremate numerat his verbis: *III. Maro episcopus* &c. Quod si re vera tertius in sede Neapolitana consederit, inter primi saeculi antistites jure numerandus videbitur. Verum numerales notas pontificibus praepositas, veraciores in Marone, quam in aliis, aegre crediderim. Nec facile alio notae istae pertinent, quam ut pateat, quod Maroni superinducunt, silent hi Fasti marmorei, silet Joannes Diaconus. Ac bene est, quod Tutinus ipse huic novo *Severini* nomini, quod antiquitas ignoravit, haud magnopere insistit, nec illam P. Beatilli schedam videtur magni facere.

(358) In Tutini manu exaratis memoriis, quae in Bibliotheca Brancatiana S. Angeli ad Nilum asservantur, refert Tutinus ipse se reperisse in quodam Ms. codice P. Beatilli Jesuitae scriptum: *MARO SEVERINVS episcopus Neapolitanus integerrimae vitae ac Sanctitatis enituit.* Verum de altero hoc *Severini* nomine,

quotus hic aut ille inter eos praesules, qui ex prioribus illis obscurissimis saeculis adhuc supersunt, sit numerandus. Vtut tamen est, certe Maro noster inter antiquissimos cathedrae Neapolitanae pontifices referendus est, ac facile altero Christi saeculo vixerit: quo medio eum sedisse, Blanchinianus episcopor. Neapolitanorum catalogus praefefert.

III. *Cultus & depositionis dies.*

Ex hisce marmoreis tabulis non tantum cultum hujus Antistitis discimus, sed et depositionis diem, hunc ipsum scil. cui cum nota DP. assignatur. Ceteroqui de cultu satis etiam nos certos effecerat brevissimum Jo: diaconi elogium, quod tale est.

III. Maro episcopus. Cum his praedecessoribus suis ob sanctitatis meritum in Ecclesia Stephania translatus esse videtur.

Vbi illud *videtur* non dubitantis est, sed asseverantis ex consuetudine sequioris aevi. Vult igitur, S. Joannem IV. in ea sollemni translatione, qua nono medio saeculo suorum decessorum, sive antiquitus sive a se recens inter sanctos relatorum, corpora in Stephaniam intulit [de qua translatione tum in Diatriba huic commentario praevia, tum nuper in S. Fortunato cap. 3. & 4. actum fuit] etiam S. Maronis corpus cum suis duobus decessoribus *Asprenate* & *Epitimeto* in Stephaniam importasse; idque cognita causa fecisse: *Ob sanctitatis*, inquit, *meritum*. Ex quibus verbis etiam de *S. Epitimeti* cultu discimus, etsi in hisce marmoreis Fastis minime signati, sive quod hoc marmor ante Translationem scalptum fuerit, sive quod, quum de ejus depositionis die minime constaret, laboratum in assignando die officii fuerit. Haec de Maronis cultu.

Qui tamen cultus postea intercidit. In nullo enim liturgicorum librorum, in nulla membrana aliove monumento S. Maronis vestigium superest. Etsi qui eumdem alio nomine *Severinum* volunt nuncupatum, perseverasse ejus cultum die VIII. Januarii jactitant: quod nihili est.

PARS ALTERA
De S. VITO et sociis martyribus.

§. I. *De horum cultu per Occidentem pervagatissimo, maxime in Campania.*

Quum in Hieronymianis martyrologiis Vito huic Modestus atq. Crescentia socii adjungantur, idemque in posterioribus monumentis fiat (Beda excepto, apud quem nulla sociorum est mentio) fatendum est, hoc Fastorum nostrorum loco non μονάδα (*unionem*) sed ternionem martyrum proponi colendum. Nam ut centies inculcavi, hoc nostri sollemne habent, ut signifero tantum signato, reliquum commilitium subaudiri necesse sit.

Hi vero socii in actis quae nunc exstant, Viti pueri nutritores fuisse dicuntur. Quo referendum est illud quod acta S. Viti a Papebrochio edita Modestum saepe *papatem* Viti nuncupant, & quod Rabanus Modestum Viti *paedagogum* vocat, Crescentiam vero ejusdem *papatissam* i. e. παιδαγωγίσσαν. Quibus vocabulis nihil est quod heic (359) immorer.

Atque

(359) *De Papate & Papatissa, SS. Modesti & Crescentiae officio.*

PAPAS, PAPATIS vox Latina est, forsitan ex Graeca πάππας [pro qua alicubi scribitur πάπας] derivata, ac paedagogum significat. Glossae Isidori: *Papas, paedagogus qui sequitur studentes.* In Papia haud dissimilia de hac voce reperies. At notabilis est Juvenalis hanc vocem usurpantis locus Sat. VI. v. 631.

Mordear ante aliquis: quidquid porrexerit illa
Quae peperit, timidus praegustet pocula papas.

Quo loco paedagogum intelligunt: qui apud poetam etiam praegustatoris officio fungitur.

Ac mirabar equidem, quanam de causa hoc vocabulum a Latinis omnibus lexicis abesset, quum eo nobilis satirarum scriptor uti non dubitaverit. Verum ejus poetae scholiastes mihi dubitationem exemit, sic adnotans: *Sequun-*

Digitized by Google

Atque horum quidem martyrum cultus non tantum antiquiſſimus eſt, quippe in Gelaſiano ſacramentario, aliiſque paſſim liturgicis libris obvius, verum etiam longe lateque per Occidentem totum propagatus. De Neapolitanorum cultu non tantum hae marmoreae ephemerides fidem faciunt, verum etiam & poſteriora Kalendaria. In eo certe Kalendario quod Tutinus ex Neapolitano Rituali deſcripſit, hoc die legitur: *Viti & ſoc. ejus*. Inter antiquas Neapolitanas eccleſias, quas idem Tutinus ex veteribus chartis collegit, memoratur *Oratorium S. Viti ad Campagnanum extra portam D. Vrſi*. Haec de Neapoli. Capuae vero cultus longe celeberrimus fuit. Agitur de hoc ternione hoc eodem die in Capuano vetere breviario, quod penes me eſt: in quo tres lectiones ſunt, ferme cum Adonis compendio conſentientes: agitur & in aliis Eccleſiae Capuanae Kalendariis. Jam vero has S. Viti eccleſias enumerat Mich. Monachus in Sanctuario Capuano pag. 512. *Eſt* (hodiedum) *eccleſia parochialis in* (pago) *Hercule; exſtitit olim in territorio Cancelli, & in Cellarulo, & in Palmentata, & in monte S. Nicolai* (olim *Tiſata* dicebatur) *a tergo ſupra* (Vulturnum) *flumen*. Finis non ſit, ſi de Viti hujus cultu per Campaniam antiquas memorias colligere ſit animus.

§. II. *De S. Viti actis jam pridem ante Adonem ac Bedam corruptis. Videri ex Vito Siculo Vitoque Lucano unum martyrem fuiſſe conflatum, atque hanc primam labem actis aſperſam mox ſordibus aliis anſam dediſſe.*

Ac me quidem, quo minus de hiſce martyribus longiorem contexam commentarium, duo maxime prohibent, primum quod eorum acta ad nos inquinatiſſima pervenerunt (de quo mox) alterum quod jam a viris doctis occupata ſint ferme omnia. Itaque ſatis erit digitum ad fontes intendere. Videantur de his igitur praeter antiquiores, Baronius & Florentinius, ad ſua quiſque mrologia, Tillemontius tom. V. Papebrochius copioſe ad hunc diem, Sollerius ad Vſuardum, Bailletus ad hunc diem; quibus addi poteſt nonnullum etiam Dominici Georgii ſpicilegium in ſuis ad Adonem adnotatis.

Jam vero quod modo de actis horum pugilum turpiter contaminatis conquerebar; ſciendum eſt, id flagitium nec heri nec nudius tertius admiſſum eſſe. Compendium certe hujus paſſionis, quod in Adone legitur, jam ante id tempus fuiſſe eam hiſtoriam foedatam oſtendit. Nam Adoni cum hodiernis actis magna ex parte convenit. Sed & Lectiones Capuani breviarii alteram hujus corruptiſſimae hiſtoriae epitomen complectuntur parum ab Adone diverſam: quam adhuc ignotam huc ſtatui compertare, lectoribus uſui futuram ad noſtram de S. Viti actis ſententiam melius percipiendam.

Lectio I. *Apud Siciliam B. Vitus puer egregius & fidelis annorum XII. opitulante Domino martyrium conſummavit. Hic a patre crebro* (*) *verberatur, quia idola contemnebat. Quod audiens Valerianus praefectus,*

tur duo verſiculi

Mordeat ante aliq. quidq. porr. illa.
Quae pep. tim. praeg. poc. PAPPAS.

Qui (verſiculi) *in aliis non ſunt*. Quin & haec eadem verba ex Probo citat Georg. Vallae in Juvenalem commentarius [quem habeo editum ann. 1486.] ſic adnotantis: *Hi duo* (*inquit Probus*) *verſiculi in aliis non ſunt*. Ex quibus intelligitur, qui primi lexicis ſcribendis aut amplificandis operam dederunt, eos hanc vocem quaſi dubiam aſpernatos, ut quae non in omnibus Aquinatis poetae exemplaribus reperiretur.

Porro ὁ *παππας* [ex qua Latinum *Pappas*: quod duplicato elemento in Mss. & primitus editis reperitur] pro Syracuſia voce habuit Euſtathius. Quo minus mirandum, ſi in Actis S. Viti Siculi ea vox ſaepius recurrat.

At quod ex *Papas* fiat vox feminina *Papatiſſa* [quae certe vox nec in Freſnii Gloſſario occurrit, nec alibi], ex hoc Rabani loco diſcimus, qui eam in actis S. Viti certe reperit, in quorum ſcriptis aliquot exemplaribus hodiedum legitur.

(*) *Catomis caedi* pater filium fecit, ut in Actis dicitur. De *catomis* ad faſtidium uſque viri doctiſſimi decertarunt.

Digitized by Google

Rus, puerum accersivit, & sacrificare nolentem fustibus caedi jussit. Inde redditus patri, cum illum pater poenis affligere meditaretur, angelico monitu navim conscendens, comitantibus secum Modesto & Crescentia nutritoribus ejus, ad Tanagritanum (**) territorium devenit.

Lectio II. *Cum autem juxta fluvium, quod dicitur Siler, aquila eis afferente cibum, commorarentur; multa ibidem mirabilia faciebant. Interea Diocletiani Imp. (***) filius a daemone arripitur, & nisi Vitus (****) Lucanus veniat, se nunquam exire fatetur. Vitus quaeritur, & invenitur; ad imperatorem ducitur, ac ejus filius illius oratione curatur. Sed cum impius imperator ei suaderet, ut diis culturam impenderet, ejusque animum a bono proposito mutare non posset, magno ferri pondere astrictum in carcerem tenebrosum cum Modesto & Crescentia induci jussit.*

Lectio III. *Deinde in clibanum ardentem mittuntur, & illaesi egrediuntur. Post hoc leo ferocissimus eis dimittitur & ab ipsis fidei virtute placatur. Tandem super cathastam (*****) jubentur extendi. Quumque caederentur martyres Dei, ossibusque discinderentur; statim aer perturbatur, tonitrua mugiunt, terra concutitur, templa deorum corruunt, multosque opprimunt, imperator territus fugit: illi vero ab angelo continuo soluti, juxta praedictum fluvium Siler se invenerunt. Vbi pausantes & orantes animas Domino reddiderunt. Quorum corpora ab aquilis custodita Florentia illustris matrona, Vito revelante, reperiens honorifice sepelivit.*

Oratio. *Da Ecclesiae tuae quaes. Dom.* &c. ut in vet. sacramentariis & in Rom. breviario.

Habes profecto in his lectionibus foedissimam historiae faciem, & tamen tanto tolerabiliorem actis fusioribus, quanto contractior iis est. Et tamen antiquas eas fuisse sordes, tum Ado ostendit, uti dixi, qui ex iis narrationibus suum elogium contexuit, tum etiam Beda id indicat, eo ipso scil. quod nomine tantum Viti in hunc diem conjecto, nullum de eo elogium subjicit. Nec enim acerrimi judicii monachus nisi ex probatis historiis sua elogia composuit: quorum autem acta parum probabilia reperit, ab iis in compendium redigendis abstinuit. Vnde meo quidem judicio ante Bedam, ac facile VII. saeculo [quo coepere infinita commenta in Sanctorum historias redundare] haec acta, qualia nunc leguntur, conscripta fuerunt.

Quod si quaeras, quae prima inquinamenti causa exstiterit; ea mihi prope explorata videtur. Nam quum duo Viti, Lucanus unus, Siculus alter (uti mox ex Hieronymi martrologiis ostendam) eodem hoc die celebrarentur; ambos saeculi barbaries in unum conflavit. Itaque quaecumque de S. Vito Lucano ac praeterea de Siculo Vito scripta circumferebantur, ea in unum Vitum martyrem coaluerunt. Hinc quia humano capiti cervicem pictor equinam adnexuit; adhuc quaedam ἀσύνεια (*non sibi constantia*) in hisce narrationibus supersunt. Nam quid magis contrarium, quam quod qui Vitus Lectione I. (ne ab recitato compendio discedam) Siculus fingitur, idem Lect. 2. *Vitus Lucanus* dicatur? Hoc parum: illud autem gravius, quod qui initio Lectionis I. in Sicilia confectus praedicitur (*Apud Siciliam . . . martyrium consummavit*) mox Lect. 3. idem apud fluvium *Siler* (is est *Silarus* Lucaniae amnis, uti diserte in ceteris omnibus Actis legitur) *animam Domino reddidit.* Atqui Vitus Siculus forsitan apud *Selinuntem* amnem Lilybaeo vicinum occubuerat (id quod quum timide conjectassem, postea expressum citra ullas ambages a Maurolyco reperi:

(**) Vbi nim. Tanager amnis in Silarum influit.

(***) Atqui Diocletianus semper improlis fuit.

(****) Non tantum incolatu Lucanus, verum etiam quia re vera a primae lectionis Vito Siculo diversus erat, uti mox dicetur.

(*****) De *Cataста* videantur praeter ceteros Casaubonus ad Persium, noster Caracciolus in Eccl. Neap. Mon. p. 181. & Du-Fresnius in Glossario.

Digitized by Google

peri : *In Sicilia*, inquit, *juxta Selinuntem fluvium SS. Mart. Viti pueri, & Modesti atque Crescentiae &c.*) deinde vero quia Vitus Lucanus apud *Silarum* Lucaniae vitam finisse tradebatur ; Selinus cum Silaro confusus fuit. Adhaec quod tota haec historia tot prodigiosis narrationibus onerata, hos sanctos martyres per quidquid umquam tormentorum fuit, traductos ostendat, eam habet causam, quod Viti Siculi haud pessimam historiam statim dirior altera Viti Lucani tragoedia sexcentis dehonestata commentis pone sequatur.

Nec enim in hisce Actis, uti quidem illa hodie se habent, difficile est suum cuique Vito tribuere. Quaecumque in recitatis lectionibus ante conscensam navim referuntur (quae quidem in longiore Bollandistarum historia priorem partem actorum constituunt) ea omnia ad Siculum pertinent. Et in prioribus quidem Siculi Viti Actis post verbera & siquid aliud pertulit, martyris beata mors sequebatur. At vero quia Siculum cum Lucano ferruminandum esse decreverunt; glutinis loco navim induxerunt : qua conscensa & ad Lucaniam appulsa, ecce tibi Vitus e Siculo Lucanus evasit : ad quem jam omnia deinde pertinent, quae in posterioribus duabus breviarii lectionibus, copiose autem in altera actorum Papebrochii parte recitantur. Quae quidem Lucani Viti historia multo est, quam Siculi, fabulosior.

En verbis paucis nostrum de hisce actis judicium : quod quidem vitis doctis [quod adhuc (*) sciam] non venisse in mentem, eo plus miror, quod jam ante hoc centum annos insignia tria Hieronymiani mrologii apographa manibus teruntur omnium : in quibus citra ullas ambages hoc eodem die Vitus Lucanus a Vito Siculo distinguitur. Nec tamen id, quod statim in oculos incurrebat, agnitum fuit, hodiernam S. Viti historiam bicorporem circumferri, ex Vito Siculo Vitoque Lucano [quos sedulo distinxit antiquitas] in unum coalescentibus foede conflatam.

Etenim quid facilius fuit, quam antiquioribus mrologiis ducibus unum ab altero dirimere? In Hieronymiano Antuerpiensi sive Epternacensi omnium vetustissimo exemplari sic die XV. Junii scribitur : *In Lucania Viti, Candidi, Cantiani, Cantianellae* & aliorum quorumdam : post quos statim sequitur : *In Sicilia Viti, Modesti, & Crescentiae*. Eadem in Lucensi, & Corbejensi apud Florentinium, & in Blumiano apud Bollandistas [hoc die ad finem pag. 1048. num. 1.] leguntur : nisi quod in Lucensi cod. ut & in quibusdam apud Bollandistas (ibid. n. 2.) Florentinis mrologiis qui martyr Lucaniae attribuitur, ei nomen *Niviti* pro *Viti* imponitur : quae sunt amanuensium σφαλματα.

Antequam hinc abeo, monendum est, S. Viti ac sociorum historiam non uniusmodi in bibliothecarum pluteis reperiri : id quod ex iis Mss. exemplaribus ostenditur, quorum catalogum Papebrochius in

(*) Certe quum ea scriberem, in neminem incideram, qui Vitum Siculum a Vito Lucano distinguendum moneret. Nec enim quam Papebrochius Actis S. Viti Admonitionem praeviam praemisit [ad XV. Jun. pag. 1020.] eam legere pensi duxeram. At postquam superiora non tantum scripseram, verum etiam formis typographicis exprimenda curaveram [etsi nondum prelo commiseram] postremo animadverti, Papebrochium in ea Admonitione num. 2. & 3. Vitum non modo duplicem, verum etiam triplicem (nim. Siculum, Lucanum, ac Romanum) adstruere molitum, nem tamen in medio reliquisse. Et gavisus certe sui, abhinc annos quinquaginta viro docto de ea re curam subiisse. Quod autem is conjectura tenus steterit, id eo fit, quod ad duplicem Vitum (Siculum unum, Lucanum alterum) in Hieronymiano mrologio propositum minime attenderit. Imo ne Papebrochii quidem sodali Henschenio (ubi eodem die pag. 1048. ad Lucanos martyres *Vitum* [quem *Nivitum* vocat] *Candidum* &c. ex Hieronymiano mrologio notos devenit) vidit id, quod certe incurrebat in oculos, duplicem scil. in eo vetustiss. mrologio Vitum distingui, Siculum unum, Lucanum alterum. Quo quid certius esse potest ad socii conjecturam firmandam ?

Digitized by Google

in Comm. praevio num. 2. contexuit. Etiam Mich. Monachus in Sanctuario Capuano pag. 512. se habuisse horum martyrum acta *longe diversi styli* a Surianis testatur: quibus quid factum sit, adhuc quaero. Sed nihil sane mallem, quam eam homiliam, quam Floreantinius se habuisse testatur, in lucem edi: de qua idem vir doctus praeclare judicavit his verbis: *Exstant in hagiologio nostro Mss. acta horum SS. martyrum eleganti stylo in homiliae modum exarata ... cordati scriptoris opus. Incipiunt, MAGNITVDINEM DEI.*

ADMONITIO

Quum jam mensis Majus & Junii dimidium longius opinione processisset, ita ut justum volumen aequaret, nec posset altera Junii pars, multo illa quidem copiosior, eodem tomo concludi; haud ab re viris amicis atque typographo visum fuit, si reliqui quindecim Junii dies in sequens volumen, intra non multos menses proditurum, rejicerentur.


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google